D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

ENARRATIONES

IN MATTHÆUM (XXI-XXVIII) - IN MARCUM.

B. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

OPERA OMNIA,

EX EDITIONE LUGDUNENSI RELIGIOSE CASTIGATA, ET PRO AUCTORITATIBUS
AD FIDEM VULGATÆ VERSIONIS ACCURATIORUMQUE
PATROLOGIÆ TEXTUUM REVOCATA, AUCTAQUE B. ALBERTI VITA AC BIBLIOGRAPHIA SUORUM
OPERUM A PP. QUÉTIF ET ECHARD EXARATIS, ETIAM REVISA ET LOCUPLETATA

CURA AC LABORE

STEPH. CÆS. AUG. BORGNET,

Sacerdotis diœcesis Remensis.

ANNUENTE FAVENTEQUE PONT. MAX. LEONE XIII.

VOLUMEN VICESIMUM PRIMUM

ENARRATIONES IN MATTHÆUM (XXI-XXVIII) - IN MARCUM.



PARISIIS
APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM,
13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

—

MDCCCXCIV

D. ALBERTI MAGNI,

DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI,

IN EVANGELIUM MATTHÆI

LUCULENTA EXPOSITIO.

CAPUT XXI.

Jesus super asinam Jerusalem cum triumpho ingressus, negotiatores de templo ejicit, et Pharisæis de triumpho indignantibus respondet : discipulis autem de ficulnea Christi verbo arefacta mirantibus, declarat fidei efficaciam : interrogationem de sua potestate retundit quæstione de Joannis baptismo : et ex parabolis de homine duos filios habente, et de patrefamilias, cujus vinitores post alios servos, etiam filium vineæ hæredem occiderunt, prædicit regnum Dei a Judæis ad gentes transferendum.

1. Et cum appropinquassent Jerosolymis, et venissent Bethphage ad montem Oliveti [1], tunc Jesus misit duos discipulos,
2. Dicens eis : Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea : solvite, et adducite mihi :
3. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos.
4. Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem :
5. Dicite filiæ Sion [2] : Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum filium subjugalis.
6. Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Jesus.

[1] Marc. XI, 1 ; Luc. XIX. 29.

[2] Isa. LXII, 11 ; Zachar. IX, 9 ; Joan. XII, 15.

7. Et adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt.
8. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via : alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via.
9. Turbæ autem quæ præcedebant et quæ sequebantur clamabant, dicentes : Hosanna filio David ! benedictus qui venit in nomine Domini [1] : hosanna in altissimis.
10. Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens : Quis est hic ?
11. Populi autem dicebant : Hic est Jesus, propheta a Nazareth Galilææ.
12. Et intravit, Jesus in templum Dei [2] : et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo, et mensas numulariorum et cathedras vendentium columbas evertit :
13. Et dicit eis : Scriptum est : Domus mea domus orationis vocabitur : vos autem fecistis illam speluncam latronum [3].
14. Et accesserunt ad eum cæci et claudi in templo, et sanavit eos.
15. Videntes autem Principes sacerdotum et Scribæ mirabilia quæ fecit, et pueros clamantes in templo et dicentes : Hosana filio David ! indignati sunt,
16. Et dixerunt ei : Audis quid isti dicunt ? Jesus autem dixit eis : Utique. Numquam legistis : Quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem [4] ?
17. Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit.
18. Mane autem revertens in civitatem esuriit.
19. Et videns fici arborem unam secus viam [5], venit ad eam, et nihil invenit in ea nisi folia tantum : et ait illi : Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea.
20. Et videntes discipuli mirati sunt, dicentes : Quomodo continuo aruit [6] ?
21. Respondens autem Jesus, ait eis : Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis : Tolle, et jacta te in mare, fiet.
22. Et omnia, quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis [7].
23. Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem Principes sacerdotum et seniores populi, dicentes : In qua potestate hæc facis ? Et quis tibi dedit hanc potestatem [8] ?
24. Respondens Jesus dixit eis : Interrogabo vos et ego unum sermonem : quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam in qua potestate hæc facio.
25. Baptismus Joannis, unde erat ? e cœlo, an ex hominibus ? At illi cogitabant inter se, dicentes :
26. Si dixerimus : E cœlo, dicet nobis : Quare ergo non credidistis illi ? Si autem dixerimus : Ex hominibus, timemus turbam :

[1] Psal. CXVII, 26 ; Marc. XI, 10 ; Luc. XIX, 38.
[2] Marc. XI, 15 ; Luc. XIX, 45 ; Joan. II, 14.
[3] Isa. LVI, 7 ; Jerem. VII, 11 ; Luc. XIX, 46.
[4] Psal. VIII, 3.
[5] Marc. XI, 13.
[6] Marc. XI, 20.
[7] Supra, VII, 7 ; Marc. XI, 24 ; I Joan. III, 22.
[8] Marc. XI, 28 ; Luc. XX, 2.

omnes enim habebant Joannem sicut prophetam [1].

27. Et respondentes Jesu, dixerunt : Nescimus. Ait illis et ipse : Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

28. Quid autem vobis videtur ? Homo quidam habebat duos filios : et accedens ad primum, dixit : Fili, vade hodie, operare in vinea mea.

29. Ille autem respondens, ait : Nolo. Postea autem pœnitentia motus, abiit.

30. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait : Eo, domine : et non ivit.

31. Quis ex duobus fecit voluntatem patris ? Dicunt ei : Primus. Dicit illis Jesus : Amen dico vobis, quia publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei.

32. Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ, et non credidistis ei : publicani autem et meretrices erediderunt ei : vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei.

33. Aliam parabolam audite : Homo erat paterfamilias [2], qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est.

34. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus.

35. Et agricolæ, apprehensis servis ejus, alium cæciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt.

36. Iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter.

37. Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens : Verebuntur filium meum.

38. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se : Hic est hæres : venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus [3].

39. Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt.

40. Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis ?

41. Aiunt illi : Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

42. Dicit illis Jesus : Numquam legistis in Scripturis : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli : a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris [4].

43. Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.

44. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur : super quem vero ceciderit, conteret eum.

45. Et cum audissent Principes sacerdotum et Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret.

46. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant.

[1] Supra, XIV, 5.

[2] Isa. V, 1 ; Jerem. II, 21 ; Marc. XII, 1 ; Luc. XX, 9.

[3] Infra, XXVI, 3, et XXVII, 1 ; Joan. XI, 53.

[4] Psal. CXVII, 22 ; Act. IV, 11 ; ad Roman. IX, 33 ; I Petr. II, 7.

IN CAPUT XXI MATTHÆI

ENARRATIO.

« Et cum appropinquassent Jerosolymis,et venissent Bethphage ad montem Oliveti, tunc Jesus misit duos discipulos. »

Hic incipit agere de temporibus novissimis statum Ecclesiæ describentibus.

Habet autem tres patres : in quarum prima demonstrat potestatem abjicientis Synagogam, et vocantis gentes : in secunda, describit ipsam abjectionem cum sua causa, et incipit circa medium istius capituli, ibi, ℣. 17 : « *Et relictis illis abiit.* » In tertia, describit judicium novissimum abjectorum, et vocatorum : et incipit in capitulo XXV, 31 et seq.

In demonstratione potestatis Christi abjicientis, et vocantis facit duo : primo enim demonstrat potestatem, et Dei gloriam : secundo, convincit contradicentes, ibi, ℣. 15 : *Videntes autem Principes Sacerdotum.* »

Adhuc, prior harum duo habet : primo enim demonstrat gloriam in confessione laudis et veritatis : secundo, exercet auctoritatem suæ justæ potestatis, ibi, ℣. 12 : « *Et intravit Jesus in templum.* »

Adhuc, in priori horum duo dicit : modum videlicet regis gloriose venientis, et confessionem laudis ex parte turbæ recipientis, ibi, ℣. 8 : « *Plurima autem turba.* »

In prima tria continentur : injunctio ex parte Domini, confirmatio facti, et impletio obsequii. Et hæc patent in littera.

Circa primum quinque seriatim interponuntur : unde, et quis, et quos, et quo, et ad quid misit.

De primo dicit :

« Et cum appropinquassent, etc. »

Nam Jesus veniens de Jericho transeundo cæcos sanaverat : sic enim continuatur ad præcedens.

Dicit autem tria : loci propinquitatem, quo tendebat : locum proprium, quem transibat : et locum communem, unde mittebat.

De primo dicit : « *Et cum appropinquassent* » jam ad locum Passionis, plus affectu, quam viæ spatio. Deuter. IV, 7 : *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Joan. XVII, 19 : *Pro eis ego sanctifico meipsum.* Joan. XVIII, 4 : *Jesus... processit, et dixit eis.* Ideo enim ante passionem revelavit, ut sciretur quia ex electione libera se Passioni obtulit.

« *Jerosolymis :* » quia eo quod erat metropolis pluraliter nominatur propter multitudinem habitantium, quia non tam civitas fuit quam patria multorum. Isa. II, 2 et 3 : *Fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini.* Isa. I, 26, secundum Septuaginta : « Post hoc vocaberis civitas sancta, ma« ter civitatum in Israel. » Nostra littera habet : *Urbs fidelis.* Hoc etiam congruit : quia per passionem itur ad visionem æternæ pacis. Ad Ephes. II, 14 : *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua,* etc. Joan. XIV, 27 : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.*

« *Et venissent Bethphage.* » Ecce locus proprius, quo transivit : est autem nomen compositum ex hebræo et græco : Betu בֵּית enim hebraicum interpretatur

domus : φάγειν græcum interpretatur *comedere*, quod est officium oris [1] : et ideo dicitur, quod interpretatur *domus buccæ* : et est juxta Bethaniam.

« *Ad montem Oliveti*, » vitulus Sacerdotum. Unde, Lucæ, XIX, 29, in eadem historia ponitur etiam Bethania, quæ *domus obedientiæ* interpretatur. Marci autem, XI, 1, idem penitus dicitur, quod hic. Congruit autem : quia Bethphage confessionem veritatis significat, unde mittuntur Apostoli. Infra, XXVIII, 19 : *Euntes, docete omnes gentes.* I ad Corinth. I, 17 : *Misit Christus evangelizare.* Ezechiel. II, 8 : *Aperi os tuum, et comede quæcumque ego do tibi.* Et sequitur, III, 2 : *Cibavit me volumine.* « *Ad montem Oliveti.* » Ecce locus communis congruus missioni, qui est excellentia et celsitudo misericordiæ. Jerem. XXXI, 23 : *Benedicat tibi Dominus pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* Psal. LXVII, 17 : *Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Ἔλαιον enim græce, latine sonat misericordiam. Olei enim natura lucis ministra est, laboris, et dolorum per unctionem et solamen, et excellit cunctis liquoribus : sic Passio ad quam venit, illuminat : quod significatur, Tobiæ, XI, 13 et seq., ubi per fel, hoc est, amaritudinem piscis, qui Christum significat, illuminatus est Tobias. De secundo, Eccli. XXXVIII, 7 : *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis.* De tertio, Jacob. II, 13 : *Superexaltat autem misericordia judicium.*

« *Tunc*, » opportuno tempore,

« Misit Jesus. »

Ecce quis misit? Auctor videlicet salutis. Ad Hebræos, II, 9 et 10 : *Videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum.... auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Illius enim est mittere. Abdiæ, ℣. 1 : *Legatus ad gentes missus est.* Isa. XVIII, 2 : *Ite, Angeli veloces, ad gentem convulsam et dilaceratam.*

« Duos discipulos suos. »

Tria dicit : quot, et cujus professionis, et cujus vitæ.

Quot, quia « *duos :* » ut charitatis inter se fruerentur solatio. Eccle. IV, 11 : *Si dormierint duo, fovebuntur mutuo : unus quomodo calefiet?* Luc. X, 1 : *Designavit Dominus Jesus et alios septuaginta duos*, scilicet discipulos, *et misit eos binos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus.*

« *Discipulos*, » qui doctrinam Christi profitentur. Isa. VIII, 16 : *Signa legem in discipulis meis.* Joan. VIII, 31 et 32 : *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem.*

« *Suos.* » Ecce sanctitas vitæ : non enim Christi essent nisi per informationem vitæ. Ad Roman. VIII, 9 : *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* I Paralip. XII, 18 : *Tui sumus, o David, et tecum, fili Isai.*

« Dicens eis : Ite in castellum quod contra vos est. » 2

Ecce quo mittit. Tria dicit : iter imperat, et quo vadant, et difficultatem exponit.

Primum notat per hoc quod dicit : « *Ite.* » Quasi dicat : Nolite stare. Proverb. VI, 3 : *Discurre, festina.* Luc. X, 3 : *Ite : ecce ego mitto vos.* Ezechiel. I, 9 : *Unumquodque eorum ante faciem suam gradiebatur.*

« *In castellum.* » Ecce quo. Et non dicit civitatem, quia jam se contra Deum incastellaverat, et munierat, et munitio-

[1] Vel melius, ex hebræo בֵּית-פַּגֵּא *Beth-Phaghe*, domus ficuum;

nes posuerat : quia a dignitate prima recesserat. Eccle. IX, 14 : *Civitas parva, et pauci in ea viri.*

« *Quod contra vos est.* » Ecce difficultas. Non enim contra eos fuit tantum in situ, sed etiam in voluntate nocendi. Judith, II, 6 : *Omnemque urbem munitam subjugabis mihi.* II ad Corinth. X, 5 : *Consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.*

« Et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea. »

Ecce id ad quod, sive propter quod misit. Et dicit duo : unum prædicendo, et alterum injungendo.

En quod prædictum est : « *Statim invenietis* : » ne hæsitent de injuncto ministerio, dubitantes an alter prior solverit, et adduxerit, et oporteat exspectare ultra placitum. Genes. XXVI, 20 : *Voluntas Dei fuit ut cito occurreret mihi quod volebam.* IV Regum, IV, 14 : *Ne mihi moram facias in eundo.*

« *Asinam alligatam, et pullum cum ea.* » Quasi diceret : Asinam alligatam et pullum non alligatum : quia, dicit Marcus XI, 4, quod *invenerunt pullum ante januam* : quia super eum nullus hominum sederat, sicut dicitur, Luc. XIX, 30 [1]. Nec adhuc ligabitur loro. Asina enim est gentilitas Samariæ, habens lorum legis, et retinens idololatriam. Pullus autem significabat idololatriam indomitam, cui nullus umquam frænum legis alicujus imposuit. Job, XI, 12 : *Vir vanus in superbiam erigitur, et tamquam pullum onagri se liberum natum putat.* Onager est asinus agrestis : ὄνος enim græce, latine est *asinus* : asinus enim significat homines gentiles : est enim animal brutum inter alia rationis expers, melancholicum, frigidum, de infirmitate capitis moriens, pigrum, duri oris, et ideo rigidorum comestivum, tenuissimi lactis, et ideo lac ejus multum ablutivum, et valens ptisicis, quia ex subtilitate penetrat, et restituit humidum radicalium membrorum : est etiam animal oneriferum, in clunibus fortissimum, spissæ pellis, inerme, innocens, laboriosum, parvo pabulo contentum, post laborem sufficit ei si convertatur et revertatur super dorsum, in depositione superfluitatis humidæ, vel siccæ, amans commune stabulum, in vere lascivum, et luxuriosum : quæ omnia facile gentibus adaptantur. Et quia asina significat Samariam, quæ etiam *asinaria* interpretatur : et Philippus Samariæ prædicavit sicut dicitur, Act. VIII, 5. Pullus autem significat gentilitatem in toto silvestrem, cujus primo gentili Cornelio centurioni primo prædicavit Petrus [2]. Ideo duo discipuli missi creduntur Philippus fuisse, et Petrus.

Sed quomodo dicit pullum stantem cum ea, si pullus stetit ante januam ?

Adhuc, ante quam januam stetit pullus ?

Dicendum, quod asina fuit animal emptum ad communes usus pauperum, qui in ascensu montis ferre sua onera non poterant, nec habebant unde animalia conducerent : et ideo in genere asini fuit emptum animal, quia in petrosis plus valent asini quam equi, præcipue in calidis regionibus, in quibus multum magni sunt asini. In sexu autem emerunt asinam, ut fructu ventris continue haberentur animalia pauperibus subservientia.

Dicendum igitur ad secundum, quod janua fuit stabuli communis ibidem ante portas ædificati. Cum ea autem dicitur fuisse pullus, quia sequebatur asinam, et stabat non longe a matre, sicut pulli sequi matrem consueverunt.

[1] Luc. XIX, 30 : *Invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo umquam hominum sedit.*

[2] Cf. Act. X, 1 et seq.

« Solvite, et adducite mihi :

Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos.

Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem. »

Ecce injunctum ministerium. Et dicit duo : præceptum, et responsionem ad id quod allegare possent impedimentum.

De primo dicit duo : « *Solvite,* » hoc est, absolvite a vinculis errorum et peccati. Matth. XVIII, 18 : *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo.* Joan. XI, 44 : *Solvite eum, et sinite abire.*

Secundo dicit : « *Adducite,* » per attractionem charitatis.

« Et si quis vobis, etc. »

Ecce exclusio impedimenti, quod possent allegare : et littera plana est.

« *Dicite quia Dominus* » Mirum videtur, si Dominus universorum venturus in gloria indigentiam dicatur habere asini pauperum, et si allegabitur a discipulis, vix alicui credibile erit. Sed Dominus dives in spiritualibus, I ad Corinth. I, 5 : *In omnibus divites facti estis in illo* : pauper autem in temporalibus, et erat notæ paupertatis : propter hoc recipiebatur verbum discipulorum. Psal. LXXXVII, 16 : *Pauper sum ego, et in laboribus,* etc. Matth. VIII, 20 : *Filius hominis non habet ubi caput reclinet.*

« *Et confestim dimittet eos.* » Unde Lucas, XIX, 33, dicit eos dixisse : *Quid solvitis pullum ?* Nec credendum est, ut dicit Hieronymus quod « Dominus in « tam brevi itineris spatio in utroque « animalium istorum asinaverit, quia ri- « diculum esset : sed utrumque adduci « fecit, et forte utrumque sterni fecit, « propter mysterium quod diximus, et « propter prophetiæ congruentiam. » Nec currum, vel equum pompæ et belli amatorem elegit Dominus, quia *fallax equus ad salutem* [1]. Et iterum, Psal. XIX, 8 : *Hi in curribus, et hi in equis.* Amatores mundi sunt : sed nos in humilitate Domini ambulantes, *in nomine Domini Dei nostri invocabimus* [2]. Amos, II, 15 : *Ascensor equi non salvabit animam suam.* Genes. XLIX, 11 : Ligans ad vitem pullum suum, et ad vineam, asinam suam. Hæc est littera Septuaginta [3].

« Hoc autem totum factum est. »

Quod videlicet discipulos misit, quod duo animalia duci præcepit, quod ea quæ dicta sunt, prædixit : et est illud totius facti confirmatio per auctoritatem : « *Ut adimpleretur quod dictum est.* » Matth. V, 18 : *Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege.* « *Per Prophetam* » Zachar. IX, 9 « *dicentem* [4]. »

« Dicite filiæ Sion : Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis. » 5

Tria dicit : jubet instanter vocem lætitiæ prædicari, et cui sit prædicanda, et quid.

« *Dicite,* » inter vos Prædicatores. Isa. XII, 5 : *Annuntiate hoc in universa terra.*

« *Filiæ Sion.* » Ecce cui. Filia Sion est Jerusalem, quia ab arce Sion tuebatur. Psal. LXXXVI, 3 : *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.*

[1] Psal. XXXII, 17.

[2] Psal. XIX, 8.

[3] Vulgata habet, Genes. XLIX, 11 : *Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam.*

[4] En verba Zachariæ, IX, 9, ex Vulgata : *Exsulta satis, filia Sion : jubila, filia Jerusalem : ecce Rex tuus veniet tibi justus, et salvator : ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ.*

Quid autem dicendum sit ?

« Ecce Rex tuus. »

Describitur autem hic Christus veniens ab octo : ab evidentia venientis, a dignitate potestatis, a connaturalitate hominis, ab appropinquatione amoris, ab utilitate operis redemptionis, ab optimo habitu cordis, a quiete regiminis, ab humilitate conversationis, et a simplicitate subjectionis.

Primum notatur per demonstrationem. Luc. III, 6 : *Videbit omnis caro salutare Dei* [1]. Luc. II, 30 et seq. : *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti*, etc.

« *Rex.* » Ecce dignitas potestatis. Isaiæ, XLIX, 10 : *Miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos.* Rex autem est : ne dicat de cætero populus ejus : *Non habemus regem, nisi Cæsarem* [2] : quia, Daniel. IX, 26 : *Non erit ejus populus qui eum negaturus est.* Sed potius cantet cum Isaia, XXXIII, 22 : *Dominus legifer noster, Dominus rex noster.* Et, Jerem. XXIII, 5 : *Regnabit rex, et sapiens erit.*

« *Tuus.* » Per hoc notat ad nos connaturalitatem per humanitatem assumptam. Isa. IX, 6 : *Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus.* Ad Hebr. XI, 16 : *Non confunditur Deus vocari Deus eorum.* II Machab. I, 2 : *Benefaciat vobis Deus, et meminerit testamenti sui quod locutus est ad Abraham, et Isaac, et Jacob, servorum suorum fidelium.*

« *Venit.* » Per hoc tangit appropinquationem amoris. Proverb. VIII, 31 : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Isa. LXVI, 12 : *Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium quam sugetis.* Habacuc, II, 3 : *Veniens veniet, et non tardabit.*

« *Tibi.* » Tangitur utilitas. Unde dicit Glossa, quod pro nobis veniet, si devoti : contra nos, si indevoti. Luc. II, 34 : *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel.* I Petr. II, 7 et 8 : *Vobis igitur honor credentibus : non credentibus autem lapis offensionis et petra scandali his qui offendunt verbo, nec credunt in quo et positi sunt.*

« *Mansuetus.* » Ecce optima animi dispositio : si enim sævus esset, accedere non auderemus. Matth. XI, 29 : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Numer. XII, 3 : *Moyses erat vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra.*

« *Sedens.* » Ecce quies regiminis, in quo non tumultuat concupiscentia, sed residet tranquilla sapientia. Isa. XVI, 5 : *Præparabitur in misericordia solium, et sedebit super illud in veritate..., judicans et quærens judicium*, etc. Luc. I, 32 : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus.*

« *Super asinam.* » Ecce humilitas. Act. VIII, 33 : *In humilitate judicium ejus sublatum est* [3].

« *Et pullum filium subjugalis.* » Ecce simplicitas sine omni duplicitate fastus sæculi. I Paralip. XXIX, 17 : *Scio, Deus meus, quod simplicitatem diligas.* Supra, X, 16 : *Simplices sicut columbæ.* Asellus enim valde est simplex, et rude animal quasi nihil habens astutiæ.

« Euntes autem discipuli, fecerunt 6
sicut præcepit illis Jesus.

Et adduxerunt asinam et pullum, et 7
imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt. »

Ecce impletio injuncti obsequii. Et notantur tria : obedientia, et modus obediendi, et superabundantia.

[1] Cf. Isa. XL, 5.
[2] Joan. XIX, 15.
[3] Cf. Isa. LIII, 7.

Obedientia notatur, cum dicit : « *Euntes autem discipuli fecerunt.* » Et per participium *euntes* notatur diligentia. Quasi diceret : Continue ibant, donec fecerunt quod dixerat. Exod. XXIV, 7 : *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus.*

« *Sicut præcepit illis Jesus.* » Ecce modus. Simile, Luc. XIV, 22 : *Factum est ut imperasti, et adhuc locus est.*

« Et adduxerunt asinam et pullum. »

Contradixerunt quidam, sicut dicit Lucas : et illi responderunt sicut præcepit Dominus [1] : quod brevitatis causa tacet Matthæus, et significat adductionem Gentium, ut dictum est supra [2]. Isa. LXVI, 20 : *Adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino.* Isa. XIV, 2 : *Tenebunt eos populi, et adducent eos in locum suum.*

« *Et imposuerunt super eos vestimenta sua.* » Ecce superabundantia in duobus : in mollitie stramenti, et in adjutorio insessionis : et littera patet. Vestimenta sunt conversationes virtutum positæ super gentes conversas. Apocal. XVI, 15 : *Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.* Apocal. III, 18 : *Suadeo tibi, ...ut vestimentis albis induaris, et non appareat confusio nuditatis tuæ.*

« *Et eum desuper sedere fecerunt.* » Secunda superabundantia : juverunt eum ascendere super asinum. I ad Corinth. III, 9 : *Dei sumus adjutores.* Juverunt enim Apostoli Christum, ut præsideret mentibus fidelium simplicium et indoctorum. II ad Corinth. VI, 1 : *Adjuvantes autem exhortamur,* etc. Adjutorium autem istud est potius ex parte asini qui tenetur, et aptatur, et sistitur, quam ex parte Christi ascendentis. Littera nostra in Zacharia IX, 9, aliquantulum variatur in verbis, et non in sensu : dicit enim sic : *Exsulta satis, filia Sion: jubila, filia Jerusalem : Ecce Rex tuus veniet tibi justus, et salvator : ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinæ.*

« Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via : alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via. 8

Turbæ autem quæ præcedebant et quæ sequebantur clamabant, dicentes : Hosanna filio David ! benedictus qui venit in nomine Domini : Hosanna in altissimis ! » 9

Ecce devotio turbæ recipientis. Et habet duas partes : in quarum prima continetur tripudium turbæ concomitantis : in secunda, admiratio turbæ in civitate recipientis, ibi, ℣. 10 : « *Et cum intrasset,* etc. »

In prima sunt tria signa devotionis : in stratu vestimentorum, in succisione ramorum, et in uniformi laudis præconio. Et hæc patent in littera.

De primo dicit : « *Plurima autem turba,* » quæ, ut dicit Joan. XII, 9, convenerat ad diem festum, et exierat de Bethania ad Christum videndum, « *straverunt vestimenta sua in via.* » Via secundum sensum litteræ lapidosa fuit, et dura, et fuerunt in ea scopuli acuti et spinosi, et fuit valliculosa et defossa inter lapides. Cogitabat ergo, quod animal dure calcans pede offenso forte cespitaret, et sedentem concuteret : et pede læso acutis scopulis forte claudicaret, et sedentem inæqualiter portando læderet : vel forte in defossum calcando caderet, et sessorem dejiceret. Et contra primum

[1] Luc. XIX, 33 et 34 : *Solventibus illis,* scilicet discipulis, *pullum, dixerunt domini ejus ad illos : Quid solvitis pullum ? At illi dixerunt : Quia Dominus eum necessarium habet.*

[2] Cf. enarrationem in ℣℣. 1 et 2 hujusce capitis.

straverunt vestimenta, ut molliter calcans suaviter portaret. Contra secundum sternebant flagra arborum, et frondes, ne acuta pedem figerent, et sic æqualiter veheret. Contra tertium magnos sternebant ramos, ut defossa tegerent, et sic animal tute ponens pedem sessorem secure portaret. Sternentes autem vestes, mystice significant sanctos Martyres, qui vestimentum corporis straverunt, ut Christus cordibus insideret. Cantic. v, 3 : *Exspoliavi me tunica mea, et quomodo induar illa ?* II ad Corinth. XII, 15 : *Ego autem libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus vestris.*

« *Alii cædebant ramos de arboribus.* » Per quos significantur virores virtutum, et sanctorum verborum. Judicum, IX, 49 : *Certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem.*

« *Et sternebant in via,* » scilicet corda ut pararent Domino iter. Isa. XL, 4 : *Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas.* Levit. XXIII, 40 : *Sumetis vobis ramos ligni densarum frondium spatulasque palmarum, et lætabimini coram Domino Deo vestro.*

« Turbæ autem quæ præcedebant, et quæ sequebantur. »

« Præcedentes significant eos qui « præcedebant Christi in carne præsen- « tiam : qui sequebantur, significant « fideles post adventum Christi in una « fide confessionem laudis cantantes, » ut dicit Augustinus. Joan. VIII, 56 : *Abraham paster vester exsultavit ut videret diem meum.* Ecce præcedens. Isaiæ, XLIII, 5 et 6 : *Ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni : Da : et Austro : Noli prohibere.* Ecce turba sequens.

Et de hujus laude dicit quatuor : intensionem devotionis, quæ notatur in clamore : desiderium salutis, quod notatur per *Hosanna :* præconium veritatis, quod notatur cum dicit « *filio David :* » et quarto, præconium deitatis, dicendo : « *Benedictus*, etc. »

Dicit ergo : « *Clamabant, dicentes.* » Isa. XL, 9 : *Exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem.*

« *Hosanna,* » hoc est, Salva, obsecro. Compositum ex corrupto verbo, et integro : *Osi* enim est salva : *Anna*, interjectio desiderantis, et aufertur in media per synallephen : et dicitur *Hosanna*, hoc est, salva, obsecro [1]. Matth. I, 21 : *Ipse salvum faciet populum suum*, etc. Eccli. XLVI, 1 et 2 : *Magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes.*

« *Filio David.* » Ecce præconium veritatis secundum naturam humanam, et

[1] De hoc verbo sic ait Hieronymus qui apprime linguam callebat hebraicam : « Osi salvifica interpretatur, Anna interjectio depre- « cantis est. Si ex duobus his velis compositum « verbum facere, dices Osianna, sive ut nos « loquimur Osanna, media vocali littera elisa : « sicut facere solemus in versibus Virgilii; « quando pro *Mene incepto desistere victam,* « scandimus *Menincepto.* » Epist. ad Damasum. Augustinus qui linguam hebraicam ignorabat hæc ait : « Vox obsecrantis est Hosanna . ma- « gis affectum indicans quam rem aliquam « significans, sicut sunt in lingua latina quas « interjectiones vocant : velut cum dolentes « dicimus, *Heu !* vel cum delectamur, *Vah* di- « cimus. » Tract. LI in Joan.

La prononciation primitive de cette locution hébraïque était *Hoschiah-Na ;* plus tard on écrivit *Hoschah-Na* par abréviation, puis *Hoschahna* en un seul mot, d'où nous avons fait *Hosanna*, à la suite des Grecs et des Latins : Ses racines étaient le verbe הושיעה, impératif hiphil du verbe ישע, sauver, et la particule נא. Elle signifie : Sauve donc ! σῶσον δή, comme traduisent les Septante. C'était par conséquent une prière ardente et pleine de foi qui semble s'être transformée plus tard en un cri d'allégresse, en un souhait de bonheur. (D. Fillion, Not. in Matth).

secundum naturam divinam. « *Filio David,* » cui jure successionis debetur regius honor. Jerem. XXIII, 5 : *Suscitabo David germen justum.* Ad Roman. I, 3 : *Factus est ei ex semine David secundum carnem.*

« *Benedictus.* » Ecce præconium deitatis : nomen enim Domini est notitia deitatis innata ei. Ad Philip. II, 9 : *Donavit illi nomen quod est super omne nomen.* « *Qui venit in nomine Domini,* » in dictis testatis per facta : et ideo benedictus est. Veniens autem in nomine proprio maledictus est. Joan. V, 43 : *Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me : si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.*

« *Hosanna in altissimis !* » Bis idem dicunt : et geminatio notat affectum. « *In altissimis,* » autem hominis, quia venit de altitudine humanæ naturæ, quantum ad immunitatem peccati. Joan. III, 31 : *Qui de cœlo venit, super omnes est.* De altis divinitatis, quia virtute cœlestis Dei omnia fecit. Joan. III, 13 : *Filius hominis, qui est in cœlo.* De altis hominis, quia *suscitat de terra inopem, et de stercore erigit pauperem : ut collocet eum cum principibus,* et solium gloriæ teneat [1]. Lucæ, II, 14 : *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus,* etc.

10 « Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens : Quis est hic ?

11 Populi autem dicebant : Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ. »

Ecce laus turbæ in civitate suscipiente Dominum. Et dicit tria : causam moventem ad laudem, commotionem laudis, et confessionem.

Primum est : « *Cum intrasset Jerosolymam.* » Psal. XLVII, 2 : *Magnus Dominus et laudadilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.* Felix est civitas, quam sua potentia visitavit : felicior, quam sanguine suo consecrare venit : felicissima, in qua gaudia resurrectionis multis sibi consurgentibus ostendit. Isa. LI, 3 : *Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis.*

« *Commota est universa civitas,* » mirans frequentiam, nesciens veritatem. Psal. XCV, 9 : *Commoveatur a facie ejus universa terra.* Job, XXXVII, 1 : *Super hoc expavit cor meum, et emotum est de loco suo.*

« Dicens : Quis est hic ? »

Ecce confessio laudis. Et secundum tria genera populi tripliciter exponitur : devoti enim dixerunt hoc admirative. Et est simile, Supra, VIII, 27 : *Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei ?* Psal. XXIII, 10 : *Quis est iste rex gloriæ ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Simplices autem dixerunt hoc ignorando. Joan. IX, 36 : *Quis est, Domine, ut credam in eum ?* Invidi dixerunt hoc despiciendo. Joan. VII, 12 : *Quidam dicebant : Quia bonus est, alii autem dicebant : Non, sed seducit turbas.* Luc. VII, 49 : *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit ?* Despective enim dictum est. Tali autem confusione existente in turba, asina instruit prophetam, Numer. XXII, 28, hoc est, humilis et simplex plebecula, Doctores et Pontifices.

Et hoc est quod sequitur :

« Populi autem »

Secum venientes, et signis eruditi, « *dicebant : Hic est Jesus,* etc. » Judicum, XV, 16, Samson sol fortis stravit hic in mandibula asini, hoc est, in confessione rudis et simplicis populi, non modo mille viros hostes suos, sed millia

[1] Psal. CXII, 7 et 8.

Scribarum, Sacerdotum et Pharisæorum. Dicunt enim in confusionem eorum : « *Hic est Jesus*, » confitentes salutis auctorem, « *Propheta*, » exhibens legis promissum. Deuter. XVIII, 15 : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies.* Et, ℣. 19 : *Qui verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* Luc. XXIV, 19 : *Fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo.* Joan. VI, 14 : *Hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.* Luc. VII, 16 : *Propheta magnus surrexit in nobis : et quia Deus visitavit plebem suam.*

« *A Nazareth.* » Locus nativitatis, flos in flore natus. Ut ille esse credatur, de quo dicitur, Isa. XI, 1 et 2 : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet : et requiescet super eum spiritus Domini.* Supra, II, 23 : *Quoniam Nazarænus vocabitur.*

« *Galilææ,* » scilicet patria. Joan. I, 45 : *Quem scripsit Moyses in lege, et prophetæ, invenimus : Jesum, filium Joseph, a Nazareth,* scilicet Galilææ. Isa. IX, 1 et 2 : *Aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.*

« Et intravit Jesus in templum Dei : et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo, et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit ».

Hic incipit pars illa, in qua exercet, et demonstrat potestatem in opere. Et habet duas partes, unam quidem, in qua continetur quod dictum est : secundam autem, in qua fit probatio potestatis per miracula, ibi, ℣. 14 : « *Et accesserunt ad eum cæci.* »

In primo sunt duo, scilicet demonstratio cultus Dei, et demonstratio zeli.

De primo dicit : « *Et intravit Jesus in templum Dei* : » docens (ut dicit Remigius) nos in omni loco primo visitare debere templum Dei, si est ibi : et deinde fusa oratione ad propria secedere negotia. Psal. V, 8 : *Adorabo ad templum sanctum tuum.* Daniel. VI, 10, Oravit Daniel contra templum, cum remotus esset.

« *Et ejiciebat,* etc. » Ecce zeli demonstratio : et ideo, Joan. II, 17, ubi simile quid describitur, inducuntur verba Psalmistæ, quoniam *zelus domus tuæ comedit me* [1].

Dicit autem duo, factum videlicet, et confirmationem facti per Scripturam. In facto duæ sunt diversitates : quosdam enim ejicit simpliciter, et quosdam ejicit, et instrumenta mali lucri evertit in damnum eorum. Ejicit autem duo genera hominum, ementes scilicet, et vendentes : et evertit mensas, et æs nummulariorum, et cathedras vendentium columbas, non curans damna eorum, quæ Dominus effudit ut in diripientes : quia illi avaritiæ et simoniæ et sacrilegii merito damna subire meruerant.

« *Vendentes et ementes in templo,* » hoc est, in templi atrio, quod sacerdotes locabant : aut etiam ministros suæ avaritiæ posuerunt ad animalia immolatitia vendenda, his qui sacrificare venerant, ut ab eisdem hæc iterum immolata reciperent. Quia, Exod. XXIII, 15, præcipitur : *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Ementes autem erant, qui hoc ad sacrificia emebant : et illi non peccabant, nisi quoad locum : quia non erat licitum emere in templo.

« *Et mensas nummulariorum.* » Nummularios autem mutuatores pecuniæ posuerunt sacerdotes : qui licet usuram non acciperent, sicut prohibetur,

[1] Psal. LXVIII, 10.

Levit. xxv, 36 et 37, tamen munuscula acceperunt pro mutuo fructuum, vel pullorum, vel anserum, vel hujusmodi de licentia sacerdotum : vel forte permittebant ibi agi commercium, sicut modo fit in curia, quia mutuabant minus : et illi recognoverunt coram sacerdotibus majus mutuum, et accedens promittebat solvere damnum : et tunc sacerdos summus illos solvere compellebat dans audaciam, usuram et superabundantiam alio nomine juvando ad recipiendum, sicut modo faciunt Prælati, dicentes sine talibus curiæ frequentiam stare non posse.

« *Et cathedras vendentium columbas evertit.* » Cathedræ autem erant ædes docendi, in quibus sedere debebant Scribæ : sed occupati lucris quibus inhiabant, in locis illis vendentes columbas sedebant apud se habentes columbas in caveis, et forte alias aves sacrificabiles, ut pauperibus venderent : quia columbæ erant sacrificia pauperum. Ejecit autem per flagellum factum ex tribus funiculis, ut dicitur, Joan. II, 15.

Dicit autem Hieronymus quod « multi « disputant, quod majus sit inter mira- « cula quæ fecit Dominus : alii dicunt « suscitationem Lazari : alii illumina- « tionem cæcorum, et alii aliud. Ego « puto omnibus majus esse, quod homo « unus, illo tempore contemptibilis et « odiosus, uno flagello tantam multitudi- « nem cum dispendio rerum, et lucri, et « honoris ejicere potuit, quantam ma- « gnus exercitus armis bellicis ejicere « non valuisset. Sed quoddam divinum « radiabat in facie, quod eos deterruit, « sicut et in Moysi facie, quando de mon- « te descendit. »

Dicit igitur : « *Et intravit Jesus in templum Dei.* » Ezechiel. XLIII, 2 : *Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem : et vox erat ei quasi vox aquarum multarum, et terra splendebat a majestate ejus.*

« *Et ejiciebat,* » flagello de tribus funiculis, « *omnes vendentes et ementes.* » Simoniacam hæresim hic damnandam ostendit. Zachar. XIV, 21 : *Non erit ultra mercator in domo Domini.* II ad Timoth. II, 4 : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.* Eccli. XXVI, 28 : *Duæ species difficiles et periculosæ mihi apparuerunt : difficile exuitur negotians a negligentia : et non justificabitur caupo a peccatis labiorum.*

« *In templo.* » Augustinus : « In ora- « torio nemo aliquid agat, nisi id ad quod « factum est, unde et nomen accepit. » Psal. XCII, 5 : *Domum tuam decet sanctitudo, Domine,* non mercatio.

« *Et mensas nummulariorum.* » Hieronymus : « Mensas has dicit altaria, « quæ avaritia sacerdotum permisit in « mensas nummulariorum commutari : » sed quia non erant altaria in templo extra in atrio, nisi altare holocaustorum, quæ altaria sunt, de quibus loquitur Hieronymus? Dicendum sicut dicitur, Ezechiel. XL, 39 et seq. : *In vestibulo portæ, duæ mensæ hinc, et duæ mensæ inde, ut immoletur super eas holocaustum,* etc. Mensæ quædam stabant in atrio, super quas ponebantur portiones Sacerdotum, et de immolatis, et aliæ carnes immolandæ : et illæ *altaria* dicebantur propter sanctitatem sacrificiorum : et de illis loquitur Hieronymus. Additur autem, Luc. XIX, 45, et Marc. XI, 15, et Joan. II, 14, quod *nummulariorum effudit æs.* Et significant isti, illos qui ære sonante petunt dona Ecclesiastica. Act. VIII, 20 : *Pecunia tua tecum sit in perditionem : quoniam donum Dei existimasti pecunia possidere.* IV Reg. V, 26 et 27 : *Nunc accepisti argentum, et accepisti vestes ut emas oliveta, et vineas,* etc. *Sed et lepra Naaman adhærebit tibi, et semini tuo, usque in sempiternum.* In qua historia duo notantur : quod videlicet damnatus est, qui non ex pacto, sed post acceperit : et quod hæredes, ad quos alia pecunia per donum devoluta est, lepra sunt damnati : quia jus non habebat accipiendi, Propheta excutiente

manum ab omni munere : nec dare hæredibus potuit, quod auctoritate Prophetæ non accepit.

« *Et cathedras* » Cathedra componitur a *cathechiso,* quod est *doceo* : et *ædes* [1] : unde cathedra quasi Doctorum ædes. « *Vendentium columbas.* » Significant vendentes Sacramenta. « *Evertit,* » ne de cætero in templo apparerent. Matth. x, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.* Isa. LV, 1 : *Emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac.*

13 « Et dicit eis : Scriptum est : Domus mea domus orationis vocabitur : vos autem fecistis illam speluncam latronum. »

Ecce probatio per Scripturam : ut inter medium montium fluant aquæ, hoc est, rivi Ecclesiasticorum actuum, et descendant de auctoritatibus altitudinis duorum testamentorum.

« *Scriptum est.* » Isa. LVI, 7 : *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.*

Et dicit duo : primo, usum domus, et secundo, abusum.

De primo dicit : « *Domus mea,* » nomini meo consecrata et ædificata, « *domus orationis vocabitur.* » Genes. XXVIII, 17 : *Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli.* III Reg. VIII, 11 : *Impleverat gloria Domini domum Domini :* et ideo aliud capere non debuit.

« *Vos autem fecistis.* » Ecce secundum. Dicit autem : « *Fecistis,* » profanando locum sanctum. II Machab. VI, 2 : *Misit rex contaminare etiam quod in Jerosolymis erat templum.* « *Speluncam latronum.* » Jerem. VII, 11 : *Numquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum ?* Sacerdotes enim insidiantes rebus hominum, in insidiis doli stabant, non differentes a latronibus, nisi majori nocumento : quia ipsi interficiunt animas, latrones autem corpora : sed non suum rapiendo vi excommunicationis cum latronibus conveniunt. Isa. v, 23 : *Justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo.* Hoc est quod dicitur, Osee, VI, 8 et 9 : *Galaad civitas operantium idolum, supplantata sanguine. Et quasi fauces virorum latronum, particeps sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem.* Quasi diceret : Quemadmodum latrones qui observant virum, ita conspiratio sacerdotum qui in via quaitur Sichem trucidant. In Sichem enim tunc fuit tabernaculum Domini.

« Et accesserunt ad eum cæci et claudi in templo, et sanavit eos. » **14**

Hic omnium factorum probatio ponitur, quod virtute divina facta sunt. Congrue autem sanat cæcos et claudos in templo, cæcos per fidei illuminationem, claudos per virtutis expeditæ profectum ad opera. Ad Hebr. XII, 13 : *Non claudicans quis erret, magis autem sanetur.*

« Videntes autem Principes Sacerdotum et Scribæ mirabilia quæ fecit, et pueros clamantes in templo et dicentes : Hosanna filio David ! indignati sunt, **15**

Et dixerunt ei : Audis quid isti dicunt ? Jesus autem dixit eis : Utique. Numquam legistis : Quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem ? » **16**

Hic ponitur convictio ex invidia murmurantium. Dicuntur autem hic tria : quorum primum est id quod movet ad

[1] Vel melius a κατα, ἕδρα, *sedes.*

indignationem : secundum est quæstio orta ex indignatione : tertium autem per veritatem Scripturæ invidorum convictio.

In primo dicit oculum nequam nuntiantem, dicens : « *Videntes autem,* » nequam oculis, qui de bono vulnerabantur. Supra, xx, 15 : *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum ?* Eccli. xxxi, 15 : *Nequius oculo quid creatum est.*

Deinde dicit auctorem ipsorum : « *Principes Sacerdotum,* » qui dignitate præeminebant, « *et Scribæ,* » qui scientiæ habebant excellentiam.

Deinde tangit id quod vulnerabat intus : duo autem erant, quorum primum est : « *Mirabilia quæ fecit* » Jesus. Non dicit miracula, quia non erant præter spem : eo quod Scriptura illa futura promiserat. Eccli. xxxvi, 7 : *Innova signa, et immuta mirabilia. Glorifica manum, et brachium dextrum.*

« *Et pueros.* » Ecce secundum : et hoc tangitur, Joan. xii, 13 : *Acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant : Hosanna !* etc.

« *Indignati sunt,* » non reputantes eum dignum tanta laude. Joan. xii, 19 : *Videtis quia nihil proficimus ? ecce mundus totus post eum abiit.* Sapient. ii, 15 : *Gravis est nobis etiam ad videndum.* Luc. xix, 39 : *Quidam Pharisæorum de turbis dixerunt ad illum : Magister, increpa discipulos tuos.* Et hoc prætermittit Matthæus.

« Et dixerunt ei. »

Matth. xii, 35 : *Malus homo de malo thesauro,* scilicet cordis sui, *profert mala.* « *Audis, quid isti dicunt.* » Quasi dicant : Tu delectaris in tua laude, et usurpas tibi honorem divinum. Joan. viii, 13 : *Tu de teipso testimonium perhibes : testimonium tuum non est verum.*

« *Jesus autem dixit.* » Ecce convictio per Scripturam in Psalmo viii, 3. « *Utique :* » audio, et audire debeo : quia hoc per spiritum præcepi, quando dixi : *Laudate, pueri, Dominum : laudate nomen Domini* [1]. Testimonium innocentium non astutorum nonnisi veritati nititur : vos autem personis quibusdam adulamini indignis, et vituperatis dignos.

« *Numquam legistis,* » ad intellectum. Matth. xxii, 29 : *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.*

« *Ex ore infantium et lactentium.* »

Sed si infans dicitur non fans, qualiter laudat ? Dicendum, quod a duobus dicitur infans, a teneritudine nervorum, et organorum, qui trahi, et moveri, et flecti non possunt ad voces formandas : et hoc modo proprie dicitur *infans.* Alio modo dicitur, eo quod careat conceptu quem significant voces, propter fluxum ætatis teneræ : et hoc modo dicitur hic *infans* : unde infantes de ludis et concinnis loquuntur : et ideo non infantes dicuntur : quia, sicut dicit Basilius : « Sermonis usum nobis Deus in-« dulsit, ut consilia cordium nobis invi-« cem pandamus. » Et de talibus hic loquitur. Sapient. x, 21 : *Sapientia aperuit os mutorum, et linguas infantium fecit disertas.* I Petr. ii, 2 : *Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.*

« *Perfecisti laudem.* » Notanda est mirabilis modestia Christi : quia hoc quod Propheta addidit, siluit, ne inimicum provocaret : nam, Psal. viii, 3, dicitur : *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem.* Luc. xix, 40, addit : *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.*

« Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit. » 17

Hic agitur de reprobatione Judæorum,

[1] Psal. cxii, 1.

et vocatione Gentium. Et tanguntur tria, scilicet causa reprobationis, abjectio destructionis, et judicium. Secundum est in cap. XXIV. Tertium in cap. XXV.

Causa reprobationis hic tangitur triplex : primo parabolica, quæ est ingratitudo et inobedientia : secundo, præsentes insidiæ et tentatio : tertio, per partes tangitur explicite sub maledictione diversorum vitiorum. Secunda incipit circa medium capituli XXII, ibi, ℣. 15 : « *Tunc abeuntes Pharisæi.* » Tertia incipit in capitulo XXIII.

Prima harum tria continet : quorum primum est figura abjectionis accepta in facto Christi proprio : secundum, figura ejusdem in naturæ vestigio : tertium est ostensio justæ abjectionis in parabolis duabus. Et hæc patebunt in littera.

De primo ergo dicit : « *Et relictis illis,* » tamquam indignis et abjiciendis, « *abiit,* » ab iis scilicet, non tam præsentia quam gratiæ subtractione, « *foras extra civitatem,* » synagogam relinquens. Luc. XIII, 35 : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* « *In Bethaniam,* » domum obedientiæ. « *Ibique mansit,* » cum Lazaro in rure : et significat mansionem in gentilitate. Malach. I, 10 et 11 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.*

Litteraliter autem notandum est, quod in tanta civitate nullum invenit invitantem se hospitem, cum pauper esset : quia ita nulli adulatus fuit, quod omnes se sibi subduxerunt : et sic terminatur pars prima.

18 « Mane autem, revertens in civitatem, esuriit. »

Secunda pars est, in qua figuratur judaicæ sterilitatis abjectio in naturæ vestigio.

« *Mane,* etc. »

Dicuntur autem tria : primum est Domini instantia et sollicitudo de conversione Judæorum : secundum autem figura pertinacis perfidiæ et reprobatio : tertium, ex hoc accepta discipulorum instructio.

De primo dicit quatuor, scilicet maturitatem temporis, benignitatem et patientiam Domini ad ingratos redeuntis, et tantum desiderium salutis hominum quod necessitates corporis neglexit, et quod tamen futuram sterilitatem in eis prævidit.

De primo dicit : « *Mane autem* » facto, cum Jacob, Genes. XXVIII, 18, surrexit diluculo, ad opus prædicationis. Eccle. XI, 6 : *Mane semina semen tuum, et vespere ne cesset manus tua : quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud : et si utrumque simul, melius erit.* Supra, XX, 1 : *Exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.* Joan. VIII, 1 et 2 : *Jesus perrexit in montem Oliveti : et diliculo iterum venit in templum.*

« *Revertens in civitatem,* » ut omnia faceret ultra quam deberet conversioni eorum opportuna. Genes. XXXI, 30 : *Ad tuos ire cupiebas, et desiderio erat tibi domus patris tui.* Matth. XXIII, 37 : *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ?* II ad Timoth. IV, 2 : *Insta opportune, importune : argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*

« *Esuriit.* » Et tamen hanc dissimulans necessitatem, ad prædicandum ivit. Et præsumitur, quod nocte ita diu orationi institit, quod incœnatus cubitum ivit : esuriem enim salutis eorum esuriei corporis anteposuit. II ad Corinth. XI, 27 : *In fame et siti..., in frigore et nuditate.* Ad Hebr. XI, 37 et 38 : *Egentes, angustiati, afflicti : quibus dignus non erat mundus.*

« Et videns fici arborem unam se- **19**

cus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea nisi folia tantum : et ait illi : Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea. »

Ecce prævisio futuræ sterilitatis.

Dicit ergo : « *Videns,* » plus consideratione mentis quam corporis, « *fici arborem.* » Ceciliani declinatio est. Et dicit quatuor : quorum primum est signum dulcedinis peccati, in qua nutriti fuerunt : secundum est unanimis consensus in malum : tertium est transitus, et frequentia dæmonum per eos in conculcatione vitiorum : quartum est ex his tanta inventa sterilitas.

Dicit ergo : « *Et videns fici arborem.* » Joan. I, 48 : *Cum esses sub ficu, vidi te.* Glossa Augustini, hoc est, sub dulcedine peccati. Jerem. XXIV, 3 : *Quid tu vides, Jeremia ? Et dixi : Ficus, ficus... malas, malas valde.* « *Unam,* » ex unanimi consensu in malum. Psal. XIII, 3 : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* « *Secus viam.* » Et ideo mirum esset, si ficus usque ad maturitatem conservasset : et est via transitus dæmonum in omni vitio. Supra, XIII, 4 : Quod cecidit secus viam, volucres cœli comederunt. Psal. LXXIX, 13 : *Vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam.* Isa. LI, 23 : *Posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeuntibus.*

« *Et venit,* » per misericordiam, « *ad eam.* » Psal. LXXIX, 15 : *Vide, et visita vineam istam.* Luc. I, 78 : *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos, oriens ex alto.*

« *Et nihil invenit.* » Ecce sterilitas : folia enim sunt verba eloquii Prophetarum sine fructu operis. Proverb. XIV, 23 : *Ubi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas* in opere est. Ideo dicit Aristoteles, quod « plantæ lati folii cito fluunt « folia. » Luc. XIII, 6 : *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua.* Et sequitur, ibidem, ℣. 7 : *Ecce anni tres sunt ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio : succide ergo illam : ut quid etiam terram occupat ?* Marc. XI, 13, dicitur : *Non enim erat tempus ficorum.* Et hoc videtur, quia circa Pascha fuit : et tunc videtur, quod injuria fuit maledictæ arbori : quia non est signum sterilitatis quando non habet poma tempore quo non debet habere. Sed respondendum est, quod in terra calida sicut est Jerusalem, et maxime in clivis montium, in quibus est reverberatio solis, ficus in Pascha habent fructum præcoquum, quem desideravit Dominus. Et quod dicit Marcus intelligitur de fructu communi : ficus enim duo genera emittit, præcoquas, et sequentes : ficus præcoquas semel emittit, et alias continue : ita quod semper habet fructum.

« Et ait illi : Numquam ex te, etc. »

Maledictio est reprobationis : nec injuria est, quia Creator utitur creatura ad signum, et instructionem. « *Fructus nascatur in sempiternum.* » Habacuc, III, 17 : *Ficus enim non florebit, et non erit germen in vineis.* Sed videtur non respondere figuræ : quia Judæi convertentur in fine. Isa. X, 21 : *Reliquiæ convertentur ad Deum fortem.* Responsio, quod dicit *ex te :* ex Synagoga enim (quæ in sacramentis et figuris mortua est) fructus non nascetur, sed ex insitione Evangelii et fluentis gratiæ. Job, XIV, 7 et seq. : *Lignum habet spem : si præcisum fuerit, rursum virescit, et rami ejus pullulant. Si senuerit in terra radix ejus, et in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, et faciet comam, quasi cum primum plantatum est.*

« *Et arefacta est continuo ficulnea.* » Judæ epistola, ℣. 12 : *Arbores autumnales, bis mortuæ.*

« Et videntes discipuli mirati sunt, **20**
dicentes : Quomodo continuo aruit ?

21 Respondens autem Jesus, ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non hæsitaveritis. »

Hic ponitur discipulorum instructio. Et tanguntur duo : via ad instructionem, quæ est facti admiratio : et ipsa instructio.

De primo dicit : « *Videntes autem discipuli mirati sunt*, etc. » Marc. XI, 20 : *Cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam a radicibus.* « *Mirati sunt, dicentes : Quomodo continuo aruit ?* » Sapient. XVI, 24 : *Creatura tibi Factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos.* Marc. XI, 14 : *Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet.* Adhuc autem Marcus narrat istud ante ejectionem ementium et vendentium de templo : sed Marcus non sequitur historiam, sed præponit ad ostensionem divinæ potestatis, quam exercuit in templo.

« Respondens autem Jesus, ait eis. »

Ecce instructio Domini. « *Amen dico vobis, si habueritis fidem* » sicut granum sinapis, ut dicitur, Luc. XVII, 6, « *et non hæsitaveritis,* » hoc est, errori inhæseritis. Jacob. I, 6 et 7 : *Qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino.*

« Non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis : Tolle, et jacta te in mare, fiet.

22 Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. »

Tria dicit : minus præmittit, majus arguit, et generaliter de omnibus concludit.

Dicit ergo : « *Non solum de ficulnea facietis,* » quod minus est. Psal VIII, 8 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves*, etc. Sapient. V, 21 : *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*, sicut per miracula fecit contra Pharaonem [1].

« *Sed et si monti huic dixeritis.* » Hic arguit majus. I ad Corinth. XIII, 2 : *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam*, etc. Objiciunt gentiles, quod hoc Apostoli non fecerunt : ergo fidem non habuerunt. Respondet Hieronymus, quod et si hoc fecerunt Apostoli, scriptum non est propter incredibilitatem (alias, incredulitatem). Mystice autem mons est Christus in mare sæculi missus prædicatione Apostolorum. Jerem. XXXI, 23 : *Benedicat tibi Dominus pulchritudo justitiæ, mons sanctus.* Psal. XIV, 1 : *In monte sancto ejus.* Vel, mons est diabolus prædicatione Apostolorum in mare amaritudinis missus. Jerem. LI, 25 : *Ecce ego ad te, mons pestifer, qui corrumpis universam terram.* Psal. XLV, 3 : *Non timebimus dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris.*

« *Et omnia quæcumque petieritis in oratione,* » quæ secundum Damascenum, est « petitio decentium a Deo. » Per petitionem ergo notatur pietas : per orationem quoad salutem. « *Credentes accipietis.* » Marc. XI, 24 : *Quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis.* Joan. XV, 16 : *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Si objicitur de Apostolo, II ad Corinth. XII, 9, quod non fuit exauditus, sæpe supra solutum est [2].

« Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem Principes 23

[1] Cf. Exod. V et seq.

[2] Cf. præcipue supra enarrationem in ŷ. 7 cap. VII Matthæi, pag. 340 et seq. Tom. XX hujusce editionis.

Sacerdotum et seniores populi, dicentes: In qua potestate hæc facis? et quis tibi dedit hanc potestatem? »

Hic incipit sub sermonibus parabolicis ostendere meritum abjectionis Judæorum. Et dividitur in partes duas: in quarum prima declarat causam inductionis parabolarum : et in secunda, inducit parabolas.

Prima harum duo continet, insidias videlicet sacerdotum, et convictionem dolositatis eorum.

Insidiæ sacerdotum quadrupliciter exaggerantur, loci videlicet incongruentia, quia in templo, in quo nullus in dolo, sed in simplicitate cordis Deum quærere debuit : accessus simulatione : quærentium auctoritate : et quæstionis blasphema calliditate.

Dicit enim : « *Et cum venisset in templum,* » ubi locus cultus fuit sapientiæ et doctrinæ. Matth. XXVI, 55 : *Quotidie apud vos sedebam docens in templo.*

« *Accesserunt,* » dolose, familiaritatem et amorem simulantes. Isa. LVII, 3 : *Accedite huc, filii auguratricis, semen adulteri et fornicariæ.*

« *Principes,* » in quibus potestas, « *sacerdotum,* » in quibus debuit esse sanctitas. Isa. I, 23 : *Principes tui infideles, socii furum.* « *Et seniores populi,* » in quibus debuit esse sapientia. Daniel. XIII, 5 : *Egressa est iniquitas a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum.* Jerem. XXIII, 15 : *A Prophetis Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram.*

« *Dicentes : In qua potestate hæc facis?* Ecce blasphema calliditas quæstionis : et est bimembris : quærunt enim de specie potestatis, et auctoritate. De primo dicunt : « *In qua potestate hæc facis?* Quasi dicant : Non enim es natus de sacerdotali prosapia : Senatus tibi hoc non concessit : Cæsar non donavit : in qua ergo potestate hoc facis, quod ejicis de e mplo, et facis te cum triumphalibus signis celebrare ? Joan. X, 24 : *Quousque animam nostram tollis ? si tu es Christus, dic nobis palam ?* Ad hanc quæstionem responsum est, Joan. V, 27 et 28 : *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc.*

« *Et quis tibi dedit hanc potestatem ?* » Quæstio est de auctoritate. Et innuunt latenter, quod non divina virtus hoc contulit, sed malitia dæmonis. Luc. XI, 15 : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Joan. VIII, 48 ; *Samaritanus es tu, et dæmonium habes.* Non attenderunt isti, quod opera demonstrabant eum omnia a divina facere, potestate, sicut, Luc. XI, 20, dixit : *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* Istorum enim malitia malitiam superavit magorum maleficorum, qui cum, Exod. VIII, 19, cognovissent mirabilia Dei, clamaverunt in confessione veritatis : *Digitus Dei est hic,* hoc est, demonstratio divinæ potestatis.

« Respondens Jesus dixit eis : Interrogabo vos et ego unum sermonem : quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam in qua potestate hæc facio. » **24**

Hic revincit eos reinterrogando. Et continentur hic quinque, scilicet interrogationis interposita conditio : et sapiens interrogatio : et obligationis quæ in quæstione est, a Judæis perceptio : et mendax responsio : et tandem propter demeritum mendacii veritatis quæsitæ occultatio.

In primo horum tria continentur : propositum interrogandi, facilitas interrogationis, et conditio interrogantis.

Propositum notat, cum dicit : « *Interrogabo vos et ego.* » Luc. II, 46 : *Invenerunt eum in medio Doctorum, audientem illos, et interrogantem eos.* « *Unum sermonem,* » brevitate facilitatem suam ostendentem. Proverb. XIV, 6 : *Doctrina*

prudentium facilis. Job, XXVI, 14 : *Cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* « *Quem si,* » respondendo, « *dixeritis mihi,* » hoc est, solveritis, « *et ego vobis dicam,* etc. » Interposita est conditio.

Sed quæritur, quare non declaravit id quod quærebant : hoc enim videtur utile fuisse fidei, quia sic innotuisset ejus divinitas.

Et dicendum, quod ipse vidit eos non esse devotos, sed insidiantes : ut si audirent quod se diceret Deum, imponerent ei blasphemiam. Joan. X, 33 : *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Matth. XXVI, 65 et 66 : *Ecce nunc audistis blasphemiam : quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt : Reus est mortis.* Hoc igitur sciens et cavens, eos videns contra veritatem latrantes.

Attendendum, quod supra, VII, 6, dixerat : *Nolite dare sanctum canibus : neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Hoc igitur cum dederit præceptum, attendit quod per Spiritum dixerat in Psal. CXLVIII, 6 : *Præceptum posuit, et non præteribit.* Et veritatem occultavit, ne majoris peccati daret occasionem.

25 « Baptismus Joannis, unde erat? e cœlo, an ex hominibus? »

Ecce sapientissima quæstio, et divina, et coram turbis locum habens. Dicitur autem *baptismus Joannis,* quia nihil erat in eo, nisi quod Joannes conferebat, sicut dictum est, Supra, III, 11, Act. I, 5 : *Joannes quidem baptizavit aqua.* Act. XIX, 4 : *Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent.*

« *E cœlo, an ex hominibus?* » Secundum veritatem fuit ex cœlo, Joan. I, 33 : *Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* Non ergo fuit ex figmentis hominum. Act. V, 38 et 39 : *Si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur : si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud.*

« Ait illi cogitabant inter se, dicentes :

Si dixerimus : E cœlo, dicet nobis : **26**
Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus : Ex hominibus, timemus turbam : omnes enim habebant Joannem sicut prophetam. »

Ecce percepta quæstionis obligatio. Cogitabant ergo intra se ratiocinantes ad utramque partem quæstionis. Psal. XIII, 5 : *Trepidaverunt timore ubi non erat timor.* Et, Levit. XXVI, 36 : *Terrebit eos sonitus folii volantis :* pavor enim est his qui operantur malum.

« Si dixerimus e cœlo. »

Responsio est ad unam partem. « *Dicet nobis : Quare non credidistis illi?* » in hoc videlicet, quod de me testimonium perhibuit. Vos misistis ad Joannem : et ille testimonium perhibuit veritati [1].

« *Si autem dixerimus : Ex hominibus,* » hoc est, ex hominum figmentis, « *timemus turbam,* » quia ipsi a Joanne nec baptismum, nec formam vitæ susceperant : sed tota turba baptizata fuerat a Joanne : et hoc est, quod sequitur : « *Omnes enim habebant Joannem sicut Prophetam.* » Luc. II, 76 : *Tu, puer, propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias*

[1] Cf. Joan. I, 19 et seq.

ejus. Jerem. I, 5 : *Prophetam in gentibus dedi te.*

« Et respondentes Jesu, dixerunt : Nescimus. »

Ecce mendax, et fictæ humilitatis responsio.

« *Nescimus.* » Humilitatis enim verbo, quo se nescire dixerunt, mendaciter coram hominibus effugerunt inconveniens responsionis, ad quod obligati erant ex quæstione : aut si verum dicunt, tunc infidelitas fecit nescire, si fuit e cœlo : falsitas fecit nescire, si erat ex hominibus : quia falsum nescitur : unde, Joan. I, 25 : *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta ?*

« Ait illis et ipse : Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio. »

Ecce negatio illuminationis propter mendacium negatæ veritatis. Jerem. XXIII, 14 : *In prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, et iter mendacii.* Psal. XXXV, 5 : *Iniquitatem meditatus est in cubili suo : adstitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.*

Et ideo sequitur : « *Nec ego dico vobis.* » Non dicit *nescio*, sicut illi : quia *non est Deus quasi homo, ut mentiatur*[1]. Ad Tit. I, 2 : *Non mentitur Deus.* Ad Roman. III, 4 : *Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax.*

« *In qua potestate hæc facio.* » Joan. XV, 24, 22 : *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent... Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Non oportuit dicere, quod in propatulo patebat ex opere.

« Quid autem vobis videtur ? Homo quidam habebat duos filios : et accedens ad primum, dixit : Fili, vade hodie, operare in vinea mea.

Ille autem respondens, ait : Nolo. Postea autem pœnitentia motus, abiit.

Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait : Eo, domine : et non ivit. »

Inducitur hic sermo parabolicus. Et sunt duæ parabolæ : una ostendit propter ingratitudinem et inutilitatem esse reprobandos : alia autem est propter peccati multitudinem, et sceleris immanitatem.

In prima continentur duo : parabola, et elicita ex parabola reprobatio.

Parabola habet tria : ad attendendum invitationem, et parabolæ propositionem, et judicii postulationem.

Invitans ad attentionem dicit : « *Quid autem vobis videtur ?* » Job, XXXIII, 5 : *Si potes, responde mihi.* Psal. XLIX, 21 : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam.* Ad Roman. II, 15 : *Inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Et est, ac si dicat : Unde sit baptismus Joannis, nescitis : ecce humana propono vobis : quid autem vobis videtur secundum judicium humanæ rationis ?

« Homo quidam. »

Ecce parabolæ propositio. Hæc parabola sumitur a tribus : a patrefamilias : a filio verbo inobediente, et opere devoto : et a filio opere inobediente, et verbo mendace.

De primo dicit : « *Homo quidam,* » Deum Patrem significans : qui homo est, quia humanus et benignus est, sicut paulo ante diximus[2]. Luc. XIV, 16 : *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Sapient. VII, 23 : *Humanus est, benignus,*

[1] Numer. XXIII, 19.

[2] Cf. Supra, XX, 15.

etc. Joel, II, 13 : *Benignus et misericors est.*

« *Habebat duos filios,* » hoc est, duos populos in affectu filiorum dilectos. Genes. XXV, 23 : *Duæ gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex utero tuo dividentur.* Sapient. XVI, 21 : *Substantia tua dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebat.*

« *Et accedens,* » per notitiæ suæ illustrationem, justitia naturali quam in corde scripsit, filium alloquens. Psal. LXXXIV, 9 : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus : quoniam loquetur pacem in plebem suam.* Primus autem est gentilis, justitiam naturalem accipiens.

« *Vade,* » profectu operis, « *hodie,* » orto sole cognitionis justitiæ naturalis : « *operare,* » per exercitium laboris, « *in vinea mea,* » plantata de vitibus politicæ virtutis, quæ germinat vinum jucunditatis et honestatis. Jerem. II, 21 : *Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum.* Isa. V, 7 : *Vinea Domini exercituum domus Israel est : et vir Juda germen ejus delectabile.*

« Ille autem, »

Scilicet gentilis, respondens interius loquenti sibi Patri, « *ait : Nolo,* » sed convertar ad delicias et idola. Ad Roman. I, 21 : *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt : sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum.*

« *Postea autem,* » tempore revelatæ gratiæ in adventu meo, et prædicatione Apostolorum, « *pœnitentia motus,* » de infidelitate, « *abiit* » operari in vineam Ecclesiæ, dicens illud Judicum, IX, 13 : *Non possum deserere vinum meum quod lætificat Deum et homines,* et ire per devia errorum, *et inter ligna cætera promoveri* silvestrium morum, in passionibus concupiscentiarum sequendo. Act. XIII, 46 : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Joan. XII, 21 : Gentiles, qui ascenderant ad diem festum dixerunt : *Domine, volumus Jesum videre.*

« Accedens autem ad alterum. »

Tangit tertiam partem parabolæ, quæ est in filio devoto in verbo, et contumace in opere.

Dicit igitur, quod « *accedens,* » per legislationem in monte Sinai, « *ad alterum* » filium, qui significat Judæos : quia jus naturale in præputio prius fuit quasi lex scripta in circumcisione.

Et si objicitur hoc quod dicitur, Exod. IV, 22 et 23 : *Filius meus primogenitus Israel... Dimitte filium meum* primogenitum. Dicendum, quod non dicitur primogenitus tempore, sed dignitate et privilegio amoris et donorum : et hoc significatur, Genes. XXVII, 1 et seq., ubi Jacob pater Judæorum supplantavit Esau patrem gentium in dignitate primogenituræ. Genes. XLIX, 3 : *Primogenitus meus, prior in donis, major in imperio.* « *Dixit similiter,* » hoc est : « *Vade,* » profectu justitiæ legalis, et intellectu veritatis in mysticis profice, « *hodie,* » in orto tibi radio solis claræ intelligentiæ. Sed, heu ! dicere potuit illud Sapient. V, 6 : *Sol intelligentiæ non est ortus nobis,* propter perfidiam excæcationis.

« *At ille respondens ait,* » viva voce : « *Eo, domine.* » Exod. XIX, 5 et 8 : *Si audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis... Responditque omnis populus simul : Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus.* « *Et non ivit.* » Joan. VII, 19 : *Nonne Moyses dedit vobis legem : et nemo ex vobis facit legem ?* Isa. XLVIII, 8 : *Transgressorem ex utero vocavi te.*

« Quis ex duobus fecit voluntatem patris ? Dicunt ei : Primus. »

Hic incipit quærere judicium ex parabola proposita. Et dicit tria : quæstionem judicii, responsionem, et ex responsione elicita justam Judæorum abjectionem.

De primo dicit : « *Quis ex duobus* » filiis propositis, « *fecit,* » non dixit, « *voluntatem patris ?* » Voluntas dicitur hic signum voluntatis, quod est præceptum de operando in vinea. Joan. XIV, 23 : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.*

« *Dicunt ei : Primus.* » Libri quidam habent : « Hic novissimus. » Et tunc, sicut dicit Hilarius, intelligendum est, quod ausu temeritatis et proterviente malitia tergiversantur : advertentes, quod de ipsis dicat. Sed verior littera habet : « *Primus.* » Causa redditur, Proverb. XXV, 14 : *Nubes, et ventus, et pluviæ non sequentes, vir gloriosus, et promissa non complens.* Eccle. V, 3 : *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere : displicet enim ei infidelis et stulta promissio.* Unde augmentum iniquitatis est vovere, et non solvere. Psal. LXV, 13, 14 : *Reddam Domino vota mea, quæ distinxerunt labia mea.*

« Dicit illis Jesus : Amen dico vobis, quia publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei. »

Ecce justa condemnatio ex verbis eorum. Supra, XII, 37 : *Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.* Luc. XIX, 22 : *De ore tuo te judico, serve nequam.*

« *Amen dico vobis.* » Duo dicit : abjectionem, et abjectionis causam.

Abjectionem dicit, « *quia publicani,* » aperti peccatores gentilium : et omnium sicut Matthæus, Supra, IX, 10, et Zachæus, Luc. XIX, 2.

« *Et meretrices,* » sicut mulier illa quæ erat in civitate peccatrix[1]. Meretrix autem a merendo dicitur : et est, quæ non eligit passionem propter passionem, sed propter pretium. Fornicatrix autem et mente et corpore turpis est, quæ passionem propter passionem eligit. Isa. I, 21 : *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii ?*

« *Præcedent vos in regno Dei,* » quia plenitudo gentium intrabit, et tandem fiet conversio Judæorum. Ad Roman. XI, 25, 26 : *Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret.* Ad Roman. IX, 25 et 26 : *Vocabo non plebem meam, plebem meam : et non dilectam, dilectam : et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit : in loco ubi dictum est eis : Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filii Dei vivi*[2].

« Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ, et non credidistis ei : publicani autem et meretrices crediderunt ei : vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei. »

Ecce reprobationis causa. Et dicit tria : vocationem justi contemptam, vocationem a peccatoribus creditam, et tertio finalem de obstinatione impœnitentiam.

Circa primum, contemptum vocantis exaggerat ex tribus : ex vicinitate inexcusabili, ex auctoritate incontradicibili, et exemplo innegabili.

De primo dicit. « *Venit ad vos,* » non longe existens a vobis, « *Joannes,* » qui tantæ fuit auctoritatis apud vos et opinionis, quod Christus credi potuisset. Joan. V, 35 : *Ille erat lucerna ardens, et lucens. Vos autem noluistis ad horam exsultare in luce ejus.*

[1] Cf. Luc. VIII, 37.

[2] Cf. Osee, II, 24.

« *In via justitiæ.* » Tantæ enim erat justitiæ in victu et habitu, quod de pilis camelorum induebatur, et zona pellicea erat circa lumbos ejus : et esca ejus locusta, et mel silvestre, ad quam justitiam obstupuit mundus [1]. Propter quod etiam Lucifer dicitur, Job, XXXVIII, 32 : *Numquid producis Luciferum in tempore suo, et Vesperum super filios terræ consurgere facis?* Et ideo peccato graviori, « *non credidistis ei.* » Isaiæ, LIII, 1 : *Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est?* Exod. IV, 1 : *Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent : Non apparuit tibi Dominus.*

« *Publicani autem et meretrices crediderunt ei.* » Unde, Luc. III, 12 et seq., dicitur, quod exiverunt ad eum publicani et milites, et diversi generis peccatores confitentes peccata sua : et accipientes ab ipso baptismum, et formam vitæ ab eo compositam sustinuerunt. Sed Pharisæi nec baptisma receperunt, nec formam vitæ : et similiter Sacerdotes. Sed interrogabant eum dicentes : *Tu quis es?* et, *quid ergo baptizas?* sicut dicitur, Joan. I, 19, 25. Et ideo dixit eis : *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira* [2] *?*

« *Vos autem videntes* » compungi peccatores et meretrices, « *nec* » tunc saltem « *pœnitentiam habuistis postea.* » Job, XV, 26 : *Cucurrit adversus eum,* scilicet Deum, *erecto collo, et pingui cervice armatus est.* Act. VII, 51 : *Dura cervice, et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* « *Ut crederetis ei.* » Isa. VI, 10 : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude : ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.*

« Aliam parabolam audite : Homo erat paterfamilias. » 33

« *Aliam parabolam audite.* « Psal. LXXVII, 2 : *Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio.*

Ostenditur autem in ista immanitas sceleris, propter quam juste reprobantur. Tria autem dicuntur : primo enim proponitur sermo parabolicus : secundo, quæritur judicium : et tertio, ex responsio elicitur justa condemnatio.

In parabola autem exaggeratur scelus tripliciter, scilicet ex peccato in servos simpliciter, et ex peccato in multitudinem servorum voluntatem domini scientium, et ex peccato in filium hæredem : magnum enim est peccare in servos, majus in multos servos domini secretarios, maximum autem in filium hæredem.

In primo horum tria dicuntur, domini videlicet cura de salute eorum et sollicitudo, et per servos admonitio, et pessimorum ingratitudo per redditionem boni pro malo.

Sollicitudo est in tribus : in cura, in opere, et in commissione fidei.

Cura describitur, cum dicit : « *Homo erat.* » De quo dicitur : Homo est : et quis cognoscet eum? Psal. LXXXVI, 5 : *Homo, et homo natus est in ea : et ipse fundavit eam Altissimus.* « *Paterfamilias,* » et ideo curam impendens, Supra, XX, 1 : *Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.*

« Qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est. »

Ecce opera. Et tangit quinque : plantationem in terræ collatione, munitionem in rectorum et Angelorum custodia,

[1] Cf. Supra, III, 4, et Luc. III, 2 et seq.

[2] Luc. III, 7, et Matth. III, 7.

purificationem in legislatione, defensionem in templi cultura, locationem in mandatorum exercitio.

De primo dicitur: « *Qui plantavit vineam,* » quando plantavit populum in terra promissionis. Psal. LXXIX, 9 : *Vineam de Ægypto, transtulisti : ejecisti gentes, et plantasti eam.* Et, ibidem, infra, ℣. 10 : *Plantasti radices ejus, et implevit terram.* Exod. XV, 17 : *Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine.* Jerem. II, 21 : *Ego plantavi te vineam meam electam, omne semen verum.* Vites autem istius vineæ fuerunt primitivi patres.

« *Et sepem circumdedit ei,* » in custodibus, Judicibus, et Regibus, et præcipue Angelis. Isa. LXII, 6 : *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes.* Apocalyps. XXI, 12, Super muros et portas novæ Jerusalem erant Angeli duodecim. Eccli. XXXVI, 27 : *Ubi non est sepes, diripietur possessio.* Isa. V, 2 : *Sepivit eam,* et circumfodit.

« *Et fodit in ea torcular.* » Torcularis prælum est legis gravitas. Act. XV, 10 : *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?* Hoc prælum premit merum ab acinis et fæce. Isa. LXIII, 3 : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.* Thren. I, 15 : *Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda.* Quod autem dicit, « *fodit,* » nota timoris est : quia ex timore suffodiente serviliter implebatur. Psal. LXXVII, 17 et seq. : *Incensa igni et suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt,* etc Isa. V, 2 : *Torcular exstruxit in eâ, et ædificavit turrim,* hoc est, templum muniens populum, *in medio ejus,* ad altitudinem turris. Ibi enim erat propitiatorium, quod munivit populum : et altare, quod sacrificiis tutum fecit hominem. Psal. CXXI, 7 : *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.* Cantic. IV, 4 : *Turris David quæ ædificata est cum propugnaculis.* Mich. IV, 8 : *Et tu, turris gregis nebulosa filiæ Sion, usque ad te veniet.*

« *Et locavit eam agricolis.* » Ecce locatio. Agricolæ autem ejus fuerunt patres, qui sarculo disciplinæ coluerunt alios, ut fructum facerent, sicut Sacerdotes et Judices, et hujusmodi Dei adjutores. I ad Corinth. III, 9 : *Dei sumus adjutores : Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Zachar. XIII, 5 : *Homo agricola ego sum : quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea.*

« *Et peregre profectus est.* » Ecce commissio vineæ fidei eorum : non autem Deus proficiscitur locum mutando, qui ubique est : sed quia subtraxit opera potentiæ, qui in præsentia eorum operabatur in Ægypto per plagas, et in deserto per apparitiones et miracula. Ideo dicitur profectus esse. Infra, XXV, 15 : *Profectus est statim.* Luc. XIX, 12 : *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti.* Quando enim potentiæ suæ miracula subduxit, et fidei eorum vineam quam miraculis plantavit, commisit, tunc peregre a sensibus eorum profectus esse dicitur : non quod ipse abesset, sed quia sensus eorum longe erant ab ipso.

« Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus. » **34**

Ecce admonitio per missionem.

Dicit autem : « *Cum appropinquasset tempus fructuum.* » Non fructus : quia per negligentiam eorum quibus tradidit eam, fructus nullos habuit. Isa. V, 2 : *Exspectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas.* Jerem. VIII, 13 : *Non est uva in vitibus, et non sunt ficus in ficulnea.* Deuter. XXXII, 32 et 33 : *Uva eorum uva fellis, et botrus amarissimus. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.* « *Misit.* » Ecce quo tempore misit. Quos autem misit sequitur : « *Servos suos,* » qui obsequiis ejus

fuerant mancipati, et quorum injuria redundat in Dominum. Zachar. II, 8 : *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Luc. X, 16 : *Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit*[1]. Servi autem isti fuerunt viri zelum Dei habentes, et monentes populum : quos semper in illo populo Deus suscitavit. Isa. XLIX, 3 : *Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor.* Psal. CXV, 16 : *Ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.* Sap. IX, 5 : *Servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ.* Isa. XLI, 8 : *Et tu, Israel, serve meus, Jacob quem elegi.*

Ad quos misit ? « *Ad agricolas,* » qui debitores sui fuerunt ex commisso. Michææ, VI, 4 : *Misi ante faciem tuam Moysen, et Aaron, et Mariam.*

Ad quid autem misit? « *Ut acciperent fructus ejus.* » Joan. XV, 16 : *Elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Cantic. VIII, 11 : *Vir affert pro fructu ejus mille argenteos.* Accipere autem fructus est in cellaria Domini reponere fructus gaudiorum justitiæ exercitæ. Ad Hebr. XII, 11 : *Postea fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.*

35 « Et agricolæ, apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt,

36 Iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter. »

Ecce ingratitudo in occisione nuntiorum. Et tria dicit, scilicet capturam, et enormitatem criminis ex persona captorum, et modum punitionis.

Captura : « *Apprehensis servis.* » Et quod hoc fecerunt agricolæ quibus impendit beneficia, malum est : pejus, quod violentas manus injecerunt : pessimum autem, quia hoc servis domini sui fecerunt. Est autem ista apprehensio, quod libertatem eis fructum in populo colligendi abstulerunt : quia docere populum non permiserunt, sed eos in carcere posuerunt, sicut dicit Paulus, I ad Thessal. II, 16 : *Prohibentes nos gentibus loqui ut salvæ fiant, ut impleant peccata sua semper.* Et, Act. V, 18 : *Posuerunt eos in custodia publica.* Et, Act. V, 28 : *Præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto.* Amos, VII, 12, 13 : *Qui vides, gradere, fuge in terram Juda... Et in Bethel non adjicies ultra ut prophetes : quia sanctificatio regis est.*

Alium ceciderunt. » Tria sunt genera punitionis : alium enim ceciderunt flagellis, II ad Corinth. XI, 25 : *Ter virgis cæsus sum.* Et, ibidem, ℣. 24 : *A Judæis quinquies, quadragenas, una minus, accepi.*

« *Alium occiderunt,* » ut Isaiam quem occiderunt serra lignea, et Hur sputis. Ad Hebræ. XI, 37 : *In occisione gladii mortui sunt.* Act. XII, 2 : *Occidit autem Jacobum, fratrem Joannis, gladio.*

« *Alium vero lapidaverunt,* » Naboth Jezrahelitem[2], Stephanum, et infra, XXIII, 37 : *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt.*

« Iterum misit alios servos plures prioribus. »

Secunda exaggeratio major præcedente, quia plures, quia conscii secretorum, quia isti servi fuerunt Prophetarum. Jeremiæ, XXV, 4 : *Misit Dominus ad vos omnes servos suos Prophetas, consurgens diluculo, mittensque : et non audistis,* etc. Et hoc est, quod dicit *plures prioribus.* Daniel. VII, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.*

« *Et fecerunt illis similiter.* » Ingratitudo est similis priori : peremerunt enim

[1] Cf. Matth. X, 40.
[2] Cf. III Reg. XXI, 13.
[3] Cf. Act. VII, 58.

eos cædendo, occidendo, et lapidando. Act. VII, 52 : *Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores estis, et homicidæ fuistis.*

37 « Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens : Verebuntur filium meum. »

Tertia est exaggeratio : quia non modo servum, sed ipsum Dei Filium occiderunt, et scienter, ut dicit littera.

Dicit autem tria : Patrisfamilias beneficium in filii missione : et qualiter meditati sunt in cordibus suis de filii occisione : et qualiter perfecerunt in operis perpetratione.

Circa primum duo dicit, scilicet quod misit, et ex quanta charitate misit.

In primo dicit tria : quando, ad quid, et ad quem.

Quando ? « *Novissime.* » Decebat enim talem et tantum Regem multos præcurrere nuntios, et in novissimo tempore, post quod nullus mitteretur. I Joan. II, 18 : *Novissima hora est.* I ad Corinth. X, 11 : *Nos sumus, in quos fines sæculorum devenerunt.* Ad Galat. IV, 4 : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Ad Hebr. I, 1 et 2 : *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio.*

« *Misit,* » hac intentione, ut ab errore reduceret et sanctificaret : hoc enim dicit missio, ut tradit Augustinus. Joan. III, 17 : *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.*

« *Filium suum,* » unigenitum. Joan. III, 16 : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Genes. XII, 6, Abraham missus de valle Hebron venit in Sichem, hoc est, de ortu luminis æterni venit in desertum paupertatis et miseriæ.

« *Dicens : Forsitan* [1] *verebuntur.* » Ecce ex quanta misit eum charitate, et sapientia : et dicit, « *forsitan,* » non ex ignorantia, sed ut locum habeat libertas arbitrii, ad quod vult faciendum. Vereri autem est timere cum reverentia : quomodo enim non timerent et vererentur, quem præcipue reges sancti timuerunt. Job, IX, 28 : *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.* Apocal. XV, 4 : *Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum.* Jerem. X, 7 : *Quis non timebit te, o rex gentium?* Quem etiam non vererentur, si filium non verentur ? Vereri enim secundum aliam expositionem est verecundia timere. Jeremiæ, XXXI, 19 : *Percussi femur meum : confusus sum, et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.*

38 « Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se : Hic est hæres, venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus. »

Ecce studium malitiæ in cordibus ingratorum, de quibus dicitur, Psal. CVIII, 4 : *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi.* Et notantur quinque : invidentia, studiosa malitia, consensus in malum, nocumenti magnitudo, et avaritia, quæ omnium malorum fuit radix.

Dicit igitur : « *Agricolæ.* » Bene agricolæ, qui secundum Philosophum rustici sunt, et indispositi ad virtutem, de quibus dicitur, I ad Timoth. I, 19 : Homines corrupti mente, et reprobi *circa fidem naufragaverunt.* « *Videntes.* » Supra, XX, 16 : *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* et vocatur invidentia gratiæ, quæ peccatum est in Spi-

[1] Vox illa *forsitan* non est in Vulgata.

tum sanctum. Mich. VII, 10 : *Adspiciet inimica mea, et induetur confusione.* Job, XVI, 10 : *Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.*

« *Filium.* » Non est enim materia filius, in quem transeat visio : sed formaliter legendum est. Videbant enim esse filium per plenitudinem gratiæ, quæ apparuit in eo. Joan. I, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Unde dixerunt, Sapient. II, 13, 16 et 17 : *Filium Dei se nominat..., et gloriatur patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sint.*

« *Dixerunt intra se.* » Ecce malitiæ studium. Psal. XXXV, 5 : *Iniquitatem meditatus est in cubili suo : adstitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.* Jerem. XVII, 9 : *Pravum est cor omnium, et inscrutabile : quis cognoscet illud ?*

« *Hic est hæres.* » Ecce malum contra conscientiam : quia scilicet in hoc cognoverunt eum : contra quod est, quod dicitur, I ad Corinth. II, 8 : *Quam nemo principum hujus sæculi cognovit : si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Act. III, 17 : *Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri.*

Ad hoc objicit Anselmus, quod si scienter Filium Dei interfecerunt, cum peccare in Deum infinities majus sit quam peccare in quantæcumque dignitatis hominem, videtur peccatum eorum irremediabile : est autem remediabile : ergo ignorantes fecerunt. Luc. XXIII, 34 : *Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt.* Ad Roman. X, 3 : *Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*

Responsio. Dupliciter dicitur sciri aliquid, in principiis, et conclusione. Principia autem cognoscendi Christum esse Filium Dei sufficienter habuerunt, et ex his cognovissent, nisi infidelitas obstitisset in mente, et nubes carnis assumptæ in oculis. Joan. XV, 24, 22 : *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent... Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Quoad hoc ergo dicuntur cognovisse : quia opera ostenderunt eum, et Scripturæ, et testimonium Joannis, sicut digitus ostendit solem : et sic dicitur, Luc. XI, 20 : *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* Augustinus in libro *de Civitate Dei* : « Si quis alii solem digito ostenderit, et « ille solem non viderit, culpet potius « oculi lippitudinem quam digiti ostensionem [1]. Sic ergo quoad indicantia dicuntur scire : sed cæcitate infidelitatis dicuntur ignorare. Et undecumque causetur ignorantia, licet non excuset a toto, tamen excusat a tanto. Genes. XXXI, 27 : *Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio, et canticis, et tympanis, et citharis ?* Glossa : « Cur adventum tuum occultare « voluisti ? si enim te cognovissem, numquam crucifixissem, sed cum signis « triumphalibus nomen tuum celebrassem. »

« Venite. »

Ecce consensus in malum. Jerem. XI, 19 : *Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium.* Genes. XXXVII, 20 : *Venite, occidamus eum, et mittamus in cisternam veterem,... et tunc apparebit quid illi prosint somnia sua.*

« *Occidamus eum.* » Ecce completum nocumentum, quo majus inferre non potuerunt. Sapient. II, 20 : *Morte turpissima condemnemus eum.* Proverb. I, 11 : *Insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra.*

« *Et habebimus hæreditatem ejus.* » Ecce avaritia. Est autem duplex hæreditas, terra videlicet, quam per hoc retinere putabant : quæ Christi fuit hæreditas ex David, patre ejus. Joan. XI, 50-48,

[1] S. Augustinus, Libr. I de Civitate Dei.

53 : *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat... : ne forte veniant Romani, et tollant locum nostrum, et gentem... Ab illo ergo die cogitaverunt interficere eum.* Alia est hæreditas, Ecclesia de gentibus, quam sublata Christi prædicatione, suis traditionibus cogitabant addere, ut proselitam, et in ea dominari. Psal. II, 8 : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Proverb. I, 13 : *Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis.* Exod. XV, 9 : *Dixit inimicus : Persequar et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea.*

« Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt. »

Hic ponitur mali perpetratio in opere. Et dicit tria : captivitatem violentiæ, ejectionem tamquam immunditiæ, et occisionem perfectæ malitiæ.

De primo dicit : « *Et apprehensum eum.* » Infra, XXVI, 55 : *Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me.*

« *Ejecerunt extra vineam,* » tamquam immundum extra civitatem Jerusalem. Isa. LIII, 12 : *Cum iniquis deputatus est* [1]. I ad Corinth. IV, 13 : *Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* Ad Hebr. XIII, 12 et 13 : *Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.*

« *Occiderunt,* » in cruce, ut mortis supplicium crucis accumularent confusione. Act. III, 14 et 15 : *Petistis virum homicidam donari vobis : auctorem vero vitæ interfecistis.* Daniel. IX, 26 : *Occidetur Christus : et non erit populus ejus qui eum negaturus est.*

« Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis ? 41

Hic incipit quærere judicium humanæ rationis secundum meritorum distributionem : ut ex responso eorum justam ostendat esse condemnationem. Et ideo sunt hic duo, scilicet quæstio, et responsio.

Quæstio innuit tria : adventum judicis, potentiam, et judicium quod quæritur.

Dicit ergo « *Cum venerit.* » Habacuc, II, 3 : *Veniens veniet, et non tardabit.* Ad Hebr. X, 37 : *Adhuc modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, et non tardabit.* Jacob. V, 9 : *Judex ante januam assistit.* Non ergo speretur impunitas delictorum.

« *Dominus vineæ.* » Ecce potestas. Isa. LXV, 18 : *Ego Dominus, et non est alius.* Psal. LXVII, 5 : *Dominus nomen illi.* Ambrosius : « Dominus nomen est « potestatis. » Non ergo speretur liberatio, vel resistentia.

« *Quid faciet agricolis illis ?* » Qui, sicut dicit Job, IX, 4 : *Sapiens corde est, et fortis robore,* et justus in judicio. II ad Timoth. II, 13 : *Ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.* Proverb. VI, 34 et 35 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ..., nec suscipiet pro redemptione dona plurima.*

« Aiunt illi : Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. »

Ecce responsio. Job, IX, 20 : *Os meum pravum me esse comprobabit.* Luc. XIX, 22 : *De ore tuo te judico, serve nequam.*

Tria autem dicunt respondentes : punitionem videlicet malorum, ejectionem a cultura vineæ, et vocationem sive intro-

[1] Cf. Luc. XXII, 37 ; Marc. XV, 28.

ductionem aliorum, per quos vocatio gentium designatur.

Dicunt igitur: « *Malos,* » in culpa, « *male perdet,* » in pœna. Numer. XXIV, 19 : *De Jacob erit qui dominetur, et perdat reliquias civitatis.* Isa. XIV, 22 : *Perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem.*

« *Et vineam suam locabit,* » non dabit, « *aliis agricolis,* » ejectis illis. I ad Corinth. III, 6, dicitur de Ecclesia de gentibus : *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.* Supra, XX, 4 : *Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit, dabo vobis.* De malis autem ejectis dicitur, Isa. III, 14 : *Vos depasti estis vineam, et rapina pauperis in domo vestra.* Psal. V, 11 : *Expelle eos, quoniam irritaverunt te, Domine.* Attendant Prælati vineam eis esse non datam, sed locatam.

Et ideo sequitur : « *Qui reddent ei,* » non suo quæstui retinebunt, « *fructum* » temporalem et spiritualem, « *temporibus suis,* » singulis annis de eleemosyna annui redditus. Psal. I, 3 : *Fructum suum dabit in tempore suo.* Cantic. VIII, 11 : *Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos : tradidit eam custodibus : vir affert pro fructu ejus mille argenteos.*

42 « Dicit illis Jesus : Numquam legistis in Scripturis : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli : a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris? »

Ecce hic ex responsione justa elicitur condemnatio. Et habet tres paragraphos : in quorum primo responsionem Scripturæ coaptat, ut magis terreantur : in secundo, responsionem dat justæ condemnationis quoad ejectionem Judæorum, et vocationem gentium : in tertio, ostendit condemnationem, quod malos male perdet in pœna.

In horum primo duo sunt : reprehensio ignorantiæ Scripturæ quæ ducit ad Christum, et ejusdem Scripturæ introductio.

De primo dicit : « *Numquam,* » ad intellectum, « *legistis* » quod dicitur « *in Scripturis.* » Non solum in una scriptura, sed in multis. In historia enim accidit, quæ est scriptura populi. Psal. LXXXVI, 6 : *Dominus narrabit in scripturis populorum.* In Psalmis etiam legitur [1], et Isaia per sensum [2], et Isa. XXVIII, 16, etiam per sensum [3]. Et ideo introducit hoc Petrus [4]. Infra, XXII, 29 : *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.*

« Lapidem, etc. »

Ecce Scriptura : et tangit tria, scilicet, duo mira quæ sunt in lapide : et auctorem horum. Duo autem mira sunt, reprobatio lapidis, et utilitas. Primum competit Judæis, secundum Gentibus.

Dicit igitur : « *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes* » templum. Dicitur enim quod lapis dolatus inventus est in ædificio templi, quem cæmentarii nusquam aptare poterant inter alios in muro reponendum, et tandem posuerunt eum in summa duorum murorum conclusione, in capite anguli, ad aptissimam

[1] Psal. CXVII, 22 ; *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.*

[2] Isa. VIII, 14 : *Erit vobis,* Dominus scilicet, *in lapidem offensionis, et in petram scandali, duabus domibus Israel.*

[3] Isa. XXVIII, 16 : *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.*

[4] I Petr. II, 6 et seq. : *Propter quod continet Scriptura : Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum : et qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur honor credentibus : non credentibus autem, lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, et lapis offensionis, et petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo et positi sunt.*

perfecti ædificii consummationem. Isa. XXVIII, 16 : *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* I Petr. II, 4 et 5 ; *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum, et honorificatum : et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini.* Act. IV, 11 : *Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli.*

« *Hic factus est in caput anguli :* » duos populos quasi duos parietes in se in unum conjungens. Ad Ephes. II, 4 : *Duos condens in semetipso.* Ad Ephes. II, 20 et 21 : *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu ; in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.*

« *A Domino factum est istud.* » Ecce auctor mirabilium horum. Act. V, 38, 39 : *Si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur : si vero ex Deo est, non poteris dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamini.* Psal. CXVII, 16 : *Dextera Domini fecit virtutem.* Daniel. II, 34 : *Abscissus est lapis de monte sine manibus,* et figuram mundi dissipavit.

« *Et est mirabile in oculis nostris.* » Job, IX, 10 : *Facit magna, et incomprehensibilia, et mirabilia, quorum non est numerus.* Videmus enim opus Dei, et omnes miramur. Joan. VII, 21, 23 : *Unum opus feci, et omnes miramini... : quia totum hominem sanum feci in sabbato.*

43 « Ideo dico vobis quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. »

Ecce juxta Scripturam responsio quoad abjectionem Judæorum, et vocationem gentium. Et tria tangit : primo, abjectionem videlicet, et vocationem : et secundo, tangit condemnationem per pœnam abjectorum : et tertio, obstinatorum incorrigibilitatem, ut ostendatur in opere quod significatur in sermone.

Dicit igitur : « *Et ideo,* » quia hoc vos justum judicatis, ex ore vestro vos judico, quod « *auferetur a vobis,* » Synagogæ magistratibus, « *regnum,* » hoc est potestas et ordo spiritualis expressus in Scripturis, quod per vineam designatur. Sic enim ex ore proprio condemnatur. Sapient. I, 19 : *In cogitationibus impii interrogatio erit.* Daniel. V, 28 : *Divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis.* De hoc regno, Supra, VI, 10 : *Adveniat regnum tuum,* etc.

« *Et dabitur genti facienti fructus ejus,* » hoc est, Ecclesiæ de gentibus. Et dicit, « *facienti,* » quia vinea non nisi per opera ad fructificandum elaboratur. Isa. LV, 4 : *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem gentibus, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Psal. LXXIX, 10 : *Plantasti radices ejus, et implevit terram.*

« Et qui ceciderit super lapidem is- **44**
tum, confringetur : super quem vero ceciderit, conteret eum. »

Duplicem tangit condemnationem, credentium videlicet malorum, et infidelium. Habens enim fidem informem cadit super lapidem, et conteretur merito perversi operis, et inobedientiæ mandatorum : infidelis autem in fundamento non habet lapidem, et super illum cadit lapis per judicium, et conterit eum : quia magnus et gravis est juste judicans.

Et hoc est quod dicit :

« *Qui ceciderit super lapidem istum,* » per inobedientiam, confringetur duritia lapidis in judicio. Isa. VIII, 15, de lapide loquens dicit : *Offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur.* Offendent quidem in culpa, cadent in mortis pœna, conterentur in judicio, et irretientur in

virtute sententiæ condemnantis eos, et capientur in inferno. « *Super quem vero ceciderit,* » per judicium, « *conteret eum,* » gravitate justæ sententiæ. Isaiæ, XXX, 27 : *Ardens furor ejus, et gravis ad portandum.* Isa. XXX, 13 et 14 : *Veniet contritio ejus. Et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida, et non invenietur de fragmentis ejus testa in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea.* De utraque istarum contritionum, Jerem. XVII, 18 : *Duplici contritione contere eos.*

De primo dicit : « *Et cum audissent Principes Sacerdotum,* » scilicet, pontifices, « *et Pharisæi* » de religione sibi applaudentes, « *parabolas ejus.* » Proverb. I, 6 : *Animadvertet parabolam, et interpretationem.* « *Cognoverunt,* » per adaptationem, « *quod de ipsis diceret.* » Ecce perceptio veritatis. Psal. XLIX, 21 : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam.* III Regum, II, 44 : *Tu nosti omne malum, cujus tibi conscium est cor tuum.*

« Et quærentes eum tenere. »

45 « Et cum audissent Principes Sacerdotum et Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret.

46 Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant. »

Ecce incorrigibilitas perversorum post tot monita salutis. Ezechiel. III, 7 : *Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me.*

Dicuntur autem hic tria, scilicet veritatis perceptio, iniquæ voluntatis machinatio contra veritatem, et ne in actum procedat malitia, impeditio per timorem humanum qui pelli suæ timet.

Ecce iniquæ machinationis protervia contra veritatem. Unde, Sapient. II, 12 : *Improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.* Joan. X, 39 : *Quærebant eum apprehendere : et exivit de manibus eorum.* Psal. LXII, 10 : *Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam.*

« *Timuerunt turbas.* » Hæ turbæ sunt, quæ eum cum victricibus laudibus, et signis receperunt.

« *Quia sicut prophetam eum habebant.* » Supra, XIV, 5 : *Volens illum occidere, timuit populum, quia sicut prophetam eum habebant.* Unde, Supra, XXI, 11 : *Hic est Jesus, Propheta a Nazareth Galilææ,* etc.

CAPUT XXII.

Parabola de rege qui fecit nuptias filio suo, in quibus discumbens absque veste nuptiali, in tenebras ejicitur exteriores : tentatur Jesus a pharisæis super censu dando Cæsari, et a Sadducæis super resurrectione : quorum redarguit inscitiam, mortuorum evincens resurrectionem : rursumque a legis mandato : vicissim quoque interrogat Pharisæos, cujus filius sit Christus.

1. Et respondens Jesus, dixit iterum in parabolis eis [1], dicens :
2. Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.
3. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire.
4. Iterum misit alios servos, dicens : Dicite invitatis : Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata : venite ad nuptias.
5. Illi autem neglexerunt, et abierunt alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam :
6. Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt.
7. Rex autem cum audisset, iratus est : et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit.
8. Tunc ait servis suis : Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant non fuerunt digni.
9. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis vocate ad nuptias.
10. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos et bonos : et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.
11. Intravit autem rex ut videret discumbentes : et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali,
12. Et ait illi : Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.
13. Tunc dixit rex ministris : Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium [2].
14. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.
15. Tunc abeuntes Pharisæi, consilium inierunt ut caperent eum in sermone [3].
16. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes : Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo : non enim respicis personam hominum.
17. Dic ergo nobis quid tibi videtur : Licet censum dare Cæsari, an non?
18. Cognita autem Jesus nequitia eo-

[1] Luc. XIV, 16 ; Apocal. XIX, 9.
[2] Supra, VIII, 12, et XIII, 42 ; Infra, XXV, 30.
[3] Marc. XII, 13 ; Luc. XX, 20.

rum, ait : Quid me tentatis, hypocritæ?
19. Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium.
20. Et ait illis Jesus : Cujus est imago hæc et superscriptio?
21. Dicunt ei : Cæsaris. Tunc ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo [1].
22. Et audientes mirati sunt, et relicto eo, abierunt.
23. In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem [2] : et interrogaverunt eum,
24. Dicentes : Magister, Moyses dixit [3] : Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, et suscitet semen fratri suo.
25. Erant autem apud nos septem fratres : et primus, uxore ducta, defunctus est : et non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo.
26. Similiter secundus, et tertius, usque ad septimum.
27. Novissime autem omnium et mulier defuncta est.
28. In resurrectione ergo, cujus erit de septem uxor? omnes enim habuerunt eam.
29. Respondens autem Jesus, ait illis : Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.
30. In resurrectione enim, neque nubent neque nubentur : sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.
31. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis :
32. Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob [4] ? Non est Deus mortuorum, sed viventium.
33. Et audientes turbæ mirabantur in doctrina ejus.
34. Pharisæi autem, audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum :
35. Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor [5], tentans eum :
36. Magister, quod est mandatum magnum in lege?
37. Ait illi Jesus : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua [6].
38. Hoc est maximum et primum mandatum.
39. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum [7].
40. In his duobus mandatis universa Lex pendet, et Prophetæ.
41. Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus,
42. Dicens : Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei : David.
43. Ait illis : Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum [8], dicens :
44. Dixit Dominus Domino meo [9] : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?
45. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?
46. Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

[1] Ad Roman. XIII, 7.
[2] Act. XXIII, 8.
[3] Deuter. XXV, 5 ; Marc. XII, 19 ; Luc. XX, 28.
[4] Exod. III, 6.
[5] Marc. XII, 28 ; Luc. X, 25.
[6] Deuter. VI, 5.
[7] Levit. XIX, 18 ; Marc. XII, 31.
[8] Luc. XX, 41.
[9] Psal. CIX, 1.

IN CAPUT XXII MATTHÆI

ENARRATIO.

« Et respondens Jesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens. »

Hic inducitur tertia parabola, in qua non modo ostenditur abjectio Judæorum, et vocatio gentium, sed etiam eversio civitatis, et occisio Principum, quæ facta est sub Tito et Vespasiano. Et causa hujus eversionis non modo ponitur Christi occisio, sed etiam occisio discipulorum ejus, qui ad eos sunt missi, et Apostolorum, sicut fuit occisio Jacobi majoris per Herodem, et Jacobi minoris per pontificem, et Stephani et aliorum multorum.

Dividitur igitur parabola in duas partes : primo enim justam ostendit eversionem Judææ : secundo, inducit generalem vocationem gentium, et Ecclesiæ ædificationem, ibi, ℣. 8 : *Tunc ait servis suis.* »

In prima harum partium sunt tres paragraphi : in quorum primo beneficia gratiæ ostendit in Deo præparatæ : in secundo, largitatem in invitatione, et contemptum ex eorum qui invitabantur ingratitudine : in tertio, magnificentiam Dei describit in eorum quæ præparata sunt copiis, et instantiam invitationis, et malevolentiam vocatorum contra Domini beneficium. Et hæc patent in littera per ordinem.

In primo horum paragraphorum duo dicuntur ; in quorum priori Evangelista doctrinæ hujus describit modum, et in secundo doctrinæ proponit seriem.

Dicitur igitur :

« Et respondens Jesus. »

Supra, IX, 4 : *Cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit : Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris ?* Ita et hic respondet nequitiæ cordis eorum, qua reluctabantur Christo vocanti eos ad Dei copulam. Psal. XXXII, 15 : *Qui finxit singillatim corda eorum : qui intelligit omnia opera eorum.*

« *Dixit iterum.* » II ad Timoth. IV, 2 et 3 : *Insta opportune, importune... Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt.* Ezechiel. III, 8 : *Dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum.*

« *In parabolis.* » Supra, XIII, 34 : *Sine parabolis non loquebatur eis.* Hujus causa est duplex : unam reddit Dionysius in *Cœlesti Hierarchia* : « Quia nobis non « est possibile lucere divinum radium, « nisi velaminibus similitudinum cir- « cumvelatum. » Secunda est, quia coram rudi turba loquebatur, quæ divina non caperet nisi per similitudines humanas exprimerentur. Turbas enim magis instruere intendit quam Principes, et Pharisæos, quos scivit esse indociles. Ad Roman. I, 14 et 15 : *Sapientibus et insipientibus debitor sum. Ita (quod in me) promptum est et vobis, qui Romæ estis, evangelizare.*

« Simile factum est regnum cœlorum homini regi. »

Ecce doctrinæ series. Et dicit tria, assimilatum videlicet, et cui assimilatur, et in quo similitudo accipitur.

Assimilatum dicit : « *Simile factum est regnum cœlorum.* » Regnum in regnante est animatum justum movens ex justo, et dirigens justum, et ad justum, ut ad finem omnia reducens : ut sic sit movens virtute, et dirigens sapientia, et finiens bonitate justitiæ. « *Cœlorum* » autem regnum est, quando hæc omnia fiunt respectu justitiæ cœli, quæ divina

est, et est omnis justitiæ prima forma. Hoc est regnum, de quo, Supra, XIII, 41 : *Colligent de regno ejus omnia scandala.* Apocal. V, 10 : *Fecisti nos Deo nostro regnum.* Supra, XI, 12 : *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.*

Hoc igitur est, quod assimilatur « *homini regi.* » Ecce cui assimilatur : et dicitur *homo*, quia humanus, et benignus, et misericors est, et præstabilis super malitia conversorum [1] : sicut homo est animal mansuetum natura, et mollis tactus, et lenis corporis. *Rex* autem gloria, et rectitudine justitiæ, et distributione graduum honoris, et continentia multitudinis, et gubernationis earum. Isa. XXXIII, 22 : *Dominus legifer noster, Dominus rex noster.* Isa. XXXII, 1 : *Ecce in justitia regnabit rex, et principes in judicio præerunt.* I ad Timoth. I, 17 : *Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum.*

« Qui fecit nuptias filio suo. »

Ecce in quo sollicitudo attenditur. Et notantur tria, scilicet factura, factum, et cui fit factura. In primo est opus divinum, quod Deus sine nobis, sed in nobis, et pro nobis operatur : in secundo, magnitudo amoris, et unitas conjunctionis, et jucunditas delectationis in hoc quod fecit : exprimitur in tertio altitudo materialis, et honor importatur : nubere enim natura, vel spiritus noster non potest altius et gloriosius, quam Filio Dei conjungatur. Resumentes igitur ab initio dicimus, quod bonum et gaudium nostrum in his verbis exprimitur, in assimilati magnitudine, in facientis bonum nostrum descriptione, et in eo in quo similitudo attenditur modo, et jucunditatis honore.

Magnitudo autem assimilati in duobus est : in assimilati ad nos congruitate, et in ipsius rei, quæ assimilatur sufficientissima nobilitate. Non enim semper simile fuit regnum cœlorum his quæ perfecta sunt in nobis gratiæ operibus : eo quod peccando illud amiseramus : et ideo nobis ad regnum cœlorum, et conjunctionem divinam nulla erat congruitas. Sed pius rex hoc fecit, ut iterum congrueret redemptio, quod incompetens erat damnatis per peccatum.

Et hoc notat, quando dicit : « *Simile factum est,* » pro certo a Deo, qui refecit hoc quod defecerat a cœlestium assimilatione. Psal. LXXXV, 17 : *Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur : quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me.* Amos, IX, 11 : *Suscitabo tabernaculum David quod cecidit, et reædificabo aperturas murorum ejus.*

« *Regnum.* » Facti est nobilitas in origine, in potestate, in ordine, in divitiis, in gloria. Origine enim cœleste est. Joan. XVIII, 36 : *Regnum meum non est de hoc mundo.* Sapient. V, 17 : *Accipient regnum decoris, et diadema speciei, sive pulchritudinis, de manu Domini.* Potestas autem regni istius invincibilis est in omni justitia, qua agit regnantes, qua dirigit operantes, qua revincit insurgentes. Daniel. VII, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Et ideo regnum David dicitur, qui *manu fortis*, et *adspectu desiderabilis* interpretatur. Ordo ejus mirabilis est in officiorum congruitate, in urbanitatum honestate. De primo est illud Psalmi XLVII, 14 : *Distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.* De secundo, Proverb. XXXI, 23 : *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.* De utroque, III Regum, X, 5, quod regina Saba videns ordines, et habitacula ministrantium, non habebat ultra spiritum. I ad Corinth. XIV, 40 : *Omnia secundum ordinem fiant,* scilicet in vobis,

[1] Cf. Joel, II, 13.

quilibet in suo officio sit utilis, et gradu honoris secundum urbanitates honestus. Ad Roman. XI, 13 : *Ministerium meum honorificabo.* De divitiarum copiis, sine quibus regnum non dispensatur, III Reg. X, 23 : *Magnificatus est rex Salomon super omnes reges terræ divitiis, et sapientia.* Ad Roman. X, 12 : *Dives in omnes qui invocant illum.* Eccli. XLIV, 6 : *Divites in virtute.* I ad Corinth. I, 5, 6, 7 : *In omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia : sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis : ita ut nihil vobis desit in ulla gratia.* De gloria autem, Joan. I, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Psal. VIII, 6 et 7 : *Gloria et honore coronasti eum, Domine : et constituisti eum semper opera manuum tuarum.* Hoc est regnum cœlorum undique perfectum, de quo dicitur, Luc. XVII, 21 : *Regnum Dei intra vos est.* Et de quo immediate dictum est : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus* [1]. Et de quo, Supra, VI, 10, dicitur : *Adveniat regnum tuum.* Quid enim melius fieri potest homini quam divinus sit? Sui boni origine invincibilis, et ad omnia sufficiens virtutis perfectione, ut dicere possit : *Omnia possum in eo qui me confortat* [2]. Congruus tempori, et loco, et Deo, et hominibus, in ordine sufficiens, et copiosus in omnibus Spiritus sancti bonis, et gloriosus in decore virtutis et honestatis : hic jam regnat super terram. Apocal. V, 10 : *Regnabimus super terram.* Hoc est regnum, in quo nullum scandalum. Sapient. VI, 22 : *Diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis.* Ecce quanta est assimilati nobilitas.

Per hoc autem, quod « *cœlorum* » est, amplitudo designatur : sicut enim dicit Seneca in *Naturalibus Quæstionibus* : « Centrum est, o homines, in « quo navigatis : punctum est, pro quo « litigatis : infinita sunt spatia cœli, « quæ non curatis. » Psal. XVII, 20 : *Eduxit me in latitudinem : salvum me fecit, quoniam voluit me.* Eccli. XXIV, 8 : *Gyrum cœli circuivi sola.*

« *Homini regi.* » Describitur ab habitu animi et dignitate honoris. Benignus est rex : vere rex est, qui omnia bene et utiliter disponit. Ferus autem rex et inhumanus degenerat in tyrannum, de quo dicitur, Ezechiel. XXXII, 2 : *Leoni gentium assimilatus es.* Et, ibidem, XIX, 3 : *Leo factus est : et didicit capere prædam, hominesque comedere.* Zachar. IX, 9 : *Ecce rex tuus veniet tibi justus* [3]. Matth. XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum.* Rex autem dicitur regula justi indeflexibilis. Jeremiæ, XXIII, 5 et 6 : *Regnabit rex, et sapiens erit : et faciet judicium et justitiam in terra... Et hoc est nomen quod vocabunt eum : Dominus Justus noster.* Et ideo dicitur, ibidem, quod *in diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter.* Sed contra de tyrannis dicitur, Proverb. XXVIII, 12 : *Regnantibus impiis ruinæ hominum.* Isa. XIX, 4 : *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum.*

Hic ergo rex « *fecit,* » opere suo, et expensis præparavit. I ad Corinth. II, 9 : *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* « *Nuptias.* » In natura, in spiritu, in gloria. In natura, quando sibi nostram naturam univit : in spiritu, quando spiritum hominis sibi conjungit : in gloria, quando hominem totum in luce suæ deitatis implebit. Primæ factæ sunt in Virginis utero : secundæ, in conscientiæ thalamo : tertiæ, in faciei Dei secreto. De primis dicitur, Psal. XVIII, 6 : *In sole posuit tabernaculum suum : et ipse tamquam sponsus*

[1] Matth. XXI, 43.
[2] Ad Philipp. IV, 13.
[3] Matth. XXI, 5 : *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus,* etc.

procedens de thalamo suo. De secundis, Osee, II, 19 : *Sponsabo te mihi in sempiternum.* De tertiis, Apocal. XIX, 7 et 8 : *Venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se. Et datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido.* Primæ significantur per nuptias quæ *factæ sunt in Cana Galilææ : et erat mater Jesu ibi*[1]. Cana enim interpretatur *zelus*, quem habuit Filius Dei, ut nobis conjungeretur. Secundæ significantur per conjunctionem Abisag ad David in castitatis perfectione. Tertiæ, per conjunctionem Esther cum beatissimo Assuero, qui secundum nomen suum omnes in copula nuptiarum Esther beatificat. Primæ perficiunt individuitatem vitæ in persona : secundæ, individuam vitam in uno spiritu : tertiæ retinent individuæ vitæ consuetudinem in gloria. De prima est illud Psal. LXIV, 5 : *Beatus quem elegisti, et assumpsisti.* De secunda, I ad Corinth. VI, 17 : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* De tertia, Psal. XXX, 21 : *Abscondes eos in abscondito facie tuæ a conturbatione hominum.* Hæc est magnitudo amoris in omnibus, cumulus jucunditatis, et unitas individuitatis. De primo, Cantic. VIII, 6 : *Fortis est ut mors dilectio.* De secundo, Baruch, IV, 36 : *Vide jucunditatem a Deo tibi venientem.* De tertio, Deuter. IV, 4 : *Qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi.* Psal. LXII, 9 : *Adhæsit anima mea post te : me suscepit dextera tua.*

« *Filio suo.* » Ecce honor maritalis : altior enim nulla potest esse conjunctio, quam ut caro Filio Dei, spiritus Verbo Dei, homo totus gloriæ Dei conjungatur. Ad Ephes. V, 25 : *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* Et sequitur, ℣. 32 : *Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Sapient. XIX, 20 : *In omnibus magnificasti populum tuum, Domine, et honorasti.*

« Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire. » 3

Hic exprimitur largitas. Et dicuntur duo, scilicet largitatis munificentia, et ingratitudinis eorum qui vocantur malitia.

Et dicit quatuor de primo : benignitatem vocantis, in hoc quod misit servos eis qui venire debebant per seipsos : et honestatem vocationis, ne aliquis verecundetur se ingerere : et debitum veniendi ex parte vocatorum, quia invitati fuerant : et solemnitatem festi, ad quam vocabantur.

De primo dicit, quod « *misit servos.* » Jerem. XLIV, 4 : *Misi ad vos omnes servos meos prophetas, de nocte consurgens, et mittens.* Jerem. I, 7 et 8 : *Ad omnia quæ mittam te ibis, et universa quæcumque mandavera tibi loqueris. Ne timeas.* Hieronymus dicit, quod « quidam « libri habent *servum.* » Et tunc per servum intelligitur Moyses. Exod. III, 10 : *Veni, mittam te ad eos.* Verior tamen littera est *servos :* et tunc per servos intelliguntur Prophetæ.

« *Vocare,* » ne forte seipsos ingerentes verecundentur. Numer. XVI, 2 : *Proceres synagogæ per nomina vocabantur.* Ad Roman. VIII, 29 et 30 : *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui..., hos et vocavit.* « *Invitatos :* » qui debitum habebant veniendi per invitationem legis naturæ et circumcisionis, et legis scriptæ. Proverb. IX, 3 : *Misit ancillas ut vocarent ad arcem, et ad mœnia civitatis.*

« *Ad nuptias.* » Ecce solemnitas conjunctionis Dei cum homine. Apocal. XIX, 9 : *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.*

« *Et nolebant venire.* » Ecce ingratitudo per simplicem inobedientiam. Proverb. I, 24 : *Vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui adspiceret.* Job, XIX, 16 : *Servum meum*

[1] Joan. II, 1.

vocavi, et non respondit : ore proprio deprecabar illum.

4 « Iterum misit alios servos, dicens : Dicite invitatis : Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata : venite ad nuptias. »

Iterata et instans magnificentiæ vocatio, et ingratitudo cum malitia exercita in vocantes.

Vocatio autem describitur per iterationem, quæ notat desiderium Dei, ut veniant : per honestatem nuntiorum : per ostensionem delicatæ et sumptuosæ præparationis.

Dicit igitur : « *Iterum.* » Psal. XCIV, 10 : *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi : Semper hi errant corde* [1].

« *Alios servos,* » Apostolos in prima missione. Supra, X, 5 et 6, quando dixit : *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis. Sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel.* Matth. XV, 24 : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.*

« Dicite invitatis, »

Per prophetas qui primo vocaverunt invitatos in lege. Et est allegatio præparati convivii. Et dicuntur quatuor : opportunitas temporis, diversitas præparationis, complementum abundantiæ, et vocatio.

Temporis opportunitas importatur, cum dicitur : *Ecce prandium meum paravi.* » Quasi dicat : Hora prandii est : et hæc est hora sexta, quando parum ante Spiritus intus reficiens super discipulos effusus est [2], quando ructare musti crapulam judicabantur discipuli. Genes. XLIII, 16 : *Introduc viros domum..., quia mecum sunt comesturi meridie.* Joan. XXI, 12 : *Venite, prandete.*

« *Tauri mei.* » Ecce præparatorum diversitas. Tauri autem sunt maturi viri, qui in utroque Testamento jugum Domini portantes, et trahentes, agrum cordis subditorum excoluerunt. Isa. XXX, 24 : *Tauri tui, et pulli asinorum qui operantur terram, commistum migma comedent sicut in area ventilatum est.* Migma commistum, spiritus est in littera : ventilatum in area, mysterium est ex historia elicitum flatu sancti Spiritus. Job, I, 14 : *Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos.*

« *Et altilia,* » ab alendo dicta, quasi alitilia : et sunt levia saginata, alte volantia : levia spiritus libertate, saginata pinguedine devotionis, alte volando contemplatione veritatis. Psal. LIV, 7 : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam ?* Psal. LXII, 6 : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea.* Et de utraque istarum præparationum, Genes. XV, 9 et 10, ubi Abraham vitulum et avem, arietem et capram immolavit. Genes. XVIII, 7, ubi etiam vitulum tenerrimum Angelis præparavit.

« *Et omnia parata sunt.* » Ecce abundantiæ sufficientia, quam præparavit in dulcedine sua pauperi Deus [3]. Nec poterant omnia parata esse nisi in seipso : in quo est omnis boni plenitudo, in quo panis purissimæ et solidæ veritatis, refectio delicata dulcissimæ bonitatis, pinguedo charitatis, sapor deitatis, vinum sapientiæ, convivantes personæ, linteum munditiæ, minister et pater omnis boni, promptuarium copiosissimum, divitiæ Dei, symphonia cantus Angelorum societas omnium bonorum. Psal. XLI, 5 :

[1] Vulgata habet, Psal. XCIV, 10 : *Quadraginta annis offensus fui generationi illi, et dixi : Semper hi errant corde.*

[2] Cf. Act. II, 15.

[3] Psal. LXVII, 11 : *Parasti in dulcedine sua pauperi, Deus.*

In voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis. Luc. XXII, 29 et 30 : *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo.* Isa. XXV, 6 : *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.*

« *Venite ad nuptias.* » Supra, XI, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*

5 « Illi autem neglexerunt, et abierunt alius in villam suam, alius vero ad negotiationem usam :

6 Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt. »

Ecce ingratitudo. Et exaggeratur tripliciter : negligentia, et occupatione, et nequitia in nuntios.

De negligentia dicit : « *Illi autem,* » non curantes epulas spirituales, « *neglexerunt,* » deliciis carnis resoluti. Ad Philip. III, 18 et 19 : *Inimicos crucis Christi : quorum finis interitus, quorum Deus venter est : et gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt.* Ad Hebr. XIII, 10 : *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt :* et ideo, quia non habent potestatem veniendi ad mensam Domini, pigritia ventris venire negligunt. Eccle. VII, 19 : *Qui timet Deum, nihil negligit.* Genes. XLII, 1 et 2 : *Quare negligitis ? Audivi quod triticum venumdetur in Ægypto.*

« *Et abierunt.* » Secundum impedimentum. Zachar. VII, 11 : *Noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentem.* Joan. V, 40 : *Non vultis venire ad me ut vitam habeatis.*

« *Alius in villam suam.* » Diversitas tangitur variæ occupationis detinentis. « *In villam.* » Per villam intelligitur omnis occupatio humani laboris, a vocatione æternorum retinens : quia agricultura præcipuum est in quo laborat humana necessitas. Luc. XIV, 18 : *Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam : rogo te, habe me excusatum.* Sic Cain exivit in agrum, et factus est homo agricola omnino deditus fructibus agri : et ideo non respexit Deus ad Cain, et ad munera ejus [1]. Ideo præcepit Deus ut terra et homines sabbatizarent, ut in quiete cordis et laboris epulis Dei interessent. « *Alius vero ad negotiationem suam.* » Quæcumque lucra sunt præter laborem manuum, in negotiationes hic dicuntur. Psal. LXX, 15 et 16 : *Non cognovi negotiationem* [2], *introibo in potentias Domini.* Osee, XI, 12 : *Circumdedit me Ephraim in negotiatione* [3] *sua, et in dolo domus Israel.* Ezechiel. XXVIII, 16 : *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate.* Eccli. XXVI, 28 : *Difficile exuitur negotians a negligentia.*

« Reliqui vero. »

Expressa malitia triplex : captivitatis, vituperationis, et occisionis.

De prima dicit : « *Reliqui vero tenuerunt servos ejus.* » Act. XII, 3 et 4 : *Apposuit ut apprehenderet et Petrum.... Quem cum apprehendisset, misit in carcerem.* Ad Hebr. XI, 36 : *Captivati sunt.* Act. V, 18 : *Posuerunt eos in custodia publica.*

« *Et contumeliis affectos.* » Ecce vituperatio. Matth. X, 25 : *Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus !* Sic et vos vocabunt. Psal. XXI, 8 : *Deriserunt me : locuti sunt labiis, et moverunt caput.*

[1] Cf. Genes. IV, 5.

[2] Vulgata habet *litteraturam.* Vide quæ diximus super hoc loco, Psal. LXX, 15, in nostra nova editione, Tom. XVI.

[3] Vulgata habet *negatione.*

I ad Corinth. IV, 12, 13 : *Maledicimur, et benedicimus... : blasphemamur, et obsecramus. Tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.*

« *Occiderunt.* » Matth. XX, 37 : *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt.* Psal. XLIII, 22 : *Æstimati sumus sicut oves occisionis.* I ad Corinth. XV, 31 : *Quotidie morior per gloriam vestram, fratres.*

7 « Rex autem cum audisset, iratus est : et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit. »

Tangitur hic destructio Judæorum. Et tangit iram judicis, et instrumenta ultionis, et ipsam ultionem duplicem in occisione hominum, et eversione civitatis.

Causam ergo iræ judicis tangit, cum dicit : « *Rex,* » qui justitiam negligere non potest. Isa. XXXII, 1 : *Ecce in justitia regnabit rex.*

« *Cum audisset* » clamorem sanguinis, nullo alio nuntiante : et est argumentum, quod in apertis criminibus judex de officio suo procedere debet ad ultionem. Genes. IV, 10 : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* II Machab. VIII, 3 et 4 : *Vocem sanguinis clamantis ad se audiret..., et indignaretur super his.*

« *Iratus est.* » Psal. CV, 40 : *Iratus est in furore Dominus in populum suum, et abominatus est hæreditatem suam.* Isa. LXIV, 5 : *Ecce tu iratus es, et peccavimus : in ipsis fuimus semper.*

« *Et missis exercitibus suis.* » Ecce instrumenta vindictæ, exercitus Titi et Vespasiani missi contra eos : propter hoc vocatur Dominus Sabaoth, hoc est, exercituum [1]. Isa. VIII, 8 : *Ibit per Judam, inundans, et transiens usque ad collum veniet. Et erit extensio alarum ejus, implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel :* quia exercitus isti expanderunt se in terra Domini.

« *Perdidit homicidas illos.* » I Joan. III, 15 : *Omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Luc. XIX, 27 : *Inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, et interficite ante me.*

« *Et civitatem illorum,* » Jerusalem, « *succendit,* » ad litteram. Thren. II, 3 : *Succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro.* Isa. X, 16 : *Succensa ardebit quasi combustio ignis.* Isa. I, 31 : *Succendetur utrumque simul, non erit qui exstinguat.* Ista est olla succensa, in qua excocti sunt Judæi [2].

8 « Tunc ait servis suis : Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant non fuerunt digni. »

Hic abjectis Judæis, agitur de gentium vocatione. Et habet partes duas : vocationem, et vocatorum discretionem.

In vocatione tria sunt : reprobatio Judæorum, vocatio gentium, impletio nuptiarum.

De reprobatione dicit : « *Nuptiæ quidem paratæ sunt.* » In ea præparatione prædestinationis est gratiæ appositio, et omne sacramentum Incarnationis, et salutis. Isa. V, 4 : *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci* [3]. Joan. XIX, 30 : *Consummatum est.*

« *Sed qui invitati fuerant,* » per Prophetas, et primam missionem Apostolorum, Judæi videlicet, « *non fuerunt digni.* » Act. XIII, 46 et 47 : *Quoniam... indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes : sic enim præce-*

[1] Cf. Isa. VI, 3.
[2] Cf. Jerem. I, 13 ; Ezechiel. V, 2.
[3] Cf. Mich. VI, 3.

pit nobis Dominus. Propter hoc Judæi dicuntur fæces. Isa. XLIX, 6 : *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas : ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

9 « Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.

10 Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos et bonos, et impletæ sunt nuptiæ discumbentium. »

Ecce vocatio Gentium. Et dicuntur duo : injunctio vocationis, et obedientia servorum.

Injunctio continet tria : unde vocantur, et quam generaliter, et ad quid.

Dicit enim : « *Ite.* » Luc. x, 3 : *Ite, ecce ego mitto vos.* Joan. XV, 16 : *Posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.*

« *Ad exitus viarum,* » hoc est, ad omnes vitæ professiones et actus. Jerem. III, 2 : *In viis sedebas, exspectans eos.* Proverb. I, 20 : *Sapientia foris clamitat, in plateis dat vocem suam.* Job, XXXI, 4 : *Ipse considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat.*

« *Et quoscumque inveneritis.* » Sapient. VI, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.* Job, III, 19 : *Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a domino suo.* Psal. CXIII, 13 : *Pusillis cum majoribus.* Ad Galat. III, 28 : *Non est Judæus, neque Græcus : non est servus, neque liber : non est masculus, neque fœmina.*

« *Vocate ad nuptias.* » Isa. XXX, 29 : *Canticum erit vobis sicut nox sanctificatæ solemnitatis : et lætitia cordis sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini.* Sed, heu ! hodie *viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem* [1].

« Et egressi servi, etc. »

Servorum hic tangitur obedientia, et Ordinis Prædicatorum egressus. Isa. XXVII, 6 : *Qui ingrediuntur impetu ad Jacob, florebit et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine.* Psal. CXXVI, 4 : *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.* Est autem egressus de Judæa ad Gentium vias. Cantic. VII, 11 : *Egrediamur in agrum, commoremur in villis.*

« *Congregaverunt,* » in unum cor, et unam animam, et unum baptisma, et unam fidem, et unum spiritum, et unius religionis professionem, « *omnes quos invenerunt.* » Psal. XLIX, 5 : *Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.* Genes. XLIX, 2 : *Congregamini, et audite, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum.*

« *Bonos et malos.* » Boni sunt politicis virtutibus prædíti, mali autem vitiosi. Unde, Act. x, 2, de Cornelio dicitur, quod erat vir *religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi.* De Job, I, 1 : *Vir simplex, et rectus, ac timens Deum et recedens a malo.* Supra, XIII, 47 : *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti.* Ecclesia enim præsens congregat bonos et malos : infernus tantum malos, et cœlum tantum bonos. Psal. LXXXVI, 5 : *Memor ero Rahab et Babylonis, scientium me : ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt illic.*

« *Et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.* » Act. XIII, 48 : *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Hæc enim impletio non est nisi perfecta Ecclesiæ per mundum dilatatio : domus enim nuptialis mundus est, ut fiat

[1] Thren. I, 4.

quod dicitur, Malach. I, 11 : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus : et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Psal. CXII, 3 : *A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.*

11 « Intravit autem rex ut videret discumbentes : et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.

12 Et ait illi : Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. »

Ecce vocatorum discretio. Et habet quinque particulas, sive versus : in primo continetur visitatio per discussionem : in secundo, reatus inventio per actuum ponderationem : in tertio, redargutio per peccati objectionem : in quarto, condemnatio per suppliciorum interminationem : in quinto, in similibus judicii informatio per discipulorum instructionem. Et hæc per ordinem jacent in littera.

De primo dicit, quod « *intravit,* » per inquisitionem, « *ut videret,* » per famæ, et confessionis, et testimonii veritatem, « *discumbentes,* » in Ecclesia pabulum accipientes, et sacramentis communicantes : et sic intrat adhuc in bono Prælato, quando visitat. Genes. XXXVII, 14 : *Vade, et vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, et pecora : et renuntia mihi quid agatur.* Psal. LVIII, 6 : *Intende ad visitandas omnes gentes : non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.*

« *Et vidit,* » per actuum ponderationem, « *ibi hominem :* » si fidem informem non haberet, *bestia* vocaretur. Unde, I ad Corinth. XV, 32 : *Ad bestias pugnavi Ephesi.*

« *Non vestitum veste nuptiali,* » quod est vestimentum charitatis, et honestæ conversationis. Daniel. VII, 10 : *Judicium sedit, et libri aperti sunt.* I ad Corinth. IV, 5 : *Veniet Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo.* De veste autem nuptiali, Isa. LXI, 10 : *Induit me Dominus vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me.*

« Et ait illi, »

Increpando, objiciens actuum turpitudinem : « *Amice.* » Eccli. XXXVII, 1 : *Est amicus solo nomine amicus.* Simile, Infra, XXVI, 50 : *Amice, ad quid venisti?* « *Quomodo huc,* » ad numerum fidelium, et sacramentorum participationem, ad ecclesiasticum officium vel beneficium, « *intrasti ?* » Judicum, XVIII, 3 : *Quis te huc adduxit ? quid hic agis ? quam ob causam huc venire voluisti ?* Isa. XXII, 16 : *Quid tu hic, aut quasi quis hic ?*

« *Non habens vestem nuptialem.* » Sophon. I, 8 : *Visitabo super omnes qui induti sunt veste peregrina.* Ad Ephes. IV, 24 : *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.* « *At ille,* » redarguente conscientia, « *obmutuit.* » Isa. XXXVIII, 15 : *Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit ?* Job, IX, 3 : *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.* Propter hoc dicitur, Eccle. IX, 8 : *Omni tempore sint vestimenta tua candida, et oleum de capite tuo non deficiat.*

Sic quæretur a Prælatis : Quomodo huc intrasti? Quomodo vixisti? et, Quomodo rexisti ? et, Quomodo intrasti non veniens per ostium? Joan. X, 1 : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro.* Quomodo vixisti ? Zachar. XI, 17 : *O pastor, et idolum, derelinquens gregem.* Amos, VI, 4 et seq. : *Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris : qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti : qui canitis ad vocem psalterii, sicut David putave-*

runt se habere vasa cantici : bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph. Dormire in lecto eburneo, est resolutum esse in voto castitatis : quia ebur castitatem significat. Lascivire in stratis, est transgredi metas voluptatis, turpitudinis libidine per incestum et pluralitatem fœminarum, et hujusmodi. Quomodo rexisti ? Isa. XIV, 20 : *Tu terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti.* Jerem. XIII, 20 : *Ubi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum ?* Jerem. XXXIII, 13 : *Adhuc transibunt greges ad manum numerantis, ait Dominus.* Contra omnia hæc dicit bonus pastor. Genes. XXXI, 38, et seq. : *Viginti annis fui tecum. Oves tuæ et capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi : nec captum a bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam : quidquid furto peribat, a me exigebas. Die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.*

13 « Tunc dixit rex ministris : Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus, et stridor dentium.

14 Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. »

« *Tunc dixit rex ministris,* » Angelis bonis, qui faciunt hoc imperio : et malis, qui faciunt hoc ministerio. Supra, XIII, 49 et 50 : *Exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis.*

Dicit autem triplicis pœnæ interminationem. Prima notat impossibilitatem redeundi ad gratiam : secunda dicit exclusionem a gloria : et tertia, cruciatum in gehenna.

Dicit igitur : « *Ligatis,* » obligatione reatus, « *pedibus,* » affectus et intellectus, « *et manibus,* » potestatibus operandi. Isa. XXXVIII, 11 : *Non adspiciam hominem ultra, et habitatorem quietis.* Job, VII, 7 : *Non revertetur oculus meus, ut videat bona.* Proverb. V, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.* In oratione Manassæ, circa medium : *Incurvatus sum multo vinculo ferreo,... et non est respiratio mihi.*

« *Mittite eum in tenebras exteriores :* » a luce gloriæ separate, in carcerem inferni projicite tenebrosum : interiores enim tenebras in ignorantia Dei secum habuit. Job, III, 6, 4 : *Noctem illam tenebrosus turbo possideat,... et non illustretur lumine.* Isa. XXVI, 10 : *Misereamur impio,... et non videbit gloriam Domini.* Psal. XLVIII, 20 : *Introibit usque in progenies patrum suorum : et usque in æternum non videbit lumen.*

« *Ibi erit fletus et stridor dentium.* » Idem, Supra, VIII, 12, et XIII, 42 et 50, et Luc. XIII, 28. Infra, XXIV, 50, et XXV, 30. Job, XXIV, 19 : *Ad nimium calorem transibunt ab aquis nivium.*

« Multi enim sunt vocati. »

Discipulos informat : quia enim unum tantum abjecerat, propter hoc illius formam indicat potius quam personam. Quicumque enim vocati sunt, gratiæ electionis non concordantes per vitam, sunt sicut ille qui abjectus est.

« *Pauci vero electi.* » Eccli. I, 15 : *Stultorum infinitus est numerus.*

« Tunc abeuntes Pharisæi, consilium inierunt ut caperent eum in sermone. **15**

Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis dicentes. » **16**

Hic incipit agere de tentatione qua Dominum tentant, et se merito esse reprobandos ostendunt. Et tangit tres per ordinem tentationes. Prima est de veritate

judicii et justitiæ : secunda, de veritate fidei et doctrinæ : tertia, de veritate vitæ et gratiæ. Et omnia patent in littera. Primam Pharisæi, secundam Sadducæi, tertiam legis doctores perficiunt. Prima revincitur cum increpatione hypocrisis, secunda cum objurgatione erroris, tertia cum quæstione de nativitate Redemptoris.

In prima duo continentur, tentatio videlicet, et tentantium revictio.

Tentatio autem habet duo : malitiam tentantium, et tentationis dolosum modum.

Circa primum tria sunt : malum cogitatum, dolosum factum, et fictum commendationis verbum.

Malum cogitatum tripliciter exaggeratur : per veritatis aversionem, per studii malignitatem, per intentionis perversitatem.

Veritatis aversio tangitur per hoc quod dicit : « *Tunc,* » eadem die, « *abeuntes Pharisæi,* » per veritatis aversionem. Sapient. III, 2 et 3 : *Æstimata est afflictio exitus illorum, et quod a nobis est iter exterminium.* Intelligentes enim veritatem, averterunt auditum. II ad Timoth. IV, 4 : *A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.*

« *Consilium inierunt.* » Ecce studium malignitatis. Isa. VIII, 10 : *Inite consilium, et dissipabitur : loquimini verbum, et non fiet.* Apocal. XVII, 13 : *Hi unum consilium habent, et virtutem et potestatem suam bestiæ tradent.* Job, XII, 17 : *Adducit consiliarios in stultum finem, et judices in stuporem.*

« *Ut Jesum caperent in sermone.* » Ecce perversitas intentionis. Proverb. I, 17 : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Supra, XX, 15 : *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum ?*

« Et mittunt ei. »

Dolus est in opere tripliciter : quia « *mittunt discipulos,* » tamen a se instructos, ut discipulis victis non sit confusio, quasi parum instructis : et vincentibus discipulis, major sit gloria. Secundo, conjungunt Herodianos : ut si audiant loqui contra Cæsarem, indignentur, et statim capiant. Tertio, quia per hoc utramque videbantur habere partem et Judæorum et gentilium, ut si fieret tumultus, omnes essent pro eis. Sunt autem Herodiani, non qui Herodem Christum esse crediderunt, quod nusquam legitur : sed cum Judæa facta fuerit tributaria sub Cæsare Augusto, sicut legitur, Luc. I, 5, Herodes, Antipatris filius, alienigena et proselytus, præpositus est tributis a Romanis, et adjuncta est ei cohors italica, quæ pro pace tributa solventium, ad imperium Herodis militaret : et milites illius cohortis Herodiani dicebantur. Et illi adjuncti sunt discipulis Pharisæorum, ut quando contra Romanos Christus forte loqueretur, statim ab eisdem detineretur manibus violentis. Vel, Herodianos Pharisæi irrisorie vocabant, qui sicut Herodes imperavit, Romanis tributa solvenda esse dicerent. Marc. XII, 13, sic dicitur : *Mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis et Herodianis, qui eum caperent in verbo.* Luc. XX, 20 : *Observantes miserunt insidiatores, qui se justos simularent : ut caperent eum in sermone, et traderent eum principatui, et potestati præsidis.*

« Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo : non enim respicis personam hominum. »

Ecce fictio in sermone. Blandiuntur autem a quatuor : ab auctoritate magisterii, a veritate sermonis, a veritate doctrinæ, a veritate judicii sine personarum acceptione : vel commendant eum ab amore veritatis, ab odio falsitatis, ab amore veritatis in sensu et doctrina.

De auctoritate dicunt : « *Magister.* » Blandiuntur, ut laude delectatus mysterium cordis aperiat. Proverb. XXXVII, 14 :

Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens maledicenti similis erit. Psal. LXI, 5 : *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.* Joan. III, 2 : *Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister : nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*

« *Scimus,* » per experimenta signorum, « *quia verax es.* » Ad Roman. III, 4 : *Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax.* Numer. XXIII, 19 : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur : nec ut filius hominis, ut mutetur.*

« *Viam Dei,* » mandata quæ ad Deum ducunt, « *in veritate,* » sine fictionis absconsione doces. Isa. XL, 43 : *Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri* [1]. Proverb. III, 17 : *Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ.* Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* Vel, in veritate docere, est non in mercede docere : quia munera excæcant oculos sapientium, et subvertunt verba justorum [2]. Mich. III, 11 : *Sacerdotes ejus in mercede docebant, et prophetæ ejus in pecunia divinabant.*

« *Et non est tibi cura de aliquo,* » ut propter illud a recto devies. Sapient. VI, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.* Unde, Eccli, XLVIII, 13, dicitur, quod *Elias in diebus suis non pertimuit principem.*

« *Non enim respicis personam hominum.* » Respicere, sive accipere personas, est honorare loquendo vel tacendo in judicio hominem, propter illud quod fortuna posuit in homine : vel solam differentiam fortunæ in hominibus per approbationem considerare. Ad Roman. II, 11 : *Non est acceptio personarum apud Deum.* Ad Galat. II, 6 : *Deus personam hominis non accipit.* Act. X, 34 : *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus.*

« Dic ergo nobis quid tibi videtur : Licet censum dare Cæsari, an non ? » 17

Exprimitur hic versutia quæstionis. Et tangit tria : quorum primum est, ut utilitatem populi sui in respondendo attendat : secundum, ut secundum conscientiam respondeat : tertium, est quæstio involuta, quam non evadat.

De primo dicunt : « *Dic ergo nobis,* » hoc est, utilitati nostræ consulens qui sumus populus tuus. Isa. XXX, 10 : *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* « *Nobis* » enim dicunt, non contra nos.

« *Quid tibi videtur ?* hoc est, ad conscientiam responde : et hoc dicunt, ne postea excusare valeret dicens, quod non ita intenderit. Simile, Act. XV, 28 : *Visum est Spiritui sancto, et nobis.* Ad Roman. IX, 1 : *Veritatem dico in Christo, non mentior : testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto.* Contra quod dicitur in Psalmo XI, 3 : *In corde et corde locuti sunt.*

« *Licet censum dare Cæsari an non ?* » Blanda et ficta interrogatio illuc provocat respondentem, ut citius hominem quam Deum offendat : et sic in manus hominum incidat. Daniel. XIII, 23 : *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.* Cæsar primus fuit qui Romæ regnavit, a quo omnes postea Cæsares sunt vocati. Erat autem contentio in populo : quidam enim dicebant censum esse dandum Romanis, qui pro omnibus militabant : Pharisæis autem contra dicentibus : Non debere populum Dei (qui decimas solveret, et primitias daret) humanis legibus subjacere : et hæc fuit causa quæstionis. Ad Roman. XIII, 7 : *Reddite omnibus debita : cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal : cui ti-*

[1] Cf. Matth. III, 3 ; Marc. I, 3 ; Luc. III, 4 ; Joan. I, 23 :

[2] Deuter. XVI, 19 : *Non accipies personam, nec munera, quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum.*

morem, timorem : cui honorem, honorem.

18 « Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait : Quid me tentatis, hypocritæ ?

19 Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium.

20 Et ait illis Jesus : Cujus est imago hæc et superscriptio ?

21 Dicunt ei : Cæsaris. Tunc ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.

22 Et audientes mirati sunt, et relicto eo, abierunt. »

Hic post tentationem ostenditur convictio nequitiæ tentantium : et dicuntur duo. Primum est illuminatio veritatis : secundum autem admiratio perfidorum ex illuminatione confusionem patientium, eo quod imperfecti fuerunt ad lumen (alias, bonum), et rebelles.

Circa illuminationem tria dicuntur : primum est irradiatio nequitiæ : secundum est inquisitio convenientis responsionis ex his quæ in censu solvebantur : et tertium est ipsa responsio, et illuminatio quæstionis.

Irradiatio autem nequitiæ duo habet, cognitionem videlicet veritatis, et manifestationem hypocrisis.

De primo dicit : « *Cognita autem Jesus nequitia eorum.* » *Nihil enim est opertum, quod non revelabitur,* sicut dictum est, Supra, x, 26. « Prima enim « virtus respondentis est interrogantium « mentem cognoscere, » sicut dicit Hieronymus. Psal. vii, 10 : *Consumetur nequitia peccatorum : et diriges justum, scrutans corda et renes, Deus.*

« *Dixit : Quid me tentatis, hypocritæ ?* » aliud simulantes : non enim estis discipuli, sed tentatores. Proverb. xi, 9 : *Simulator ore decipit amicum suum : justi autem liberabuntur scientia.* Eccli. i, 37 : *Ne fueris hypocrita in conspectu hominum.*

« Ostendite, etc. »

Inquisitio est opportunæ solutionis. Et sunt hic duo, scilicet postulatio census, et inquisitio impressionis.

Postulatio census habet petitionem, et oblationem.

De petitione dicit : « *Ostendite mihi numisma census,* » hoc est, quod solvitur pro censu. Numisma enim proprie vocatur figuræ impressio in denario : et illam voluit videri, et considerari ab hominibus, ut ex ipsa convenientem ad conscientias eorum aptaret responsionem. Sapientia enim Dei omnia agit sapienter, ut dicit Psalmus cm, 24 : *Omnia in sapientia fecisti.* I ad Corinth. i, 24 : *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.*

« *At illi obtulerunt ei denarium.* » Qui ideo denarius dicitur, quia decem valuit usuales, et habebat imaginem Romani Cæsaris, et nominis ejus inscriptionem. Sic etiam in I Machab. xv, 6, dicitur : *Permitto tibi facere percussuram proprii numismatis.*

« Et ait illis Jesus. »

Quærit, ut ex responso eorum eos convincat. « *Cujus est imago hæc et superscriptio* » nominis ? de his enim quæ mundi sunt, obnoxii sumus his qui mundum regunt.

« Dicunt ei : Cæsaris. »

Luc. xxii, 25 : *Reges gentium dominantur eorum.*

« *Tunc ait illis.* » Ecce quæstionis solutio. « *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari.* » Si enim Cæsar per suos militat, et disponit contractus, et commutationes inter vos, sicut ostendit imago : justum est ut tributum sibi solvatur, per quod ista possit efficere.

« *Et quæ sunt Dei Deo,* » hoc est, decimas et primitias solvite ministris Dei, qui cultui Dei et religioni sunt dediti : qui etiam in his quæ Dei sunt, militant pro vobis. Ad Roman. XIII, 8 : *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Supra, XVIII, 28 : *Redde quod debes.*

« Et audientes mirati sunt. »

Ecce confusio oculorum cæcorum ad illuminationem : mirantur enim veritatem sapientiæ, nihil contradicere valentes. Act. VI, 10 : *Non poterant resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur.* Et, ibidem, VII, 54 : *Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum.*

Et hoc est quod sequitur : « *Et relicto eo,* » qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*[1], « *abierunt.* » Psal. LXXV, 5 et 6 : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis, turbati sunt omnes insipientes corde.*

23 « In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem. »

Hic ponitur tentatio veritatis fidei et religionis. Et habet tres partes : in quarum prima ponitur tentationis ex parte tentantium versuta propositio : in secunda, nequitiæ tentantium increpatio : in tertia, veritatis ostensio. Et hæc patent in littera.

In prima harum sunt tria : in quorum primo perfidia tentantium describitur : in secundo, lex ad exacuendam tentationem inducitur : in tertio, quæstio tentationis ex lege simul et perfidia tentantium elicitur.

Dicit igitur : « *In illo die,* » in qua arefacta est ficulnea, et præcedentia sunt facta : tunc enim fortiter instabant ut caperent eum in aliquo, quia jam conceperant eum interficere.

« *Accesserunt,* » ut ex familiaritate simularent amicitiam, et citius deciperent. Isa. LVII, 3 : *Accedite huc, filii auguratricis, semen adulteri, et fornicariæ.*

« *Sadducæi qui dicunt non esse resurrectionem.* » Perfidiæ est descriptio. Dicebant enim illi nec esse spiritum, nec animam vivere post mortem, sicut superius in præhabitis dictum est. Sapient. II, 1 : *Non est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit reversus ab inferis.*

« Et interrogaverunt eum, 24

Dicentes : Magister, Moyses dixit : Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, et suscitet semen fratri suo.

Erant autem apud nos septem fratres : et primus, uxore ducta, defunctus est : et non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo. 25

Similiter secundus, et tertius, usque ad septimum. 26

Novissime autem omnium et mulier defuncta est. 27

In resurrectione ergo, cujus erit de septem uxor? omnes enim habuerunt eam. » 28

« *Et interrogaverunt eum, dicentes.* » Tentando, non ut addiscerent. « *Magister.* » Magistrum vocant, cujus nolunt esse discipuli. « *Moyses dixit.* » Deuter. XXV, 5 [3]. « *Si quis mortuus fuerit non habens filium.* » Legis ratio fuit distinctio hære-

[1] Joan. I, 9.

[2] Cf. enarrationem supra factam in ℣. 7 cap. III, et in ℣℣. 1, 11 et 12 cap. XVI.

[3] Deuter. XXV, 5 : *Quando habitaverint fratres simul, et unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri : sed accipiet eam frater ejus, et suscitabit semen fratris sui,* etc.

ditatum et memoria patrum, quam in filiis voluit remanere Dominus : et ideo præcepit ut suscitarent semen fratri defuncto.

Dicuntur autem duo hic : primo enim ponunt legem : et secundo, recitant factum quod est occasio quæstionis : « *Moyses dixit.* » Eccli. XXIV, 33 : *Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum, et hæreditatem domui Jacob, et Israel promissiones.* Joan. I, 17 : *Lex per Moysen data est.*

« *Si quis mortuus fuerit,* » in hæreditate sua, « *non habens filium,* » vel filiam hæredem, sicut patet in filiabus Salphaad [1] : quia per filiam potest suscitari nomen ejus, sicut per filium. « *Ut ducat frater ejus :* » non uterinus semper, sed propinquior genere, sicut patet, Ruth, III, 13, de Booz qui duxit Ruth. « *Et suscitet semen fratri suo* » defuncto. Videtur ex modo loquendi significare hoc quod dicunt naturales : quia quamvis semen adeo non sit efficax ad fœcundandum, tamen est efficax ad alterandum qualitates matricis : et ideo mulier ex secundo marito generat sæpe patrum similem marito priori, si non magnum tempus interponatur inter viduationem primi, et concubitum secundi : et hoc importat, quando dicit, « *suscitet,* » quia in se sopita qualitate, matricem infecit : et ex secunda fœcunditate suscitatur, ut imprimat partui qualitates quæ ex ipso in matrice remanserunt, quamvis ipsum semen effluxerit. Signum autem ejus est, quod si leprosus coit cum muliere, et si sanus cito post coeat cum eadem, sanus efficitur leprosus : eo quod matrix qualitatibus corrupti seminis infecta sit. Hoc etiam a patribus ante legem servabatur : unde, Genes. XXXVIII, 6 et seq., Filii Judæ acceperunt successive Thamar, ut unus alteri semen suscitaret.

« Erant autem apud nos septem fratres. »

Hoc de facto esse poterat. « *Et primus, uxore ducta, defunctus est.* » Simile, Tob. VI, 14, tradita fuerat Sara septem viris, quos dæmonium Asmodæus occidit.

« *Et non habens semen,* » hoc est, hæredem. Isa. XXXVIII, 12 : *Generatio mea ablata est, et convoluta est a me, quasi tabernaculum pastorum.* « *Reliquit uxorem suam fratri suo,* » ad seminis suscitationem.

« Similiter secundus. »

Sapient. III, 16 : *Ab iniquo thoro semen exterminabitur.*

« *Et tertius usque ad septimum.* » Isa. XIV, 20 : *Non vocabitur in æternum semen pessimorum.* Joan. IV, 18 : *Quinque viros habuisti, et nunc quem habes, non est tuus vir.* »

« Novissime autem omnium et mulier defuncta est. »

Oppositum hujus est, Isa. IV, 1 : *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes : Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur : tantummodo invocetur nomen tuum super nos : aufer opprobrium nostrum.*

« In resurrectione ergo. »

Acuunt quæstionem ex inductis. « *Cujus erit uxor ?* » Quia numquam licuit uni mulieri habere plures viros, eo quod hoc repugnat fœcunditati : « una enim « impletur ab uno, et unus implet mul« tas, » sicut dixit Plato. Genes. II, 24 : *Erunt duo in carne una.*

« *Omes enim habuerunt eam.* » Causa

[1] Cf. Numer. XXVII, 6.

dicti est, quod dicitur, Genes. II 24 : *Relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ.* Cui ergo istorum adhærebit, ex quo omnes habuerunt eam ? Ignoraverunt isti, quod matrimonium, et fœcunditas sunt bona mortalium et officia, sed non immortalium. Et ideo dicitur, I ad Corinth. VII, 39 : *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit : quod si dormierit vir ejus, liberata est,* scilicet a lege viri. *Cui vult nubat, tantum in Domino.* Ad Roman. VII, 1 et 2 : *An ignoratis, fratres quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit ? Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi,* scilicet viri.

« Respondens autem Jesus, ait illis ;
29 Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.

In resurrectione enim, neque nu-
30 bent neque nubentur : sed sunt sicut Angeli Dei in cœlo.

De resurrectione autem mortuorum
31 non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis :

Ego sum Deus Abraham, et Deus
32 Isaac, et Deus Jacob ? Non est Deus mortuorum, sed viventium.

Et audientes turbæ, mirabantur in
33 doctrina ejus. »

Ecce convictio tentantium. Et habet duas particulas, confusionem videlicet errantium, et fructum illuminationis ex parte turbarum.

Confusio errantium in tribus est : in occupatione erroris, et solutione quæstionis per interemptionem, et in probatione resurrectionis.

Dicit igitur increpando de errore et de ignorantia. Est autem error in hoc, quod oppositum principiorum fidei supponebant : principia enim fidei sunt articuli, quorum unus est de resurrectione, cujus oppositum supponebant : et hoc est, quod dicit : » *Erratis.* » II ad Timoth. III, 13 : *Mali homines et seductores proficient in pejus : errantes, et in errorem mittentes.* Sapient. V, 9 : *Erravimus a via veritatis..., et sol intelligentiæ non est ortus nobis.*

« *Nescientes.* » De duobus arguuntur : de ignorantia Scripturæ per quam resurrectio probatur, et de ignorantia virtutis Dei per quam resurrectio causatur.

De primo dicit : « *Nescientes Scripturas,* » hoc est, Scripturæ spirituales intellectus. Isa. XXXIII, 18 : *Ubi est literatus ? ubi legis verba ponderans ?* Isa. V, 13 : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* II ad Corinth. III, 15 : *Cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* « *Neque virtutem Dei* scientes, » quia virtute Dei causabitur resurrectio. Psal. LXVII, 34 : *Dabit voci suæ vocem virtutis.* I ad Thessal. IV, 16 : *In jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo : et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* Jussus enim Dei virtus est suscitans mortuos.

« In resurrectione enim. »

Responsio est quæstionis. « *Neque nubent* » viri, « *neque nubentur* » fœminæ : eo quod ista officia sunt mortalium. Etsi ante necessitatem moriendi ista instituta sunt, tamen mortalia tunc etiam corpora erant per naturam : sed poterant non mori per gratiam, et esum ligni vitæ. Et in resurrectione etiam membra erunt genitalia, non quæ excerceant libidinem, quæ nulla erit resurgentibus, sed in quibus contempletur admirabilis ordo sapientiæ in propagatione naturæ. Psal. XCI, 5 : *Delectasti me, Domine in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo.* Psal. CXXXVIII, 6 : *Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam.*

« *Sed erunt sicut Angeli Dei.* » Non

natura, sed officio : quia, ut dicit Damascenus, unum cum Angelis opus habebunt, quod est hymnis laudare Deum. Deuter. XXXII, 8, secundum litteram Septuaginta : « Statuit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei [1]. » Apocalyps. XXI, 17 : *Mensura hominis, quæ est Angeli.* I ad Corinth. VI, 3 : *An nescitis quoniam Angelos judicabimus ?* judicio videlicet comparationis.

« *In cœlo,* » quoad habitationem : cum nuptiæ factæ sunt officium terrenorum. Ad Philip. III, 20 et 21 : *Nostra conversatio in cœlis est. Unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* I ad Corinth. XV, 41 et 42 : *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim astella differt in claritate. Sic et resurrectio mortuorum.*

« De resurrectione autem mortuorum. »

Probatio est resurrectionis futuræ per Scripturam. « *Non,* » ad intellectum, « *legistis quod dictum est.* » Exod. III, « 6 [2]. *A Deo,* » tanto auctore, « *dicente vobis,* » ad fidei utilitatem, et instructionem. Inducit autem testimonium Moysi, quia aliam Scripturam Sadducæi non receperunt. Alias enim poterat evidentiora induxisse testimonia. Job, XIX, 25 et 26 : *De terra surrecturus sum... : et in carne mea videbo Deum meum.* Isaiæ, XXVI, 19 : *Vivent mortui tui, Domine : interfecti mei resurgent.* Ezechiel. XXXVII, 12 : *Aperiam tumulos vestros... : et inducam vos de sepulcris vestris.* Daniel. XII, 2 : *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium, ut videant semper.*

« Ego sum Deus Abraham. »

Hoc est, remunerator Abraham, « *et Deus Isaac, et Deus Jacob.* » Ad Hebr. XI, 16 : *Non confunditur Deus vocari Deus eorum : paravit enim illis civitatem.* II Machab. I, 2 : *Meminerit testamenti sui, quod locutus est ad Abraham, et Isaac, et Jacob, servorum fidelium.*

Ex ista auctoritate arguit : « *Non est Deus mortuorum,* » in anima et corpore : quia illi non sunt, et Deus non est Deus ejus quod non est. Psal. CXIII, 17 : *Non mortui laudabunt te, Domine : neque omnes, qui descendunt in infernum.*

« *Sed viventium.* » Isa. XXXVIII, 19 : *Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie : pater filiis notam faciet veritatem tuam.* Argumenti autem vis est in hoc, quod si Deus est servorum, debet remunerare eos, in quo servierunt opere justitiæ. Servierunt autem in corpore, remunerabuntur igitur in corpore.

Et si objiciatur, quod corpus non est nisi sicut instrumentum in operibus virtutum : instrumentum autem præmiari non debet : et sic corpus non oportet resurgere. Dicendum, quod corpus in agendo cum anima est unum compositum cum ea : et ideo plus est quam instrumentum. Oportet igitur quod resurgat. Joannis, XI, 25 et 26 : *Ego sum resurrectio et vita : qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet : et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum.*

Si objicitur quod dicit Apostolus, I ad Corinth. XV, 50, quod *caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Dicendum, quod caro et sanguis ibi intelliguntur corruptela carnis et sanguinis.

« Et audientes turbæ. »

Ecce fructus illuminationis, propter

[1] Vulgata habet, Deuter. XXXII, 8 : *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.*

[2] Exod. III, 6 : *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob.*

quos etiam solvit questionem : quia aliter sanctum non dedisset canibus, neque margaritas sparsisset ante porcos, [1].

« *Mirabantur :* » et admiratio via est ad credendum. Psal. LXXVI, 15 : *Tu es Deus qui facis mirabilia.*

« *In doctrina ejus.* » Supra VII, 28 : *Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi.*

34 « Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum :

35 Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum. »

Hic incipit tentatio de mandatorum comparatione, quæ est de veritate vitæ. Et habet tres partes : in quarum prima describitur tentantium machinatio : et in secunda, tentationis progressio : et in tertia, tentantium confusio.

In prima harum tentantium machinatio exaggeratur per quinque : quorum primum est causa quæ est invidentia gratiæ : et hoc importatur per hoc, quod dicit : « *Pharisæi autem,* » qui cum Sadducæis in credendis non concordabant, « *audientes* » fama celebri. Genes. XLV, 16 : *Auditum est, et celebri sermone vulgatum in aula regis.*

« *Quod silentium imposuisset Sadducæis.* » Quod licet appeterent, tamen invidebant quod per Jesum factum est. Luc. XXIII, 12, Pilatus et Herodes reconciliati sunt in morte Jesu Christi, sicut et isti : licet dissideant inter se, tamen juvant se mutuo contra Christum ex invidia. Sicut etiam dæmones inter se dissidentes ex invidia, juvant se contra homines. Sapient. II, 24 et 25 : *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum : imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.*

Secundum est, quod multitudine se armaverunt, qui a veritate se nudos esse professi sunt : et hoc tangit, subdens : « *Convenerunt in unum.* » consonando contra veritatem. Judicum, XV, 4, Vulpes Samsonis caudis erant colligatæ. Psal. LXVII, 31 : *Congregatio taurorum in vaccis populorum : ut excludant eos qui probati sunt argento.*

Tertium exaggerans est astutia, quod per unum interrogant, ut omnes vincere in uno vincente videantur : et si vincatur, solus victus reputetur.

Et hoc est :

« Et interrogavit eum unus. »

Hoc significatur per Philistæum qui provocabat populum Dei ad singulare certamen, quo volebat certare pro omnibus [2].

Quartum est litteratura illius, ut sciret objicere et proponere : et hoc notat, cum dicit : « *Legis doctor,* » quæ sunt arma Saul, in quibus nescivit ire David, eo quod non haberet usum eorum [3].

Quintum est intentionis perversitas, cum subdit : « *Tentans eum.* » Supra in eodem, ℣. 18 : *Quid me tentatis, hypocritæ.* Psal. LXXVII, 41 : *Conversi sunt, et tentaverunt Deum, et sanctum Israel exacerbaverunt.*

« Magister, quod est mandatum magnum in lege ? » **36**

Ecce tentationis progressio. Et dicit duo : primo enim laudat, ut decipiat incautum : secundo, quærit.

Dicit enim : « *Magister,* » cujus non vult esse discipulus. Joan. IX, 27 et seq : *Numquid et vos vultis discipuli ejus fieri ? Maledixerunt ergo ei, et dixerunt:*

[1] Cf. Supra, VII, 6.
[2] I Regum, XVII, 8.
[3] Ibidem, XVII, 39.

Tu discipulus ejus sis : nos autem Moysi discipuli sumus. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus : hunc autem nescimus unde sit.

« *Quod est mandatum magnum.* » Ecce versutia quæstionis, quæ consistit in tribus : in laude quæsiti, in magnitudine, et auctoritate. Primum dicit rationem boni : secundum, magnitudinem honesti : tertium, acceptabilitatem Dei.

Primum tangitur, cum dicit : *Quod est mandatum ?* » Signum enim voluntatis Dei est mandatum : et hæc voluntas Dei bona. Beneplacens autem ex eo quod est legis : et perfecta ex eo quod est magnum. Et dicitur *magnum* antonomastice : quia quantitatem meriti tribuit omnibus aliis. Psal. cx, 2 : *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Augustinus : « In rebus quæ non « mole, sed virtute magnæ sunt : idem « est majus esse, quod melius esse » « *In lege* : » quæ sola attendenda est : quia ipsa est *in præceptis justitiarum*, sicut dicitur, Eccli. xxiv, 33. Psal. i, 2 : *In lege Domini voluntas ejus.*

37 « Ait illi Jesus : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua.

38 Hoc est maximum, et primum mandatum.

39 Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum. sicut teipsum.

40 In his duobus mandatis universa Lex pendet et Prophetæ. »

Hic ponitur tentationis confutatio per duo opera sapientiæ, respondere scilicet, et interrogare : quæ etiam exercuit Dominus, cum esset annorum duodecim in templo [1].

Responsio autem continet tria : expositionem maximi : et expositionem illius similis, sed non æqualis : et rationem magnitudinis utriusque horum mandatorum.

De primo dicit :

« Diliges, etc.[2]. »

Et dicuntur hic tria : modus dilectionis, et dilectum, et dilectionis quantitas.

Modus importatur per verbum, « *Diliges.* » Amare enim ipsam passionem dicit amoris secundum affectum, qui etiam communis est cæteris animalibus : charitas autem dicit appretiationem : et dilectio ex vi compositionis dicit rationem electionis. Amor ergo afficiendo destituit, charitas amatum inæstimabili pretio præponit, dilectio ex omnibus vere diligendum eligit. De amore, Cantic. v, 8 : *Nuntiate dilecto quia amore langueo.* II Reg. i, 26 : *Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.* De charitate, Cantic. viii, 7 : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* De dilectione, Cantic. v, 10 : *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus.* Eccli. xxiv, 24 : *Ego mater pulchræ dilectionis.* Hæc enim tria unum affectum amoris nominant, et ideo quodlibet ponitur pro alio. Hic ergo est modus.

Dilectio autem importatur per tria : per

« Dominum Deum tuum. »

Dominus nomen excessus est et potestatis, et nomen facultatis ; et ideo, ut dicit Dionysius, « non dicit tantum infe« riorum excessum, sed etiam omnium « facultatum, pulchrorum, et bonorum « perfectam possessionem, et robur tale « potestatis, quod nutare non valet. » Ex

[1] Cf. Luc. ii, 46.

[2] Deuter. vi, 5 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.*

primo habet, quod dilectio ignobilia et infima excedens inferioribus non commiscetur : ex secundo, dilectionis causam et fundamentum : ex tertio, dilectionis firmamentum. Alte igitur et recte et perseveranter diligitur. Verba Dionysii sunt hæc in libro *de Divinis nominibus* : « Do« minus est non inferiorum excessus tan« tum, sed et omnis pulchrorum et bo« norum perfecta et omnimoda possessio, « vera, et non cadere valens fortitu« do. [1] » In primo est honor, in secundo sufficientia, in tertio æternitas amoris. Primo repugnat vilitas ignobilis servitutis : secundo dispendium paupertatis virtutis : tertio odiosum tædium (quod amari non potest) inamabilitatis. Ex primo, *mirabilis in altis Dominus* [2] : de secundo, Dominus *dives* est *in omnes qui invocant illum* [3] : ex tertio, tam amabilem se exhibet, ut consuescentibus eum dilectio dilectioni succedat [4] : ut dicat : vulnerata charitate ego sum. Memoriam enim suavitatis suæ ita eructant, quod nomen ejus, et memoriale ejus in desiderio est animæ [5]. Deus autem est θεός græce, quod a θεωρέω-ω græco verbo descendit, quod est *videre* [6] : eo quod omnia lucis suæ perlustret præscientia. Dicitur etiam a θερμειν [7] quod est *ardere* : a θεᾶσθαι, quod est *contemplari*. Contemplatur vero omnia, quæ sua fruuntur providentia : et hæc sunt verba Dionysii et Damasceni. Ex primo horum lux est intellectus in vero : ex secundo, ignis ardens est affectus in bono : ex tertio, virtus continentiæ in periculis tentationum. De primo dicit, Psal. xxxi, 8 : *Intellectum tibi dabo, et instruam te in via*, etc. De secundo, Lucæ, xii, 49 : *Ignem veni mittere in terram : et quid volo nisi ut ascendatur*. De tertio, Eccli. xv, 4 : *Continebit illum*, scilicet apud proximos suos. Per primum illuminat purgando tenebras, Joan. i, 5 : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non conprehenderunt*. Per secundum exurit rubiginem peccati, Ad Hebr. xii, 29 : *Deus noster ignis consumens est*. Per tertium conservat, Sapient. iii, 1 : *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis*.

« Tuum, »

Per cultum nostrum factum. Ille magis enim diligibilis est animæ nostræ, quem per cultum jam meruimus esse nobis propitium et propinquum. Deuter. iv, 7 : *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris*. Sic igitur ponitur dilectus. Meum enim et tuum maxime facit charitas, quæ transponit cor unius diligentium in alium. Unde dicit Dionysius quod « exstasim est faciens « divinus amor, non sinens quod aman« tes suiipsorum sint, sed eorum quos « diligunt. » I ad Corinth. vi, 17 : *Qui adhæret Domino, unus spritus est*.

Sic ergo *diliges Dominum Deum tuum*.

« Ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. »

Ecce dilectionis quantitas ex mensura diligentis.

Secundum Augustinum : « Ex toto « corde diligere est diligere ex intellectu « sine errore, ut sic totum cor tendat in « verum nullo errore irretitum : ex tota « autem anima diligere est ex volun« tate diligere sine contradictione, ut « voluntas tendat in bonum, nulla mali « contradictione revocata : ex tota au« tem mente diligere, est ex memoria

[1] S. Dionysius, De divinis Nominibus, cap. 12.
[2] Psal. xcii, 4.
[3] Ad Roman. x, 12.
[4] Cf. Eccli. xx, 13.
[5] Cf. Isa. xxvi, 8.
[6] Vel melius a ΔΙΓ, r.
[7] Inusit. pro θερμαίνω, θερμός (θερ, r.)

« diligere sine oblivione, ut memoria « sic æternaliter notitiam Dei sibi im- « pressam teneat, quod nulla eam obli- « vio intercipiat. »

Secundum Chrysostomum : « Ex toto « corde diligere, est totam cordis dele- « ctationem in Deum transferre, et ex « nulla parte in rebus mundi contra « Deum delectari : et hoc etiam carnali- « ter experiri : quia cœlum compositum « est ex motore primo, et corporis prima « parte. Ex tota anima diligere, est, « ut totam animam referas ad Dei veri- « tatem, nulla rerum vanitate et men- « dacio deceptus : quia anima non caro, « sed spiritus est : et de his duobus, « Psal. LXII, 2 : *Sitivit in te anima mea : quam multipliciter tibi caro mea !* « Ex tota autem mente diligere, est « omnes sensus in Dei experientiam ex- « tendere per rectam intentionem, in « omnibus nihil præter Deum quære- « re. »

Secundum Isidorum : « Et toto corde « diligere, est ex tota cogitatione Deum « quærere : ex tota anima, ex omni « affectione desiderare : ex tota mente, « ex omni ratione cunctis præponere. »

Posset dici, quod (quia probatum est in libro de *Principiis motuum animalium*, quod omnes motus a corde incipiunt, et in ipsum revertuntur) quod ex toto corde diligere, est omnes motus forma suæ dilectionis informare : ut omnes fiant ex charitate, et ad charitatem referantur secundum omnia præcepta. I ad Timoth. I, 5 : *Finis præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* Et quia anima, ut probat Aristoteles, principium est et causa vitæ et fons, ex tota anima diligere est totam vitam vinculo charitatis mancipare in omni virtute. Ad Roman. V, 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritus sanctum qui datus est nobis.* Spiritus enim principium est vitæ, qui diffundit charitatem de vase in vas : quia omnes virtutes et animæ vires implet charitate, sicut vidua oleum in vasa vacua oblata a filiis [1] .Deuter. x, 12 : *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua ?* Et quia *mens* dicitur a metiendo, eo quod est mensura omnium certa et recta usque in finem cujuslibet : ex tota mente diligere, est ex tota et simplici intentione sibi soli quærere placere, et omnia infra metas hujus ordinis comprehendere. I ad Corinth. x, 31 : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Sic enim motus ad meritum, vita ad virtutem, et mens refertur ad intentionem : et hæc expositio forte est magis propria. Motus a charitate accipit merendi efficaciam, virtus ab eadem accipit gratitudinis formam, et ideo charitas mater virtutum appellatur : intentio a charitate accipit finem.

Secundum Bernardum : Ex toto corde diligere, est diligere dulciter sine amaritudine : diligere ex tota anima, est diligere sapienter sine deceptione : diligere ex tota mente, est diligere fortiter sine depressione. Unde dicit : « Disce, « Christiane, a Christo, quomodo dili- « gas Christum. Dilige dulciter, sapien- « ter, fortiter. Dulciter, ne illectus : sa- « pienter, ne deceptus : fortiter, ne de- « pressus avertaris a dilecto. »

Diligitur *dulciter* in remissione peccatorum, in memoria beneficiorum, et in prægustatione æternorum bonorum. De remissione peccatorum, Psal. CXLIV, 9 : *Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.* Luc. VII, 47 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* De recordatione beneficiorum, Psal. CXLIV, 7 : *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt.* Et, Isa. LXIII, 7 : *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Domi-*

[1] Cf. IV Reg. IV, 5.

nus. De prægustatione æternorum bonorum, Psal. XXXIII, 9 : *Gustate et videte*, etc. Proverb. XXXI, 18 : *Gustavit, et vidit quia bona est negotiatio ejus.*

Diligendus est *sapienter*, insidias diaboli prævidendo, prævisas præcavendo, et occasiones peccandi fugiendo. De primo, II ad Corinth. II, 11 : *Ut non circumveniamur a Satana : non enim ignoramus cogitationes ejus.* De secundo, Proverb. XX, 8 : *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* De tertio, Zachariæ, II, 6 : *O o fugite de terra aquilonis !* Genes. XIX, 17 : *Ne stes in omni circa regione.*

Diligendus est *fortiter*, timorem expellendo, usque in finem perseverando, et constanter pro Christo moriendo. De primo, I Joan. IV, 18 : *Perfecta charitas foras mittit timorem.* De secundo, Sapient. VIII, 1 : *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* De tertio, Cantic. VIII, 6 : *Fortis est ut mors dilectio.* Joan. XV, 13 : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Posset autem adhuc dici, quod ex toto corde diligere est intime diligere : quia cor intimum est, et charitas intimus est affectus. Cantic. VIII, 6, dilectus meus clamat ad me : *Pone me ut signaculum super cor tuum.* « Signaculum, sicut « dicit Gregorius, « est sigillum profunda- « tum in cordis intimum. » Ex tota autem anima diligere est, quia anima est spiritus, et ex toto spiritu diligere, ut spiritus spiritui adhæreat in dilectione. Isaiæ, XXVI, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Ex tota autem mente, quia mentis est continere brutalitatem (quæ est in homine) intra limites sapientis et humanitatis. Diligere ergo ex tota mente, est intra mentis metas et humanitatis propter amorem Dei omnia animalia cohibere. Eccli. XIV, 22 : *Beatus vir qui in sapientia morabitur, et qui in justitia sua meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei.* Unde Aristoteles vocat continentem eum qui moratur in mente, et mentis metas non egreditur propter vim passionis.

Dicit autem, « *diliges :* » non cognosces : quia notitia Dei omnibus naturaliter impressa est, et circa illam pauci deviant : sed circa dilectionem multi : quia qui diligit iniquitatem vel mundum, inimicus Dei constituitur [1]. Psal. LXXIII, 23 : *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.*

« Hoc est maximum, et primum mandatum. »

« *Hoc est primum,* » ordine, « *et maximum,* » dignitate, « *mandatum.* » I ad Corinth. XIII, 13 : *Major horum est charitas.*

Maximum autem dimensione est, et utilitate, et comprehensione.

De dimensione, Ad Ephes. III, 17 et 18 : *In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum.* Longitudo æternitatis : quia *charitas numquam excidit* [2]. Latitudo ordinis a se usque ad infinitum per omnia diligenda. Psal. CXVIII, 96 : *Omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis.* Sublimitas protensione usque ad Deum, qui ex toto corde diligitur. Profundum usque ad intimum affectum, qui in intimis afficit, et adstringit.

De utilitate : quia cætera nihil sunt sine charitate. I ad Corinth. XIII, 1 et 2 : *Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens... Et si habuero omnem fidem*, etc.

[1] Jacob. IV, 4 : *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.*

[2] I ad Corinth. XIII, 8.

De ambitu, sive comprehensione, Ad Galat. v, 14 : *Omnis lex in uno sermone impletur : Diliges*, etc. Ad Roman. xiii, 10 : *Plenitudo legis est dilectio.* Primum autem est prærogativa ordinis et dignitatis. Ad Ephes. iii, 19 : *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.*

« Secundum autem simile est huic. »

Simile dicitur, non æquale. Dicitur autem simile, quia de simili. Est etiam de proximo, qui est ad Dei similitudinem. Genes. i, 26 : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Vel dicitur simile, quia est de eadem dilectione : una enim et eadem dilectione diligitur Deus, et imago ejus in proximo : et hoc continetur, Levit. xix, 18 : *Diliges amicum tuum sicut teipsum.* Et ex modo consignificandi notatur perseverantia, quia vult in futurum extendi dilectionem. Sicut etiam dicit Dominus, Joan. xiv, 21 : *Ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Osee, xiv, 5 : *Diligam eos spontanee, quia aversus est furor meus ab eis.*

Importatur etiam id quod diligendum est, cum dicit : « *Diliges proximum tuum.* » Sicut enim supra docuimus, formatus ex eadem nobiscum virtute Patris est proximus : et hic est omnis homo ad imaginem Dei factus. Lucæ, x, 27 : *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Hoc etiam modo Christus homo præcipue proximus est, per quem adoptati sumus in filios. Luc. x, 36 : *Quis videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones ?* Est igitur proximus ex Patre Deo, et proximus gradu naturæ, et proximus beneficio. Et in his est ordo naturæ et charitatis. Cantic. ii, 4 : *Ordinavit in me charitatem.* I ad Corinth. xiv, 40 : *Omnia secundum ordinem fiant,* scilicet in vobis.

Importatur etiam modus dilectionis, cum dicitur : « *Sicut teipsum.* » In meipso diligo bonum, quod est Dei similitudo : et bonum quod est via, et hoc est justitia : et bonum quod est finis, et hoc est fruitio summi boni : et sic diligam proximum. Quia si aliter diligo me, non diligo vere : quia *qui diligit iniquitatem, odit animam suam* [1]. « Dilectionis enim fundamentum, ut dicit « Tullius, est honestum : et prima lex « amicitiæ est, ut pro amicis non nisi honesta faciamus. » Ista est forma dilectionis divinæ. Psal. xliv, 12 : *Concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.* Deuter. xxxiii, 3 : *Dilexit populos : omnes sancti in manu illius sunt.* Ex quo enim Sanctos in manu sua dicit esse, formam dat, quod sanctitas in populis sit diligenda. Joan. xv, 15, etiam dicit amicos non servos : quia omnia quæcumque audivit a Patre, nota fecit eis [2].

« In his duobus mandatis, etc. »

Ratio est ostensionis, quare sunt maxima mandata : quia « *tota Lex,* » quoad præcepta omnia, « *et Prophetæ,* » quoad monita prophetarum, « *pendet in eis,* » sicut ex movente, et forma, et fine. Et alia mandata non habent nisi materiam, circa quam exercenda sunt opera. Joan. xiv, 23 : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* I ad Corinth. xiii, 4 : *Charitas patiens est, benigna est,* etc. Unde, Gregorius dicit, quod « præcepta Dei multa sunt, et unum. « Multa per ramos operis : unum in radice charitatis. »

[1] Psal. x, 6.

[2] Joan. xv, 15 : *Jam non dicam vos servos, quia nescit servus quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.*

41 « Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus. »

Ponitur hic aliud opus sapientiæ, quod est sapienter interrogare, et habet duas partes, scilicet confutationem hostium, et fugam ipsorum : quia amplius nec respondere, nec interrogare ausi sunt.

Circa primum tria dicuntur : quorum primum est commendatio quærentis per virtutem ejus, cui fit quæstio : secundum est subtilitas formatæ quæstionis : tertium autem elisio insufficientis responsionis. Et hæc patent in littera.

De primo dicit : « *Congregatis autem Pharisæis.* » Non enim utitur versutiis, ut ab uno aliquo quærat (sicut illi per unum interrogant), sed totam vitam eorum (quæ in omnibus erat) in unum congregatam quærendo sollicitet. Isa. XL, 17 : *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo.* Isa VIII, 9 : *Congregamini, populi,* et non in unum eritis.

« *Interrogavit eos Jesus.* » Supra, XXI, 24, simile : *Interrogabo vos et ego unum sermonem,* etc.

42 « Dicens : Quid vobis videtur de Christo ? cujus filius est ? Dicunt ei : David.

43 Ait illis : Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens :

44 Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum ?

45 Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est ?

46 Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illo die eum amplius interrogare. »

Quæstionis est subtilitas. Et dicit tria : primo scilicet ut ad conscientiam respondeant, non per ambages fugam quærant, cum dicit : « *Quid vobis videtur,* » qui scientiam profitemini et religionem. Secundo, de quo quærit, cum dicit : « *De Christo,* » quem exspectatis in lege promissum. Et tertio, proponit quæstionem : « *Cujus filius est,* » per naturam ? Causa autem hujus interrogationis est, quia Christum dicebant venturum, et præsentem Filium Dei esse confiteri nolebant. Joan. X, 33 : *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu, homo cum sis, facis teipsum Deum.*

« *Dicunt ei,* » omnes unanimiter respondentes : « *David* », eo quod illi dictum fuerat, Psal. CXXXI, 11 : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et, Jerem. XXIII, 5 : *Suscitabo David germen justum : et regnabit rex, et sapiens erit,* etc. Et est responsio insufficiens, quia non est nisi secundum humanam naturam : et ideo statim infertur objectio per auctoritatem ejusdem David, elidens eam.

Et hoc est quod sequitur :

« Ait illis »

Jesus contra objiciens. « *Quomodo ergo David in spiritu ?* » Si enim alium prophetam induceret, non esset ita commendabile : quia ille, cui promissio facta est, melius cognovit modum promissionis : et dicit, quod « *in spiritu,* » ne putetur humana esse deceptio. Ad Roman. IX, 1 : *Non mentior : testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto.* II Petr. I, 21 : *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.*

« *Vocat eum Dominum* » : quod notat superpositionem cum nullus pater in eo quod filius ab ipso habet, filio supponatur, sed potius superponatur.

Et inducit auctoritatem confirmantem, de qua non dubitabant, quin in Spiritu esset dicta :

« Dixit Dominus »

Pater « *Domino meo,* » Filio. Unde

ipse dicit, Psal. CXV, 16 : *O Domine, quia ego servus tuus : ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.*

« *Sede,* » consessu honoris, « *a dextris meis,* » in sede æqualitatis secundum divinam naturam, et secundum humanam in potioribus bonis. Ad Coloss. III, 1 : *Ubi Christus est in dextera Dei sedens.* Ad Hebr. I, 13 : *Ad quem Angelorum dixit aliquando : Sede a dextris meis.* Per istam partem auctoritatis sufficienter probatum est propositum, et elisa insufficiens responsio.

Et quod sequitur, inducitur ad percutiendum eos qui ex odio tentabant : « *Donec ponam inimicos tuos,* » reluctantes tibi victos et conculcatos, « *scabellum pedum tuorum.* » Isa. LXIII, 3 : *Conculcavi eos in ira mea.* Judicum, V, 21 : *Conculca, anima mea, robustos.* Et hoc etiam promittitur Sanctis. Malach. IV, 3 : *Calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.* I ad Corinth. XV, 25 : *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus ejus.* Et *donec* est inclusivum, quia etiam illis conculcatis regnabit. Conculcantur autem victi per Titum, vel spontanei in fine mundi conversi. Ad Hebr. X, 12 et 13 : *Sedet in dextera Dei, de cætero exspectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus.*

« Si ergo David vocat eum Dominum. »

Repetit primum, per quod elisa est responsio. « *Quomodo filius ejus est ?* » cum nullus filius superponatur patri secundum naturam quam habet ab ipso : hoc enim contra ordinem esset naturæ.

« Et nemo poterat ei respondere verbum. »

Isaiæ, XLI, 28 : *Vidi, et non erat neque ex istis quisquam qui iniret consilium, et interrogatus responderet verbum.*

« *Nec ausus fuit ex illo die.* » Videntes quod intentiones eorum sciret. « *Quisquam eum amplius interrogare.* » Job, IX, 3 : *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.*

Et hoc est, quod dicitur in littera.

CAPUT XXIII.

Scribis et Pharisæis super cathedram Moysi sedentibus præcepit Jesus obedire, ipsorum autem opera non imitari, retegens ipsorum hypocrisim et ambitionem, discipulos vero contrariam docens humilitatem : deinde multiplex væ illis ob hypocrisim ac reliquas suas iniquitates interminatur, prædicens eos patrum suornm mensuram in justorum persecutionibus impleturos, ac Jerusalem deserendam.

1. Tunc Jesus locutus est ad turbas et ad discipulos suos,
2. Dicens : Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi [1].
3. Omnia ergo quæcumque dixerint

[1] II Esdræ, VIII, 4.

vobis, servate et facite : secundum opera vero eorum nolite facere : dicunt enim et non faciunt.

4. Alligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum : digito autem suo nolunt ea movere [1].

5. Omnia vero opera sua faciunt ut videantur ab hominibus : dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias [2].

6. Amant autem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis [3],

7. Et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi.

8. Vos autem nolite vocari Rabbi [4] : unus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis.

9. Et patrem nolite vocare vobis super terram [5] : unus est enim Pater vester qui in cœlis est.

10. Nec vocemini magistri : quia Magister vester unus est, Christus.

11. Qui major est vestrum erit minister vester.

12. Qui autem se exaltaverit humiliabitur, et qui se humiliaverit exaltabitur .

13. Væ autem vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia clauditis regnum cœlorum ante homines : vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.

14. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia comeditis domos viduarum [7], orationes longas orantes : propter hoc amplius accipietis judicium.

15. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia circuitis mare et aridam ut faciatis unum proselytum, et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.

16. Væ vobis, duces cæci, qui dicitis : Quicumque juraverit per templum, nihil est : qui autem juraverit in auro templi, debet.

17. Stulti et cæci ! quid enim majus est ? aurum, an templum quod sanctificat aurum ?

18. Et quicumque juraverit in altari, nihil est : quicumque autem juraverit in dono quod est super illud, debet.

19. Cæci ! quid enim majus est ? donum, an altare quod sanctificat donum ?

20. Qui ergo jurat in altari, jurat in eo et in omnibus quæ super illud sunt.

21. Et quicumque juraverit in templo, jurat in illo et in eo qui habitat in ipso.

22. Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei et in eo qui sedet super eum.

23. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham [8], et anethum, et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem. Hæc oportuit facere, et illa non omittere.

24. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem gluttientes.

25. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia mundatis quod deforis est calicis et parop sidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia.

56. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat id quod deforis est mundum.

[1] Luc. xi, 46 ; Act. xv, 10.
[2] Deuter. vi, 8, et xxii, 12 ; Numer. xv, 38.
[3] Marc. xii, 39 ; Luc. xi, 43, et xx, 46.
[4] Jacob. iii, 1.
[5] Malach. i, 6.
[6] Luc. xiv, 11, et xviii, 14.
[7] Marc. xii, 40 ; Luc. xx, 47.
[8] Luc. xi, 42.

27. Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spucitia.
28. Sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi, et iniquitate.
29. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra Prophetarum, et ornatis monumenta justorum,
30. Et dicitis : Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum.
31. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum qui Prophetas occiderunt.
32. Et vos implete mensuram patrum vestrorum.
33. Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ [1]?
34. Ideo ecce ego mitto ad vos Prophetas, et sapientes, et Scribas : et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem :
35. Ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi [2] usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ [3], quem occidistis inter templum et altare.
36. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.
37. Jerusalem, Jesusalem, quæ occidis Prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti [4]!
38. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.
39. Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini.

IN CAPUT XXIII MATTHÆI

ENARRATIO.

« Tunc Jesus locutus est ad turbas et ad discipulos suos,

Dicens : Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi.

Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite. »

Hæc est pars, in qua specialiter causam describit, quare sunt abjiciendi, et condemnandi.

Dividitur autem in duas partes : in quarum prima circumstantias aggravantes peccata eorum describit : in secunda autem interminationes maledictionum ponit, cum speciali peccatorum determinatione, ibi, ℣. 13 : « *Væ autem vobis!* »

In prima harum partium tria continentur peccata aggravantia, scilicet sublimitas potestatis, doctrina veritatis, et simulatio sanctitatis. Sublimitatem potestatis ambivit Lucifer, scientiam veritatis concupivit Adam, simulationem sanctitatis prætendet Antichristus. Istorum au-

[1] Supra, III, 7.
[2] Genes. IV, 8 ; ad Hebr. XI, 4.
[3] II Paralip. XXIV, 22.
[4] Luc. XIII, 34.

tem iniquitas ex omnibus capitibus malorum congeritur, et aggregatur.

Præmittit autem Evangelista, quod illis tamquam indignis abeuntibus, « *docuit turbas,* » adhuc devotas, « *et discipulos,* » futuros rectores Ecclesiarum. Simile, Supra, v, 1 et seq., et Lucæ, vi, 20 et seq., quod videns Jesus turbas ascendit in montem, et postea elevatis oculis in discipulos, dixit : *Beati pauperes spiritu,* etc.

« Super cathedram Moysi. »

Qui, sicut dicit, Psal. i, 1 : *In cathedra pestilentiæ non sedit,* ut perversa doceret. Dicitur enim *cathedra* ædes cathechizandi, sive docendi. Et sedet in cathedra pestilentiæ, qui ad iniquitatem concessa sibi abutitur potestate. Et hoc modo Christus exhibitor gratiæ, quem præfiguravit Moyses, non sedit in cathedra. Superius etiam, xxi, 12, evertit cathedras vendentium columbas simoniacorum, et non sedit in eis : nec quæsivit cathedram ambitionis, quæ quæritur potestate sæculari. Eccli. vii, 4 : *Noli quærere a domino ducatum, nec a rege cathedram honoris.* Sed in auctoritate publicæ doctrinæ sedit Christus, loquens discipulis et turbis. Job, xxix, 7 : *In platea parabant cathedram mihi.* Psal. cvi, 32 : *Exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum.*

In hac igitur cathedra primum « *sederunt,* » Dei permissione, non ordinatione, « *Scribæ,* » per sublimitatem scientiæ, « *et Pharisæi,* » per falsæ religionis professionem : et quanto altior gradus, tanto casus profundior : quia, Eccli. x, 17 : *Sedes ducum superborum destruxit Deus* Et, Lucæ, ii, 52 : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.* Recognoscitur ergo etiam in malis auctoritas potestatis, quæ tamen facit ad cumulum damnationis eorum.

« Omnia ergo quæcumque dixerint vobis »

De cathedra Moysi procedentia. Apocal. iv, 5 : *De throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua :* fulgura signorum, voces docentium, et tonitrua judiciorum. « *Servate,* » per memoriam, « *et facite* » per opus. Deuter. xvii, 10 : *Facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus.* Dicit autem : « *Omnia quæcumque,* » et non quomodocumque, quia legem dicunt, et hæc retinenda est : sed carnaliter intelligendam dicunt, et hoc modo tenenda non est. Sic ergo ostensa est veritas doctrinæ.

De simulatione autem sanctitatis dicit :

« Secundum opera vero eorum nolite facere : dicunt enim, et non faciunt.

Alligant enim onera gravia et im- 4
portabilia, et imponunt in humeros hominum : digito autem suo nolunt ea movere, »

Et habet duas partes, scilicet ostensionem simulationis, et interdictionem imitationis in speciali, ibi, ℣. 8 : « *Vos autem nolite vocare Rabbi.* »

Circa primum quinque dicuntur : quorum primum est generalis prohibitio imitationis : secundum est causa prohibitionis in genere : tertium est ostensio austeritatis eorum inducta ad subditos : quartum, duritia contra passionem infirmorum : quintum, ostensio simulationis exterioris vanitatis cum interiori malitia iniquitatis. Et hæc per ordinem sunt in littera.

De primo dicit : « *Secundum opera vero eorum nolite facere.* » Ad Roman i, 21 et 22 : *Qui prædicas non furandum, furaris : qui dicis non mœchandum, mœcharis.* Ideo dicit Apostolus, ad Galat. iv, 18 : *Bonum æmulamini in bono sem-*

per. Doctrina in malo homine accipienda est, et vita spernenda, sicut aurum de terra tollitur, et terra relinquitur, et sicut mella de herba colliguntur, et vilis herba in proximo peritura per ariditatem relinquitur.

Et subjungit causam, dicens : « *Dicunt enim* » bona, « *et non faciunt.* » Contra quod dicit Apostolus ad Roman. xv, 18 : *Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus.* Psal. xi, 5 : *Dixerunt : Linguam nostram magnificabimus : labia nostra a nobis sunt. Quis noster Dominus est ?* Supra, v, 19 : *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.*

« Alligant enim. »

Ecce austeritas. Alligare enim est pœnitentias et statuta congerere : « *gravia,* » in se, « *et importabilia,* » viribus et facultatibus subditorum : « *et imponunt,* » per injunctionem et obligationem, « *in humeros hominum* » de humo factorum, et ideo fragilium : et ideo necesse est, aut frangi humerum, et cadere sub onere, aut abjicere onus per contemptum : et hoc faciunt, quando mandatis Dei carnaliter observatis suas gravissimas immiscent traditiones. Supra, xv, 6 : *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* III Regum, xii, 14, et II Paralip. x, 14 : *Pater meus grave vobis imposuit jugum, quod ego gravius faciam : pater meus cecidit vos flagellis, ego vero cædam vos scorpionibus.* Horum imitatores esse videntur, qui religiosis regulam canonicam et approbatam super Evangelium professis, tota die novas constitutiones ingeminant, et præcepta gravia plusquam ferre possit humana fragilitas. Act. xv, 10 : *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus.*

« *Digito autem suo nolunt ea movere.* » Ecce incompassio, quod super afflictos dura gestabant viscera. Et motus digiti minimi significat adjutorium, vel comportationem. Contra quod dicit Apostolus, ad Galat. vi, 2 : *Alter alterius onera portate : et sic adimplebitis legem Christi.* Sed isti econtra in se sunt concupiscentiis resoluti, et circa alios austeri. Amos, vi, 6 : *Bibentes vinum in phialis, et optimo unguendo delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph.*

« Omnia vero opera sua faciunt ut videantur ab hominibus : dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias.

Amant autem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis,

Et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi. »

Hic fit ostensio exterioris simulationis cum interiori malitia iniquitatis. Duos ergo paragraphos habet hæc particula : in quorum primo exterioris simulationis ostendit vanitatem : in secundo, interioris malitiæ ostendit iniquitatem.

In primo dicit duo : primo enim tangit generaliter corruptam eorum in simulando vanitatem : et secundo, probat hoc per certum signum.

Dicit igitur : « *Omnia opera sua,* » quia cogitationes non patent, « *faciunt,* » non ex charitate vel obedientia : sed « *ut videantur ab hominibus :* » et hoc vanum est. Ad Galat. i, 10 : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Psal. lii, 6 : *Confusi sunt qui hominibus placent : quoniam Deus sprevit eos.* Supra, vi, 2 et 5 : *Amen dico vobis,... receperunt mercedem suam.* Psal. xlviii, 12 : *Vocaverunt nomina sua in terris suis.*

« Dilatant enim. »

Probatio est a signo evidentissimo.

« *Dilatant phylacteria.* » *Phylacteria* dicuntur a φυλάσσειν quod est *servare :* quasi signum servandæ legis. Dixerat enim Moyses, Numer. xv, 38 et seq., et Deuter. vi, 8 : *Ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos* : volens ut in opere manuum et frequenti conspectione oculorum cordis, per meditationem lex conservaretur in mandatis. Pharisæi autem scribebant in membranulis, et alligabant illas fronti et manibus, ut per hoc justi apparerent. Et illæ membranulæ *phylacteria,* vasa scilicet Evangeliorum parvorum vocantur. Dicuntur etiam phylacteria, vasa reliquiarum : quæ quidam devotionis causa tamquam sacrorum amatores circumferunt etiam apud Christianos, ut ex hoc devoti appareant. Et dicitur ab eodem verbo græco, φυλασσειν, quod est *servare.* Hæc igitur dilatabant, ut longe circumspicerentur. Proverb. xx, 19 : *Ei qui sua dilatat labia... ne commiscearis.*

« *Et magnificant fimbrias.* » Dixerat etiam Moyses, quod in quatuor summitatibus palliorum (quæ ad modum scapulariorum incisa erant) fimbrias facerent, per quas a cæteris gentibus discernerentur : et illis fimbriis immitebant acutissimas spinas, quibus puncti recordarentur legis [1]. Et tales spinas immiscere fimbriis, magnificare est fimbrias. Psal. cxxx, 1 : *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.*

« Amant enim, etc. »

Hic interiorem ostendit iniquitatem. Est autem ambitio conjuncta gulæ, et ambitio conjuncta superbiæ, et ambitio conjuncta favori populari, et ambitio conjuncta laudi.

Ambitio conjuncta gulæ, quod amant « *primos recubitus,* » quod est ambitionis, « *in cœnis,* » hoc est, quod gulæ est conjuncta ; quia in tali loco meliores dapes dabantur, et meliora vina propinabantur. Ad Philip. iii, 18 et 19 : *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi : quorum finis interitus, quorum Deus venter est : et gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt.* Luc. xiv, 7 : *Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent.* Et, ℣. 10 : *Cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco.*

« *Et primas,* » hoc est, præcipuas « *cathedras in synagogis,* » quæ ponuntur pontificibus : et est ambitio cum superbia, quæ est immoderatus amor dignitatum. Isa. xiv, 13 et 14 : *Super*

[1] De phylacteriis et fimbriis hæc dicit D. Fillion in commentariis super Evangelium Matthæi (Op. cit. p. 438 439) :

« *Dilatant phylacteria sua.* Les phylactères ne diffèrent pas des טוטפות, mentionnés à trois reprises dans l'Ancien Testament, Exod. xiii, 16 ; Deuter. vi, 8 et xi, 18 ; non plus que des Tephillines, תפליך, des Juifs modernes. C'étaient de petites bandes de parchemin sur lesquelles étaient écrits les quatre passages suivants du Pentateuque : Exod. xii, 2-10 ; 11-17 : Deuter. vi, 4-9 ; xi, 13-22. Pliées délicatement, ces bandes étaient placées dans une capsule en basane, laquelle était elle-même fixée sur une lanière de cuir dont les deux extrémités servaient à attacher tout l'appareil soit au front, soit au bras gauche. Il y avait ainsi deux sortes de Tephillines, les דאש-ת'של en Tephillines de la tête, et les וז-ת'של ou Tephillines de la main. L'obligation de les porter pendant la prière ou pendant plusieurs autres actes religieux est déduite par les Juifs de ces paroles de Moïse au livre du Deutéronome, vi, 6-8 : *Eruntque verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo... : et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos.* Leur usage semble d'ailleurs remonter à une assez haute antiquité, et il est probable qu'il était général au temps de Notre-Seigneur Jésus-Christ. Le nom de φυλακτήρια, donné au Tephillines par les Juifs Héllénistes, signifie préservatif : peut-être l'avait-on choisi pour exprimer que cet ornement sacré était un symbole visible rappelant à l'Israélite qu'il doit fidèlement observer les divins préceptes (ἀεί μνημήν ἔχειν

astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.

« Et salutationes in foro. »

Ambitio est cum cupidine humani favoris. Contra quod dicitur, Luc. x, 4 : *Neminem per viam salutaveritis.* IV Reg. IV, 29 : *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum.*

« *Et vocari ab hominibus Rabbi.* » Ambitio est cum appetitu vanæ laudis. Ambitio est voluntas ambiens aliquod vanum, quod magnum coram hominibus videatur. Et dicit, « *vocari.* » Non enim laborem, et utilitatem nominis exercent, sed vanum nomen appetunt. Jacob. III, 1 : *Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis.* Ad Roman. II, 19 et 20 : *Confidis teipsum esse eruditorem insipientium, magistrum infantium.*

« Vos autem nolite vocari Rabbi : unus est enim Magister vester. » 8

Dissuasio est, ne imitentur eos discipuli in hoc. Et dicit tria : primo enim interdicit appetitum primatus, secundo dat et inducit formam humilitatis, tertio utriusque subjungit causam.

Est autem primatus triplex : unus quidem magisterii, dignitatis, potestatis : uuus autem formationis in bono virtutis : et unus secundum instructionem veritatis. Dicimus enim Prælatos Ecclesiæ magistros disciplinæ in potestate judiciaria :

τοῦ Θεοῦ, S. Just. Mart., Dial. cum Tryph,) ; peut-être aussi doit-il conserver sa signification habituelle d'amulette, à cause des idées superstitieuses que les Juifs d'autrefois (Cf. Targ. ad Cant. VIII, 3 ; Winer, Realwœrterbuch, s. v. Amulete, Phylacterien) et d'aujourd'hni (Cf. Coypel, le Judaïsme, p. 65) ont attaché à son emploi. Les dimensions de chacune des parties dont se composaient les Tephillines avaient été déterminées mathématiquement, comme toutes choses l'étaient dans le Judaïsme : mais les Pharisiens se plaisaient à élargir démesurément soit l'étui de basane, קציצה, qui contenait les membranes du parchemin, soit les courroies, רצועות, qui servaient à maintenir les phylactères au bras et au front : ils affectaient ainsi une plus grande piété et un plus grand attachement aux moindres observances religieuses. C'est à cela que le Sauveur fait allusion dans sa mordante critique. — Sur les Tephillines on peut consulter Lightfoot, Hor. Hebr. in h. l ; le Dictionnaire biblique de D. Calmet au mot Phylactères ; Buxtorf, Synag. jud. c. IX ; id. Lexic. talm. p. 1743 ; le Dictionn. encyclopédique de Wetzer et Welte, trad. par Goschler ; Léon de Modène, Cérémonies des Juifs, I, 11, 4, etc. Les Perses avaient aussi un appareil de prière analogue à celui des Juifs ; de même les Indiens qui se munissent des *saints cordons* des Brahmanes. S. Jérôme et S. Jean Chrysostôme mentionnent, mais pour la condamner, la coutume qu'avaient de leur temps certaines *mulierculæ* chrétiennes de se suspendre au cou des éditions-miniatures des Evangiles (*parvula evangelia*, βιβλια μικρά), pour faire parade de leur dévotion et de leur foi. »

« *Magnificant fimbrias.* » Autre allusion à une pratique religieuse des Juifs. Ces *fimbriæ* étaient des franges de laine bleu (en hébreu ציצית, *tzizzith* ; en grec κράσπεδα) que les Hébreux, en vertu d'une prescription divine, Cf. Numer. XV, 38, portaient aux coins de leur manteau, pour se rendre sans cesse présent par ce signe extérieur le souvenir des commandements de Jéhova. De nos jours encore, les Israélites sont fidèles à porter le *tzizzith*, comme les phylactères, à partir de l'âge de treize ans : ils les ont toutefois modifiés et relégués au-dessous des vêtements. Ce ne sont plus que deux petits sacs de toile qui tombent l'un sur la poitrine, l'autre sur le dos à la façon d'un scapulaire, et qui renferment de petites franges bariolées de bleu. On récite en les revêtant la prière suivante : « Sois loué, « Eternel notre Dieu, roi de l'Univers, qui « nous as sanctifiés par tes commandements et « qui nous a donné le précepte des tzizzith. » Cf. Coypel. op. cit. p. 66. — Les Pharisiens dilataient leurs franges de même que leurs Tephillines, et pour un motif semblable. S. Jérôme ajoute dans son commentaire qu'ils y inséraient en outre des épines très aigues qui leur déchiraient les pieds à chaque pas : ils se donnaient ainsi un plus grand air de sainteté. »

et magistros scholæ dicimus magistros imbuentes nos ad scientiam : et formantes nos in gratia sacramentali dicimus patres : et in his tribus interdicit appetitum principatus, et suadet actum humilitatis et utilitatis.

Dicit igitur : « *Vos autem,* » quorum justitia debet abundare super justitiam Pharisæorum et Scribarum, « *nolite vocari Rabbi.* » Non interdicit esse, sed ne vacuum nomen appetamus. I Petr. v, 3 : *Non ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Supra, xx, 26 : *Non ita erit inter vos,* etc.

« *Unus est enim,* » formaliter, hoc est, unicus : quia in his quæ sunt superioritatis, solus Christus magister est et Dominus. Joan. xiii, 13 : *Vos vocatis me Magister, et Domine : et bene dictis : sum etenim.* Omnes enim sumus discipuli Dei. Nec est Prælationis ministerium super nos nisi vicariorum Dei, propter quod illi sunt ministri, non magistri : et dispensatores, non domini. I ad Corinth. xii, 5 : *Divisiones ministeriorum sunt, idem autem Dominus.* Hic interdicit magisterium Prælationis, sed non actum, I ad Corinth. iv, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.*

« Omnes autem vos fratres estis.

9 Et patrem nolite vocare vobis super terram : unus est enim Pater vester qui in cœlis est.

10 Nec vocemini magistri : quia Magister vester unus est, Christus.

11 Qui major est vestrum, erit minister vester.

12 Qui autem se exaltaverit humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur. »

Interdicit hic primatum formationis in gratia. Et dicit duo, æqualitatem videlicet, et primatus prohibitionem.

De æqualitate dicit : « *Omnes autem vos fratres estis,* » in gratia et esse spirituali formati ex uno Patre. Ad Hebr. iii, 1 : *Fratres sancti, vocationis cœlestis participes.* Ad Hebr. ii, 11 et 12 : *Non confunditur Christus fratres eos vocare, dicens : Nuntiabo nomen tuum fratribus meis* : et parum ante reddit rationem, ℣. 11 : *Qui enim sanctificat, et qui sanctificatur, ex uno omnes.*

Unde subdit : « *Et* » ideo, « *patrem,* » vos in gratiæ esse formantem, cum formatio gratiæ non nisi a Deo sit, et non a Prælatis, « *nolite vocare vobis super terram :* » quia hæc gratia de Patre cœlesti est. Supra, vi, 9 : *Pater noster, qui es in cælis.*

Et subjungit rationem : « *Unus est enim Pater vester,* » formans in esse gratiæ, « *qui in cœlis est.* » Ad Ephes. iii, 14 et 15 : *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur.* Malach. ii, 10 : *Numquid non pater unus omnium nostrum ?* Secundum affectum tamen aliqui patres dicuntur a Religiosis, sed non formatores in esse gratiæ. Ad Hebr. xii, 9 : *Patres carnis nostræ eruditores habuimus, et reverebamur eos : non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus ?*

« Nec vocemini magistri, »

Prima illuminationis auctoritate, « *quia magister vester unus,* » hoc est, unicus, « *est Christus,* » qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* quia est lux vera [5]. Sicut enim quia color movet secundum actum lucidi, omnis colorum illluminatio refertur ad lucem, et omnis lux ad solem ; eo quod omne quod est in multis, est primo

[1] Joan. i, 9.

in uno aliquo quod est causa omnium illorum : ita omnis illuminatio intellectus licet sit in multis, tamen est in uno primo, quod causa est omnium illuminationum : et hoc est lumen intellectus divini, quod est Verbum Patris, lumen de lumine, Dominus Jesus Christus, qui de se dicit, Joan. VIII, 12 : *Ego sum lux mundi.* Sunt tamen sub ipso Doctores multi, ab ipso illuminati. Matth. XI, 27 : *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.*

« Qui major est vestrum. »

Formam et actum humilitatis indicit, ut qui major est, patris vice et magistri, « *erit sicut minister vester.* » Supra, XX, 28 : *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.* Ad Philip. II, 7 : « *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens.*

« Qui autem se exaltaverit humiliabitur. »

Ratio est præinductorum ex justitiæ ordine. Luc. XIV, 11 : *Omnis qui se exaltat, humiliabitur.*

« *Et qui se humiliat exaltabitur.* » Job, XXII, 29 : *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Proverb. XXIX, 23 : *Superbum sequitur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria.* Humiliari debemus corde, ore et opere : corde in sensu, ore in verbis et oratione, opere in humilitatis obsequio. De humilitate cordis, Supra, XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Judith, VIII, 16 et 17 : *Humiliemus illi animas nostras, et in spiritu constituti humiliato, servientes illi, dicamus flentes Domino, ut secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam.* De humilitate oris, Eccli. XXXV, 21 : *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit.* Judith, IX, 16 : *Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* De humilitate operis, ad Philip. III, 21 : *Reformabit corpus humilitatis nostræ.* De tribus simul, ad Ephes. IV, 1, 2 : *Obsecro vos, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate.* Humilitatem autem tria custodiunt, consideratio videlicet propriæ fragilitatis, assiduitas subjectionis, et comparatio melioris. Primam non curavit Adam, secundam contempsit Lucifer, tertiam non curabit Antichristus. Et ideo Adam voluit esse sicut Dii, et Lucifer Prælatus sedere, et Antichristus extolletur super omne quod vocatur Deus, aut quod colitur.

« Væ autem vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia clauditis regnum cœlorum ante homines : vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. **13**

Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes : propter hoc amplius accipietis judicium [1]. » **14**

Hic per ordinem ponuntur septem væ, quæ sunt septem maledictionis interminationes propter septem corruptiones

[1] NOTA editionis Lugdunensis : Antiqui libri non habent istud væ. Hæc ait D. Fillion : « La « critique a dirigé depuis longtemps de sé- « rieuses attaques contre l'authenticité de ce « verset. Indépendamment de la transposition « avec le verset 13e, transposition qui se « trouve dans quelques versions, et dans les « manuscrits E, F, G, H, K, etc., on reproche « à ce verset d'avoir été omis par les manus- « crits grecs B, D, Z, et Sinait., par les ver- « sions arménienne, saxonne, l'Itala, par plu- « sieurs manuscrits de la Vulgate, et par plu- « sieurs Pères. Aussi Albert-le-Grand le regar- « dait-il déjà comme une interpolation. » (La

quæ erant in eis. Et duæ primæ quidem sunt contra veritatem doctrinæ : duæ autem secundæ, contra veritatem justitiæ : et tres tertiæ sunt contra veritatem vitæ : omnes autem sunt contra proximum : et ideo octava, quæ secunda ponitur in quibusdam libris, « *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia comeditis,* etc., » non est de veritate litteræ, sed de Marco, XII, 40, et Luca, XX, 47, interposita est ista maledictio.

Primæ duæ maledictiones, quæ sunt contra veritatem doctrinæ differunt : quia prima est de occultatione veri in doctrina, et secunda est de introductione falsi erronei, sicut expresse patet in littera.

In prima maledictione duo sunt, maledictio videlicet impietatis, et impietatis nocumentum.

De primo dicit : « *Væ autem vobis,* » æternæ maledictionis, « *Scribæ* » propter scientiæ sublimitatem : *quia intellectus bonus omnibus facientibus eum* [1]. De non facientibus autem, et scientibus dicitur, Luc. XII, 47 : *Servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit secundum voluntatem ejus, plagis vapulabit multis.* « *Et Pharisæi,* » propter religionis professionem : quia dicitur, Proverb. VI, 12 : *Homo apostata, vir inutilis.* Quanto enim altioris sanctitatis est gradus, tanto profundior est casus.

His ergo præ aliis, « *Væ !* » Eccli. XLI, 11 : *Væ vobis, viri impii, qui dereliquistis legem Domini Altissimi.* Isa. V, 20 : *Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum : ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras : ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum !*

« *Hypocritæ,* » aliud simulantes, et aliud existentes. Job, XIII, 16 : *Non veniet in conspectu ejus omnis hypocrita.* Augustinus : « Defectionem veritatis se- « quitur mendax hypocrisis. »

Est autem triplex perversitas hypocrisis hujus : claudendo viam veritatis, non intrando per fidem, et alios prohibendo per veritatis occultationem.

De prima dicit : « *Qui clauditis regnum cœlorum.* » Luc. XI, 52, dicitur : *Quia tulistis clavem scientiæ,* scilicet per auctoritatem discernendi inter lepram et lepram. Regnum enim cœlorum etiam clauditur, quando via quæ ducit ad regnum, occultatur : et hoc faciebant tollendo et occultando mysteria Scripturarum, quæ ducunt ad Christum. *Finis enim legis, Christus, ad justitiam omni credenti* [2].

« *Ante homines,* » idiotas, in quorum persona dicitur in Psalmo CXVII, 19 : *Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino.* De talibus enim dicitur, Isa. XXII, 22 : *Dabo clavem domus David super humerum ejus : aperiet, et non erit qui claudat : et claudet, et non erit qui aperiat.*

De secunda dicit : « *Vos enim non intratis,* » per fidem, ut veniatis ad Christum, per quem accessum habemus ad Patrem [3]. Joan. VII, 48 : *Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis* Joan. V, 44 : *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis : et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis ?* Tumor enim mentis in eis impedivit introitum salutis. Supra, XVIII, 3 : *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.*

De tertia dicit : « *Nec introeuntes,* » hoc est, intrare volentes, « *sinitis intrare,* » quia turbam paratam credere retrahitis. Luc. XI, 52 : *Et eos qui introibant, prohibuistis.* Proverb. III, 27 : *Noli prohibere benefacere eum qui*

Sainte Bible, Evang. selon. S. Matthieu, pag. 442.) Et ideo super istum ℣. 14 nullam facit enarrationem D. Albertus, sed commentat illud væ in enarrationem super Marc. X, 40, et Luc. XX, 47. (Nota editoris.)

[1] Psal. CX, 10.

[2] Ad Roman. X, 4.

[3] Cf. ad Roman. V, 2.

potest : si vales, et ipse benefacere. Non sunt similes ei, qui dicit, Luc. XIV, 23 : *Compelle intrare, ut impleatur domus mea.*

15 « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia circuitis mare et aridam ut faciatis unum proselytum, et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos. »

Verbum est contra veritatem doctrinæ : et est per immissionem erroris, ut ex multiplicatione falsæ superstitionis major sit fastus ambitionis. Et tanguntur tria, interminatio videlicet maledictionis, studium suæ ambitionis in dilatatione erroris, et æmulatio reatus in discipulis erroris.

De primo dicit : « *Væ vobis,* etc. » Isa. V, 18 : *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum !*

« *Qui circuitis.* » Psal. XI, 9 : *In circuitu impii ambulant.* Job, I, 7 : *Circuivi terram.* Veritas enim recta est : error autem perfidiæ vadit per ambages. « *Mare,* » in insulis, « *et aridam,* » in aliis terris, ut erroris vestri multi fiant discipuli : et sic Ecclesiam de gentibus crediturum vestro addatis fastui. Supra, XXI, 38 : *Occidamus eum, et habebimus hereditatem ejus.* « *Ut faciatis unum,* » formaliter, hoc est, qui in errore conveniat vobiscum, « *proselytum,* » advenam de gentibus ad vos conversum. Jerem. XVII, 11 : *Perdix fovit quæ non peperit : fecit divitias, et non in judicio.* « *Et cum fuerit factus,* » per perversitatem erroris, « *facitis eum filium gehennæ,* » hoc est, natum ad gehennam : filius enim gehennæ vocatur, quo modo *filius perditionis,* II ad Thesal. II, 3. Et, *filii hujus sæculi,* Luc. XVI, 8 : et Joan. VIII, 44 : *Vos ex patre diabolo estis : et desideria patris vestri vultis facere.* « *Duplo quam vos,* » quia imbuti errore vestro, duplum ferunt veræ fidei nocumentum : quia vos tantum in circumcisione, illi autem et in circumcisione et in præputio excitant in fideles persecutionem. Isa. LIX, 5 : *Qui comederit de ovis eorum, morietur : et quod confotum est, erumpet in regulum.* Vel, « *duplo quam vos,* » quia vos in mortuis speratis ceremonialibus : isti autem et in his sperant, et justitiam naturalem negligunt. Vel, « *duplo,* » quia scientiam additis, quæ est aggravans. II Petr. II, 21 : *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.* Prima expositio est melior.

« Væ vobis, duces cæci, qui dicitis : Quicumque juraverit per templum nihil est : qui autem juraverit in auro templi, debet.

Stulti et cæci ! Quid enim majus est ? aurum, an templum, quod sanctificat aurum ?

Et quicumque juraverit in altari nihil est : quicumque autem juraverit in dono quod est super illud, debet.

Cæci ! Quid enim majus est ? donum an altare quod sanctificat donum ?

Qui ergo jurat in altari, jurat in eo et in omnibus quæ super illud sunt.

Et quicumque intraverit in templo jurat in illo et in eo qui habitat in ipso.

Et qui jurat in cœlo, jurat in thronum Dei et in eo qui sedet super eum. »

Hic ponit duo væ contra veritatem justitiæ mandatorum. Primum est contra rectitudinem juramenti, quod est finis controversiæ ad confirmationem inter homines : secundum est de comparatione mandatorum, in qua præfertur minus majori : et hoc etiam fit in juramento, sicut patebit. Non enim audebant aperte docere contra mandata

quia sic non fuissent hypocritæ. Sed contra ordinem mandatorum docebant, propter quæstum minora majoribus dicentes esse præferenda.

In primo autem, quod est contra ordinem juramentorum, tangit duo : falsitatis objurgationem, et veritatis doctrinam.

Falsitatis autem objurgationem tangit dupliciter penes duo juramenta, in auro templi, et in dono altaris.

Utrumque autem tangit dupliciter : primo enim maledicit errorem, et secundo convincit per rationem.

Dicit igitur : « *Væ vobis !* » Isa. x, 1, 2 : *Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes injustitias scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei !*

« *Duces cæci.* » Ad Roman. II, 19 : *Confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt.* Docentes enim alios duxerunt in cæcitatem justitiæ. Isa. LVI, 10 : *Speculatores ejus cæci omnes.* Matth. XV, 14 : *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

« *Qui dicitis : Quicumque juraverit per templum, nihil est.* » Traditio enim vim legis habens, fuit data a Pharisæis, quod in contentionibus non juraretur per templum : et si quis juraret per templum, quod non valeret, nec teneret juramentum. Si autem juraret per aurum quod offerebatur in templo, quod hoc juramentum teneret. Et si convinceretur de perjurio, solveret tantum auri quantum fuit per quod juravit : et hoc aurum solvebatur Sacerdotibus et Pharisæis. Et hoc est, quod dicit. Contra hoc autem est quod dicitur, Genes. XXVIII, 17 : *Quam terribilis est locus iste ! non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli.* Et, ibidem, ℣. 16 : *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.* »

« *Qui autem juraverit in auro templi,* » quod in auro fertur ad ornandum templum, « *debet,* » hoc est, obligatur. Vel, « *debet* » hoc solvere per quod jurat. Voluerunt forte implere, quod dixit David : *Domine, dilexi decorem domus tuæ*[1]. Aggei, II, 9 et 10 : *Meum est argentum, et meum est aurum. Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ.*

« Stulti, »

Per superbiam stantes in alto, « *et cæci,* » per errorem. « *Quid enim majus est ? aurum,* » sanctificatum, « *an templum,* » sanctificans, « *quod sanctificat aurum ?* » Regula enim est per se nota, quam scribit Apostolus, ad Hebr. VII, 7 : *Sine ulla contradictione, quod minus est a meliore benedicitur :* et ideo stulti sunt et cæci, qui contra hoc aliquid dicunt. Deuter. XXXII, 5 et 6 : *Generatio prava atque perversa ! Hæccine reddis Domino, populе stulte et insipiens ?* Isa. XLII, 19 : *Quis cæcus, nisi qui venumdatus est,* scilicet ut faciat malum ? Et, ibidem : *Quis cæcus nisi servus Domini ?*

« Et quicumque juraverit in altari, nihil est. »

Hoc est, non tenetur perjurii obnoxius: Et nota, quod templum locus fuit propitiationis hominum, sicut patet, III Reg. VIII, per totum. Altare autem locus fuit sanctificationis eorum quæ sunt propter hominem homini concessa.

« *Quicumque autem juraverit in dono quod est super illud, debet,* » hoc est, tenetur solvere : patet littera per antedicta. Isa. LX, 7 : *Offerentur super placabili altari meo, et domum majestatis meæ glorificabo.*

« Cæci ! »

I Reg. XI, 2 : *In hoc feriam vobiscum*

[1] Psal. XXV, 8.

fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros.

« *Quid enim majus est,* » in sanctitate, « *donum,* » oblationis, « *an altare quod sanctificat donum ?* » Expone sicut prius. Hieronymus dicit, quod « huic simile, « quid nunc majus esse juramentum : « per Evangelium, quam per Deum : et « magis timent perjurium in Evangelio « quam in Deo jurantes, »

« Qui ergo jurat. »

Traditio est veritatis. Et dicit tria : addit enim cœlum duobus præinductis : quia templum typus est cœli, sicut dicit Damascenus.

Dicit igitur : « *Qui ergo jurat in altari,* » cujus sanctitas causat sanctitatem doni, « *jurat in eo* » quidem, « *et in omnibus quæ super illud sunt,* » quia non habent sanctitatem nisi altaris. Licet enim multa sint, tamen una est forma sanctitatis, per quam juratur. Differunt tantum per causam et causatum : et ideo major est in altari.

« Et quicumque juraverit in templo, »

« *Jurat* » quidem « *in illo,* » non absolute, sed jurat « *in eo qui habitat in ipso,* » hoc est, in Deo, ad quem referunt juramenta : quia ipse est qui sanctificat templum. Psal. x, 5 : *Dominus in templo sancto suo.* Psal. xlv, 5 : *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.*

« Et qui jurat in cœlo. »

Hoc addit : quia templum est typus cœli. « *Jurat in throno Dei.* » Nec ibi sistit, quia veritas divina confirmat juramentum. Et ideo subdit : « *Et in eo qui sedet super eum.* » Supra, v, 34 : *Neque per cœlum juraveritis, quia thronus Dei est.* Psal. xliv, 7 : *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : virga directionis virga regni tui.*

« Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, et anethum, et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem. Hæc oportuit facere, et illa non omittere.

Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem gluttientes. »

Secundum væ de erronea mandatorum comparatione, quæ causata est ex avaritia. Et dicit tria : maledictionis interminationem, veritatis eruditionem, et cæcitatis objurgationem.

Circa primum dicit duo, curam videlicet, quam habent de minimis ad quæstum pertinentibus, et incuriam de maximis ad cultum Dei ordinatis.

Dicit ergo : « *Væ vobis !* » Isa. xxix, 15 : *Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium : quorum sunt in tenebris opera, et dicunt : Quis videt nos ?*

« *Scribæ et Pharisæi hypocritæ.* » Job, viii, 11 : *Numquid virere potest scirpus absque humore ? aut crescere carectum sine aqua ?* Scirpus extra viret et intus vacuus est, et similiter carectum : et ideo quærit refrigerium insipidum vanæ laudis, et lucri temporalis.

« *Qui decimatis.* » Ecce perversitas hypocrisis. Et exponit Chrysostomus, « *decimatis,* » hoc est, decimas datis de minimis, ut a Sacerdotibus justi prædicemini. Luc. xviii, 11 et 12 : *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri : velut etiam hic publicanus. Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.* Hieronymus exponit, « *decimatis,* » hoc est, decimas exigitis. Et prior expositio magis est secundum litteram.

« *Mentham.* » Mentha est minimum in oleribus, « *et anethum, et cyminum,* » quæ sunt minima in granis, sive seminibus. Hoc enim olusculo, et seminibus pauperes utuntur potius in condimentum quam in cibum : et tales a morali Philo-

sopho κυμβικες, hoc est, granorum cymini computatores vocantur [1] : et dicuntur græce μικροκινδυνοι, hoc est, in parvissimis magnam vim facientes. Bernardus : « Optimi videlicet æstimatores re- « rum, qui magnam de minimis, et nul- « lam penitus, vel parvam de maximis » curam gerunt. Cadit asina, et habet « sublevantem ; perit anima, et non est « qui recogitet in corde suo. » Luc. XIV, 5 : *Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabbati* ? Et etiam, Luc. XIII, 15 et 16 : *Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum aut asinum a præsepio, et ducit adaquare* ? *Hanc autem filiam Abrahæ... non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati ?*

« *Et relinquitis quæ graviora,* » in pondere meriti, et reatu omissionis, « *sunt legis.* » Hoc etiam expresse faciunt Prælati et Sacerdotes nostri temporis. Jerem. VI, 13 : *A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student.* Habacuc, II, 9 : *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus !* Isa. LVI, 11 : *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam : omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam.*

Et enumerat tria, quæ maxime ordinant communitates hominum. Proximus enim aut ordinatur secundum æquum : et sic est « *judicium.* » Aut secundum defectus supplementum : et tunc est « *misericordia.* » Aut secundum veritatem : et tunc est « *fides,* » quæ est inter homines sine deceptione mendacii. Fides enim componitur a fieri et dicta : et quando dicta complentur, fides servatur. De judicio dicitur, Isa. LIX, 14 : *Conversum est retrorsum judicium, et justitia longe stetit : quia corruit in platea veritas, et æquitas non potuit ingredi.* De judicio similiter et fide, Jerem. V, 1 : *Quærite in plateis Jerusalem, an inveniatis virum facientem judicium, et quærentem fidem.* De misericordia, Proverb. III, 3 : *Misericordia et veritas non te deserant.* Jerem. L, 42 : *Crudeles sunt et immisericordes.* De fide, Jerem. VII, 28 : *Periit fides, et ablata est de ore eorum.* Isa. I, 23 : *Principes tui infideles, socii furum : omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.*

« Hæc oportuit facere. »

Confitetur hic, et docet veram mandatorum comparationem, dicens : « *Hæc,* » scilicet judicium et misericordiam et fidem, « *oportuit,* » præcepti necessitate et coactione legis, » *facere.* » Michææ, VI, 8 : *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Deus requirat a te : utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.*

« *Et illa,* » hoc est, solutiones decimarum, « *non omittere,* » necessitate sustentationis ministrorum. Malach. III, 10 : *Inferte omnem decimam in horreum, et sit cibus in domo mea.*

« Duces cæci. »

Ecce objurgatio. Supra, XV, 14 : *Cæci sunt, et duces cæcorum.*

« *Excolantes culicem et camelum glutientes.* » Culex parvarum muscarum est genus quoddam ab aculeo quem ore gestat, sic vocatum : et nascitur exhalatione humorum : et est metaphora, quod sicut in potu facile gluttitur, ita facile transiverunt magnas vitiorum deformitates, quæ per camelum deforme et gibbosum animal et magnum designantur, ut ubi tangebat aliquod eorum damnum, ibi etiam in parvis multum mordebant et colabant. Supra, XV, 3 : *Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram ?* Majorem enim vim

[1] Vel melius, κομμοκιμβιξ, ικος, avarus.

fecerunt in non lotis manibus manducare, quam in fornicatione.

25 « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ: quia mundatis quod deforis est calicis et paropsidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia.

26 Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat id quod deforis est mundum. »

Tangit hic ea quæ sunt contra vitæ veritatem, secundum quod veritas vanitati opponitur. Et hoc est in tribus, scilicet in vanitate observantiarum, et in vanitate exterioris compositionis, et in jactantia sermonis et sanctitatis : et quoad hæc tria per ordinem sunt tria væ.

De primo dicit duo, maledictionem videlicet, et objurgationem.

De maledictione dicit : « *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi.* » Attende, quod præcedentia væ magis fuerunt contra doctrinam, quæ est Scribarum : subsequentia autem magis sunt contra apparentiam vanam, quæ est Pharisæorum.

Dicit igitur : « *Væ vobis,* etc. » Sophon. III, 1 : *Væ provocatrix, et redempta civitas, columba !* Extra enim est columba, intus milvus.

« *Quia mundatis quod deforis est calicis.* » Metonymia est, contentum pro continente. Jerem. LI, 7 : *Calix aureus Babylon in manu Domini.* Amos, VI, 6 : *Bibentes vinum in phialis.*

« *Et paropsidis.* » A paribus absidibus dicitur paropsis [1] : et est vas de tabulis æqualibus factum, sicut picaria, vel tina. Marc. VII, 3 et 4 : *Pharisæi et omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant...: et a foro,* scilicet venientes, *nisi baptizentur, non comedunt.* Et hæc observantia exterioris munditiæ non vituperatur nisi per comparationem ad interiorem immunditiam, quæ non curabatur ab eis.

Et hoc est quod sequitur : « *Intus autem pleni estis rapina.* » Isa. III, 14 : *Rapina pauperis in domo vestra.* Nahum, II, 12 : *Implevit præda speluncas suas, et cubile suum rapina.*

« *Et immunditia* » carnali, quia dicebant legem non prohibere animam, sed manum : et ideo erant in concupiscentiis venereorum continue. Ezechiel. XIV, 3 : *Fili hominis, viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis.* Daniel, XIII, 56 : *Semen Chanaan, et non Juda, species decepit te : et concupiscentia subvertit cor tuum.*

« Pharisæe cæce.»

Objurgatio est cum doctrina recti ordinis. Thren. IV, 14 : *Erraverunt cæci in plateis, polluti sunt in sanguine.*

« *Munda prius quod intus est calicis et paropsidis,* » hoc est, cordis ex quo propinanda est sapientia, et offerendus cibus virtutis. Jerem. IV, 14 : *Lava a malitia cor tuum, Jerusalem, ut salva fias.* Isa. I, 16 : *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.*

« *Ut fiat id quod deforis est mundum.* » Ecce quod exteriorem munditiam non vituperat. Ad Titum, I, 15 : *Omnia munda mundis : coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum.*

27 « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia.

Sic et vos a foris quidem paretis ho-

[1] Vel melius a παροψίς (παρά, ὄψον). Dicitur etiam *parapsis.*

minibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. »

Secundum væ, quod est in vanitate exterioris compositionis cum interiori immunditia vitiorum. Et dicit duo : maledictionem sub metaphora, et ejusdem metaphoræ explanationem.

Dicit igitur : « *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ.* » Eccli. II, 14 : *Væ duplici corde, et labiis scelestis, et manibus malefacientibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis !*

« *Qui similes estis sepulcris dealbatis.* » Cui dealbationi comparatur exterior compositio hypocritæ. Pinguntur enim in sepulcris pulchræ imagines, et magnorum factorum, et heroum magnalia. Psal. LXVII, 7 : *Qui exasperant, qui habitant in sepulcris.* Isa. XXII, 16 : *Excidisti tibi hic sepulcrum.* Isa. XI, 10 : *Erit sepulcrum ejus gloriosum.* Unde cuidam tali dixit Paulus, Act. XXIII, 3 : *Percutiet te Deus, paries dealbate.*

« *Quæ a foris apparent hominibus speciosa.* » Proverb. XXXI, 30 : *Fallax gratia, et vana est pulchritudo.*

« *Intus vero plena sunt ossibus mortuorum,* » per quæ significatur robur ad peccandum et duri cordis obstinatio. Ezechiel. XXXII, 27 : *Iniquitates eorum in ossibus eorum.*

« *Et omni spurcitia,* » quantum ad carnis desideria. Psal. V, 11 : *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant.* Psal. XIII, 3 : *Venenum aspidum sub labiis eorum.* Isa. XIV, 19 : *Tu projectus es de sepulcro tuo quasi stirps pollutus et obvolutus.*

« Sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi, »

In exteriori corporali compositione, et virtutis similitudine. Et est explanatio præinductæ metaphoræ. II ad Timoth. III, 25 : *Erunt homines seipsos amantes .., habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Contra quod dicit, Psal. XLIV, 14 ; *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* Et, Cantic. I, 4 : *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Tabernacula enim Cedar intus pulchra, et extra sunt horrida : et pelles quas fecit Salomon ad tegendam arcam, intus erant auratæ et fulgentes gemmis, et extra turpes.

« *Intus autem pleni estis hypocrisi.* » I ad Timoth. IV, 1 : *Spiritus manifeste dicit, quia in novissimis diebus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium.*

« *Et iniquitate,* » scilicet contra proximum. Ezechiel. VII, 23 : *Civitas plena iniquitate.* Psal. LXXIII, 7 : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum : transierunt in affectum cordis.*

« Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hy- **29**
pocritæ, qui ædificatis sepulcra Prophetarum, et ornatis monumenta justorum.

Et dicitis : Si fuissemus in diebus **30**
patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum.»

Tertium est væ contra veritatem vitæ, quod est propter falsam sermonis jactantiam. Et habet partes duas : in quarum prima ponit maledictionem cum objurgatione : et in secunda, convincit jactantiam esse mendacem, ibi, ℣. 34 : « *Ideo ecce ego ad vos mitto,* etc. »

In prima harum partium tria continentur, interminatio videlicet maledictionis pro jactantia operis et sermonis, et ostentio vanitatis et falsitatis, et objurgatio criminis.

Adhuc, primum horum duo habet, scilicet maledictionem pro jactantia operis, et pro jactantia sermonis.

Dicit igitur : « *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ.* » Sophon. II, 3 ;

Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum !

« *Qui,* » per sanctitatis jactatum amorem, « *ædificatis,* » solemnibus saxis, « *sepulcra Prophetarum,* » in quibus fuit excellens divinæ voluntatis revelatio. Psal. LXXXVIII, 20 : *Tunc locutus es in visione sanctis tuis.* Osee, XII, 10 : *Ego visionem multiplicavi, et in manu Prophetarum assimilatus sum.*

« *Et ornatis,* » decoris picturis et coloribus, « *monumenta :* » dicta quasi monimenta, eo quod tituli ponebantur in talibus bustis et tumulis, « *justorum,* » in quibus fuit excellens divina bonitas.

« Et dicitis. »

Ecce jactantia sermonis. « *Si fuissemus in diebus patrum nostrorum,* » homicidarum, « *non essemus socii eorum,* » per consensum, « *in sanguine* » effuso « *Prophetarum.* » Psal. LXXVIII, 3 : *Effuderunt sanguinem servorum tuorum, tamquam aquam in circuitu Jerusalem.* Act. VII, 52 : *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri ? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis.*

81 « Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum qui Prophetas occiderunt.

82 Et vos implete mensuram patrum vestrorum.

83 Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ ? »

Ecce confutatio per ostensionem vanæ et planæ falsitatis. Dicit autem duo : primo enim confutat : et secundo, confutationem per id quod anima de sua occisione conceperat, prædicit.

Dicit igitur : « *Itaque,* » ex quo illos confitemini patres qui Prophetas occiderunt, « *testimonio estis vobismetipsis,* » hoc est, contra vosmetipsos : per hoc jam tractatis qualiter Dominum prophetarum occidatis, et discipulos ejus : « *quia estis,* » per imitationem, « *filii eorum qui Prophetas occiderunt.* » III Reg. XIX, 10 : *Altaria tua detruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam.*

« *Et vos implete,* » hoc est, implebitis, sicut, Joan. II, 19 : *Solvite templum hoc,* id est, solvetis. Et est prædictio futuri homicidii, per quod probantur filii homicidarum.

« *Mensuram.* » Hoc enim solum deest, quod non est plena, quia Dominus Prophetarum est occidendus : et tunc mensuræ plenæ respondebit destructionis et abjectionis pœna. I ad Thessal. II, 16 : *Ut impleant peccata sua semper.* Genes. XV, 16 : *Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.*

« *Patrum vestrorum.* » Ezechiel. XVI, 3 et 4 : *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa. Et quando nata es, in die ortus tui, non est præcisus umbilicus tuus.* Adhuc enim adhæres ventri homicidarum. Isa. I, 4 : *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis !*

« Serpentes. »

Objurgatio est criminis. Serpentes autem sunt morsu linguæ, quo crucifigunt Christum. Eccle. X, 11 : *Si mordeat serpens in silentio, nihil minus habet qui occulte detrahit.* Serpens enim morsu pejor est quam vipera : et ideo serpentes sunt in morsu Christi.

« *Genimina viperarum :* » venenati venenatorum filii in occisione Apostolorum, quam jam meditamini, sicut patres vestri prophetas occiderunt. Supra, III, 7 : *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira ?*

« *Quomodo fugietis,* » falso nomine jactatæ justitiæ, « *a judicio gehennæ ?* » quod erit secundum cordis scru-

tationem, et non secundum exteriorem jactantiam. Sophon. I, 12 : *Scrutabor Jerusalem in lucernis.* Apocal. XX, 12 : *Libri aperti sunt : et alius Liber apertus est, qui est vitæ : et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris.*

34 « Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas.

Hic convincit jactantiam esse mendacem. Et tangit duo, scilicet quod occisores sunt Prophetarum, et ingrati maximis beneficiis Domini : et ideo exterminandi, ibi, ℣. 37 : « *Jerusalem Jerusalem.* »

In prima harum partium sunt tres paragraphi : in quorum primo continetur beneficium missionis Apostolorum : in secundo, maleficium occisionis : in tertio, justitia vindicationis. Et hæc patent in littera.

Nota autem quod excellentia scientiæ non est nisi tribus modis, scilicet in accipiendo, et in scito, et in generalitate sciendi. Excellentia autem in acceptione scientiæ est in propheta : in scito autem excellentia est in sapiente : quia « sapiens « est qui scit ea quæ difficile est homini « scire propter sciti altitudinem, » ut dicit Philosophus : et hic est, qui scit divina per experimentum divinorum. Excellentiam autem in generalitate sciendi est in Scriba, qui, sicut dixit Hieronymus, « est in tota lege doctissimus. » In primo horum, prædicatio fidei habet certitudinem : ex secundo, saporem : et ex tertio, probationem : et his tribus perficitur prædicator fidei.

Dicit igitur : « *Ideo.* » Quia dicitis vos non esse socios patrum homicidarum, « *ideo,* » ut ostendam vos esse mendaces, « *ecce,* » in proximo, « *ego mitto ad vos.* » Luc. X, 3 : *Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.* Matth. X, 16 : *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.*

« *Prophetas* » Act. XIII, 1 : *Erant in Ecclesia quæ erat Antiochiæ, Prophetæ, et Doctores.* Joel, II, 28 : *Prophetabunt filii vestri, et filiæ vestræ* [1]. I ad Corinth. XIV, 29, 31 : *Prophetæ duo aut tres dicant, et cæteri dijudicent... Potestis enim omnes per singulos prophetare, ut omnes discant, et omnes exhortentur.*

« *Sapientes,* » qui de magnis et arduis dicant, sicut sunt cœlestia. Proverb. VIII, 6, dicit sapientia : *De rebus magnis locutura sum.* I ad Corinth. II, 6 et seq. : *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur : sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est..., quam nemo principum hujus sæculi cognovit.*

« *Et Scribas,* » in lege doctissimos, Spiritu sancto docente. Act. XXVI, 24, dixit Festus : *Insanis, Paule : multæ te litteræ ad insaniam convertunt.* Daniel. XII, 3 : *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

« Et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem. »

Hic tangit istorum filiorum paternam imitationem. Et tangit duo genera pœnarum, mortis scilicet et afflictionis.

Mortis autem duo genera, quorum unum simplicem dicit mortis mulctam : aliud autem supra mulctam mortis cumulum addit confusionis. Similiter afflictiones sunt captorum, et capiendorum : captorum quidem flagellatio, capiendorum persecutio. Et hoc est : « *Et ex illis occidetis,* » sicut duos Jacobos : unum procuraverunt occidi per Herodem. Act.

[1] Cf. Act. II, 16 et 17.

XII, 2 : *Occidit autem Jacobum, fratrem Joannis, gladio.* Alterum præcepit occidi Pontifex in templo pertica fullonis.

« *Et crucifigetis,* » confusionem addendo mortis horrori ; ut Petrum, et ipsum Dominum, et Andream: et multos alios. Ad Hebr. XII, 2 : *Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.*

« *Et ex eis flagellabitis,* » quæ est mulcta sine morte. II ad Corinth. XI, 24 : *A Judæis quinquies, quadragenas, una minus accepi.* Act. V, 41 : *Ibant,* scilicet Apostoli flagellati, *gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.*

« *In synagogis vestris,* » ubi major est confusio. Apocalyps. II, 9 : *Blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ.*

Et persequemini, » non captos, sed spoliatos, « *de civitate in civitatem.* » Supra, X, 23 : *Cum persequentur vos in civitate ipsa, fugite in aliam.* I ad Corinth. IV, 12 : *Persecutionem patimur, et sustinemus.*

35 « Ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare.

36 Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. »

« *Ut veniat super vos.* » *Ut* notat hic consecutionem, non causam : et tangit hic ex dictis cumulum damnationis eorum ex multo reatu sanguinis. Et dicit duo : reatus cumulum ex operibus eorum : et quia futura hæc adhuc sunt, ideo asserit ea pro certo ventura et complenda.

Dicit ergo : « *Ut veniat,* » per cumulum reatus. II Machab. VI, 15 : *Ut peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet.*

« *Super vos,* » opprimendos sicut massa. Psal. XXXVII, 5 : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Hoc est enim *onus vallis visionis* [1].

« *Omnis sanguis,* » hoc est, reatus sanguinis. II Machab. VIII, 3 et 4 : *Et vocem sanguinis ad se clamantis audiret... : et indignaretur super his.*

« *Qui effusus est super terram.* » Job, XVI, 19 : *Terra, ne operias sanguinem meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus.*

« *A sanguine Abel justi,* » quem occidit primus hujus generationis pater Cain [2]. « *Usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ.* » Zacharias fuit filius Joiadæ sacerdotis, qui pro prærogativa justitiæ suæ Barachias, hoc est, *benedictus Domini* cognomento dicebatur. II Paralip. XXIV, 20 et 21 : *Spiritus Dei induit Zachariam, filium Joiadæ sacerdotem : et stetit in conspectu populi, et dixit eis : Hæc dicit Dominus Deus : Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, et dereliquistis Dominum ut derelinqueret vos ? Qui congregati adversus eum, miserunt lapides juxta regis imperium in atrio domus Domini.*

Et hoc est, quod sequitur : « *Quem occidistis inter templum,* » hoc est, templi frontem exteriorem, « *et altare* » holocaustorum.

Et quia aliquis posset dicere, quod isti non fecerunt hoc : ideo subsequenter asserit omnes istos, et illos de una esse generatione dicens :

« Amen dico vobis, »

Quia in veritate talis vindicta sequetur, « *venient hæc omnia.* » Licet non in tempore eorum facta sint, quia tamen per istos complentur malitiæ prætenden-

[1] Cf. Isa. XXII, 1.

[2] Cf. Genes. IV, 8.

tium. Isa. III, 11 : *Væ impio in malum ! retributio enim manuum ejus fiet ei.*

« *Super generationem istam* » pessimam. Psal. LXXVII, 8 : *Generatio prava et exasperans. Generatio quæ non direxit cor suum, et non est creditus cum Deo spiritus ejus.* Sicut enim generatio est rectorum, quæ benedicetur, quæ non est in uno tempore : ita etiam malorum.

37 « Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ! »

Hic ostendit etiam ad malos suæ dilectionis effectum et affectum, et illorum ingratitudinem et malitiam. Et dicit tria : primum est pertinax judaicæ perversitatis malitia contra beneficum revocantem : secundum est ostensio suæ dilectionis etiam nolenti : tertium est conclusio capituli de justa vindicta, quæ procedet in eos. Et hæc patent in littera.

De primo dicit : « *Jerusalem, Jerusalem.* » Geminatio notat compassionis affectum. Vel, quia dixerat de patribus viperis, et filiis serpentibus in malitia convenientibus, significans utrumque successione, per metonymiam nomen civitatis ingeminat, continens ponens pro contento. Luc. XIX, 41 et 42 : *Videns Dominus civitatem Jerusalem, flevit super illam, dicens : Quia si cognovisses et tu.*

« *Quæ occidis prophetas.* » III Reg. XIX, 1, Jezabel occidit prophetas Domini : « *et lapidas eos qui* » ex magna charitate, « *ad te missi sunt.* » Supra, XXII, 6 : *Tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt.* Act. VII, 59 : *Lapidabant Stephanum,* ejectum scilicet extra civitatem. Ad Hebr. XI, 36 et 37 : *Alii ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres : lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt.*

« *Quoties volui,* » hoc est, quotiescumque volui. Et est ostensio dilectionis etiam nolentibus et reluctantibus.

« *Congregare,* » in unum cor, et unam animam, sicut erat multitudinis credentium[1]. Psal. CXLVI, 2 : *Dispersiones Israelis congregabit.* Ezechiel. XI, 17 : *Congregabo vos de populis, et adunabo de terris in quibus dispersi estis.*

« *Filios tuos,* » quos ex semine meo, hoc est, ex verbo legis genuisti.

« *Quemadmodum gallina congregat.* » Gallina quæ etiam non suos fovet et congregat et infirmatur ad pullos, ita ut vox acuatur, et sibi cibum subtrahens pullis ministrat, et periculis se pro pullis exponit, et eos ad vitalem suum calorem sub pennis congregat. De primo horum, Supra, XI, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis.* De secundo, II ad Corinth. XI, 29 : *Quis infirmatur, et ego non infirmor ?* De tertio, Joan. VI, 56 : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* De quarto, Joan. XVIII, 8 et 9 : *Si me quæritis, sinite hos abire. Ut impleatur sermo quem dixit : Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* De quinto, Psal. CV, 47 : *Congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomini sancto suo, et gloriemur in laude tua.*

« *Congregat pullos sub alas.* » Psal. LVI, 2 : *In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Deuter. XXXII, 11 : *Expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.*

« *Et noluisti,* » hoc est, etiam quos congregavi, te nolente, et reluctante congregavi. Joan. V, 40 : *Non vultis venire*

[1] Cf. Act. IV, 32 : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.*

ad me ut vitam habeatis : et ideo justa vos consequitur condemnatio.

Et hoc est :

38 « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

39 Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini. »

« *Ecce relinquetur vobis,* » non mihi de cætero, « *domus,* » scilicet templum, « *vestra,* » non mea, « *deserta.* » Jerem. XII, 7 et 8 : *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam.... Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva : dedit contra me vocem.* Isa. I, 7 : *Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni : regionem vestram coram vobis alieni devorant, et desolabitur sicut in vastitate hostili.* Jerem. LI, 9 : *Derelinquamus eam, et eamus unusquisque in terram suam.* In ecclesiastica historia legitur, quod auditæ sunt voces in templo dicentes : Transeamus ab his sedibus.

Probatio autem quod deserta erit, est quia

« Dico vobis, non me videbitis amodo, »

A tempore passionis, « *donec dicatis,* » in secundo adventu : « *Benedictus* » est, in quo non est nisi benedictio, « *qui venit in nomine Domini,* » in quo nihil nisi nomen et notitia Dei apparuit, quem Pater misit ad nomen suum clarificandum : et tunc tarde dicetis. Luc. XXI, 27 : *Videbunt Filium hominis venientem in nube.* Zachar. XII, 10 : *Adspicient ad me quem confixerunt.* Apocal. I, 7 : *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Isa. XXX, 27 : *Ecce nomen Domini venit de longinquo : ardens furor ejus et gravis ad portandum.* Hæc est expositio Chrysostomi. Hieronymus autem exponit de ultima conversione Judæorum, quando videntes se ab Antichristo esse deceptos, convertentur et confitebuntur Filium Dei esse Jesum, et benedictum qui venit in nomine Domini, prodens multis signorum experimentis notitiam Patris. Psal. LVIII, 15 : *Famen patientur ut canes : et circuibunt civitatem.* Isa. X, 22 : *Si fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo.*

Sic igitur terminatæ sunt interminationes maledictionum, etc.

CAPUT XXIV.

Prædicit templi eversionem, monetque ut caveant a venturis seductoribus, futura prænuntians bella ac persecutiones : surgent pseudochristi et pseudoprophetæ : de adventu Filii hominis præcedentibus signis in sole, luna et stellis : omnibus ignotum dicit Christus diem judicii : et de fideli ac malo servo : propter quæ docet semper esse vigilandum.

1. Et egressus Jesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli ejus [1], ut ostenderent ei ædificationes templi.
2. Ipse autem respondens dixit illis : Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur [2].
3. Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes : Dic nobis quando hæc erunt? et quod signum adventus tui et consummationis sæculi?
4. Et respondens Jesus, dixit eis : Videte ne quis vos seducat [3].
5. Multi enim venient in nomine meo, dicentes : Ego sum Christus : et multos seducent.
6. Audituri enim estis prœlia, et opiniones prœliorum. Videte ne turbemini : oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis.
7. Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum : et erunt pestilentiæ, et fames, et terræmotus per loca.
8. Hæc autem omnia initia sunt dolorum.
9. Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos [4] : et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.
10. Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem.
11. Et multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos.
12. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.
13. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.
14. Et prædicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus : et tunc veniet consummatio.
15. Cum ergo videritis abominationem desolationis [5], quæ dicta est a aniele propheta [6], stantem in loco sancto, qui legit intelligat.
16. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes :
17. Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua :
18. Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.
19. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus!

[1] Marc. XIII, 1 ; Luc. XXI, 5.
[2] Luc. XIX, 44.
[3] Ad Ephes. V, 6 ; ad Coloss. II, 18.
[4] Supra, X, 17 ; Luc. XXI, 12 ; Joan. XV, 20 et XVI, 2.
[5] Marc. XIII, 14 ; Luc. XXII, 20.
[6] Daniel. IX, 27.

20. Orate autem ut non fiat fuga vestra in hieme, vel sabbato [1].
21. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.
22. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro : sed propter electos breviabuntur dies illi.
23. Tunc si quis vobis dixerit [2] : Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere.
24. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia : ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.
25. Ecce prædixi vobis.
26. Si ergo dixerint vobis : Ecce in deserto est, nolite exire : ecce in penetralibus, nolite credere.
27. Sicut enim fulgur exit ab Oriente et paret usque in Occidentem, ita erit et adventus Filii hominis.
28. Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ [3].
29. Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur [4], et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur :
30. Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo : et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate [5].
31. Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna [6] : et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum.
32. Ab arbore autem fici discite parabolam : cum jam ramus ejus tener fuerit et folia nata, scitis quia prope est æstas :
33. Ita et vos, cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis.
34. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.
35. Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt [7].
36. De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater.
37. Sicut autem in diebus Noe [8], ita erit et adventus Filii hominis.
38. Sicut enim erant in diebus ante diluvium, comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem quo intravit Noe in arcam.
39. Et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes : ita erit et adventus Filii hominis.
40. Tunc duo erunt in agro : unus assumetur et unus relinquetur.
41. Duæ molentes in mola : una assumetur et una relinquetur.
42. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.
43. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset [9], vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.
44. Ideo et vos estote parati, quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est.

[1] Act. I, 12.
[2] Marc. XIII, 21 ; Luc. XVII, 23.
[3] Luc. XVII, 37.
[4] Isa. XIII, 10 ; Ezechiel. XXXII, 7 ; Joel, II, 10 et III, 15 ; Marc. XIII, 24 ; Luc. XXI, 25.
[5] Apocal. I, 7.
[6] I ad Corinth. XV, 52 ; I ad Thessal. IV, 15.
[7] Marc. XIII, 31.
[8] Genes. VII, 7 ; Luc. XVII, 26.
[9] Marc. XIII, 33 ; Luc. XII, 39.

45. Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?
46. Beatus ille servus quem, cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem [1].
47. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.
48. Si autem dixerit malus servus ille in corde suo : Moram facit dominus meus venire :
49. Et cœperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriosis :
50. Veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua ignorat,
51. Et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis : illic erit fletus et stridor dentium [2].

IN CAPUT XXIV MATTHÆI.

ENARRATIO.

1 « Et egressus Jesus de templo ibat : et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi.

2 Ipse autem respondens dixit illis : Videtis hæc omnia Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur. »

Descripta sufficienter causa destructionis Judæorum et abjectionis, hic tangit prædicationem modi destructionis eorum : et in modo destructionis et excidii Judææ includit signa, et modum consummationis sæculi, et adventus sui : propter quamdam Discipulorum suorum quæstionem.

Dividitur ergo capitulum totum in duas partes : in quarum prima more historiographi tangit opportunitatem congruam, qua venit ad ista prædicenda : in secunda autem ipsam texit seriem prædictionis, ibi, ℣. 3 : « *Et respondens Jesus*, etc. »

In prima harum sunt quatuor paragraphi : in quorum primo continetur signum indignationis suæ ad templum, quo jam quasi minabatur excidium futurum : in secundo, ex hoc inducti discipuli describuntur ostendere ædificationes firmas templi, quæ ruinam non paterentur subito et de facili : in tertio, universalis prædictio ruinæ ostenditur discipulis a Domino : et in quarto, ex hoc dicto occasionata quæstio triformis a discipulis Domino proponitur, propter quam terminandam, tota sequens inducitur narratio. Et hæc patent in littera.

De primo igitur dicit : « *Et egressus.* » Quia enim dixerat : « *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* [3], » voluit hoc corporali signo ostendere. Et ideo, « *egressus Jesus*, » qui sanctificator erat templi, « *de templo ibat*, » indignatus de perversitate eorum qui disponebant templi cultus. Ezechiel. III, 12 : *Benedicta gloria Domini de loco suo*, supple, recessit. Et, ibidem, ℣. 14 : *Abii amarus in indignatione spiritus mei.* Osee, V, 6 : *Ablatus est ab eis.* Nec dicitur quo ibat, ut significetur quod jam in dispersionem gentium præmeditabatur ire, et docturus gentes. Joan. VII, 35 : *Numquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes?*

« *Et*, » videntes jam discipuli signa indignationis ejus ad templum, « *accesserunt*, » scientes quod sancta non com-

[1] Apocal. XVII, 15.
[2] Supra, XIII, 42 ; Infra, XXV, 30.
[3] Cf. ℣. 38 capitis præcedentis.

municaret canibus [1], familiarius adjungentes se : quia dixerat, Supra, XIII, 11 : *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum,* sed tantum in parabolis.

« *Discipuli ejus.* » De quibus, Joan. XV, 15 : *Vos dixi amicos : quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.*

« *Ut ostenderent ei ædificationes templi :* » quam sumptuosæ essent, et quam fortes : nec ut ignoranti ostenderent, sed ut ipsa ostensione præloquerentur, ut aliquid futurum circa templum de indignatione quam prætendebat, prænuntiaret. Unde, Marc. XIII, 3 : *Interrogabant eum separatim Petrus, et Jacobus, et Joannes, et Andræas,* qui majores erant zelatores doctrinæ futurorum. Quærebant pro omnibus aliis. In signum ejus, quod dictum est, dicitur, Marc. XIII, 1, quod unus discipulorum dixit : *Magister, adspice quales lapides, et quales structuræ!* Quasi diceret : Multa virtus requiritur ad hoc quod deserta remaneat, sicut jam indignatio tua præloquitur.

« Ipse autem respondens dixit illis. »

Ad animum enim respondet *scrutans corda et renes Deus* [2] ; quia, sicut dicitur, I Regum, XVI, 7 : *Dominus intuetur cor.*

« *Videtis hæc omnia?* » tam ædificium, quam cultum, et cultores.

« *Amen dico vobis.* » Confirmatio est futuræ prophetiæ : « *non relinquetur hic,* » in isto loco, « *lapis super lapidem,* » quia a fundamentis evertetur, « *qui non destruatur* » destructione tali, quod non tantum præcipitentur, sed etiam lapides conterantur, et comburantur in pulverem. Jerem. XXVI, 6 : *Dabo domum istam sicut Silo, et urbem hanc dabo in maledictionem.* Isa. XVII, 1 : *Desinet esse civitas, et erit sicut acervus lapidum in ruina.* Isa. XXXIV, 11 : *Extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum, et perpendiculum ad desolationem.* Luc. XIX, 43 et 44 : *Circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.*

« Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes : Dic nobis, quando hæc erunt? et quod signum adventus tui et consummationis sæculi? » 3

Hic vult ponere ordinem quæstionis. Et tangit tria : opportunitatem videlicet respondendi ex loco acceptam, et positionem respondentis Domini : et dignitatem quærentium, qui merentur ut respondeatur eis : et ordinem ipsius quæstionis.

Ex parte autem Domini, a quo quærendum est, duo tanguntur : positio corporis, et locus.

De positione corporis dicit : « *Sedente autem eo.* » Voluit enim Dominus situ corporis demonstrari, qualis esse debeat respondens interrogatus de divinis. In stante enim, vel ambulante non quiescunt spiritus, sed protenduntur ad cuncta quæ corpus sustentant, et portant : et ideo tunc abstrahuntur a virtutibus animalibus : et ideo illæ non bene tunc operantur. In jacente autem discurrunt fumi ad caput, qui turbant, propter quod non clari sunt spiritus in capite. Sed in sedente quiescunt, et puri sunt : et ideo potest loqui sapientiam inter perfectos [3]. Supra, V, 1 et 2 : *Cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus, et*

[1] Cf. Matth. VII, 6.
[2] Psal. VII, 10.
[3] I ad Corinth. II, 6 : *Sapientiam loquimur inter perfectos.*

aperiens os suum docebat eos, dicens. Et similiter, Lucæ, VI, 20. Hæc est causa, quod cathedra ponitur Doctoribus. Luc. II, 46 : *Invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum.* Hinc est, quod Psal. LXXIX, 2 : *Qui sedes super Cherubim,* qui plenitudinem scientiæ significant.

« *Super montem Oliveti.* » Opportunitas est ex loco, ubi est generatio olei, quod est ministerium luminis. Et ideo Zachariæ, IV, 14, dicitur de duabus olivis a dextris et sinistris lampadis : *Isti sunt duo filii olei,* scilicet splendoris. Et, *Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus* [1]. Isa. LXII, 1 : *Propter Sion non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor Justus ejus, et Salvator ejus ut lampas accendatur.* Ubi enim aptius sederet candor lucis æternæ, et splendor gloriæ [2], nisi super ministerium luminis et fomitem omnis illuminationis, cum de tantis illuminare voluit discipulos.

Additur autem, Marc. XIII, 3, quod sedit contra templum. Sed hoc dicitur, ut contraria dicturus ostenderetur ad templi statum.

« Accesserunt. »

Ausu familiaritatis, quem jam dederat eis aperiendo aliquid de futuro excidio. Eccli. LI, 31 : *Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ.* « *Discipuli ejus,* » qui responsione digni fuerunt. Qui autem fuerint? Marc. XIII, 3, dicitur, quod fuerunt Petrus, et Jacobus, et Joannes, et Andreas, qui præ cæteris sitiebant doctrinam de futuris audire. Eccli. XXIV, 44 : *Quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque ad longinquum.* Et post modicum, ℣. 45 : *Illuminabo omnes sperantes in Domino.*

« *Dicentes,* » quærendo : « *Dic,* » hoc est, edic sonante voce clara. Cantic. II, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis.* « *Nobis,* » ad intellectum unum, ut audiamus. I Reg. III, 10 : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* Præmittit autem, quod, « *secreto,* » non cum turbis. Job, IV, 12 : *Quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.*

« *Quando hæc erunt ?* » Quæstio est triformis. Quærit enim quando futurum sit Judææ excidium : et hoc est quod dicunt : « *Quando hæc erunt ?* » Act. I, 6 : *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Quærunt iterum : « *Quod* est *signum adventus tui,* » ad judicium? « *Et* » quod sit signum « *consummationis sæculi ?* » Et dicit Chrysostomus quod « primum interro-
« gant propter se : alia autem duo prop-
« ter nos posteros eorum. » Nobis enim expedit scire hæc, sicut dulcis est somnus : et viator quærit, ubi manendum sit. Mercenarius libenter computat, quando finiatur annus prægnans : semper decimum mensem computat. Supra, VI, 21 : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Job, VII, 2 et 3 : *Sicut cervus desiderat umbram, et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui : sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi.*

« Et respondens Jesus, dixit eis : Videte ne quis vos seducat. » 4

His ita præmissis, inducitur responsio dicta, tria continens. Primo enim ostendit signa futuri excidii : secundo, signa excidii et consummationis sæculi, eo quod hoc erit ante adventum suum, licet ultimum ponatur in ordine quæsitorum, ibi, ℣. 15 : « *Cum ergo videritis abominationem,* etc. » Tertio, dat signa adventus sui ad judicium, ibi, ℣. 23 : *Tunc si*

[1] Matth. XXV, 4.

[2] Cf. ad Hebr. I, 3.

quis vobis dixerit : Ecce hic est Christus. »

In primo harum duo sunt, scilicet tribulatio in qua erit Judææ excidium : et quod ex hoc causatur ubique prædicatum Evangelium, discipulis de Judæa in orbem terrarum exeuntibus : et hic est finis excidii Judææ. Et cum perfectum fuerit, erit signum consummationis sæculi : et ideo in medio duarum partium positum diaserticum est : hoc est ad præcedens, et ad sequens referendum.

Adhuc, prima pars in duas dividitur : in tribulationem generalem inducentem excidium : et in tribulationem specialem sanctorum : quæ tribulatio erit probatio meriti et fidei et virtutis, ibi, ℣. 9 : « *Tunc tradent vos.* »

Antecedens autem pars duo continet, scilicet seductionem pseudoprophetarum, quæ est in præjudicium veritatis ad nocumentum fidei : et turbationem quietis sanctorum, in præjudicium tranquillitatis ad charitatis damnum et dispendium, ibi, ℣. 6 : « *Audituri enim estis prælia*, etc. »

In prima harum tria continentur, cautela videlicet cavendæ seductionis, modus, seductorum, et præsumptio eorumdem.

Præmittit autem Evangelista, dicens, « *Et respondens Jesus, dixit eis*, » sicut pius Magister omnia nota faciens discipulis. Deuter. XXXIII, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.*

« *Videte ne quis vos seducat*, » hoc est, seorsum a veritate ducat. Et reddit hic cautos. Ad Coloss. II, 8 : *Videte ne quis vos seducat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum :* quia pseudoprophetæ semper veniunt in sublimitate philosophici sermonis, et in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis. Jerem. XXIX, 8 : *Non vos seducant prophetæ vestri, qui sunt in medio vestrum.* Ad Ephes. V, 6 : *Nemo vos seducat inanibus verbis.*

« Multi enim venient in nomine meo, dicentes : Ego sum Christus : et multos seducent. » 5

Hic tangit modum seductorum. Et tangit tria : multitudinem, per quam notatur diversitas sectarum : adventum, per quem notatur quod non habeant auctoritatem : et quod in nomine Christi, per quod notatur falsi nominis pietas, et hypocrysis.

Dicit igitur : « *Multi enim.* » Non in uno corde et uno spiritu, unitatem spiritus servantes in vinculo pacis [1] : sed in multitudine dissentientium sectarum. I ad Corinth. I, 11 : *Significatum est mihi de vobis ab his qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos.* Et, XI, 19 : *Oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt in vobis manifesti fiant.* Et ideo ante hoc dicit, I ad Corinth. I, 10 : *Obsecro vos, fratres.., ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.*

« *Venient*, » propria auctoritate non missi. Supra, VII, 15 : *Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Joan. X, 8 : *Omnes quotquot venerunt, fures sunt, et latrones.*

« *In nomine meo.* » Dupliciter : quia exteriori pietate visa notam Dei habent. II ad Timoth. III, 5 : *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Vel, quia etiam signa quædam fecerunt in suæ hæresis argumentum. Supra, VII, 22 et 23 : *Multi dicent mihi : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis : Quia numquam novi vos.* Horum multorum unus fuit Simon, magus de Samaria, de quo dicitur, Act. VIII, 9 : Hæc est

[1] Ad Ephes. IV, 3 : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.*

virtus Dei, quæ vocatur *magna* [1]. Qui etiam de se scriptum reliquit : Ego sum sermo Dei : Ego speciosus : Ego paracletus : Ego omnipotens : Ego omnia Dei. Theodas etiam quidam fuit et Judas Galilæus, et alii quam plures. Sed etiam Joannes, II, 18, in prima epistola, dicit : *Audistis quia Antichristus venit : et nunc antichristi multi facti sunt.* « Consuetum enim est, ut di- « cit Chrysostomus, in omni tribulatione « multos surgere, qui futura fanatico « prædicant spiritu, et in errorem mit- « tunt homines, eo quod tunc homines « sicut parturientes continue conjiciunt, « qualis exitus debeat esse belli, et qualis « futurus status. » Psal. CIII, 20 : *Posuisti tenebras, et facta est nox : in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ.* Eccli. XXXIV, 6 : *Sicut parturientis cor tuum phantasias patitur : nisi ab Altissimo fuerit missa visitatio.*

« *Dicentes.* » Ecce præsumptio.

« Ego sum Christus. »

II ad Thessal. II, 4 : *Extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Sufficeret veris Prophetis, quod vere ostenderent se esse Christi. II ad Corinth. XI, 23 : *Ministri Christi sunt, plus ego.* I ad Corinth. IV, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.*

« *Et multos seducent.* » Ecce effectus fallaciæ. II ad Timoth. III, 13 : *Mali homines et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes.* II ad Thessal. II, 3 : *Videte ne quis vos seducat ullo modo.*

6 « Audituri enim estis prœlia, et opiniones prœliorum. »

Ecce perturbatio quietis Sanctorum. Tangit autem hic quatuor : quorum primum est cautela a perturbatione cum causa perturbante : et secundo, positionem perturbantium : tertium autem est descriptio modi perturbantium secundum speciem periculorum : quartum autem est istorum quantitas.

Circa primum sunt duo : causa perturbans, et cautela.

Causa autem duplex : prima est in hoc quod dicit : « *Audituri enim estis prœlia.* » Luc. XVI, 9 : *Cum audieritis prœlia et seditiones, nolite terreri.* Prœlia enim ad hostes pertinent, seditiones ad cives : et hæc multa fuerunt in Judæa ante cladem communem, sicut patet Daniel. X, per totum. Isa. III, 8 : *Ruit enim Jerusalem, et Judas concidit : quia lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.*

Secundum autem est : « *Et opiniones prœliorum,* » hoc est, exspectationes. Et sunt duæ causæ scissuræ, videlicet quas faciebant hæretici, et monstra quæ apparebant in cœlestibus. Ex prædicatione enim pseudoprophetarum, discordia mota est contra aliquos, qui de doctrina illa non fuerunt : quod significatum est, Apocal. XVI, 13 et 14 : *Et vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ, spiritus tres in modum ranarum... et procedunt ad Reges totius terræ congregare illos in prœlium.* Alia causa describitur, II Machab. V, 2 et seq., quod contigit Jerusalem apparere cohortes armatas, et congressiones fieri cominus, et scutorum et galeatorum motus. *Quapropter omnes rogabant in bonum monstra converti.* Job, VII, 14 : *Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties.* Unde etiam tunc audiebantur voces in templo : Transeamus ab his sedibus. Et sicut Josephus dicit, vitula rufa, quæ offerebatur in sacrificium purificationis, ex qua fiebat aqua expia-

[1] Act. VIII, 9 : *Vir autem quidam, nomine Simon, qui ante fuerat in civitate magus, seducens gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum,* etc.

tionis, inter manus offerentium enixa est agnam : quæ naturæ inordinatio futuri excidii dedit opinionem.

« Videte ne turbemini : oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis.

Ecce cautelæ admonitio, ne turbentur. Proverb. XII, 21 : *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.* Joan. XIV, 27 : *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Turbatio autem est inæqualitas, sive casus quidam cordis in periculorum angustia, lumen rationis obnubilans : et hoc habet triplicem gradum : tangit enim afficiendo, et impedit rationem, et prosternit. Primum est infirmitatis naturæ : quia licet spiritus promptus sit, caro tamen est infirma ; secundum est venialis culpæ, Baruch, III, 1 : *Anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te.* Tertium est vitiosæ perversitatis, Josue, VII, 25 : *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus.* Propter hoc dicit Job, XXIII, 17 : *Non perii propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.*

Assignat autem rationem, quare non turbentur : et hæc est ratio, quare permittit Deus talia fieri, dicens : « *Oportet,* » hoc est, opportunum est, scilicet meritis malorum expediens, et probationi bonorum.

Primum autem generale Judææ excidium : « *Hæc fieri,* » ut per hoc admoneantur quod graviora exspectant, nisi corrigantur.

« *Sed nondum est finis,* » et ideo non statim a Judæa recedatis, quinimo fortiter prædicationi instetis. Sic etiam, Supra, XVIII, 7, dictum est : *Necesse est ut veniant scandala : verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit !* Ezechiel. VII, 2 : *Finis venit, venit finis super quatuor plagas terræ.*

7 « Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum : et erunt pestilentiæ, et fames, et terræmotus per loca.

Hæc autem omnia initia sunt dolorum. » 8

Describit tribulationis modum per ea quæ turbabunt. Et tangit tribulationem ex parte pugnæ hominum, et ex parte corruptionis electorum.

Ex parte quidem pugnæ hominum, malum perturbans dupliciter est magnum, generalitate videlicet, et potentia pugnantium.

Generale notat, cum dicit : « *Consurget gens in gentem.* » Luc. XXI, 9 : *Cum audieritis prœlia, et seditiones, nolite terreri : oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis.* Hujus contrarium præcessit Christi in carne adventum. Isa. II, 4 : *Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prœlium.* Apocal. VI, 4 : *Datum est ei ut sumeret pacem de terra, et ut* (homines) *invicem se interficiant.*

De potentia pugnantium subdit : « *Et regnum adversus regnum.* » Hoc describitur, Daniel. X, 20, qualiter rex austri, sive Ægypti, pugnabat adversus regem Græciæ. Daniel. VII, 2 : *Quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.*

« *Et erunt,* » corruptione elementorum tripliciter : Qualitate quidem corruptis elementis erunt « *pestilentiæ :* » agrorum sterilitate erunt « *fames :* » compugnationis impulsu erunt « *terræmotus per loca.* » Ezechiel. VII, 14 et 15 : *Ira mea super universum populum ejus... Qui in civitate sunt, pestilentia et fame devorabuntur.* Jerem. XXIX, 18 : *Persequar eos in gladio, et in fame, et in pestilentia : dabo eos in vexationem universis regnis terræ.* Apocalyps. VI, 8 : *Ecce equus pallidus : et qui sedebat super eum, nomen illi Mors.* Et sequitur ; *Et data est illi potestas interficere gladio, fame, et morte.* De terræmotu dicitur, Apocalyps. XVI, 18 : *Terræmotus*

factus est magnus, qualis numquam fuit ex quo homines fuerunt super terram. Isaiæ, XXIV, 19 et 20 : *Contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra, agitatione agitabitur terra.*

« Hæc autem omnia initia sunt dolorum. »

Ecce mali quantitas : quia enim dixerat quod *nondum statim finis :* ideo dicit, quod hæc sunt primæ parturitionis conceptus. Verumtamen, « *dolorum,* » non est in hebræo : et est male translatum, et deberet esse sic : « Hæc omnia initia sunt parturitionum : » sed translator ponit effectum pro causa. Isa. XIII, 8 : *Torsiones et dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt.* Isa. XXXVII, 3 : *Dies tribulationis, et correptionis, et blasphemiæ dies hæc : quia venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi.* Luc. XXI, 25 et 26 : *In terris erit pressura gentium... : arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ supervenient universo orbi.*

9 « Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos : et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. »

Ecce specialis tribulatio Sanctorum. Et hoc malum describitur quadrupliciter : in afflictione Sanctorum perfectorum, in scandalo in fide infirmorum, in instantia pseudoprophetarum tyrannos confirmantium, in iniquitatis abundantia prævalente adversus Sanctos. Et hæc patent in littera.

Afflictio perfectorum describitur dupliciter, scilicet tribulationis modo, et tribulationis causa, quæ est nomen Domini : et ideo « felix est tribulatio, cujus « nomen Domini est causa, » ut dicit Augustinus.

In modo tripliciter describitur : traditione, occisione, et odio persecutionis.

Dicit igitur : « *Tunc tradent vos,* » non emendati, sed exasperati malis prædictis, « *tradent vos in tribulationem,* » fraudulenter et dolose capientes, et insidiantes flagellabunt. Supra, X, 17 et 18 : *Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos. Et ad præsides et ad reges ducemini.* II Machab. VII, 1, Septem fratres flagris taureis sunt cruciati.

« *Et occident vos.* » Daniel. XI, 44 : *Veniet in multitudine magna ut conterat et interficiat plurimos.* Apocalyps. XIII, 15 : *Faciet ut quicumque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur.*

« *Et eritis odio.* » Odium est radicata ira : « *omnibus hominibus,* » humum sapientibus. Exod. I, 13 : *Oderant filios Israel Ægyptii.* Genes. XXVII, 41 : *Oderat semper Esau Jacob.* Genes. XXXVII, 4 : *Oderant Joseph fratres sui, nec poterant ei quidquam pacifice loqui.*

« *Propter nomen meum.* » I Petr. IV, 14 : *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis.* Luc. VI, 22 : *Beati eritis cum vos oderint homines..., et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis :* quia pœna non facit Martyrem, sed causa. Joan. XV, 21 : *Hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me.* Et hæc omnia passi sunt discipuli a Judæis : et ideo, Supra, XXII, 6, dixit quod *tenuerunt servos suos, et contumeliis affectos occiderunt.*

10 « Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem.

11 Et multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos.

12 Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.

13 Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. »

Ecce scandalum infirmorum. Et describitur tribus modis : in apostasia, in traditione, et in odio, quæ apostasiam sequuntur.

Dicit ergo : « *Et tunc scandalizabuntur*, » hoc est, impingendo in pœnas timore apostabunt a fide. I ad Timoth. IV, 1 : *In novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum.* Isa. VIII, 15 : *Offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur.* Luc. II, 34 : *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur.*

« *Et invicem tradent*, » quia cum apostatabunt, tunc tradent alios fideles scientes familiaria eorum. Jerem. IX, 4 : *Omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet.* II ad Corinth. XI, 26 : *Periculum in falsis fratribus.* Jerem. XII, 6 : *Fratres tui, et domus patris tui, etiam ipsi pugnabunt adversum te.* Cantic. I, 5 : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.*

« *Et odio habebunt invicem*, » quos tradere non poterunt. Supra, X, 22 : *Eritis odio omnibus propter nomen meum.* Joan. XV, 25 : *Ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est : Quia odio habuerunt me gratis.* Psal. CVIII, 4 : *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi.* Psal. XXIV, 19 : *Odio iniquo oderunt me.*

« Et multi pseudoprophetæ surgent. »

Ecce instantia pseudoprophetarum tyrannos adjuvantium.

« *Et seducent multos*, » blandimento religionis, et impunitatis. Marci, XIII, 22 : *Exsurgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa et portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos.* Apocalyps. XIX, 20 : *Apprehensa est bestia, et cum ea pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso.*

« Et quoniam abundavit iniquitas. »

Dupliciter abundant : multiplicitate, et in hoc quod prævalet : et secundum est causa primi. Habacuc, I, 4 : *Quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.* Psal. LXXII, 7 : *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum : transierunt in affectum cordis.* II ad Timoth. III, 1 et 2 : *In novissimis diebus erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi*, et cæteri hujusmodi. Ad Roman. I, 29 : *Repletos omni iniquitate.* Psal. LXXII, 6 : *Operti sunt iniquitate et impietate sua.*

« *Refrigescet charitas multorum.* » Psal. CXLVII, 17 : *Mittit crystallum suam sicut buccellas : ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?* Eccli. XLIII, 22 : *Frigidus ventus aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua.* Apocalyps. II, 4 : *Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti.* Contra quod de Ecclesia dicitur, Proverb. XXXI, 21 : *Non timebit domui suæ a frigoribus nivis : omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus*, hoc est, gemino præcepto charitatis.

« Qui autem perseveraverit usque in finem. »

Ecce consolatio (alias, confirmatio) in promissione salutis : et, Supra, X, 22 : idem dicitur[1] : quia perseverandum in veritatis cognitione et fide, et in affectionis charitate. Sapient. VIII, 1 : *Attingit a fine usque ad finem fortiter.* Levit.

[1] Cf. enarrationem in hunc locum Matthæi, X, 22, pag. 463, Tom. XX.

III, 9, cauda præcipitur offerri, per quam perseverantia designatur.

14 « Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus : et tunc veniet consummatio. »

Ecce tribulationis Judææ et Sanctorum fructus. Judæa enim destructa, discipuli per totum orbem diffusi Evangelium regni prædicaverunt : propter quod etiam *filii excussorum* vocantur. Et tangit tria : prærogativam ejus quod prædicatur, et generalitatem prædicationis, et finem.

Prærogativa est, quia est Evangelium regni. Apocal. XIV, 6 : *Vidi alterum Angelum volantem per medium cœli habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem, et tribum, et linguam, et populum.* Apocal. X, 11 : *Oportet te iterum prophetare gentibus, et populis, et linguis, et regibus multis.*

« *In universo orbe.* » Psal. XVIII, 5, et ad Roman. X, 18 : *In omnem terram exivit sonus eorum*, etc. Ad Coloss. I, 6 : *Pervenit ad vos Evangelium, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit.*

« *In testimonium,* » scilicet salutis, si credunt : et condemnationis, si non credunt : et hic est finis. Marci, XVI, 16 : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur.*

« *Omnibus gentibus.* » Matth. XXVIII, 19 : *Docete omnes gentes.* Marci, XVI, 15 : *Prædicate Evangelium omni creaturæ.*

« *Et tunc,* » quando sic gentibus prædicabitur, « *veniet consummatio* » Judææ, vel mundi : quia, sicut diximus, istud et ad antecedens et ad consequens refertur. Isaiæ, XXVIII, 22 : *Consummationem et abbreviationem audivi a Domino.* Isa. X, 22 : *Consummatio abbreviata inundabit justitiam.*

15 « Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat. »

Hic incipit tangere tria signa consummationis sæculi, in signis consummationis Judææ : quia eadem particulariter præsignabant destructionem Judææ relata ad Titum et Ælium Adrianum : quæ universaliter accepta, relata ad Antichristum finem mundi significat. Dividitur autem pars ista in duas partes : in quarum prima signum tantæ tribulationis, qualis præcedit finem consummationis, ponit : quod signum est completæ et jam condemnandæ iniquitatis : et secundo, tribulationis dicit modum et quantitatem, ibi, ℣. 16 : « *Tunc qui in Judæa sunt*, etc. »

Adhuc, in priori harum dicit duo, signum videlicet, et excitationem attentionis ad signum.

De signo dicit quinque : abominationem, nocumentum, certitudinem, confirmationem, et sacrilegium.

Dicit igitur : « *Cum ergo videritis,* » in successoribus vestris sanctis, vel vosipsi, « *abominationem* » idoli, quod omnis abominatur humana ratio. Sapient. XIV, 27 : *Infandorum idolorum cultura, omnis mali causa est, et initium, et finis.*

» *Desolationis* » civitatis : quia post talem abominationem sequitur destructio parietum templi, et eversio civitatis. Daniel. IX, 26 : *Post finem belli statuta desolatio :* et hoc est nocumentum quod inducit desolationis.

« *Quæ dicta est a Daniele propheta.* » Ecce certitudo. Daniel. IX, 27 : *Erit in templo abominatio desolationis.*

« *Stantem.* » Ecce confirmatio : stat enim immobiliter fixa. Isa. XLI, 7 : *Confortavit eum clavis, ut non moveretur.*

« *In loco sancto.* » Ecce sacrilegium. Ezechiel. VIII, 15 : *Certe vidisti, fili hominis*, scilicet abominationes pessimas quas isti faciunt hic, hoc est, in templo [1].

Attende historiam : Pilatus primo posuit in templo imaginem Cæsaris : et indignati Judæi cœperunt rebellare, quod Titus vindicans, incendit templum, et civitatem. Postea autem Ælius Adrianus inter parietes templi posuit suam imaginem, quod dicitur *abominatio desolationis :* eo quod jam desolatum fuit per Titum, et in proximo complenda erat desolatio per Ælium. Judæi autem indignati ad imaginem Ælii, confregerunt, et comminuerunt eam in pulverem : ad quod indignatus Ælius, penitus evertit parietes templi, et totam civitatem, et aliam parvulam ibi prope ædificavit, quam ex nomine suo vocavit Æliam : et hoc est, quod dicit : et hoc plangit Isaias, LXIV, 9 et seq. : *Ecce, Domine, respice... : civitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Jerusalem desolata est. Domus sanctificationis nostræ, et gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis.*

Sequitur :

« Qui legit. »

Et monet esse attentos. « *Qui legit,* » hæc : tunc « *intelligat* » instare tempus expetendæ ultionis de sanguine Prophetarum, et meo effuso. Psal. LXXVIII, 10 et 12 : *Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est... Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum : improperium ipsorum quod exprobaverunt tibi, Domine.* Hoc idem generaliter acceptum, et ad Antichristum relatum signum est consummationis sæculi : Antichristi enim præsentia in loco templi est abominatio desolationis. Zachariæ, XI, 17 : *O pastor, et idolum derelinquens gregem !* II ad Thessal. II, 3 et 4 : *Nisi... revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus.* Tunc « *qui* » hæc « *legit intelligat,* » quia cito erit sæculi consummatio.

Moraliter etiam abominatio desolationis in templo, malus Prælatus est in Ecclesia. Proverb. XVI, 12 : *Abominabiles regi qui agunt impie.*

« Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes : **16**

Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua : **17**

Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam. » **18**

Modum hic, et quantitatem turbationis describit. Et tangit duo, modum videlicet mali, et quantitatem, ibi, ℣. 21 : « *Erit enim tunc tribulatio magna,* etc. »

Circa modum duo dicit : suadet enim primo omnibus relictis fugere : et in secundum ostendit infelicitatem eorum qui impedimenta fugiendi tunc habebunt, ibi, ℣. 19 : « *Væ autem prægnantibus.* »

Circa primum tangit tres differentias : et loquitur Sanctis qui in Judæa erant tempore Romanæ captivitatis ; tunc enim Agrippa tenebat terram, quæ est ultra Euphratem, et parebat Romano imperio : et ideo terra illa pacem habuit. Loquitur ergo per similitudinem accelerantibus fugam : illi enim generaliter sparsi erant in Judæam, aut familiaribus rebus aliquibus dediti : et generaliter quidem hortatur eos fugere ad terras

[1] Ezechiel. VIII, 14 : *Et introduxit me per ostium portæ domus Domini quod respiciebat ad aquilonem, et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.*

montuosas Agrippæ, ut ibi salventur. Genes. XIX, 17 : *Non stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac.* Psal. CXXIV, 2 : *Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui.*

Qui autem familiaribus rebus sunt dediti, aut erant in domo, aut in agro aliquid operantes.

Dicit igitur :

« Et qui in tecto. »

In Judæa plana fuerunt tecta, et cum immineret captivitas, non libenter perdentes ea quæ erant in domo, ascenderunt in tecta, ut hostes eminus possent speculari : et his dicit, quod celeriter fugiant, antequam præoccupentur.

« *Et non descendat aliquid tollere de domo sua,* » quo detineatur a fuga, vel onerentur fugientes : et hoc ad litteram plangens Isaias dicit, XXII, 1 et 2 : *Quidnam tibi est, quia ascendisti et tu omnis in tecta ? Clamoris plena,* etc.

« Et qui in agro, »

Agriculturæ deditus, qui propter calorem excitatum ex labore in terra calida domi dimittere tunicas consueverunt, « *non revertatur,* » domum scilicet, « *tollere tunicam suam,* » vel aliquid dispositurus de domo, sed omnibus dimissis cito fugiat. Luc. XXII, 21 : *Qui in medio sunt Judææ, discedant : et qui in regionibus, non intrent in eam.* Isa. XIII, 14 : *Erit quasi damula fugiens.* Tempore autem Antichristi, cum confirmabitur potestas ejus, tunc maxime regnabit in Judæa persequens Ecclesiam fidelium : et tunc oportet ad litteram fugere ad montium speluncas et deserta. Ad Hebr. XI, 37 et 38 : *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti ; quibus dignus non erat mundus : in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ.*

Et similiter per tectum intelliguntur domesticis dediti : et per agrum dediti laboribus, quibus, si fideles sunt, nihil suæ utilitatis licebit facere tempore Antichristi.

Mystice autem in Judæa sunt (quæ *confessio* interpretatur) illi, qui confessioni laudis sunt dediti, sicut Clerici et Religiosi, quibus tempore persecutionis fugiendum ad culmina virtutum : quia virtutum perfectione tunc indigent, ut possint resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare [1]. Psal. LXXI, 3 : *Suscipiant montes pacem.* Et iterum, Psal. LXXXVI, 2 : *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Qui autem sunt in tecto, in arce contemplationis, quibus præcipitur, ne descendant in domum carnis, sed alta contemplatione veritatis postponant omnia commoda carnis pro Christo fortiter morientes. Psal. LXXXIII, 6, 7 : *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.* In agro autem existentes bonos significant activos, quibus etiam suadetur, quod non dimissa difficultate virtutis resoluti domi torpescant, tunicam veteris vitæ reinduentes. Cantic. V, 3 : *Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa ?* Cantic. V, 7 : *Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.*

« Væ autem prægnantibus, et nutrientibus in illis diebus ! » 19

Hic tangitur infelicitas eorum qui subito habent effugiendi impedimenta. Et habet duos paragraphos : unum quidem, quod evadi non potest : aliud autem evadi potest, sed non est in nostra potestate, sed Dei omnia ordinantis et dispensantis : et contra hoc opponit orationem.

Primum autem quod evadi non pot-

[1] Cf. ad Ephes. VI, 13.

est, infelicitatis est : et hoc est imprægnatio, vel nutritio parvulorum : prægnans enim ex violento motu per abortum periclitatur : et non abortiens gravatur, ita quod fugere non potest. Nutriens autem et ex motu, et ex calore habet consumptionem lactis, et lactans fugæ incurrit debilitatem. Adhuc autem onere gravatur portandi infantis : aut innaturale homicidium incurrit abjiciendi filii quem peperit. Unde, II Reg. IV, 4, uxor Jonathæ propere fugiens, lapsum puerum perpetuo claudum utroque pede recepit. Aliter etiam, sicut narrant Josephus et Hegesippus, prægnantes dividebantur, et ad abortus immaturos cogebantur : ut partus excussus obsessis fieret in cibum. Thren. IV, 10 : *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos : facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei.* Unde et Moyses, Deuter. XXVIII, 56 et 57, dicit, quod *tenera mulier et delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere, propter mollitiem et teneritudinem nimiam, invidebit,* scilicet vicinæ suæ, *de illuvie secundarum, quæ egrediuntur de medio feminum suorum.* Narrat etiam Hegesippus et in Historia Ecclesiastica legitur, quod matrona nobilis dixit filio suo : Veni, infelicis matris infelicior nate : et occidit eum, et comedit in captivitate Romana. Et istæ sunt maledictiones Moysi [1].

In tempore etiam Antichristi, propter hoc quod apud homines tunc fideles habitare non audebunt, nimio impedimento detinebuntur prægnantes et nutrientes. Sed et prægnantes sunt, qui de novo propositum bonum conceperunt. Isa. XXVI, 17 et 18 : *A facie tua concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum,* scilicet salutis. Nutrientes autem sunt, qui jam quidem proficiunt, sed adhuc lacte teneriori indigent. I ad Corinth. III, 1 et 2 : *Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam : nondum enim poteratis.* Ad Hebr. V, 13 : *Omnis qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ : parvulus enim est.* Omnes autem tales, eo quod in fide et charitate non sunt solidati, violentia tentationis vincuntur, et cedent Antichristo : et ideo væ eis.

« Orate autem ut non fiat fuga vestra in hieme, vel sabbato. » **20**

Tangit impedimenta fugæ, quæ non sunt in nobis : et ideo contra illa dicit opponendam esse orationem. Et sunt duo : unum proveniens ex asperitate temporis : et aliud ex religione feriarum.

Dicit igitur : « *Orate.* » Jacob. V, 16 : *Multum enim valet deprecatio justi assidua.* Marc. XI, 24 : *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis.*

« *Ut non fiat fuga vestra,* » tempore Antichristi, vel destructionis Judææ, quando fugiendum est. Isa. XVI, 3, 4 : *Absconde fugientes, et vagos ne prodas.... Moab, esto latibulum eorum.* Et iterum, Isa. XXI, 15 : *A facie gladiorum fugerunt, a facie gladii imminentis, a facie arcus extenti, a facie gravis prælii.*

« *In hieme,* » quando est intemperies elementorum : quo tempore etsi fugere posset aliquis, tamen permanere in deserto non posset : quia tunc fugere ad homines non licebit : qui omnes occupantur a Romana captivitate tempore destructionis Judææ, vel adhærebunt Antichristo temporibus novissimis.

Sed tunc quæritur : Quia cum tribus annis et dimidio duratura sit persecutio Antichristi, oportebit sæpius fugere hieme. Sed ad hoc dicendum, quod non dicitur hic hiems, pro spatio temporis, quo sol movetur circa tropicum Capricorni, sed potius pro temporis as-

[1] Cf. Deuter. XXVIII, 15 et seq.

peritate, quæ hieme esse consuevit : quia tunc nec in desertis fructus, nec aura tolerabilis inveniretur, nec unus alii solamen societatis auderet exhibere : quia plures simul habitantes latere non possent : sed unus potest abscondi in inviis deserti. Unde Ecclesia liberata a persecutione dicit illud Cantic. II, 11 et 12 : *Jam hiems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra.* Est etiam hiems amoris gelicidium, quo refrigescet charitas multorum, qui tunc fugere non poterunt, frigore charitatis membra constringente. Supra, ℣. 12 : *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.*

« *Vel sabbato,* » quando propter religionem fugere non licebit. Sed hoc falsum videtur : quia dicitur, I Machab. II, 41, quod cogitaverunt Sancti pugnare die sabbati : ergo etiam in necessitate licet fugere. Responsio est, quod in veritate licet fugere, sed fuga in feriis non potest latere. In diebus enim profestis poterunt se subducere, tamquam quippiam operis vadant facturi : sed in die festo, cum ab opere vacat populus, non potest aliquis fugam abscondere : et ideo tunc magis est periculosa. Religio autem festorum ab Antichristo institutorum, tunc in maxima erit veneratione. Tempore etiam Romanæ captivitatis multum observabatur sabbatum, quod licet Sancti non tenuerunt, tamen multum observabantur dies sabbatorum. Isa. LVIII, 13 : *Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo : et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum.* Spiritualiter autem loquitur de torpentibus otio, et nihil operantibus ex inertia, qui tunc fugere non poterunt. Thren. I, 7 : *Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbata ejus.* Tob. II, 6 : *Dies festi vestri convertentur in lamentationem et luctum* [1].

« Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. » 21

Magnitudinem hic describit tribulationis dupliciter : quantitate mali, et mensura temporis. Quantitas est in periculo et acerbitate. Et quando hæc magna sunt, non expedit tempus esse longum, sed breve : ut patet in littera.

Dicit igitur : « *Erit enim tunc tribulatio magna,* » quia conflata ex tribus magnis, scilicet tyrannorum invasione, hæreticorum seductione, et falsorum fratrum proditione. Quæ tria mala passa est successive Ecclesia : tyrannorum invasionem in principio, hæreticorum seductionem in progressu, et in perfecta dilatatione proditionem patitur falsorum fratrum. Tyrannus persequitur potestate, hæreticus simulata veritate, falsus frater ficta bonitate. Daniel. VII, 3 et seq., dicitur, quod tres bestiæ de mari ascenderunt, prima similis leoni, quæ tyrannos significat : secunda similis urso, quæ hæreticos : tertia similis pardo vario, qui falsos fratres varios et dolosos. De conflatione harum persecutionum in unum, Apocal. XIII, 2, dicitur de bestia, per quam Antichristus figuratur, cujus caput simile erat pardo, et pedes ejus sicut pedes ursi, et os ejus sicut os leonis : et sic habet totum. Primo enim pardus erit simulata sanctitate, secundo erit ursus ore fœtido simulatæ veritatis, quam dulci sermone proponet, sicut ursus mel sugens. Ad Roman. XVI, 18 : *Per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium.* Et tandem accepta potestate ore dentato leonis, omnia devorabit, et lacerabit : sic ergo erit *magna :* magnum enim est, ut dicit Plato, quod componitur ex multis.

Mensuram autem hujus magni proponit, cum dicit ad præteritum. « *Qualis numquam fuit ab initio mundi :* » et

[1] Cf. Amos, VIII, 10 ; I Machab. II, 41.

ad præsens, cum dicit : « *Usque modo :* » et ad futurum, cum subdit : « *Neque fiet.* » Daniel. XII, 1 : *Veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud :* et ideo, ut dicit Gregorius : « Optat « Ecclesia præcedentibus tribulationibus « affligi, et videntur ei dulces respectu « mali illius quod tunc patietur. » Job, XXIX, 2 : *Quis mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me?*

22 « Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro : sed propter electos breviabuntur dies illi. »

Duo tangit : abbreviationem, et abbreviationis causam.

De abbreviatione dicit : « *Nisi breviati fuissent dies illi :* » non quidem momentis temporis, vel breviori cursu solis, sed potius numero : quia non durabunt nisi tribus annis et dimidio : quantum dicitur prædicasse Christus. Apocal. XII, 14 : *Datæ sunt mulieri*, quæ significat Ecclesiam in deserto fugientem Antichristum, *alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum, in locum ubi alitur per tempus, et tempora, et dimidium temporis*, hoc est, per annum et duos annos et dimidium. Apocal. XIII, 5 : *Data est ei potestas facere menses quadraginta duos*, hoc est, tribus annis et dimidio, duodecim mensibus pro anno computatis. Apocal. XII, 12 : *Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.*

« *Sed propter electos,* » ne nimis tribulentur, « *breviabuntur dies illi,* » scilicet numero : sicut etiam prolongantur in benedictione eorum. Psal. XC, 16 : *Longitudine dierum replebo eum.* Isa. LIV, 7 : *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magis congregabo te.*

« Tunc si quis vobis dixerit : Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. » 23

Hic ponit solutionem tertiæ partis quæstionis. Et tangit duo : signa certissimi adventus, et incertitudinem horæ, quando veniat, ibi, ℣. 36 : « *De die autem illa.* »

Signa adventus sunt duplicia, prædicatio videlicet pseudoprophetarum quæ præcedit : et signa in ipso judice et judicio sumpta, ibi, ℣ 27 : « *Sicut enim fulgur*, etc. »

Circa primum horum dicit tria : admonitionem cautelæ, causam necessitatis admonitionis, et confirmationem ejusdem.

De primo dicit : « *Tunc,* » in illo finali tempore, « *si quis vobis,* » in successoribus vestris, « *dixerit.* » Joan. XVII, 20 : *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.*

« *Dixerit,* » invitans ut avertat a Deo vestro. Ad Hebr. III, 12 : *Ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo.*

Et notantur in verbo tria, scilicet mendacium verbi, et diversitas schismatum, et admonitio ne credatur eis.

Mendacium notatur in hoc quod dicit : « *Si quis vobis dixerit.* » Quasi dicat : Si seipsis loquantur ex propriis, et lingua eorum non est calamus scribæ velociter scribentis [1]. Prophetæ enim dicunt : Hæc dicit Dominus : Apostoli vero dicunt illud de se, II ad Corinth. XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus ?* Joan. VIII, 44 : *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus.*

Schisma notatur in hoc quod dicit :

[1] Cf. Psal. XLIV, 2.

« *Ecce hic est Christus, aut illic.* » Christus autem dupliciter accipitur, in persona videlicet, et in virtute operante in sacramentis. In his enim unctus unctionem diffundit, et conficit sanitates [1]. Et hoc modo Christum jactat se habere quælibet hæresis, et negat eum alteri. Ecclesia autem dicit eum esse, non hic discrete, aut illic, et non alibi : sed ubique per totam Ecclesiam in toto orbe diffusam. I ad Corinth. I, 13 : *Divisus est Christus ?* Quasi dicat : Non. Joan. XIX, 24 : *Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit.* III Reg. III, 26 : *Nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur.*

« *Nolite credere.* » Ecce admonitio. I Joan. IV, 1 : *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* Eccli. XIX, 4 : *Qui credit cito, levis corde est.* II ad Thessal. II, 2 : *Rogamus vos, ut non cito moveamini a vestro sensu..., quasi instet dies Domini.*

24 « Surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia : ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.

25 Ecce prædixi vobis.

26 Si ergo dixerint vobis : Ecce in deserto est, nolite exire : ecce in penetralibus, nolite credere. »

Ecce tangit admonitionis necessitatem. Et dicit tria, exaltationem seductorum, potestatem, et efficaciam in nocendo.

Exaltationem tangit, cum dicit : « *Surgent,* » hoc est, sursum se agent. Thren. I, 9 : *Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.*

« *Pseudochristi,* » sicut hæresiarchæ majores, « *et pseudoprophetæ,* » sicut discipuli eorum minores. I Joan. IV, 1 : *Multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.* II Petr. II, 1 : *Fuerunt et pseudoprophetæ in populo, sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.*

« *Et dabunt signa magna et prodigia.* » Ecce potestas miraculandi. Et dicitur *signum,* quod portendit aliquid in futurum : sicut quod Jeremias vidit ollam succensam, quod significabat Jerusalem esse succendendam. *Prodigium* est magnum miraculum, quod omnium digito proditur, propter admirationem, nihil in futurum significans. Quidam tamen dicunt, quod signum est quod significat aliquid de præsentibus : et prodigium quasi procul a digito dictum, aliquid de futuris designat. Sed prima expositio melior est. Sunt spiritus dæmoniorum facientes signa [2]. II ad Thessal. II, 11 et 12 : *Mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.*

« *Ita ut in errorem inducantur.* » Ecce efficacia, qua in pejus proficiunt errantes, et in errorem mittentes : « *si fieri potest, etiam electi.* » Aliud est errore tangi, et aliud in errorem induci. Tangitur enim, qui tentatur : et hoc humanum est, quia humanæ ignorantiæ est errare. Sed in errorem inducitur, qui errori consentit. Sed hæreticus est, qui defendit pertinaciter.

Dicit autem : « *Si fieri potest,* » ut gratiam Dei continentes Sanctos ostendat. Deuter. XXXIII, 3 : *Omnes sancti in manu illius sunt :* et hoc notat, cum dicit : « *Si fieri potest,* » quia tantum humanum est trepidare et timere et tentari, dicit : « *In errorem inducantur.* » Et hæc est expositio Gregorii. Apocal. XIII, 13 et 14 : *Fecit bestia signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum. Et seduxit habitantes in terra, propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ.*

« *Etiam electi,* » quos tamen trepidan-

[1] Cf. Eccli. XXXVIII, 7.

[2] Apocal. XIII, 11 et 13 : *Et vidi aliam bestiam... Et fecit signa magna,* etc.

tes gratia continebit electionis. Job, XLI, 21 : *Sub ipso erunt radii solis, et sternet sibi aurum quasi lutum.* Et, XL, 18 : *Absorbebit fluvium, et non mirabitur : et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.* Vel dicatur, quod non dicitur hoc de electis gratia finali, sed de electis secundum præsentem justitiam, qui tunc sæpius inducentur in errorem, si hoc potest fieri aliqua tentationis seductione. Joan. VI, 71 : *Nonne ego vos duodecim elegi : et ex vobis unus diabolus est ?*

« Ecce prædixi vobis. »

Certitudo est dictorum, quasi dicat : Ego, qui sum veritas [1] : quia inevitabiliter evenient. Joan. XIV, 29 : *Et nunc dixi vobis prius quam fiat : ut cum factum fuerit, credatis.* Eccli. XLII, 19 : *Cognovit Dominus omnem scientiam.* Et sequitur : *Revelans vestigia occultorum.* Job, XXVIII, 11 : *Abscondita in lucem produxit.*

Repetit igitur cautelæ admonitionem, dicens :

« Si ergo dixerint vobis »

Pseudoprophetæ, vel credentes eorum : « *Ecce in deserto est,* » supple, Christus, secundum operativam virtutem et charismatum et unctionis. In deserto autem esse dicitur : quia aliquos sequaces habebit primo eremitice viventes, ut sub specie religionis magis decipiant. Jerem. IX, 10 : *Super montes assumam fletum et lamentum, et super speciosa deserti planctum, quoniam incensa sunt, eo quod non sit vir pertransiens.* Isa. XIII, 21 et 22 : *In deserto habitabunt struthiones, et pilosi saltabunt ibi : et respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, et sirenes in delubris voluptatis.* Per struthiones qui alarum, hoc est, contemplationis speciem habent, sed a terra non elevantur, significantur hypocritæ Monachi. Pilosi significant Monachos divitias congregantes, et lucris inhiantes, venantes in desertis pecunias, sicut fecit Esau pilosus [2]. Per ululas quæ fixo in luto rostro tubicinant, sicut cum cornu (et est avis infausta), significantur Monachi in cœno carnis conversantes. Per sirenes, significantur fœminæ moniales mortiferis cantibus animas decipientes, hujus mundi mare navigantes, quales tempore Antichristi erunt, et, heu ! nunc sunt.

« *Nolite exire,* » sicut existis ad Joannem Baptistam. Supra, XI, 7 : *Quid existis in desertum videre ?* etc. Exod. XII, 22 : *Nullus egrediatur ostium domus suæ.*

« *Ecce in penetralibus,* » in quibus sunt subtilitatum sapientiæ studia. Hæc enim duo profitebuntur Antichristiani, religionem et sapientiam. Psal. CIV, 30 : *Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum.* Ranæ quibus lingua faucibus adhæret, significant philosophias hærentes ad phantasias, et philosophicam linguam habentes.

« *Nolite credere.* » Ad Coloss. II, 8 : *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam.* Proverb. XXVI, 25 : *Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei : quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius.*

27

« Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem, ita erit et adventus filii hominis.

28

Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ. »

Hic dat signa adventus vera, et vere Christum venientem demonstrantia. Et sumuntur in ipso judice et judicio.

Sunt igitur duplicia : universalia, et particulariter sumpta : et hæc tangit, ibi, ℣. 32 : « *Ab arbore autem fici.* » Post utraque autem subsequitur confirmatio

[1] Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.*

[2] Cf. Genes. XVII, 3 et seq.

dictorum, ibi, ℣. 35 : « *Cœlum et terra transibunt.* »

Universalia autem signa sunt duplicia : in judice videlicet, et in judicii circunstantiis sumpta, ibi, ℣. 29 : « *Statim autem*, etc. »

In judice autem tria notat, scilicet adventus manifestationem in se, et manifestationis generalitatem, et sanctorum ad judicem congregationem.

Manifestatio autem ostenditur in hoc, quod dicit :

« *Sicut fulgur.* » In quo tria notantur, quod subitus, quod terribilis, quod blandimentum habet luminis. « Subito au- « tem fit, ut dicit Dionysius, quod fit præ- « ter spem. » I ad Thessal. v, 2 : *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.* Unde etiam in Grammaticis declinatur *fulgur, fulguris*, media correpta : eo quod subito venit, et impræmeditate : fulgor autem charitatis stantis declinatur *fulgor, fulgoris*, media producta. Et *fulgeo, fulges*, quod venit a *fulgure*, infinitivum facit *fulgere*, media correpta. Quod autem venit a *fulgore*, infinitivum facit *fulgere*, media producta, sicut tradunt antiqui grammatici. Terror autem est in ictu fulguris : quia cum tonitruo est fulgur semper. Job, XXVI, 14 : *Cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Blandimentum autem habet in lumine. Psal. CIII, 2 : *Amictus lumine sicut vestimento.* Subitum igitur est propter omnes : ut parati sint, et caveant. Cum ictu est, propter reprobos. Cum blandimento luminis, propter electos.

« *Exit.* » Ecce manifestatio : exit enim ad manifestationis apertum. Psal. XLIX, 3 : *Deus manifeste veniet : Deus noster et non silebit.* Isa. XI, 5 : *Videbit omnis caro salutare Dei*[1]. Apocal. I, 7 : *Videbit eum omnis oculus.*

« *Ab Oriente, et patet usque in Occidentem.* » Ecce manifestationis generalitas. Psal. CXII, 3 : *A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.*

Sed videtur mirabile, quod dicit : Quia fulgur non exit ab Oriente, sed fulgor exit ab Oriente, fulgur autem exit a nube. Dicendum, quod sunt multi ortus secundum eos qui loquuntur de astris. Ortus autem hic sumitur pro manifestatione : sicut etiam sol et aliæ stellæ oriuntur aliquando de sub nube. Occasus autem secundum Augustinum, dicitur finis horizontis sensibilis : ubi visu deficiente, cœlum terræ conjungi videtur : et est sensus, quod cuilibet hominum, apparebit manifestus, et illustrabit omnia quæ videri ab ipso possunt loca in circuitu : ut nusquam liceat abscondi, vel celari. I ad Corinth. IV, 5 : *Veniet Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* Joan. I, 5 : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Et ideo dicitur, Sapient. VI, 6 : *Horrende et cito apparebit vobis.*

« Ita erit et adventus Filii hominis. »

I ad Thessal. v, 3 : *Cum dixerint : Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient.*

Dicit autem : « *Filii hominis,* » et non Filii Dei : quia in forma hominis judicabit nos, in qua pro nobis judicatus est. Joan. v, 27, 28 : *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc,* hoc est, non vobis videatur mirum, quod Filius hominis est : quia homo ille constitutus est judex vivorum et mortuorum, sicut dicitur, Act. x, 42.

« Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ. »

Dat signum congregationis Sanctorum,

[1] Vulgata habet, Isa. XL, 5 : *Videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.* Isa. LII, 10 : *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Luc. III, 6 : *Et videbit omnis caro salutare Dei.*

ad ipsum loquens per similitudinem : ad corpus enim odorem nidoris spargens, ad ultra marina per odoratum invitantur aquilæ, ab acumine visus et odoratus aquilæ vocatæ. Multo ergo magis ad redolentiam suavissimam judicis, bonitatem suam in omnes intellectuales nares distribuentis et spargentis, aquilæ sanctæ, videlicet omnes sancti, acuti visu in contemplatione, et bene odorantes in aromatum illorum perceptione, ad judicem congregabuntur : ut refectione bonitatis et dulcedinis ejus, cum manifestatur gloria ejus, satientur. Psal. XVI, 15 : *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Isa. XL, 31 : *Assument pennas ut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.* I ad Thessal. IV, 17 : *Simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.* In aerem enim ascendit volans.

Dicit autem : « *Congregabuntur,* » quia tunc vere omnibus viribus suis congregatis, altivolæ in Deum ascendunt. Isa. LX, 8 : *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas ?* Job, XXXIX, 28 et 29, dicitur, quod aquila sedet in summis rupibus, et *inde contemplatur escam.*

¶ « Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo. »

Tangit signa sumpta in his quæ circumstant judicium dupliciter : in cœlestibus bonis primo, et in terrestribus malis secundo.

In cœlestibus autem bonis tangit in corporibus cœlestibus, in virtutibus Angelicis et in Sanctis in cœlum assumptis.

Præmittit autem tempus istorum signorum dicens : « *Statim autem post tribulationem dierum illorum.* » Dies enim, hoc est, sancti tribulabuntur : noctes autem, hoc est, mali consentient Antichristo. Job, III, 6, 4 : *Noctem illam tenebrosus turbo possideat..., et non illustretur lumine.* Sapient. XVIII, 1 : *Sanctis autem tuis maxima erat lux.*

Et tangit signa in cœlestibus corporibus, sole et luna, et stellis, dicens :

« Sol obscurabitur. »

Marc. XII, 25 : *Stellæ cœli erunt decidentes.* Et dicit Interlinearis : « Hoc est, « lumine carebunt : » et potest similiter intelligi de sole. Quid autem trium sententiarum quæ hic dici consueverunt, verum sit, non est certum : utrum enim sol ad tempus tunc lumen amittat, sicut dicit Glossa Interlinearis super Marcum : aut dicatur *obscurari,* quia cum duo sint in lumine solis, scilicet illustrare, et movere ad generationem : alterum amittet, scilicet ad generationem movere : aut quod superveniente majori claritate, quæ fulget a corpore Christi et corporibus glorificatis, dicatur *obscurari,* quia lumen ejus non percipitur : sicut nunc lumen candelæ non videtur, quando tenetur in radio solis. Quod ego probabilius judico : quia hoc dicitur, Isa. LX, 19 : *Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, neque splendor lunæ illuminabit te.* Sed potius, sicut dixit ante, ℣. 1 : *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.* Apocal. XXI, 23 : *Civitas non egei sole, neque luna ut luceant in ea : nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna ejus est Agnus.*

« Et luna non dabit lumen suum. »

Hoc est necessarium : sic sol obscurabitur, quod luna non det lumen : quia non habet lumen nisi a sole. Habac. III, 11 : *Sol, et luna steterunt in habitaculo suo.*

« Et stellæ cadent de cœlo. »

Non casu corporali, sed potius quoad

effectum, in his quæ generantur. Sol infundit calorem nativum, et luna movet humidum, (quod subjectum est vitæ et materia generationis), et imagines stellarum conferunt figuram generato : et quoad hos effectus subtrahunt lumen : et ideo obscurari et cadere de cœlo dicuntur, quia tunc non erit amplius generatio : sed omnia formabuntur ad statum collectionis justorum in gloriam, et peccatorum in pœnam. Isa. XIII, 10 : *Stellæ cœli, et splendor earum non expandent lumen suum : obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo.* Apocal. VIII, 12 : *Quartus Angelus tuba cecinit : et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunæ, et tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum.* Tres enim partes sunt, locus, lumen, et effectus in generabilibus : et hæc tertia percutietur. Apocal. VI, 12 et 13 : *Sol factus est niger tamquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis, et stellæ de cœlo ceciderunt.* De media autem expositione, quod scilicet comparatione majoris luminis obscurari videbuntur, videtur intelligi, quod dicitur, Isa. XXIV, 23 : *Erubescet luna, et confundetur sol, cum regnaverit Dominus exercituum.* Peracto autem judicio, ut omnia ostendantur propter hominem esse facta : sicut homo mutabitur ad speciem gloriæ, ita mutabuntur et luminaria. Isa. XXX, 26 : *Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum.*

« Et virtutes cœlorum commovebuntur :

30 Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo. »

Tangit signa in speciali creatura : primo in Angelis, secundo in animabus sanctis.

De Angelis enim intelligitur, quod dicit : « *Virtutes cœlorum.* » Aut omnes cœlestes essentiæ, quæ communi nomine *Virtutes* dicuntur, sicut dicit Dionysius. Aut ille ordo, qui *Virtutes* vocatur : eo quod ultimum potentiæ attingat in faciendo miracula, quæ tunc maxima fient. Angeli enim ante judicium omnes sunt *in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capient salutis* [1] : et ideo in collectione eorumdem moventur ad miracula in judicio. Psal. CII, 21 : *Benedicite Domino, omnes virtutes ejus : ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.* Rabanus tamen aliter exponit « *movebuntur,* » id est, timebunt : hoc est, considerato terrore judicis ad modum timentium se habebunt, aut reverentiæ motu movebuntur ad gloriam judicis. Job, XLI, 16 : *Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli, et territi purgabuntur.* Job, XXVI, 11 : *Columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus.*

« Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo. »

Ecce signum in animabus sanctis, quæ omnes consignitæ merito fidei, Filio hominis Deo apparebunt. Et hoc est signum, quo distinguentur electi a reprobis. Ezechiel. IX, 4 : *Signa thau super frontes virorum gementium et dolentium.* Exod. XII, 22 et 23, signantur postes et superliminaria sanguine agni, contra percussorem Angelum. Psal. IV, 7 : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Vel, « *Signum Filii hominis* » sunt stigmata vulnerum, quæ ostendit. Zachar. XII, 10 : *Adspicient ad me quem confixerunt.* Et idem est, Joan. XIX, 37. Apocal. I, 7 : *Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Dicunt etiam quidam, quod lignum crucis, in signum crucis apparebit sole splendidius. Sed hoc non asserendum, quia perspicue non probatur. Apocal. VII, 3 : *Nolite nocere ter-*

[1] Ad Hebr. I, 14.

ræ, et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.

« Et tunc plangent omnes tribus terræ. »

Signum de infimis, hoc est, de terra dat hic : et hoc est planctus malorum. Circa hoc autem tangit duo : planctum, et causam.

Causa autem est triplex, scilicet visus horribilis irati judicis : auditus terribilis tubæ ad judicium vocantis : collectio tristabilis bonorum ad Christum, impiis in terra desertis.

Dicit igitur : « *Tunc plangent.* » Unusquisque se ipsum plangit accusante conscientia. Ad Roman. II, 15 et 16 : *Inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum, per Jesum Christum.* Supra, XIII, 42 : *Ibi erit fletus, et stridor dentium.* Isa. XVI, 9 : *Inebriabo te lacryma mea, Hesebon et Eleale.*

« Omnes tribus terræ. »

Hoc est, qui in cœlo nullum habent municipatum, quibus non est dictum : *Vado parare vobis locum* [1]. Apocal. XII, 8 : *Neque locus inventus est eorum amplius in cœlo.* In terra enim remanent, quam dilexerunt, sanctis raptis in nubibus obviam Christo in aera. Jerem. XVII, 13 : *Recedentes a te, in terra scribentur.*

Tribus autem *terræ* dicuntur : quia nullam nisi in terra habent generationem et amicum : si enim fecissent sibi amicos de mammona iniquitatis, cum defecissent in terrenis, fuissent utique recepti ab amicis in æterna tabernacula [2]. Et habuerunt hic manentem civitatem, futuram non inquirentes : contra id quod dicitur, ad Hebr. XIII, 14 : *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Et fuerunt nati de sanguinibus, ex voluntate concupiscentiæ carnis, et ex voluntate viri pertinacis ad malum [3] : et ideo terræ sunt adscripti, de qua dicitur, Job, IX, 24 : *Terra data est in manus impii.*

« Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate. »

Ecce visus horribilis. Sapient. VI, 6 : *Horrende et cito apparebit vobis.* Et dicit de judice viso quinque, scilicet formam in qua eis apparebit, approximationem, gloriam, virtutem, et curiæ frequentiam.

« *Videbunt* » autem visu horribili. Apocal. VI, 15 et seq. : *Et reges terræ, et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus, et liber, absconderunt se in speluncis, et in petris montium : et dicunt montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni : quoniam venit dies magnus iræ ipsorum.* Apocal. XVIII, 9 : *Plangent se super illam reges terræ.* Thren. I, 22 : *Multi sunt gemitus mei, et cor meum mœrens.* Isa. LXV, 14 : *Vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus ululabitis.*

« Filium hominis. »

Si quæritur, in qua forma videbunt ? Dicit quod in forma humana. Et si quæritur utrum videbunt eum in gloria ? Dicendum, quod videbunt eum non in gloria (et tamen Filius Dei non induet alium habitum quam gloriæ), sed sicut solem aquila videt in lumine. Oculo autem infirmo naturalis defectus inest, quod adspiciens ad solem humore confluente convolvitur, victus fulgore solis : et primo apparet rubeum, deinde viride magis humore vincente, et tandem fit ni-

[1] Joan. XIV, 2.
[2] Cf. Luc. XVI, 9 et seq.
[3] Cf. Joan. I, 13.

grum tenebrosum quod apparet. Ita eodem modo se habentem judicem sancti videbunt in gloria, propter potestatem oculi glorificati : et damnati videbunt eum sub specie coloris, secundum infirmitatem oculi non glorificati. Isa. xxvii, 10 : *Misereamur impio,... et non videbit gloriam Domini.* Joan, v, 27, 28 : *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc.* Et sic intelligitur illud Joan. xix, 37 : *Videbunt in quem transfixerunt.*

« Venientem. »

Ecce appropinquatio, quod maxime horrent impii. Isa. iii, 14 : *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi.* Isa. xxx, 27 : *Venit de longinquo, ardens furor ejus, et gravis ad portandum.* Tunc enim verificatur illud Proverb. vi, 34 et 35 : *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ..., nec suscipiet pro redemptione dona plurima.*

« In nubibus. »

Ecce gloria venientis : nec est intelligendum, quod nubes hic sit vapor elevatus ab inferioribus elementis, sed sicut diximus ante : *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*, sicut dictum est supra, xiii, 43. Et erunt circa Christum supra modum solem in claritate excedentem : et hujus tota claritas in oculis terrenorum in vi fulgoris non percepta, quamdam in oculis ægris eorum generat obscuritatem. Et hæc vocatur nubes. III Reg. viii, 12 : *Dominus dixit ut habitaret in nebula.* Act. i, 11 : *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*, quando *nubes suscepit eum ab oculis eorum* [1]. Erit autem ex hoc terror damnatorum : quia hæc nubes flammivoma, ut dicit Hieronymus, thesauros grandinis, et fulgurum significat : quæ tunc immittentur damnandis. Sapient. v, 22 et 23 : *Ibunt directe emissiones fulgurum, et tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient. Et a petrosa ira plenæ mittentur grandines*, etc. Sic beatus Dionysius, exponit caliginem, in quam ingressus est Moyses ad Dominum [2]. Non enim consequens est, quod Deus in obscuris habitet, qui sicut dicitur, I ad Timoth. vi, 16 : *Lucem inhabitat inaccessibilem.* Nec rationabile est ex caligine splendidam factam esse faciem Moysi : ita ut non possent in gloriam vultus ejus intendere filii Israel [3]. Luc. xxi, 27 : *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube.*

Et propter hoc dicuntur nubes « *cæli,* » non terræ. Job, xxxvii, 11, 12 : *Nubes spargunt lumen suum..., quocumque eas voluntas gubernantis duxerit.* Apocal. i, 7 : *Ecce venit cum nubibus.* Daniel. vii, 13 : *Ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat.*

« Cum virtute multa. »

Hoc est, robore, qui primo judicatus apparuit in infirmitate. Job, ix, 19 : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est :* virtute enim ultimum attingit omnis potentiæ. Exod. xv, 11 : *Quis similis tibi in fortibus, Domine ? quis similis tibi, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia.*

« Et majestate. »

Hoc refertur ad frequentiæ, quæ circa eum apparebit, solemnitatem, et ambitionem, qua impii opprimentur. Daniel. vii, 14 : *Potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur.*

[1] Act. i, 9.
[2] Cf. Exod. xix, 18.
[3] Cf. Exod. xxxiv, 30.

81 « Et mittet Angelos suos cum tuba et voce magna. »

Hic tangit auditum terribilem vocantem ad judicium. Job, xv, 21 : *Sonitus terroris semper in auribus illius.* Et tangit tria : Angelorum ministerium in vocando, tubæ clangorem, et vocis magnitudinem. Angelorum ministerium est in collectione cinerum, ex quibus integranda sunt corpora. Tubæ clangor est terribilis fragor elementorum : ut quodlibet reddat quidquid habet de corporibus resurgentium. Vox magna est vox Christi suscitans et vivificans et vocans ad judicium.

Dicit igitur : « *Et mittet Angelos suos.* » Congruum enim est, ut quos habuerunt duces viæ, habeant etiam collectores cinerum, et productores ad judicium. Supra, xiii, 41 : *Mittet Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala.* Ibidem, ℣. 49 : *Exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum.* In signum hujus, Angeli separaverunt Lot de medio impiorum [1].

« Cum tuba. »

Hoc est, mundi fragore. Sapient. v, 23 et 24 : *Excandescet in illos aqua maris, contra illos stabit spiritus virtutis,* etc., *et flumina concurrent duriter.* Et, ibidem, ℣. 21 : *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* I ad Corinth. xv, 52 : *In momento, in ictu oculi, et in novissima turba : canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti.*

« Et voce magna, »

Quæ est jussus Dei, quod vivant, et surgant mortui, et veniant ad judicium. I ad Thessal. iv, 16 : *Ipse Dominus in jussu et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cælo : et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.* Archangelus autem est Christus Princeps Angelorum, ut dicit Glossa. Et secundum hoc tria concurrunt ad resurrectionem, fragor mundi in restitutione materiæ : ministerium Angelorum in compositione pulverum, et corporum : et jussus, sive vox Dei et Christi in vivificatione et citatione. Joan. v, 25 : *Mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent.* Psal. lxvii, 34 : *Dabit voci suæ vocem virtutis.*

« Et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum. »

Hic tangit congregationem bonorum ab eo futuram, qui dispersiones Israel congregabit, relictis impiis. Dicit autem tria : congregationem electorum, et generalitatem locorum unde congregabuntur, et congregandorum integritatem.

« Congregatio est ad sinum Patris omnia congregantis », ut dicit Dionysius. Psal. xlix, 5 : *Congregate illi sanctos ejus.* Impii autem dispergentur, quia non habebunt unum, in quo congregentur : sed dissipati cordibus manebunt in inferno. Ezechiel. v, 1 et 2 : *Divides eos,... et disperges ventum, et gladium nudabo post eos.* Ezechiel. xi, 17 : *Congregabo vos de populis, et adunabo de terris in quibus dispersi estis.* Psal. cv, 47 : *Salvos fac nos, Domine, Deus noster, et congrega nos de nationibus : ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua.*

« A quatuor ventis »

Cœli principalibus : qui significant quatuor mundi plagas, et climata. Isa. xliii, 5 et 6 : *Ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni : Da : et Austro : Noli prohibere.* Supra, viii, 11 : *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno*

[1] Cf. Genes. xix, 15.

cœlorum. Psal. cvi, 3 : *A solis ortu, et occasu, ab Aquilone, et mari.* Ezechiel. xxxvii, 9 : *A quatuor ventis veni, spiritus*, etc.

« A summis cœlorum. »

Hic tangit integritatem. Dicit enim Aristoteles, quod summum, et imum, quod est a cœlo usque ad centrum, est principium longitudinis. Sed dextrum et sinistrum, quod est ab oriente in occidentem, est principium latitudinis. Ab ante autem et retro, quod est a meridie in Aquilonem, est principium profunditatis. Secundum primum accipitur motus incrementi et nutrimenti : secundum alterum accipitur motus localis membrorum : secundum tertium accipitur motus alterationis secundum sensum. Et hoc est : « *A summis cœlorum usque ad terminos* » infinitatis, latitudinis, et profunditatis, ut integre resurgant. I ad Corinth. xv, 52 : *Mortui resurgent incorrupti.* Luc. xxi, 18 : *Capillus de capite vestro non peribit.* Unde Augustinus dicit, quod summum cœli dicitur *zenith capitis* uniuscujusque hominis, et terminus orbis dicitur *terminus horizontis visibilis* : in cujus circumferentia sunt differentiæ quatuor situs, scilicet dextrum et sinistrum, et ante et retro : aliæ autem duæ situs differentiæ sunt, altum in zenith capitis, et imum in centro horizontis.

32 « Ab arbore autem fici discite parabolam : cum jam ramus ejus tener fuerit et folia nata, scitis quia prope est æstas :

33 Ita et vos, cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis.

34 Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.

35 Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. »

Ecce signum particulare temporis, quod erit tempus collectionis. Dicit autem tria : parabolam, adaptationem, et veritatis confirmationem.

Circa primum dicit duo : primo enim innuit quod parabola sit quod dicit : et secundo, exponit secundum quas proprietates sit accipienda.

Dicit igitur : « *Ab arbore autem fici :* » cui, supra, xxi, 19, maledictum est. Et de qua, Habac. iii, 17 : *Ficus non florebit.*

Sumite, vel « *discite parabolam,* » hoc est, similitudinariam sententiam. Proverb. i, 6 : *Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum et ænigmata eorum.*

Et subdit, in quo sumitur :

« Cum jam ramus ejus tener fuerit. »

Ficus inter omnes arbores tardius virescit, et flores grossorum emittit. Transit enim ver, et in æstate fert flores : et longe in æstate versus autumnum dat fructum in signo Leonis : et ideo a ficu signum temporis maturitatis, et collectionis accipitur. Ver enim magis comparatur statui generationis : et ideo Judæi, qui per ficum designantur, conversione sua finem mundi præloquuntur. Joel. i, 7 : *Ficum meam decorticavit : nudans spoliavit eam, et projecit : albi facti sunt rami ejus.* Cum ergo jam ramus ejus, quem eodem anno emittet, tener fuerit, novella ad fidem conversione, Osee, xiv, 7 : *Ibunt rami ejus, et erit quasi oliva.* Eccli. xxiv, 22 : *Rami mei honoris et gratiæ.*

« *Et folia nata,* » verborum in confessione et laude. Psal. i, 3 : *Folium ejus non defluet.* Proverb. xi, 28 : *Justi quasi virens folium germinabunt.*

« Scitis quia prope est æstas, »

Scilicet tempus maturitatis et collectionis. Proverb. xx, 4 : *Propter frigus piger arare noluit : mendicabit ergo æstate, et non dabitur illi.*

« Ita et vos. »

Ecce adaptatio.

« *Cum videritis hæc omnia,* » quæ dixi, « *scitote quia prope est in januis,* » ut jam intret judex. Jacob. v, 9 : *Judex ante januam assistit.* Apocal. III, 20 : *Ecce sto ad ostium, et pulso.* I ad Corinth. VII, 29 : *Tempus breve est : reliquum est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint.*

« Amen dico vobis. »

Confirmatio est signi, quod posuit. « *Non præteribit generatio hæc,* » hoc est, Judæorum, vel successio mortalium, « *donec omnia fiant.* » Exclusive : quia generatio Judæorum et mortalium terminabitur ad signa inducta. Psal. LVIII, 12 : *Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos : nequando obliviscantur populi mei.* Eccle. I, 4 : *Generatio præterit, et generatio advenit : terra autem in æternum stat.*

« Cœlum et terra transibunt. »

Confirmatio est omnium inductorum in præcedentibus. Transibunt autem cœlum et terra, non quoad substantiam, sed quoad actus, et figuram generationis, quam nunc habent. Psal. CI, 27 et 28 : *Ipsi,* scilicet cœli, *peribunt, tu autem permanes... : et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur : tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Isa. LXV, 17 et 18 : *Ecce ego creo cœlos novos et terram novam : et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor. Sed gaudebitis et exsultabimini usque in sempiternum in his quæ ego creo.* Apocal. XXI, 1 : *Vidi cœlum novum et terram novam..., et mare jam non est.* Et hoc notat ex modo loquendi, quando dicit : « *Transibunt,* » quia transitus de uno ad aliud est, permanente substantia transeuntis.

« Verba autem mea non præteribunt, »

In falsitatem. Supra, v, 18 : *Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* Isa. XL, 8 : *Verbum Domini nostri manet in æternum.* Psal. CXVIII, 89 : *In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo.* Isa. LV, 11 : *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud.*

« De die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater. » **36**

Hic ostendit temporis incertitudinem, quando veniat judicium. Dividitur autem pars ista in duo : in quorum primo ostendit quod dictum est : in secundo autem reddit nos cautos, ne nos judicium inconsideratos præoccupet, ibi, ℣. 42 : « *Vigilate ergo.* »

In prima harum tria dicit, scilicet primo, impossibilitatem præsciendi judicium ex aliquibus conjecturis : et secundo, inconsiderationem hominum quos involvet incautos, ibi, ℣. 37 : « *Sicut autem in diebus Noe,* etc. » Et tertio, qualis erit discretio in judicio, ibi, ℣. 40 : « *Tunc duo,* etc. »

In prima harum, Angelos et homines a prægnitione judicii excludit, et solum includit Patrem.

Dicit igitur quoad temporis qualitatem :

« De die autem illa. »

Dicitur autem *dies* quoad illustrationem

judicis, et non quoad motum solis super terram : quia nescitur quando Dominus venturus sit, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane, ut dicit Marc. XIII, 35. Si objiciatur per id quod in sequenti capitulo [1] sequitur : *Media nocte clamor factus est.* Et per illud Sapient. XVIII, 14 et seq : *Cum quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet,* etc. Dicendum, quod omnia hæc dicuntur quoad tenebras ignorantiæ horæ, et non quoad qualitatem temporis diurni, vel nocturni. Nescitur enim qua temporis qualitate lucida, vel tenebrosa.

Et quoad spatium quantitatis temporis subdit :

« Et hora. »

Sic enim, Infra, ℣. 50, dicit : *Veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua ignorat.*

« Nemo scit, »

Hoc est, nullus homo. Act. I, 7 : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.* Erubescant, qui de judicii tempore vaticinantur. « *Neque Angeli,* » quia non pertinet ad beatitudinem eorum. Et ideo, Isa. VI, 2, sicut velabant caput, per quod ostenditur id quod ante mundum erat in Deo, ita Seraphim velabant pedes, per quos finis mundi ostenditur, quem Angeli ignorant.

In quibusdam codicibus additur : « Neque Filius. » Et hoc ponitur, Marc. XIII, 32, quod ideo dicitur, quia non facit nos scire : vel quia non scit ex virtute humanitatis.

« Nisi solus Pater. »

Exclusionem facit respectu oppositionis ad essentiam, et non ad personam : quia notitia est essentialis. Et ideo una est notitia trium, sicut una est essentia trium : unde non excluditur Filius, neque Spiritus sanctus : et hoc notatur, Joan. I, 18 : *Deum nemo vidit umquam : unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Quasi dicat : Licet nemo Deum noverit et viderit, tamen Unigenitus (qui in ejusdem deitatis occulto) videt eum. Et ideo, quod habetur de notitia Dei, ex enarratione est Unigeniti. Ita includit infra notitiam Spiritus sancti Apostolus, I ad Corinth. II, 11 : *Quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei.* Et, I ad Corinth. II, 10 : *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Sic ergo solus Pater novit, hoc est, Pater, et non alius in essentia quam Pater. Cum enim Filius habeat essentiam a Patre, et Spiritus Sanctus ab utroque, sic oportet quod etiam notitiam habeat Filius a Patre, et eamdem notitiam habeat Spiritus sanctus ab utroque : quod hoc sit ibi esse quod nosse, et e converso.

« Sicut autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis. » 37

Hic tangit qualiter inconsideratos involvit. Et dicit tria : primo, præmittit assimilationem : secundo, ostendit negligentium et carnalium incuriam : et tertio, repetit quales tales præoccupantur.

Dicit igitur : « *Sicut autem in diebus Noe* » justi [2] : qui fabricando arcam prædixit diluvium, et prædicavit pœnitentiam, et non attenderunt, sed videbatur eis ludens loqui [3].

« *Ita erit,* » imprævisus negligentibus, « *adventus* » ad judicium « *Filii hominis.* » II Petr. III, 6 et 7 : *Tunc mundus aqua inundatus periit. Cœli autem qui nunc sunt, et terra, eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem ju-*

[1] Matth. XXV, 6.
[2] Cf. Genes. VI, 9 et seq.
[3] Genes. XIX, 14 : *Et visus est eis quasi ludens loqui.*

dicii. Et tanguntur duo judicia : unum per aquam, per quod refrigeratus est ignis concupiscentiæ : alterum per ignem, per quem incendetur frigiditas charitatis.

38 « Sicut enim erant in diebus ante diluvium, comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem quo intravit Noe in arcam,

39 Et non cognoverunt donec venit diluvium et tulit omnes : ita erit et adventus Filii hominis. »

Ecce incircumspectio, et inconsideratio futurorum, proveniens ex inordinatione carnalis concupiscentiæ.

« *In diebus* », scilicet Noe, qui solus vixit in die : alii enim erant in nocte. Joan. XII, 35 : *Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.*

« *Ante diluvium,* » quando exspectabat Dei patientia homines ad pœnitentiam. II Petr. III, 9 : *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam revérti.* Psal. XXXI, 6 : *In diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.*

« *Comedentes et bibentes,* » secundum gulæ inordinationem. Isa. XXII, 12 et 13 : *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, et ad planctum... : et ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos, et jugulare arietes.* Exod. XXXII, 6 : *Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere.* Sapient. II, 7 : *Vino pretioso et unguentis nos impleamus.*

Et « *nubentes* » viri, « *et nuptui tradentes* » fœminas. Sed numquid hoc peccatum est? Ad Hebr. XIII, 4 : *Honorabile connubium in omnibus,* scilicet nuptiæ honorabiles, *et thorus immaculatus.* Sed dicendum, quod cum matrimonium sit in officium naturæ, et in socialem et civilem vitam, et in sacramentum Ecclesiæ, illi nihil in hoc quærebant, nisi societatem concupiscentiæ. Tob. VI, 17 : *Hi namque qui ita conjugium suscipiunt, ut Deum a se et a mente sua excludant, et suæ libidini ita vacent sicut equus et mulus quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.* II Petr. II, 13 : *Deliciis affluentes, in conviviis suiis luxuriantes.*

« *Usque ad eum diem quo intravit Noe in arcam :* » quia libido insatiabilis est. Proverb. XXX, 15 et 16 : *Tria sunt insaturabilia, et quartum quod numquam dicit : Sufficit : Infernus, et os vulvæ, et terra quæ non satiatur aqua : ignis vero numquam dicit : Sufficit.* Infernus est amor carnalis : os vulvæ, concupiscentia venereorum ; terra, desiderium sitis : et ignis, æstus gulæ.

« Et non cognoverunt donec venit diluvium et tulit omnes. »

Quia non crediderunt prædicanti Noe. Job, XXIV, 23 : *Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam.*

« Ita erit adventus Filii hominis. »

Adaptatio est, et similitudo inertiæ eorum, qui in duobus judiciis incircumspecti sunt. II Petr. III, 10 : *Adveniet dies Domini ut fur : in quo cœli magno impetu transient.* I ad Thessal. V, 2 : *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.*

40 Tunc duo erunt in agro : unus assumetur, et unus relinquetur.

41 Duæ molentes in mola : una assumetur, et una relinquetur.

Hic ponitur discretio colligendorum. Sunt autem tria genera hominum, in quibus continetur tota hominum universitas, scilicet Prælati, activi, et contemplativi : de quibus dicit Ezechiel. XIV, 20 : Tres viri, scilicet Noe, Daniel, et Job, *ipsi justitia sua liberabunt animas suas.* Noe, qui rexit arcam, Præ-

latos : Daniel vir desideriorum, contemplativos : Job dolens, activos bonos in laboribus dolentes significat. Luc. etiam, x, 38 et seq., significantur per duas sorores, et tertium fratrem Lazarum, quibus erat amicus Dominus, et ad ipsos declinabat. Maria, quæ sedebat ad pedes audiens, contemplativos : Martha satagens circa frequens ministerium et turbata erga plurima, activos : Lazarus autem gubernator domus, Prælatos. Hos igitur tangit hic sub triplici differentia.

Et de Prælatis dicit sic : « *Tunc,* » in tempore finali, « *erunt duo,* » duæ Prælatorum et Prædicatorum differentiæ, « *in agro,* » Ecclesiæ, vel cordium, exercentes eam vomere verbi Dei. Genes. xxiv, 63, Isaac exierat ad meditandum in agro. Supra, xiii, 38 : *Ager est mundus.* I ad Corinth. iii, 9 : *Dei agricultura estis.*

« *Unus assumetur,* » ad gloriam. Ille, videlicet, qui potest dicere illud Apostoli, II ad Corinth. ii, 17 : *Non sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei : sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur* : quia et verbo Dei falsum non admiscet : nec malo exemplo vitiat : et ex Deo auctore et coram Deo, pia intentione in Christo loquitur, confirmante per unctionis gratiam.

« *Et unus relinquetur,* » ad pœnam in terra, quando alius rapitur obviam Christo in aera. Et ille est, de quo dicitur, ad Philip. i, 15 : *Quidam propter invidiam, aut propter contentionem Christum annuntiant :* sive per occasionem quæstus. Sicut in eodem agro Naboth assumptus est, et Achab et Jezabel a canibus devorantur [1]. Et in eodem agro Abel assumptus est, et munera ejus : et Cain damnatus [2]. Ruth, ii, 8 : *Ne vadas in alterum agrum ad colligendum :* quia licet duo sint in agro, tamen ager Ecclesiæ, quantumcumque malus sit agricola, non est nisi unus.

« Duæ molentes in mola, »

Supple, erunt. Mola, per quam circuitus laboris hujus mundi designatur, in qua homines conterantur. Et dicit in fœminimo propter fœcunditatem et effœminationem : quia molles et effœminati manent in ea. Apocal. xviii, 22 : *Vox molæ non audietur in ea amplius.*

« *Una assumetur,* » ad gloriam : ut Martha ministrans Domino, quæ consilium Domini facit. Facit enim sibi amicos de mammona iniquitatis, ut cum deficeret, recipiant eam in æterna tabernacula [3]. Psal. cxxvii, 2 : *Labores manuum tuarum quia manducabis : beatus es, et bene tibi erit.*

« *Et altera relinquetur,* » labore stulto consumpta. De qua dicitur, Eccle. x, 15 : *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere :* quia hæc quæ elaborant, non ponunt in thesauris cœli, sed expendunt ad vanitatem mundi.

« Erunt duo in lecto uno [4], »

Scilicet contemplationis. De quo, Cantic. i, 15 : *Lectulus noster floridus.*

« *Unus assumetur,* » qui amplexibus charitatis, et dulci eloquio veritatis delectatus, in conscientia et religione requiescit. Cantic. iii, 4 : *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam in domum matris meæ,* gratiæ scilicet, *et in cubiculum genitricis meæ,* scilicet sapientiæ. Sapient. viii, 2 : *Hanc amavi..., et quæsivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius.*

« *Et alter relinquetur :* » extra habens

[1] Cf. III Reg. xxi, 13, 23 et 24.

[2] Cf. Genes. iv, 4 et seq.

[3] Cf. Luc. xvi, 9 (Tob. iv, 7 ; Eccli, iv, 1 et xiv, 13).

[4] Hæc verba : *Erunt duo in lecto uno : unus assumetur, et alter relinquetur,* non sunt in Evangelio Matthæi, sed in Evangelio Lucæ, xvii, 34.

contemplationis habitum : et interius quiescit. Isa. LVII, 8 : *Juxta me discooperuisti, et suscepisti adulterum.* Supra, XII, 39 : *Generatio mala et adultera signum quærit.*

42 « Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. »

Hic inducit admonitionem cautelæ. Et dividitur in partes tres. In prima ponit admonitionem : in secunda, hujus admonitionis ex rebus domesticis ponit persuasionem : in tertia autem invitat ad eam ex consideratione judicii servi boni et servi mali, qui diversa a Domino judice stipendia accipiunt meritorum. Et hæc patent in littera.

Dicit igitur : « *Vigilate ergo,* » hoc est, vigilanti animo vos circumspicite. I Petr. IV, 7 : *Estote prudentes, et vigilate in orationibus.* Ad Roman. XIII, 11 : *Hora est jam nos de somno surgere.* I Petr. V, 8 et 9 : *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolvs tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide.* Apocal. III, 2 : *Esto vigilans.*

Et subjungit causam : « *Quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit* » ad judicium, aut particulare, quod est in cujusque morte : aut universale, quod erit in generali resurrectione. Apocalyps. III, 3 : *Si non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur, et nescies qua hora veniam ad te.* Eccle. IX, 12 : *Nescit homo finem suum : sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo.*

43 « Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.

44 Ideo et vos estote parati : quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est. »

Persuasio est ad vigilandum. Et dicit duo : rationem a minori sumptam, et admonitionis repetitionem.

Ratio est : quia si pro damnis temporalibus cavendis solerter vigilatur, tunc multo magis vigilandum est sollicite pro præcavendis damnis spiritualibus : et hoc est : « *Illud autem scitote,* » hoc est, advertite : quia quilibet hoc scit, licet non semper advertat.

« *Quoniam si sciret,* » hoc est præsciret, « *paterfamilias,* » cujus est custodia domus, « *qua hora* » noctis « *fur venturus esset :* » qui fur a furno quod est nigrum, dicitur, quia in nigra nocte furatur. Joan. X, 10 : *Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat.* Osee, VII, 1 : *Fur ingressus est spolians, latrunculus foris.*

« *Vigilaret utique.* » Isa. XXI, 8 : *Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem : et super speculam meam ego sum, stans totis noctibus.*

« *Et non fineret perfodi domum suam.* » Veteres codices habent « perfodui, » est antiqua grammatica. Job, XXIV, 16 : *Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi.* Psal. LXXIX, 17 : *Incensa igni et suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt.*

« Ideo et vos, »

Quibus non una hora, sed continuo domus suffoditur. I ad Corinth. XV, 31 : *Quotidie morior per vestram gloriam, fratres.* Nec incertum, sed certum est, quod fur venturus sit.

« *Estote parati.* » Ad Titum, III, 1 : *Admone illos principatibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse.* Psal. CXVIII, 60 : *Paratus sum, et non sum turbatus.*

« *Quia qua nescitis hora.* » Sancti tamen in omni hora putant : et ideo, Sapient. IV, 7, dicitur : *Justus si*

morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Et, ibidem, ℣. 13: *Consummatus in brevi explevit tempora multa.* Malus autem quia semper sperat longiorem vitam, subitanea semper morte præoccupatur. Luc. XII, 20: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cujus erunt?*

« *Filius hominis venturus est.* » Certissime ecce veniet. Ad Hebr. X, 37: *Adhuc modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, et non tardabit.* Habacuc, II, 3: *Si moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, et non tardabit.*

45 « Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? »

Hic invitat ex consideratione diversorum stipendiorum vigilantium et non vigilantium, bonorum et malorum servorum. Et dicit duo: primo, quæ fiunt bono vigilanti servo: et postea, quæ malo et dormienti, ibi, ℣. 48: « *Si autem dixerit malus*, etc. »

In primo autem adhuc duo dicit: considerationem videlicet meriti, et considerationem præmii ponendo, ibi, ℣. 46: « *Beatus ille servus*, etc. »

Notandum autem, quod hic in fine tres inducit parabolas, quarum ista competit Prælatis, qui assumuntur, vel relinquuntur: sequens autem contemplativis, quæ est de virginibus: et tertia activis, quæ est de servis quibus commissa sunt bona.

De merito igitur vigilantis servi sex tangit: raritatem, fidelitatem, obsequii humilitatem, prudentiæ circumspectionem, ordinariam auctoritatem, et dispensationis utilitatem. Primum est virtutis et honestatis, secundum autem optimæ intentionis et simplicitatis, tertium est veræ sui domini imitationis, quartum provisionis et ordinis, quintum optimæ vocationis, sextum est ædificationis. Per primum excellit et efficitur idoneus, per secundum Deo ut domino paratus, per tertium congruit officio, per quartum congruit honori gradus quem sortitur, per quintum utilis regimini, et per sextum utilis est proximo.

Dicit igitur:

« Quis putas, etc. »

Non impossibilitatem, sed raritatem notat. I ad Corinth. IV, 2: *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Proverb. XX, 6: *Multi homines misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inveniet?* Eccle. VII, 29: *Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* Et ideo cum unus Samuel inventus esset, dixit sacerdos matri: *Reddat tibi Dominus pro fœnore quod commodasti Domino* [1].

« *Fidelis* » autem est intentione. Bernardus: « Profecto fidelis minister eris, « si de universa gloria Domini tui, etsi « transeunte per te, nihil manibus tuis « adhærere contingat. » I Reg. III, 20: *Cognovit universus Israel a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini:* qui totum Deo, nihil sibi attribuit. Sicut Joseph, XLI, 16. Ad Hebr. III, 5: *Moyses fidelis erat in tota domo Dei, tamquam famulus in testimonium eorum quæ dicenda erant.* Eccli. XXXIII, 31: *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua.* Eccli. XLV, 4: *In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne.* I Regum, XXII, 14: *Quis in omnibus servis tuis, sicut David fidelis, et gener regis, et pergens ad imperium tuum, et gloriosus in domo tua?*

« *Servus.* » In hoc notatur obsequii humilitas. Supra, XX, 27: *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.*

[1] I Reg. II, 20.

Ad Philip. II, 5 et seq. : *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu : qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Isa. XLIX, 3 : *Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor.*

« *Et prudens,* » ordine omnium suorum. Sapientis enim est ordinare : et ideo prudens esse debet, ut totam ordinet verbo et scientia familiam Domini. Proverb. XIV, 33 : *In corde prudentis requiescit sapientia, et indoctos quosque erudiet.* Supra, X, 16 : *Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.*

« Quem constituit dominus suus. »

Ecce vocationis electio. Hujusmodi enim « *constituit Dominus* : » non munus, non sanguis, non fastus sæcularis. Ad Hebr. V, 4 : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.* Jerem. I, 10 : *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna.* Psal. XLIV, 17 : *Constitues eos principes super omnem terram.*

« *Super familiam suam.* » Ecce utilitas regiminis. Exod. XVIII, 21 : *Constitue ex eis tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos.* Act. XX, 28 : *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

Et ad quid constituit ? « *Ut det illis cibum in tempore.* » Opportune enim distribuenda sunt pabula pro congruentia personarum et locorum et temporum. Psal. CIII, 27 : *Omnia a te exspectant, ut des illis escam in tempore.* Eccli. XX, 22 : *Ex ore fatui reprobabitur parabola : non enim dicit illam in tempore suo.* Cibum autem dicit verbi, exempli, et temporalis subsidii : quia ad hoc aurum habet Ecclesia, ut dicit Ambrosius, ut distribuat pauperibus. Joan. XXI, 15 et seq., propter hoc dicitur Petro ter : *Pasce, Pasce, Pasce.* Ezechiel. XXXI, totum capitulum est de ista materia.

Sic : « *Quis, putas,* » idoneitatis dignitate, « *est fidelis,* » in intentione, « *servus,* » humilitatis affectione, « *et prudens,* » in officii executione, « *quem constituit dominus suus,* » in officii susceptione, « *super familiam suam,* » in gubernationis mansuetudine. Esther, XIII, 2 : *Volui nequaquam abuti potestatis magnitudine, sed clementia et lenitate gubernare subjectos.* « *Ut det illis cibum in tempore,* » temporali subsidio et exemplo et prædicatione.

« Beatus ille servus quem, cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem. **46**

Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. » **47**

Hic tangit primo præmium aureæ, et postea tangit præmium aureolæ. Beatitudo enim est status omnium bonorum congregatione perfectus : et hæc est *aurea*, quæ imponitur capiti bonorum servorum. Eccli. XLV, 14 : *Corona aurea super mitram ejus, expressa signo sanctitatis.*

« *Quem cum venerit dominus ejus.* » Proverb. VIII, 34 : *Beatus homo qui audit me, et vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei.*

« *Invenerit sic facientem.* » Ad Galat. VI, 10 : *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Eccle. IX, 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.*

« Amen dico vobis. »

« Confirmatio est, ut majus solatium spei sit in dicto.

« *Quoniam super omnia bona sua con-*

stituet eum. » Hoc est præmium *aureolæ*, quod debetur officio Christi. I ad Timoth. v, 17 : *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur : maxime qui laborant in verbo et doctrina.* Hoc enim est *constituere super omnia bona*, quod est gloriari in se de bono quod est in tota Dei familia quam optime gubernavit. Daniel. XII, 3 : *Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti : et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

48 « Si autem dixerit malus servus ille in corde suo : Moram facit dominus meus venire :

49 Et cœperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriosis. »

Sumit hic rationem a stipendiis mai servi, sive mali Prælati. Et tangit duo, malitiam culpæ, et stipendium pœnæ.

Malitiam culpæ tripliciter exaggerat secundum corruptionem rationis, irascibilis, et concupiscibilis.

Corruptio rationis notatur in hoc, quod dicit : « *Si autem dixerit malus servus ille in corde suo.* » Psal. XIII, 1 : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis.*

In quo autem corruptus sit, subdit, quia dicit : « *Moram facit dominus meus venire.* » Sperat enim longam vitam, et evadere judicium. Contra quod dicitur, II Machab. VII, 34 et 35 : *Noli frustra extolli vanis spebus... Nondum enim omnipotentis Dei, et omnia inspicientis, judicium effugisti.* Eccli. XVIII, 10 : *Vidit præsumptionem cordis eorum, quoniam mala est, et cognovit subversionem illorum, quoniam nequam est.* II Petr. III, 4 : *Ex quo patres dormierunt, omnia sic perseverant.*

« Et cœperit percutere conservos suos. »

Ecce corruptio quoad irascibilem. Est autem percutere anathemate, et malo exemplo. I ad Corinth. VIII, 12 : *Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.* Eccli. IV, 35 : *Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi.*

« *Manducet autem et bibat cum ebriosis.* » Ebrius dicitur extra briam, hoc est, mensuram bibens : vel brians, dicitur scyphus sobrio proportionatus : et ebrius dicitur briantem excedens, et bibens usque ad sensus et rationis subversionem. Et tangit hic concupiscibilis corruptionem : et sunt illi Prælati, qui de subditis non quærunt nisi voluptatem. De quibus dicitur, Eccle. X, 16 : *Væ tibi, terra, cujus rex puer est, et cujus principes mane comedunt*, scilicet, ad ebrietatem. Eccli. XXXVII, 34 : *Propter crapulam multi obierunt.* Proverb. XX, 1 : *Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas.* Ad Roman. XIII, 13 : *Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis.*

« Veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua ignorat. » 50

Tangit hic pœnam. Et dicit duo : judicium, et pœnam.

Circa judicium tangit tria : appropinquationem, præoccupationem, ignorantiam. Ex primo est certitudo damnationis : ex secundo, reatus accusationis : ex tertio, periculum sententiæ mortis.

De primo dicit : « *Veniet dominus servi illius,* » cujus judicare interest et vindicare. I ad Corinth. IV, 5 : *Veniet Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum.*

« *In die qua non sperat,* » quia adhuc speravit diu vivere : et ideo præoccupa-

tur, Daniel. IV, 10 et 11 : *Vigil, et sanctus de cœlo descendit. Clamavit fortiter, et sic ait : Succidite arborem.*

« *Et hora qua ignorat.* » Quod periculosum est : quia tunc non patet locus fugiendi, nec ordinatæ sunt rationes excusandi, nec habetur tempus emendandi. Job, XLI, 3 : *Non parcam ei, et verbis potentibus, et ad deprecandum compositis.*

51 « Et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis : illic erit fletus et stridor dentium. »

Ecce pœna triplex, damni scilicet, et sortis in inferno, et afflictionis.

Dicit igitur : « *Dividet eum,* » a consortio bonorum. Vel, « *dividet,* » quia cum ex duobus componatur : agni enim vellus est extra, in vice Christi quam obtinet : lupi malitia est intus in opere quod exhibet : et hæc duo dividentur : quia locus sanctus liberatur, et ipse diabolo assignatur. II ad Corinth. VI, 15 : *Quæ conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli ?* Osee, X, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* III Reg. XVIII, 21 : *Usquequo claudicatis in duas partes ?* Miphiboseth vir confusionis, claudus erat utroque pede [1]. Hoc est quod dicitur, Daniel. V, 25 : *Mane, Thecel, Phares.* Hoc est, numeratum, appensum, divisum. Regnum enim talis Prælati numeratur, ut numerus pœnarum sit secundum numerum peccatorum : et appenditur, ut quantitas pœnarum sit secundum quantitatem circumstantiarum, et præcipue intentionis : et dividitur ab eo, et locus liber datur meliori.

« *Partemque ejus,* » hoc est, sortem, « *ponet cum hypocritis,* » qui aliud sunt extra. Extra enim obtinet Christi locum, et intus exhibet Pilatum, vel Luciferi actum. Psal. LXII, 11 : *Partes vulpium erunt.* Job, XXIV, 18 : *Maledicta sit pars ejus in terra.* Jerem. XIII, 24 et 25 : *Disseminabo eos quasi stipulam, quæ vento raptatur in deserto. Hæc sors tua, parsque mensuræ tuæ.* Isa. XVII, 13 : *Rapietur sicut pulvis montium a facie venti, et sicut turbo coram tempestate.* Hæc est pars eorum qui vastaverunt nos. Job, XX, 26, 28 : *Devorabit eum ignis, qui non succenditur, affligetur relictus in tabernaculo suo... Detrahetur in die furoris Domini.* Hæc est pars hominis impii.

« Illic erit fletus, »

Propter fumum incendii : « *et stridor dentium,* » propter frigus. Job, XXIV, 19 : *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* Hoc supra [2] expositum est, etc.

[1] Cf. II Reg. IX, 13.

[2] Cf. supra expositionem datam, XIII, 42, pag. 573. Tom. XX.

CAPUT XXV.

Parabolas proponit de decem virginibus, ac talentis distributis servis : quorum dominus peregre rediens singulos præmiat aut punit juxta ipsorum merita : extremum judicium ponit ob oculos, et causas præmiationis bonorum ac punitionis malorum.

1. Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ.
2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes.
3. Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum :
4. Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.
5. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt.
6. Media autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam ei.
7. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas.
8. Fatuæ autem sapientibus dixerunt : Date nobis de oleo vestro : quia lampades nostræ exstinguuntur.
9. Responderunt prudentes, dicentes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis.
10. Dum autem irent emere, venit sponsus : et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua.
11. Novissime vero veniunt et reliquæ virgines, dicentes : Domine, Domine, aperi nobis.
12. At ille respondens ait : Amen dico vobis, nescio vos.
13. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam [1].
14. Sicut enim homo peregre proficiscens vocavit servos suos [2], et tradidit illis bona sua.
15. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, et profectus est statim.
16. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque.
17. Similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo.
18. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui.
19. Post multum vero temporis, venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis.
20. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens : Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.
21. Ait illi dominus ejus : Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium domini tui.
22. Accessit autem et qui duo talenta

[1] Marc. XIII, 33.

[2] Luc. XIX, 12.

acceperat, et ait : Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum.

23. Ait illi dominus ejus : Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium domini tui.

24. Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait : Domine, scio quia homo durus es : metis ubi non seminasti, et congregas ubi non sparsisti :

25. Et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra : ecce habes quod tuum est.

26. Respondens autem dominus ejus, dixit ei : Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi :

27. Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura.

28. Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta :

29. Omni enim habenti dabitur [1], et abundabit : ei autem qui non habet, et quod videtur habere auferetur ab eo.

30. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores : illic erit fletus et stridor dentium.

31. Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ.

32. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis :

33. Et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris.

34. Tunc dicet Rex his qui a dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.

35. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare [2] : sitivi, et dedistis mihi bibere : hospes eram, et collegistis me :

36. Nudus, et cooperuistis me : infirmus, et visitastis me [3] : in carcere eram, et venistis ad me.

37. Tunc respondebunt ei justi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te : sitientem, et dedimus tibi potum ?

38. Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te : aut nudum, et cooperuimus te ?

39. Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te ?

40. Et respondens Rex, dicet illis : Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

41. Tunc dicet et his qui a sinistris erunt : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus [4].

42. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare : sitivi, et non dedistis mihi potum :

43. Hospes eram, et non collegistis me : nudus, et non cooperuistis me : infirmus, et in carcere, et non visitastis me.

44. Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitien-

[1] Supra, XIII, 12 ; Marc. IV, 25 ; Luc. VIII, 18 et XIX, 26.

[2] Isa. LVIII, 7 ; Ezechiel. XVIII, 7 et 16.

[3] Eccli. VII, 39.

[4] Psal. VI, 9 ; Supra, VII, 23 ; Luc. XIII, 27.

tem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi?

45. Tunc respondebit illis, dicens : Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.

46. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam[1].

IN CAPUT XXV MATTHÆI

ENARRATIO.

« Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus. »

Hic adhuc inducit duas parabolas, in quibus monet ad vigilandum : et tandem in fine declarat modum et ordinem judicii extremi, propter quod vigilandum est : et hæc est divisio istius capituli.

Parabolæ autem istæ distinguuntur : quia prior ad vigilantiam munditiæ et continentiæ contra peccatum, et præparationem virtutis : et ideo attribuitur contemplativis, quorum est studium virtutis, et puritatis et decoris proprium. Sequens autem indicitur ad vigilantiam instantiæ operis, et multiplicationis bonorum operum : et ideo attribuitur activis bonis.

Modus igitur primæ parabolæ est, quod primo inducit parabolam, et secundo inducit intentionem vigilantiæ, cum dicit, ℣. 13 : « *Vigilate itaque.* »

Parabola est in duobus : in studio puritatis et decoris quoad meritum : et in discussione sinceritatis et intentionis quoad judicium, ibi, ℣. 6 : « *Media autem nocte.* »

Studium puritatis quoad meritum duplex, vel triplex, scilicet, quoad studii illius conceptum, et quoad profectum, et quoad complementum perseverantiæ. Profectus est, ibi, « *Quæ accipientes lampades suas*, etc. » Complementum est, ibi, v. 5 : « *Moram autem faciente*, etc. »

In primo horum tria notantur, scilicet duo assimilata, et ratio assimilationis eorum, et ratio assimilatorum est, ibi, « *Regnum cœlorum.* »

« Tunc simile erit regnum cœlorum. »

Nec regnum cœlorum hic aliud intelligitur nisi studium pulchritudinis : quod secundum leges ad cœlum ducentes homini proponitur. Eccli. XLIV, 6 : *Pulchritudinis studium habentes : pacificantes in domibus suis.* Supra, XIII, 41 : *Colligent de regno ejus omnia scandala.* Sapient. V, 17 : *Accipient regnum decoris, et diadema speciei de manu Domini.*

Aliud isti assimilatum est decem virgines, cum dicit : « *Decem virginibus,* » hoc est, virginalibus mentibus, quæ conceptam fidei puritatem cum nullo illicito devirginant amatore. II ad Corinth. XI, 2 : *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Esther, II, 2 : *Quærantur regi puellæ virgines ac speciosæ.* Psal. XLIV, 15 : *Adducentur regi virgines post eam.* Sapient. III, 13 : *Felix, quæ nescivit thorum in delicto.* Supra, XIX, 12 : *Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum.*

Hæ virgines decem dicuntur : aut propter decem mandatorum obedientiam : sed tunc non consequenter quinque essent fatuæ, quia summa sapientia est Dei mandatis intendere. Aut dicuntur

[1] Daniel XII, 2; Joan. V, 29.

melius decem, propter custodiam decem sensuum : quinque exteriorum, et quinque interiorum, qui mentem illibatam deflorant, et devirginant. Primus autem inter exteriores est tactus, in cujus delectatione est ipse concubitus. Tamen etiam tactus impudici multum corrumpunt mentis puritatem. Unde, Hieronymus : « Tactus et joci, risus et sibili, morituræ « virginitatis solent esse principia. » Ideo de purissima cantamus : « Beata « mater et intacta Virgo. » Est etiam gustus quorumdam afferens libidinem : propter quod dicitur, ad Ephes. v, 18 : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et, Genes. ix, 21, verenda Noe nudata sunt, cum vinum bibisset. Et, Genes. xix, 33 et 35, filias Lot ebrius corrupit. Hieronymus : « Non Ætnei montes, « non vulcani ignes ita æstuant, ut juve- « niles medullæ vino et dapibus inflam- « matæ : » ideo dicitur, quod princeps coquorum templum Domini, quod virgo est secundum Apostolum, succendit. Tertium est odor odoramentorum luxuriosorum : signum enim est petulantiæ. Isa. iii, 20, habere olfactoriola, et præferre rosas in manibus, et hujusmodi. Unde, Proverb. vii, 17, mulier vaga et garrula inter alia dicit, quod cubile aromatibus aspersit, et præcipue his quæ libidinem accendunt [1]. Quartus est auditus turpium. I ad Corinth. xv, 33 : *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Et econtra de puris dicitur, Cantic. i, 10 : *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento,* hoc est ornamenta aurea dabimus, divina, et candida puritate virginali. Psal. xliv, 11 : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam,* etc. Visus est quintus : *Qui* enim *viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* [2]. Genes. Etiam, iii, 6, mulier primo conspexit lignum quod *esset pulchrum oculis, adspectuque delectabile.* Genes. xxxiii, 1 et 2, Dina rapta est, cum egressa esset ad videndum, ut videret, et videretur. Job, xxxi, 1 : *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut non cogitarem quidem de virgine.*

Interiores autem sunt turpis imaginatio, turpium memoria præteritorum, sensualis motus turpium, et cogitatio turpis, et concupiscentia. Imago enim turpis præ cordis oculis posita, corpus laxat ad illicitum, et mentis puritatem violat. Unde Dominus improperat, Ezechiel. xvi, 17, 26, quod mulier fornicaria fecerit sibi imagines masculinas magnarum carnium. Jerem. ii, 20 : *Sub omni ligno frondoso, tu prosternebaris meretrix :* quod esse non potuit nisi per imaginationem : turpium autem memoria multum violat. Unde, Numer. xi, 5, illi, quibus venerunt in memoriam pepones, et allia, et carnes, voluerunt redire in Ægyptum. Et ideo intemerata virgo monetur in Psalmo xliv, 11 : *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* Sensualis autem motus, est animalis et brutus motus non restrictus : et ille vocatur serpens, qui corrupit hevam [3], II ad Corinth. xi, 3: *Timeo ne sicut serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quæ est in Christo.* Sæpe enim fit, dum motus tentationis non restringitur, quod ingravescente tentatione, etiam mens ad consentiendum illicitæ delectationi deducitur. Cogitatio autem est, quando talia in corde coagitantur : et qualia sint, et qualiter perficiantur, mente curiosa perquiritur. Et dum primo ex curiositate talia rimantur, postea ingerente se delectatione, mens polluitur, et illicite delectatur : et ideo dicit Apostolus, I ad Corinth. vi, 18 : *Fugite fornicationem :* quia pestis ista non nisi fugiendo vincitur, ut in toto a cogitatione mentis abjiciatur : et ideo dicit Philosophus, quod illud quod sapientes passi sunt ad Helenam, hoc nos pati oportet ad delectationem veneream :

[1] Proverb. vii, 17 : *Aspersi cubile meum myrrha, et aloe, et cinnamomo.*

[2] Supra, vi, 28.

[3] Cf. Genes. iii, 1 et seq.

sapientes autem vasa Helenæ fugerunt, ne illicito corrumperentur amore. Ultimum autem concupiscentia omnia vitiat : propter quod Deo laudabilis virgo dicit, Tob. III, 16 et 17 : *Tu scis, Domine, quia numquam concupivi virum, et servavi animam meam ab omni concupiscentia. Numquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in levitate ambulant participem me præbui.*

Vel, Quinque sensus interiores sunt, quos ponunt Philosophi. Sensus communis, qui sensata componit : imaginatio, quæ imaginem absentis rei retinet et repræsentat : æstimatio, quæ amicum et inimicum, conveniens et inconveniens sibi ex sensibilibus elicit : et phantasia, quæ elicita componit et dividit : et memoria, quæ sicut in thesauro omnia reponit.

Sed et adhuc quinque sensus sunt corporei, quos diximus : et quinque spirituales, qui ad malum extenti violant, ad bonum extenti conservant mentis castitatem. Et tactus quidem est experientia conjunctionis in corde per delectationem : gustus autem est perceptio dulcedinis rei, quæ reducitur ad cordis palatum : odoratus autem perceptio evaporationis boni, vel mali, quod per cordis nares distribuitur, quando cor meditando illud quasi dividendo distribuit, et quid vigoris intus habeant, cognoscere quærit : auditus autem spiritualis est, quando verba, et cantus, et hujusmodi amati ad cor revocantur : visus autem in speciem amati, quod oculis cordis ingeritur.

De tribus autem simul dicitur, I Joan. I, 1 et seq. : *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ :... et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis*, etc.

De gustu, I Petr. II, 3 : *Si tamen gustatis quoniam dulcis est Dominus.* De odore, II ad Corinth. II, 15 : *Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt.* Cantic. I, 3 : *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Sic ergo decem sunt. Psal. XXXII, 2 : *In psalterio decem chordarum psallite illi.* Lignum enim aridum psalterium supra sonans, virginitas est, quæ. Isa, LVI, 3, dicit : *Ecce ego lignum aridum* : decem autem chordæ decem sunt castitatem observantia, quæ diximus, quando ad mortificationem carnis extenduntur.

« Quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ. »

Hic tangit profectum dupliciter, sub modo videlicet convenientiæ, et sub modo differentiæ.

Sub modo convenientiæ tangit quatuor, voluntarium scilicet integritatis propositum, pulchritudinis studium, a commodo carnis recessum, et ad receptionem sponsi processum.

Voluntarium integritatis propositum notatur, cum dicit : « *Quæ accipientes,* » sponte propria : non enim est necessitatis, sed liberæ voluntatis, I ad Corinth. VII, 25 : *De virginibus præceptum Domini non habeo : consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis.* Et, in eodem, ŷŷ. 36 et 40 : *Non peccat mulier, si nubat... Beatior autem erit si sic permanserit secundum meum consilium.* Matth. XIX, 11 : *Non omnes capiunt istud verbum.*

Pulchritudinis studium notatur, cum dicit : « *Lampades suas.* » Lampas est lucerna lucida, perspicua, luminis contentiva : et hoc est corporis integritas perspicuæ munditiæ. *Suæ* autem dicuntur, quia innatæ sunt omnibus hujusmodi innocentis munditiæ. Job, XII, 4 et 5 : *Deridetur justi simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes divitum.* Eccli. XXVI, 21 et 22 : *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus. Lucerna splendens super candelabrum sanctum, et species faciei*, hoc est corporis, *super ætatem stabilem.* Ideo dicitur, Cantic. VI, 9 : *Pulchra ut luna, electa ut sol :* quæ luminaria mundi

sunt lampades. Ideo lampades erant in templo.

A commodo corporis recessus notatur, cum dicitur : « *Exierunt.* » Zachar. II, 6 : *O, o fugite de terra Aquilonis.* Apocal. XVIII, 4 : *Exite de illa, populus meus.* Isa. LII, 11 : *Recedite, exite inde, pollutum nolite tangere : mundamini, qui fertis vasa Domini.*

« *Obviam,* » Christo, « *sponso.* »

Processus notatur, cum subinfertur : « *Obviam sponso et sponsæ.* » Et hoc fit per occursum desiderii et devotionis in oratione, et profectu boni operis. Amos, IV, 12 : *Præparare in occursum Dei tui, Israel.* Sponsus autem est Christus, de quo dicitur in Psalmo XVIII, 6 : *Ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Sponsa autem est Ecclesia, ad Ephes. IV, 25 : *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.* Vel melius : Sponsus est Filius Dei, secundum quod est Verbum Patris : et sponsa est humana natura, quæ est in partu virginis matris. Joan. III, 29 : *Qui habet sponsam, sponsus est.* Sapient. VIII, 2 : *Hanc amavi, et quæsivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius.*

« Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes. »

Tangit hic differentiam in merito dupliciter : secundum habitum intellectus, et secundum habitum affectus.

Secundum habitum quidem intellectus, quia « *Quinque ex eis erant fatuæ,* » quæ destitutæ erant habitu intellectus. Fatuitas enim est, quando dissoluta lascivia fertur quis ad sensibilia per animalitatem, quam intra metas mentis spiritus rector non continet : et hæc fatuitas dicitur *incontinentia :* quando vis illecebrosæ passionis a regimine sapientiæ abducit motus corporis, et efficitur vaga, garrula, quietis impatiens [2] : cum ludentibus se miscens, et cum his qui in levitate ambulant, participem se præbens [3]. Hanc enim virginem etiam vulgus *fatuam* consuevit appellare. Et Philosophus in VII *Ethicorum* dicit, quod « lusivus etiam est incontinens. » Et in III *Ethicorum :* « Nomen incontinentiæ ad puerilia peccata « inferimus. » Quinque autem sunt, propter quinque sensus delectabilia, in quibus fatuitates exercent.

« Et quinque prudentes. »

Per oppositum. De quibus dicitur, Eccli. XIV, 22 : *Beatus vir qui in sapientia morabitur, et qui in justitia sua meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei.* Istæ enim *prudentes* dicuntur, quia sensus reducunt ad justitiæ meditationem, cum prudenter circumspiciunt, in quibus sensus suos occupare debeant : justitiam reducunt ad morandum in sapientia, cum sapientiæ ordinem et metas in nullo excedunt.

Vel, Quinque sunt, propter quinque quæ vigorem perpetuæ integritatis conservant : dum meditantur divinam incorruptionem, suæ integritatis causam : dum sinceritatis Angelicæ servant imaginem : dum plenitudinis virginalis Christi concupiunt decorem : dum exemplo Virginis matris ab omni inquinamento liberam servant sanctitatem : dum ducibus virginibus sacris, incoinquinati certaminis quod habent contra carnalia, evincunt mercedem.

Deitatis igitur integritatem habent causam. Unde Augustinus dicit, quod « Virginitas est in carne corruptibili in« corruptionis perpetuæ meditatio. » Ad Hebr. VIII, 5 : *Vide, omnia facito secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte.* Ideo, Levit. XIX, 2 : *Sancti estote, quia ego sanctus sum,* hoc est, mundus.

[1] Cf. I Reg. II, 3, et Zachar. IV, 2.
[2] Cf. Proverb. VII, 10 et 11.
[3] Cf. Tob. III, 17.

I ad Corinth. VII, 34 : *Mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.*

Imaginis etiam Angelicæ virginitas est æmulatrix. Et hoc fit, dum adeo indesinenter vultui Dei assistit, quod etiam ministrans circa thorum maritalem, connubia disponens et tractans non inquinatur. Sicut Raphael Angelus, Tob. VII et VIII. Matth. XXII, 30: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur : sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo* [1]. Sapient. VII, 25 : *Nihil inquinatum in eam incurrit,* propter suam munditiam : et hæc munditia multum necessaria est Prælatis, qui ordinare debent actus carnalium, ut non polluantur ex ipsis. Et hoc proprie vocatur cœlibatus : est enim delibatio munditiæ cœlestis.

Plenitudinis autem Christi concupiscunt decorem : quando Verbum ita quiescit in cordibus earum, quod carni mistum habitat in eis : effundens id quo Unigenitum præfulget a Patre *plenum gratiæ, et veritatis* [2]. Ita quod dicatur de ipsis : *Myrrha, et gutta et casia* spirant *a vestimentis tuis, a domibus eburneis,* scilicet castis : *ex quibus delectaverunt te* divites *filiæ regum* nobiles *in honore tuo* [3]. Et illud Proverb. XXXI, 29 : *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu,* sola scilicet, *supergressa es universas.*

Exemplo autem Virginis matris ab omni inquinamento liberam servant sanctitatem, dum totum corpus spiritui mancipant, et spiritum Spiritui sancto subjiciunt. Sic enim venit in eas Spiritus sanctus, et virtus altissimi Filii Dei conceptum format in ipsis. Isa. XXVI, 18 : *A facie tua concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum,* scilicet salutis. Eccli. XXIV, 42 : *Inebriabo prati mei fructum.*

Ducibus autem virginibus sacris, incoinquinati certaminis præmium vincunt. Sapient. IV, 2, dicitur, de casta generatione : *Et in perpetuum coronata triomphat,* adversus carnem et sanguinem resistens. I ad Corinth. VII, 34 : *Mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.* Hæc enim est illa, de qua dicitur, Genes. XXIV, 16 : *Virgo pulcherrima, et incognita viro.* Psal. XLIV, 15 : *Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi.*

Econtra fatuæ sunt, quæ diaboli habent integritatem in corpore, inferni semper plenæ igne et fœtore, apparentiam exterius Antichristi, spurcitias immundas mundi, et ad omnem virum capiuntur : quæ nunc in nullo nisi in exteriori opere, tentationi libidinis resistentes. De quibus dicitur, Isa. III, 16 et 17 : quod *elevatæ sunt filiæ Sion..., et nutibus oculorum ibant..., et composito gradu incedebant :* et ideo *decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit.* Thren. I, 4 : *Virgines ejus squalidæ, et ipsa oppressa amaritudine.* Eccli, XLII, 11 : *Super filiam luxuriosam confirma custodiam.* Fatuitas enim est virginis, gestum accipere meretricis, et habitum contra morem sanctarum virginum, spurcitias cordis contra sanctitatem gloriosæ Virginis, nihil habere gratiæ saporis contra gratiæ plenitudinem, quæ est in Christo, ardere igne infernali libidinis contra integritatem et sinceritatem angelicam, et sola et sterili integritate corporis esse contentam, contra fœcundam incorruptionem divinam. Hæc enim, sicut dicit Ambrosius, virgo corpore omni devirginatur gestu, sensu, et cogitatione, lupanar diaboli existens.

« Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum : 3

Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. » 4

[1] Cf. Luc. XX, 35.
[2] Joan. I, 14.
[3] Psal. XLIV, 9.

Describit hic differentiam harum virginum in affectu intellectum sequente.

« *Acceptis lampadibus* » integritatis, fidei et corporis. Istæ in sinistris manibus habebant lampades. Judicum, VII, 20, milites Gedeonis sinistris manibus tenebant lampades : quia totum ad inanem gloriam referebant, interius cum diabolo luxuriantes. II Petr. II, 14 : *Pellicientes animas instabiles.*

« *Non sumpserunt oleum,* » pietatis in affectu gloriæ, in testimonio conscientiæ : illustrationis in intentione : charitatis in amplexu Dei : misericordiæ in compassione proximi. Pietas enim ungit : testimonium conscientiæ exhilarat : recta intentio totam vitam illuminat : charitas impinguat : et misericordia superenatat : quæ quinque habet olei natura. Hoc oleum non sumpserunt « *secum,* » quia hæc per laudem quæsiverunt in alio, et non in seipsis. Eccli. XX, 13 : *Gratiæ fatuorum effundentur.* Osee, XII, 1 : *Oleum in Ægyptum ferebat.*

« Prudentes vero. »

Dictæ *prudentes*, quia sibi providentes, « *acceperunt oleum,* » unctionem Spiritus, Isa. LXI, 1 : *Eo quod unxerit Dominus me.* Psal. XLIV, 8 : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Hilaritatem cordis in devotione, Psal. CIII, 15 : *Ut exhilaret faciem in oleo.* Fomentam lucis in boni exempli ostensione, Zachariæ, IV, 14 : *Isti sunt duo filii olei*, scilicet splendoris, *qui assistunt dominatori universæ terræ.* Pinguedinem devotionis, Judicum, IX, 9, dicit oliva : *Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua et dii utuntur, et homines, et venire*, per vanam gloriam scilicet, *ut inter ligna* irrationabilia *promovear* in laude hominum ? Ubertatem gratiæ, Jerem. XI, 16 : *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum.*

Hæ prudentes virgines « *acceperunt oleum.* » Ad Galat. VI, 4 : *Opus suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero.*

« *In vasis suis,* » hoc est, in cordibus. Unde, IV Reg. IV, 5, uxori Prophetæ *filii offerebant vasa, et illa infundebat.* II ad Corinth. IV, 7 : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus : ut sublimitas non sit ex nobis.*

« *Cum lampadibus,* » fidei integritate quoad credenda, et corporis munditia quoad castitatem.

Hæ igitur quinque dicuntur : « *Acceperunt* » enim per meritorum conservationem, « *oleum,* » per pietatis affectionem, « *secum,* » per propriam ædificationem, « *in vasis suis,* » per cordium custodiam, « *cum lampadibus,* » per exteriorem munditiam : quæ omnia deficiunt fatuis, præter ultimum, quod vanum est sine aliis. Proverb. XXI, 20 : *Thesaurus desiderabilis, et oleum in habitaculo justi : et imprudens homo dissipabit illud.*

« Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt. » 5

Hic tangitur conformitas istarum virginum in perseverando. Et dicuntur duo, scilicet dilatio judicii, et surrepens dormitatio ex dilatione judicii causata.

De primo dicit : « *Moram autem faciente sponso,* » hoc est, differente judicium. Supra, XXIV, 48 : *Moram facit dominus meus venire.* Et objicitur contra hoc, Jacob. V, 9 : *Ecce judex ante januam assistit.* Apocal. XXII, 7 : *Ecce venio velociter.* Isa. XLVI, 13 : *Prope feci justitiam meam, non elongabitur, et salus mea non morabitur.* Isa. XIV, 1 : *Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur.* RESPONSIO : Respectu æternitatis prope est : sed respectu desiderii sanctorum et irrisionis peccatorum longe est. De desiderio sanctorum, Apocal. VI, 10 : *Usquequo, Domine, (sanctus et verus) non judicas, et non*

vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra ? Psal. XII, 1 : *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem ?* De irrisione peccatorum, qui non credunt venturum, eo quod ita diu differtur, dicentes illud epist. II Petr. III, 4 : *Ex quo patres dormierunt, omnia sic perseverant.* Isa. XXVIII, 10 : Irriserunt prophetas mandata Domini nuntiantes et dixerunt : *Manda, remanda : manda, remanda : exspecta, reexspecta : exspecta, reexspecta : modicum ibi, modicum ibi.* Contra quod dicitur, Habacuc, II, 3 : *Si moram fecerit, exspecta illum : quia veniens veniet, et non tardabit.* Sponsus autem est Christus. Psal. XVIII, 6 : *Ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Et qua ratione sit sponsus, supra dictum est.

Sequitur :

« Dormitaverunt omnes. »

Dupliciter exponitur. Dormitare enim est languore destitui : et dormire, corporaliter mori. Joan. XI, 11 : *Lazarus amicus noster dormit.* Somnus enim est mors, eo quod mortui sunt suscitandi sicut dormientes. Daniel. XII, 2 : *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere,* etc. Psal. CXXVI, 2 : *Cum dederit dilectis suis somnum.*

Alio modo secundum Chrysostomum : « *Dormitaverunt omnes,* » præ exspectationis tædio. Psal. CXVIII, 28 : *Dormitavit anima mea præ tædio : confirma me,* etc.

« Et dormierunt, »

Somno ignaviæ et torporis a bono opere. Proverb. VI, 9 et 10 : *Usquequo, piger, dormies ?... paululum dormies, paululum dormitabis.* I ad Corinth. XV, 34 : *Evigilate, justi.* Ignorantiam enim Dei quidam habent usque nunc. Osee, VII, 6 : *Tota nocte dormivit coquens eos.*

« Media autem nocte clamor factus est. »

Hic tangitur præoccupans eos in somno judicium. Et tanguntur tria, scilicet citatio, præparatio ad veniendum, et introitus. Citatio est æqualis fatuarum et prudentium : præparatio partim æqualls et partim differens : introitus ex toto inæqualis et differens.

De citatione dicit tria esse circa judicium, scilicet quod improvisum, quod apertum, quod peremptorie citatorium.

Quod improvisum, quia « *media autem nocte,* » hoc est, mediis tenebris ignorantiæ. Sapient. XVIII, 14 et 15 : *Cum quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, venit.* Supra autem dictum est, quod non pro qualitate temporis, sed pro obscuritate improvisionis horæ judicii dicitur istud : quia, I ad Thessal. V, 2 : *Dies Domini sicut fur, in nocte ita veniet.* Sapient. XVII, 5 : *Ignis nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.* Hieronymus dicit, quod traditio Hebræorum est, quod media nocte futura sit judicii dies : quando, Exod. XII, 29, Pascha celebratum est, eo quod essent ab exterminatore Angelo liberati : qui media nocte transivit per domos Ægyptiorum. Unde dicit se opinari, quod traditio apostolica fuerit, quod in vigilia Paschæ populus a laudibus divinis ante medium noctis dimittendus non fuerit, ut hora qua liberati sunt ab exterminatore, per Christi Resurrectionem dimitterentur : tunc securi Pascha celebraturi. Psal. CXVIII, 62 : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.*

« Clamor factus est. »

Fragoris mundi, et vocationis angelicæ, et vocis Christi. De quibus, Supra dictum est [1]. Isa. VI, 4 : *Commota sunt*

[1] Cf. Matth. XXIV, 31 et seq.

superliminaria cardinum a voce clamantis. Joan. v, 25 : *Mortui audient vocem Filii Dei.*

« Ecce sponsus venit, exite obviam ei. »

In ista peremptoria citatione duo dicit, scilicet, adventum sponsi, et citationem.

Adventus sponsi exprimitur, cum dicit : « *Ecce sponsus venit.* » Daniel. VII, 13 : *Filius hominis venit, et usque ad antiquum dierum pervenit, et in conspectu ejus obtulerunt eum.*

« *Exite obviam ei.* » Ecce citatio. Amos, IV, 12 : *Præparare in occursum Dei tui, Israel.* Iste autem exitus est vocatio obviam Christo in aera : sicut dicitur, I ad Thessal. IV, 17 : *Simul rapiemur cum illis in nulibus. obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.*

« Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas. »

Ecce ad veniendum præparatio, in qua in aliquo sunt similes, et in aliquo dissimiles. Dicit autem tria : et in primis duobus sunt similes, et in tertio dissimiles. Primum est communis resurrectio : secundum est communis conscientiarum ad defendendum se præparatio : tertium est differens conscientiarum excusatio.

De primo dicit : « *Tunc surrexerunt omnes,* » ad auditum vocis et clamoris. Joan. v, 25 : *Venit hora..., quando mortui audient vocem Filii Dei : et qui audierint, vivent.* I ad Corinth. XV, 52 : *Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti.* « *Virgines,* » in integritate fidei, et castitatis corporalis (quæ sunt communia bonis et malis). Quia, sicut dicitur, Jacob. II, 19 : *Dæmones credunt, et contremiscunt.*

« *Et ornaverunt,* » hoc est, ornamenta virtutum, prout potuerunt, quæsiverunt. Judith, X, 4 : *Omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat.* Et iste ornatus est in conscientiæ pulchra defensione, a culpæ objectione. Ad Roman. II, 15 et 16 : *Inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die, cum judicabit Deus occulta hominum secundum Evangelium meum.* Propter istum ornatum dicit Apostolus, I ad Corinth. IV, 5, quod *illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo.* Quidquid enim pulchri ornatus in conscientiis tam bonorum quam malorum, commendabitur a lumine judicis.

« *Lampades suas,* » hoc est, conscientias, vel corda sua. Ideo enim dicitur, Psal. CXXXI, 17 : *Paravi lucernam Christo meo.* Luc. XV, 8 : *Accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniat.* Lampades enim parare, est corda lumini judicis accendenda, et illuminanda exhibere : ut in eis aperte luceat omne quod gesserunt. Everrere autem et quærere diligenter est sollicite volvere quid dignum lumine judicis in corde inveniatur.

« Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ exstinguuntur. »

Ecce tertium, in quo est differentia. Tanguntur autem duo. Primum est deceptio fiduciæ fatuarum, secundum est prudentium humilitas et veritas.

In deceptione fatuarum tria notantur, scilicet fiduciæ vanæ deceptio, communicationis bonorum alienorum petitio, et imperfectionis propriæ confessio.

Dicit ergo : « *Fatuæ autem,* » videntes se fiduciam non habere in exteriori munditia, et solius fidei integritate, « *sapientibus dixerunt.* » Simile quid est, Sapient. V, 3 : *Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum,* etc. Et sequitur, ℣. 5 : *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei et inter Sanctos sors illorum est.*

« Date nobis de oleo vestro. »

Ecce petitio communicationis alieni boni. Sensus enim est : Communicate nobis de bonis, in quibus conscientiæ vestræ abundant : tarde commemorantes illud Apostoli, II ad Corinth. VIII, 14 : *Illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut æqualitas fiat.* Psal. CXXV, 6 : *Dormierunt somnum suum : et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Viri enim divitiarum sunt illi, qui in imperfectis et informibus bonis exterioris munditiæ se putant sufficere. Job, XXVII, 19 : *Dives cum dormierit, nihil secum auferet : aperiet oculos suos, et nihil inveniet.* Proverb. XX, 4 : *Mendicabit æstate et non dabitur illi.*

« Quia lampades nostræ exstinguuntur. »

Ecce confessio insufficientiæ. Lampades enim exstingui, est conscientias ab interni boni lumine destitui. Job, XXI, 17 : *Quoties lucerna impiorum exstinguetur, et superveniet eis inundatio, et dolores dividet furoris sui ?* Econtra de forti muliere dicitur, Proverb. XXXI, 18 : *Non exstinguetur in nocte lucerna ejus.* Joan. V, 35 : *Ille erat lucerna ardens et lucens.* Sed illis accidit sicut Heli, I Reg. III, 2 et 3, quod non vidit lucernam Dei, antequam exstingueretur. Non enim primo providerunt thesauros olei in vasis : nec consideraverunt lampades, antequam coram judice exstinctas conspexerunt.

Dicunt autem, « *exstinguuntur,* » et non exstinctæ sunt : ut notetur, quod bonum informe ante adventum judicis in oculis earum fulsit multum : unde laudes (alias, lampades) quæsiverunt. Sed lumine judicis discutiente quod ad laudem hominis factum fuerat, exstingui cœpit et offuscari. Daniel. V, 27 : *Inventus es minus habens.* Apocal. III, 17 : *Dicis : Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia miser es, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.*

« Responderunt prudentes, dicentes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis. » 9

Ista prudentium responsio, est propriæ humilitatis ostensio : et peccati fatuarum oblique facta exprobratio.

Et ideo dicit : « *Responderunt prudentes,* » ex prudentia sua providentes, « *dicentes.* » Simile quid, Job, V, 1 : *Voca ergo, si est qui tibi respondeat, et ad aliquem sanctorum convertere.*

« Ne forte non sufficiat nobis et vobis. »

Non est diffidentiæ, vel avaritiæ responsio. Ad Hebr. XIII, 5 : *Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus : ipse enim dixit : Non te deseram, neque derelinquam.* Sed humilitatis est, et veritatis. Humilitatem enim notant, dicentes : « *Ne forte non sufficiat nobis.* » IV Reg. IV, 2 : *Non habeo ancilla tua nisi quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo ungar.* Veritatis autem est, quod dicunt. « *Non sufficiat nobis et vobis.* » Nulli enim suffragantur aliena, qui cum alienis non habet propria : quia sicut in sequentibus ejusdem capituli dicitur, ℣. 29 : *Omni habenti dabitur, et abundabit : ei autem qui non habet, etiam id quod videtur habere, auferetur ab eo.* Unde dicitur, Jerem. VII, 16, et XI, 14, et XIV, 11 : *Noli orare pro populo hoc... quia non exaudiam te.* Ad Roman. XIV, 12 : *Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.*

« Ite potius ad vendentes, et emite vobis. »

Non est consilium, sed oblique repræ-

hendunt vitam præteritam : oleum enim est laus humani favoris demulcens, quod omnibus bonis suis semper emere a vendente mundo consueverunt. Eccle. VII, 6 : *Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi.* Psal. CXL, 5 : *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me : oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Isa. III, 12 : *Populе meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant.*

10 « Dum autem irent emere, venit sponsus : et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. »

Hic tangitur in toto differens introitus. Et tanguntur tria : occupatio fatuarum cum sponso veniente, et introitus prudentium, et perpetua exclusio fatuarum.

Occupatio fatuarum tangitur, cum dicitur : « *Dum irent emere.* » Ire autem est conatu cordis adhuc laudes humanas quærere : quia in qua voluntate peccati quis moritur, in ea semper permanebit. Unde, Supra, VII, 23 : *Discedite a me, qui operamini iniquitatem.* Ezechiel. XXXII, 27 : *Descenderunt in infernum cum armis suis..., et fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum.* Eccli. XXVII, 2 : *Inter medium venditionis et emptionis angustiabitur peccatum.*

« Venit sponsus. »

Tangitur prudentium introitus : et dicuntur tria, scilicet sponsi adventus, prudentium introitus, et ostii conclusio.

Dicit igitur quod illis adhuc in emptione laudis occupatis, « *venit sponsus,* » illuminans abscondita tenebrarum, et ostendens illas adhuc hominibus velle placere : et ideo Christi ancillas non esse [1]. Ezechiel. XLIII, 2 : *Terra splendebat a majestate ejus.* « *Et quæ paratæ erant,* » soli Deo placere desiderantes, et in oleo lætitiæ abundantes, et lucernas ardentes per charitatis lucem in manibus habentes. Cantic. VIII, 6 : *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.* Luc. XII, 36 : *Similes hominibus exspectantibus dominum suum*, non vagantibus ad quærendos favores hominum.

« *Intraverunt cum eo.* » Infra, eodem, ℣℣. 21 et 23 : *Intra in gaudium Domini tui.* Isa. XXVI, 2 : *Aperite portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem.*

« *Ad nuptias,* » scilicet conjunctionis Dei cum spiritu hominis. Apocal. XIX, 7 : *Venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se.*

« *Et clausa est janua,* » repagula iniquitatis fatuarum. Luc. XI, 7 : *Ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili.* Ezechiel. XLIV, 2 : *Porta hæc clausa erit : non aperietur.* Apocal. III, 7 : *Aperit, et nemo claudit : claudit, et nemo aperit.* Janua enim regni, quæ modo pœnitentibus aperitur, tunc etiam lugentibus clauditur.

« Novissime vero veniunt et reliquæ 11
virgines, dicentes : Domine, Domine, aperi nobis.

At ille respondens, ait : Amen dico 12
vobis, nescio vos. »

Hic tangitur perpetua fatuarum exclusio in tribus : in tempore adventus sui, in postulatione, et in exclusione.

De primo dicit : « *Novissime vero veniunt,* » quando serus est adventus : tunc veniunt per desiderium salutis, cum adhuc vigeat in eis affectus iniquitatis. Eccli. V, 8 et 9 : *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem : subito enim veniet ira illius,*

[1] Ad Galat. I, 10 : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*

et in tempore vindictæ disperdet te. Isa. XXXVIII, 18 : *Vivens, vivens ipse confitebitur tibi.*

« Dicentes : Domine, Domine, aperis nobis. »

Ecce vana de Dei misericordia præsumptio. Egregia quidem confessio in nomine Domini : et hoc ipsum nomen Domini repetitum magnæ fidei est indicium : sed quia tertio Dominum per opus non confitentur, excluduntur. Simile, Supra, VII, 22 : *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Ad Titum, I, 16 : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Isa. XXIX, 13, et Matth. XV, 8 : *Populus hic labiis me honorat.* Istæ virgines fatuæ sunt sicut Scribæ et Pharisæi hypocritæ, extra, et non intus pulchræ. Supra, V, 20 : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.*

« Aperi nobis. »

Desiderium enim habent salutis, quamvis adhuc perseveret in eis emptio vanæ laudis. Sed quia sponso roganti cordis januam non aperuerunt, ideo rogatus januam regni non aperit. Isa. I, 15 : *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Thren. III, 8 : *Cum clamavero, et rogavero, exclusit orationem meam.*

Et hoc est, quod sequitur :

« At ille respondens ait, »

Obfirmante justitia januam : « *Amen dico vobis, nescio vos.* » II ad Timoth. II, 19 : *Cognovit Dominus qui sunt ejus.* Supra, VII, 23 : *Confitebor illis : Quia numquam novi vos.*

« Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. » 13

Conclusio est intenta ex omnibus præinductis. Infra, XXVI, 41 : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.*

Et subdit causam vigilantiæ : « *Quia nescitis diem,* » hoc est, temporis qualitatem : utrum in die, vel in nocte. « *Neque horam,* » quoad quantitatis temporis determinationem. Apocal. XVI, 15 : *Ecce venio sicut fur.* I ad Thessal. V, 3 : *Cum dixerint : Pax et securitas, tunc repentinus superveniet eis interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient.*

« Sicut enim homo peregre proficiscens, vocavit servos suos. » 14

Hic inducitur tertia et ultima parabola, quæ est ad admonitionem activorum, qui talenta Domini receperunt.

Et habet partes tres, scilicet bonorum commissionem, et ex commissis negotiationem, et ex commissis et lucratis Domini cum eis positam rationem. Et hæc patent in littera plane.

In commissione tria sunt : providentia committentis, debitum ejus cui committitur, et utilitas commissi.

Providentia enim est, quod sua Dominus interim, dum abesset, multiplicari voluit. Et ideo tria dicit : hominem vocat a ratione providentiæ, peregre proficiscentem ratione absentiæ, vocantem servos ratione benevolentiæ.

Dicit ergo : « *Sicut homo,* » providens ex ratione. Supra, V, 23 : *Judex tradet te ministro :* et sequitur, ℣. 26 : *Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Supra, XVIII, 23 : *Simile est regnum cœlorum homini qui voluit rationem ponere cum servis suis.*

« *Peregre proficiscens,* » hoc est, Christus in cœlum ascendens : quia locus carnis terra est, quæ ad peregrina profi-

ciscitur, cum in cœlesti sede collocatur[1]. Unde licet secundum quod Deus ubique sit, tamen secundum quod homo mutat locum. Unde, Genes. xx, 1, Abraham profectus est ad australem plagam, et peregrinatus est in Geraris, quæ *visio incolatus* interpretatur.

« Vocavit servos suos, »

Per benevolentiam triplici vocatione. Et in omnibus ostendit benevolentiam : per creationem enim vocat omnes. Ad Roman. iv, 17 et seq. : *Vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt*, etc. Isa. xli, 4 : *Vocans generationes ab exordio*, per segregationem a massa perditionis : et sic vocat per primam gratiam. Ad Roman. viii, 29 et 30 : *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui..., hos et vocavit :* et sic vocat Sanctos. Vocat etiam ad familiaritatem discipulatus. Joan. i, 39 : *Venite, et videte. Venerunt..., et apud eum manserunt die illo.* Psal. xxxiii, 12 : *Venite, filii, audite me : timorem Domini docebo vos.* Supra, xi, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis*, etc. Eccli. xxiv, 26 : *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me.* Paucos autem vocat ad ministerium, et negotium curæ animarum, sicut servos, de quibus hic loquitur. Supra, iv, 19 : *Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.*

« Et tradidit illis bona sua.

Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, et profectus est statim. »

Ecce commissio. In qua notantur quatuor, largitas videlicet committentis, distributio sapientis tam ad numerum quam ad pondus, et proportio facultatis et virtutis accipientis ad acceptum, et relictum commissi ad liberum usum. Et hæc per ordinem patebunt in littera.

Largitas est in hoc, quod dicit : « *Tradidit illis bona sua.* » Jacobi, i, 5 : *Dat omnibus affluenter, et non improperat.* Et, ibidem, ℣. 17 : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.*

« Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum. »

Deinde secundo tangit distributionem secundum numerum et pondus, secundum ordinem suæ sapientiæ. Numerus enim notatur in hoc, quod « *uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum :* » pondus autem in hoc, quod *talenta* dedit : et mensura notatur in hoc, quod « *unicuique secundum propriam virtutem* » dedit. Sapient. xi, 21 : *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti.*

Sunt autem quinque genera bonorum, quæ exercentur in Ecclesia ad meritum : quorum primum est innatum, quod est bonum naturæ, sicut intellectus, et ratio et ingenium et hujusmodi, quorum habilitas est ad gratiam : et de hoc bono, Genes. i, 31 : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat : et erant valde bona.* Secundum est bonum gratiæ, de quo, Supra, vii, 11 : *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris : quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se ?* Et hæc duo necessaria sunt cuilibet ad meritum. Sunt alia duo, quæ necessaria sunt ad regimen animarum commissum, scilicet bonum scientiæ ad docendum. Sapient. viii, 9 : *Proposui sapientiam adducere mihi ad convivendum : sciens quoniam mecum communicabit de bonis, et erit allocutio cogitationis et tædii mei.* Aliud est bo-

[1] S. Gregorius Magnus, Ex Homil. ix in Evang. ; « Carnis enim locus proprius terra « est, qua quasi ad peregrina ducitur, dum per « Redemptorem nostrum in cœlo collocatur. »

num ordinariæ, vel vicariæ, vel commissæ potestatis. Nehemiæ, seu II Esdræ, IX, 35: *Reges nostri in regnis suis, et in bonitate tua multa quam dederas eis..., non servierunt tibi.* Adhuc est unum bonum, quod insrumentaliter se habet ad meritum, et datum est in sustentationem : et hoc est bonum opulentiæ. Isa. I, 19 : *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis.* Luc. XII, 19 : *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos.* Hæc igitur omnia quinque dantur Prælatis : duo autem, naturæ scilicet et gratiæ omnibus bonis : duo alia, necessaria ad regimen animarum commissum, Prælatis : unum autem, quod est naturæ, datur omnibus.

Sed tunc quæritur, quare non dantur tria, et quare non quatuor ? Responsio, quod cum naturali bono et gratiæ bono conjuncta scientia inutilis est, quia non habet in quem expendat : conjuncta etiam potestas cum eisdem sine scientia est inutilis, quia nesciet uti : conjuncta autem opulentia etiam inutilis, quia opulentia datur propter familiam commissam. Necessitas autem propter personam, quæ non sonat opulentiam. Tria igitur ad ædificationem non sunt conjungibilia : quatuor etiam quocumque modo non sunt conjungibilia : quia semper hæc duo conjuncta esse oportet, quæ sunt naturæ et gratiæ : et cum his conjuncta scientia et potestas non feliciter proderunt sine operibus, cum multitudo teneri non possit sine temporali subsidio. Unde cum Dominus, Joan. VI, 5 et seq., pavit multitudinem : et, Supra XIV, 15 et seq., et Joan. XXI, 15 et seq., Petro dixit ter pasce, propter verbum et exemplum et temporale subsidium. Patet igitur quod quatuor non proficiunt ad felicem gubernationem.

Hæc quinque dantur ad pondus : et ideo dicuntur *talenta*, eo quod unicuique ad pondus vitæ sunt reddenda. Unde, I Paralip. XXIX, 7, dicitur, quod Principes dederunt in opus Domini talenta auri, argenti, et æris, et ferri : et talentum plumbi fertur, Zachar. V, 7, per aurum bonum gratiæ : et ideo, Apocal. XXI, 18, dicitur quod civitas est *aurum mundum*. In argento bonum scientiæ sacræ Scripturæ. Psal. XI, 7 : *Eloquia Domini, eloquia casta : argentum igne examinatum.* In talentis ferri intelligitur bonum potestatis, quod domat alia : in talentis æris intelligitur bonum naturæ, quia æs convertibile est ad alia, sicut bonum naturæ aptabile aliis. In talento plumbi, quod vilissimum est et gravissimum, intelligitur bonum opulentiæ.

Sancti tamen exponunt, quod quinque talenta sunt usus rationis bonus in quinque sensibus corporis : duo autem sunt intellectus et operatio : unum autem est intellectus solus. Hoc est, quod dicit : « *Alii dedit quinque talenta,* » quia præcipuis supradicta quinque committuntur. Vel, omnibus exercitium quinque sensuum ad gratiam. « *Alii autem duo,* » quia bonis committuntur duo, vel sapientibus intellectus et operatio. Psal. CX, 10 : *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Et ideo secundum dicta Sanctorum, plus in pondere recipit, cui dantur duo, licet plus in numero recipiat ille cui dantur quinque : quia plus valent intellectus et operatio quam exercitia quinque sensuum. « *Alii autem unum,* » omnibus quidem bonum naturæ : multis autem bonum scientiæ, quod docet usum regiminis animarum, quia docet usum clavium.

Sequitur :

« Unicuique secundum propriam virtutem. »

Hic tangit proportionem facultatis ad usum gratiæ. Est autem virtus ultimum, in quod potest potentia : et ideo dicit conatum. Unde tantum dat, quantum conando ad gratiam paratus est suscipere. Psal. LXXX, 11 : *Dilata os tuum, et implebo illud.* Os enim facultatis aperitur, quando cor per conatum, quod in nobis est, ad gratiam præparatur. Psal. X, sec. Hebr.

17 : *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.*

« Et profectus est statim. »

Hoc est, usum commissorum bonorum libertati eorum permisit. Luc. XIX, 13 : *Negotiamini dum venio.* Proverb. VI, 19 et 20 : *Abiit via longissima... In die plenæ lunæ reversurus est.* Cantic. V, 17 : *Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum ?*

16 « Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque.

17 Similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo. »

Hic tangitur servorum negotiatio per tres differentias quæ in littera tanguntur.

De primo dicuntur tria, scilicet apud seipsum commissi consideratio, et laboris exerciti operatio, et in lucrum ejus, quod est commissum, sollicita multiplicatio.

De primo dicit : « *Abiit,* » hoc est, in sui considerationem, quod receperat reduxit : et ideo receptionis facit commemorationem. Joan. XX, 10 : *Abierunt discipuli ad semetipsos.* I ad Corinth. II, 12 : *Accepimus Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.*

De secundo dicit :

« Operatus est in eis. »

In donis enim bonis est operandum : in laboribus autem mundi non est operandum. Et est attendendum, quod aliud est operatio, et aliud opus, et aliud factum, et aliud actum secundum Philosophum. *Agere* enim proprie pertinet ad voluntaria, quæ sunt virtutis. Unde Philosophus dicit, « quod prudentia est cum « ratione activus habitus. » Agere enim venit ab actu, qui complementum et perfectio est. Unde, ad Roman. VIII, 14 : *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Spiritu enim Dei aguntur, qui virtutibus (quæ sunt dona Spiritus, et animæ actus) ad actiones voluntarias moventur. *Facere* autem est super præjacentem materiam aliquid educere. Unde Philosophus definiens artem mechanicam, dicit : « Ars est cum ratione factivus habitus. » Et de his, quæ ex arte divina processerunt, dicitur : *Ipse dixit, et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt*[1]. *Opus* autem, quod est operatum, vocatum est, quod per laborem et motum facientis efficitur, sicut culfellus, vel calceus : et de hoc dicunt Sancti, quod hoc Græci ἀποτέλεσμα vocant. Unde, Isa. LXIV, 8 : *Fictor noster es tu, et opera manuum tuarum omnes nos. Operatio* autem proprie (quia ab ope et opibus vocata est) est exercitium hoc, quod procedit a proprio et connaturali habitu, quo ipsa natura propter convenientiam naturalem refloret. Unde Philosophus dicit, quod « delectatio contemplativa est « operatio proprii et connaturalis habitus « non impedita. » Refloritio enim naturæ sic diffusa in bono sibi proprio (quod est intellectuale, quia hoc proprium est homini) *delectatio* vocatur. Juxta hoc notantur operationes, in quibus humanas et liberas quærimus delectationes, ex quibus nihil quærimus nisi operari, sicut vigilare, cantare, et hujusmodi. Modum ergo hujusmodi notans dicit : « *Operatus est,* » ad proprium et intellectuale bonum, ponens exercitium cum delectatione sincera. Proverb. XIII, 4 : *Anima operantium impinguabitur,* scilicet bonis. Eccle. IX, 10 : *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.*

[1] Psal. XXXII, 8.

« Et lucratus est, »

Per sui boni propagationem in alios, « *alia quinque.* » Licet enim multo plura lucratus sit, tamen quia non nisi duplæ est proportionis, in se videlicet, et in aliis, dicitur alia quinque lucratus. I ad Corinth. IX, 22 : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Genes. XXXI, 1 : *De illius facultatibus ditatus, factus est inclytus.*

« Similiter et qui duo acceperat. »

Idem modus est expositionis. Sapient. III, 15 : *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* « *Lucratus est alia duo.* » Genes. XXX, 43 : *Ditatus est homo ultra modum, et habuit greges multos.* Psal. IV, 8 : *A fructu frumenti, vini, et olei sui, multiplicati sunt.* Frumentum est verbi pabulum : vinum, cœleste et spirituale gaudium : oleum, misericordiæ lenimentum in pauperes expensum.

18 « Qui autem unum acceperat, abiens, fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui. »

Tertia est differentia. Et tria dicit : a bono incommutabili servi pigri abstractionem, ad terrenam commoditatem boni commutabilis conversionem, et crediti talenti absconsionem per terrenam conversionem.

De primo dicit : « *Qui autem unum acceperat* » bonum naturæ, vel intellectus, « *abiens,* » abstractione boni incommutabilis. Epist. Judæ, ℣. 11 : *Væ illis qui in via Cain abierunt.* Jacob. I, 14 : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus.*

« *Fodit in terram,* » per terreni commodi inquisitionem. Psal. VII, 16 : *Lacum aperuit, et effodit eum : et incidit in foveam quam fecit.* Josue, VII, 21 : *Vidi inter spolia pallium coccineum valde bonum, et ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum : et concupiscens abstuli, et abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque fossa humo operui.* Argentum eloquentiæ naturalis, et acquisitæ, quod est duplex argentum : et regulam justitiæ moralis, cujus notitiam habuit : et pallium coccineum ordinis charitatis, quem exponere scivit. Isa. XXIX, 4 : *De humo eloquium tuum mussitabit.*

« Et abscondit, »

Sub terrena conversatione, « *pecuniam domini sui.* » Eccli. XX, 32 : *Sapientia absconsa, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* Proverb. XI, 26 : *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.* Econtra, Supra, II, 11 : *Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera,* etc.

« Post multum vero temporis, venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. » **19**

Hæc est tertia pars, de ratione quæ exigitur ab omnibus sub tribus per ordinem differentiis, et laude profectus. In bonis enim cum crescunt dona, etiam rationes crescunt donorum [1].

« Venit dominus servorum illorum. »

Contra videtur esse, quod dicitur, Apocal. XXII, 7 : *Ecce venio velociter.* Sed hoc dicitur respectu æternitatis : istud autem secundum decursum infirmitatis dicitur.

[1] S. Gregorius Magnus, Ex Homil. IX in Evang. : « Cum enim augentur dona, rationes etiam « crescunt donorum. »

« *Et posuit rationem cum eis.* » Luc. XVI, 2 : *Redde rationem villicationis tuæ.*

20 « Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens : Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. »

Et tria dicit : primo, accessum per reddendæ rationis præparationem : secundo, obtulit per meritorum exhibitionem : tertio, dixit per gratiarum actionem.

Dicit igitur : « *Et accedens,* » præparando se ad reddendam rationem, « *qui quinque talenta acceperat,* » in se considerando acceptum, sine quo se nihil potuisse cognovit. Ad Roman. v, 2 : *Per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Quasi dicat : Nisi commissum datum fuisset, lucrum nullum fuisset.

« *Obtulit,* » in eo quod Deo totum attribuit, « *alia quinque talenta,* » aut bona superius enumerata duplicando in proximum : aut exercitium bonum quinque sensuum. Baruch, IV, 28 : *Sicut fuit sensus vester ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum.* Quinque et alia quinque decem faciunt. Tob. XIII, 14 : *Nationes ex longinquo ad te venient : et munera deferentes, adorabunt in te Dominum.*

« *Dicens,* » per gratiarum actionem :

« Domine, quinque talenta tradidisti mihi, »

Sine quibus nihil, et per quæ omnia potui : et ideo tuum est, quod lucratus sum. Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere.*

« *Ecce alia quinque,* » profectu proximi, « *superlucratus sum,* » super sortem conservatam. Quasi dicat : Et me conservavi in bonis tuis, et proximum adjuvi. I ad Corinth. XV, 10 : *Abundantius omnibus laboravi : non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Et, ibidem, ℣. 10 : *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit.*

« Ait illi dominus ejus : Euge, serve 21
bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium domini tui.

Accessit autem et qui duo talenta 22
acceperat, et ait : Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. »

Laus et acceptatio est profectus in gratia.

Et dicuntur quatuor per ordinem : aggratulatio domini de profectu servi, laus servi, commemoratio meriti et promissio præmii, et remuneratio gaudii.

Aggratulatio Domini notatur, cum dicitur :

« Euge. »

Quod est interjectio aggratulantis et gaudentis. Luc. XV, 7 : *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore,* etc. Et, ibidem, ℣. 6 : *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat.*

« Serve bone et fidelis. »

Laus est servi : et dicitur *bonus* in conservatione commissi, *fidelis* autem in reportatione et multiplicatione lucri. Eccli. XI, 17 : *Datio Dei permanet justis, et profectus illius successus habebit in æternum.* Tob. VII, 7 : *Boni et optimi viri filius es,* et facientis eleemosynas. Proverb. XX, 6 : *Multi homines misericordes vocantur : virum autem fidelem quis inveniet ?*

« Quia super pauca fuisti fidelis. »

Commemoratio est meriti et promissio præmii : et sunt omnia pauca, quæ in præsenti pati vel agere possumus, respectu eorum quæ in remuneratione exspectamus.

Et hoc est, quod dicit : « *Super multa te constituam.* » Ad Roman. VIII, 18 : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Sapient. III, 5 : *In paucis vexati, in multis bene disponentur.* II ad Corinth. IV, 17 et 18 : *Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur.*

« Intra in gaudium domini tui. »

Ecce remuneratio gaudii. Introitus autem iste significat undique circumfusum esse gaudium. Joan. XVI, 24 : *Petite, ut gaudium vestrum sit plenum :* supra, in visione Dei : intus, felici conscientia : subtus, in decore justitiæ : circumquaque, in glorificatione creaturæ. Isa. LX, 5 : *Videbis, et affluues, mirabitur et dilatabitur cor tuum.* Psal. XXXV, 9 : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

« Accessit autem et qui duo talenta acceperat. »

Hoc est, bonum naturæ in naturali justitia : et bonum gratiæ in fide et perfecta vita. Vel, qui intellectum habuit instructionis et operationem virtutis, veritate et virtute lucrum reportans : et est idem modus expositionis, qui et prius. Accedit enim præparando se et recognoscendo commissum. I ad Corinth. IV, 7 : *Quid habes quod non accepisti ?* Quod si « *qui duo talenta acceperat,* » I Paralip. XXIX, 14 : *Tua sunt omnia : et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi :* « *obtulit* » meritorum profectum, non sibi, sed Deo attribuendo. Isa. LX, 6 : *Aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.* Aurum gratiæ et thus redolens, boni naturæ, perfecti in gratia. Vel, aurum sapientiæ, et thus operationis bonæ.

« *Et ait,* » gratias agendo : « *Domine, duo talenta.* » II ad Corinth. IX, 15 : *Gratias ago Deo super inenarrabili dono ejus.* « *Ecce alia duo,* » super conservatam sortem, « *lucratus sum.* » Jerem. XV, 19 : *Convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos.* Job, XXVII, 6 : *Justificationem meam quam cœpi tenere, non deseram.* Apocal. III, 11 : *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

« Ait illi dominus ejus : Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constiuam : intra in gaudium domini tui. » **23**

Commendatio est gratitudinis et profectus.

« Euge, etc. »

Euge multiplices notat affectus in sacra Scriptura : est enim exsultatorium, Ezechiel. XXV, 3 : *Pro eo quod dixisti : Euge, euge super sanctuarium meum.* Aliquando derisorium, Psal. XXXIV, 21 : *Dilataverunt super me os suum : dixerunt : Euge, euge, viderunt oculi nostri.* Aliquando adulatorium, Psal. XXXIV, 16 : *Ferant confestim confusionem suam qui dicunt mihi : Euge, euge.* Aliquando exhortatorium, Psal. XXXIV, 25 : *Non dicant in cordibus suis : Euge, euge, animæ nostræ : nec dicant : Devoravimus eum.*

« *Serve.* » Propter debitum. Psal. CXV, 16 : *Ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.*

« *Bone.* » Propter formam gratiæ, et diffusionem communicationis sui in alterum : bonum enim est diffusivum sui. Plato : « Boni est optima adducere. » Isa. LX, 21 et 22 : *Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. Minimus erit in mille, et parvulus in gentem robustissimam.* Proverb. XI, 10 : *In bonis justorum exsultabit civitas.* Sapient. VIII, 9 : *Mecum communicabit de bonis suis.*

« *Et fidelis* » in commisso. Econtra illi expositioni quam fecimus supra. Vel, « *fidelis* » intentione, nihil sibi de gloria Domini sui attribuendo. Isa. XXI, 2 : *Qui fraudulentus* [1] *est, infideliter aget.* Eccli. XLV, 4 : *In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne.* Ad Hebr. III, 5 : *Moyses fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant.*

« *Quia super pauca fuisti fidelis.* » Commemoratio meriti et promissio præmii. Isa. XLIX, 6 : *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas : ecce dedi te in lucem gentium.*

« *Supra multa te constituam.* » Esther, VI, 9 : *Sic honorabitur quemcumque voluerit rex honorare.* Luc. XXII, 29 : *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum.*

« *Intra in gaudium domini tui* » ut in abysso submergaris gaudiorum. Isa. XXXV, 10 : *Gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.* Luc. VI, 38 : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Psal. LXXXIX, 15 : *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* Psal. XV, 11 : *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo : delectationes in dextera tua usque in finem.*

[1] Vulg. habet *incredulus.*

« Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait : Domine, scio quia homo durus es : metis ubi non seminasti, et congregas ubi non sparsisti. » 24

Hic ponitur ratio de malis, præcipue quæ consistunt in omissione bonorum, in quibus aliqui se putant excusatos.

Et dicuntur duo : primum est culpa servi : secundum condemnatio ejusdem per sententiam domini.

Circa primum dicuntur tria, scilicet accessus præsumptionis, accusatio domini superioris, et excusatio sui torporis.

Accessus præsumptionis proponitur, cum dicit : « *Accedens et qui unum talentum acceperat,* » præsumptione propria. Unde, Glossa Interlinearis : « Infelicissimum habens a sua conscientia « testimonium. » Sic dicitur, Supra, IV, 3 : *Accedens tentator dixit.*

Unum autem talentum est naturale bonum, sive intellectus, sive quidquid habet homo naturalium bonorum, quæ in unitate retinet, et non multiplicat per profectum. Contra quod dicitur, Luc. XIX, 13 : *Negotiamini dum venio.* Job, V, 7 : *Homo nascitur ad laborem.* Ezechiel. XVI, 49 : *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, abundantia, et otium.* Proverb. XII, 11 : *Qui sectatur otium, stultissimus est.*

« *Et ait.* » Non gratias agendo, sed dominum suum superiorem accusando, detrahendo ei in duobus, scilicet, contra misericordiam vocando durum vel austerum, et contra justitiam vocando raptorem.

Et hoc est, quod dicit : « *Domine,* » contra se vocat eum dominum, cujus non implevit mandatum.

« Scio quia homo durus es, »

Hoc est, austerus es : quia duram et ar-

etam viam proponis, quæ ducit ad vitam. Genes. XLII, 7 : *Joseph quasi ad alienos fratribus durius loquebatur.* Job, XXX, 21 : *Mutatus es mihi in crudelem, et in duritia manus tuæ adversaris mihi.*

Et proponit contra justitiam duo : « *Metis ubi non seminasti.* » Seminare est verbum prædicationis proponere. Supra, XIV, 16 : *Exiit qui seminat, seminare semen suum.* Metere est falce judicii præcidere. Apocal. XIII, 3 : *Misit falcem suam in terram, et demessa est terra.* Metere ubi non seminavit, est fidem per judicium requirere ab his quibus per se ipsum verbum prædicationis non proposuit, ut dicit Gregorius. Et hoc licet piger accuset, non est injustum : quia *in omnem terram exivit sonus eorum* [1]. Adhuc autem insitum est rationi verbum, et Dei notitia impressa omnibus. Jacob. I, 21 : *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Deuter. XXX, 14 : *Juxta te est sermo valde, in ore tuo, et in corde tuo.* Et, ad Roman. X, 8 : *Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo : hoc est verbum fidei, quod prædicamus.*

Aliud proponit contra justitiam : « *Et congregas ubi non sparsisti.* » Congregare est virtutum fructus exigere. Eccli. XXIV, 23 : *Flores mei fructus honoris et honestatis.* Supra, XIII, 30 : *Triticum congregate in horreum meum.* Spargere est virtutis exempla ostendere. Congregare autem ubi non sparsit, est per judicium futurum fructus bonorum operum exigere ab his quibus exempla virtutum nula per se ipsum præbuit. Psal. CX, 1 : *In consilio justorum, et congregatione.* Supra, XIII, 48 : *Elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Isa. XLIII, 5 : *Ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te.* Nec hoc est injustum : quia alii ostenderunt, quos misit : et virtus per se ipsam placere debet. Unde contra hoc, quod dicit austerum, est hoc quod dicit, I Joan. V, 3 : *Mandata ejus gravia non sunt.* Et, Supra, XI, 30 : *Jugum meum suave est, et onus meum leve.* Contra hoc autem, quod dicit injustum, est quod dicitur in Psalmo XVIII, 9 et seq. : *Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda... Judicia Domini vera,... dulciora super mel et favum. Etenim servus tuus custodit ea.*

« Et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra : ecce habes quod tuum est. » 25

Hic sui proponit excusationem, ut culpa ab ipso retorqueatur in dominum. Psal. CXL, 4 : *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Proponit autem tria, timorem videlicet amittendi, providentiam conservandi, et æquitatem reddendi.

De primo dicit : « *Timens abii,* » abstractus a te ad me ipsum conservandum : « *timens* » ne dum alios lucrari vellem, commodum meum perderem. Sapient. XVII, 10 : *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis.* Et est ac si dicat : propter alios dispendium mei non debui subire.

« *Et abscondi talentum tuum in terra,* » mihi terrena procurans commoda aliis me subtraxi. Contra quod dicitur, Eccli. XXIX, 13 : *Perde pecuniam propter fratrem et amicum : et ne abscondas illam sub lapide in perditionem.* Proverb. V, 16 : *Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide.* Act. XX, 24 : *Non facio animam meam,* hoc est, animalem vitam, *pretiosiorem quam me.* II ad Corinth. XII, 15 : *Ego libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris.*

« Ecce habes quod tuum est. »

Æquitatem proponit reddendi. Supra,

[1] Psal. XVIII, 5, et ad Roman. X, 18.

xx, 13 et 14 : *Non facio tibi injuriam... Tolle quod tuum est, et vade.* Mentitus autem est in caput suum : quia cum servus sit, debitum et paratum obsequium multiplicationis subtraxit. Daniel. xiii, 59 : *Recte mentitus es et tu in caput tuum.* Unde, Lucæ, xix, 22, addit : *De ore tuo te judico, serve nequam.* Malach. i, 6 : *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus ?*

26 « Respondens autem dominus ejus, dixit ei : Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi. »

Hic ponitur condemnatio servi. Et dicuntur duo : increpatio assignans condemnationis causam, et condemnatio infligens pœnam, ibi, ℣. 28 : « *Tollite*, etc. »

Increpando dicit duo : improperationem culpæ et desidiæ, et causam.

Increpans igitur culpam transgressionis dicit :

« *Serve male.* » Eccli. xxxiii, 28 : *Servo malevolo tortura et compedes.* Malus enim servus est, qui in tantum prorumpit præsumptionis, quod bono et suo domino calumniam imponit. Supra, xx, 15 : *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum ?* Supra, xii, 39 : *Generatio mala, et adultera.* Deuter. xxxii, 5 et 6 : *Generatio prava atque perversa, hæccine reddis Domino ?*

« *Et piger.* » Improperat inertiam desidiæ. Proverb. xx, 4 : *Propter frigus piger arare noluit.* Ex hoc autem, quod malus, piger est : quia Dionysius dicit, quod « malum est infœcundum et pi« grum. »

« *Sciebas.* » Causa increpationis. Et habet duo : in primo ex ore servi arguit præmittens : et in secundo concludit.

Attende autem, quod non dicit : *Sciebas quia ego durus sum :* quia hoc quod dixit contra misericordiam, omnino falsum est. Joel, ii, 13 : *Benignus et misericors est.* Sed dicit « *Quia meto ubi non semino,* » quod et Apostoli fecerunt. Joan. iv, 38 : *Ego misi vos metere quod non laborastis.* Nunc autem et hoc non nisi secundum humanam præsentiam verum est : quia secundum divinam operationem *Dei agricultura estis* [1]. Isa. xxviii, 24 et 25 : *Proscindet humum suam..., et seret gith, et cyminum sparget, et ponet triticum per ordinem.* Isa. iv, 2 : *Erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis.*

« *Et colligo ubi non sparsi.* » Supra, xxi, 34 : *Misit servos suos, ut acciperent fructus.* Secundum divinam tamen naturam per omnia opera sua significationis suæ sparsit indicia. Supra, xii, 30 : *Qui non est mecum, contra me est : et qui non congregat mecum, spargit.*

« Oportuit ergo te committere pecu- 27
nia meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura. »

Ecce conclusio : et quod putabat in excusationem sui dicere, retorquet contra eum, et condemnat. Psal. xlix, 21 : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam.*

« *Pecuniam meam,* » bonum tibi creditum, « *committere,* » per doctrinam, « *nummulariis,* » his qui fœnerantur imaginem meam proximis : et sic multiplicant eam. Isti enim sunt nummularii spirituales, qui de templo non ejiciuntur [2]. Supra, Deuteron. xxviii, 12 : *Fœnerabis gentibus multis, et ipse a nullo fœnus accipies.* Luc. vii, 41 : *Duo debitores erant cuidam fœneratori,* hoc est, prædicatori. Duo debitores : contemplativi, et activi.

[1] 1 ad Corinth. iii, 9.

[2] Cf. Supra, xx, 12.

« *Et veniens ego*, » ad rationem audiendam in judicio. Isa. v, 3 : *Judicate inter me et vineam meam.*

« *Recepissem utique quod meum est*, » hoc est, sortem. Supra, xxii, 21 : *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari : et quæ sunt Dei, Deo.*

« *Cum usura* » superexcrescente. Licet enim detester usuram corporalem, quæ opprimit pauperes, Psal. xiv, 5 : *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Ezechiel. xviii, 8 : *Ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit :* tamen exiguo usuram incrementi boni spiritualis. Proverb. xix, 17 : *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis.* Eccli. xxix, 1 : *Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo.* Supra, vi, 20 : *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo.*

28 « Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta.

29 Omni enim habenti dabitur, et abundabit : ei autem qui non habet, et quod videtur habere auferetur ab eo.

30 Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores : illic erit fletus et stridor dentium. »

Hic incipit condemnare tripliciter : pœnalitate in subtractione boni commissi, et ejectione extra communicationem loci et sanctorum habitaculi, et in inflictione supplicii.

In primo sunt tria : pigri spoliatio, operosi ditatio, et utriusque horum ratio.

De pigri spoliatione dicit : « *Tollite itaque*, » o vos, dæmones : et est verbum justæ promissionis. Jerem. xvi, 13 : *Servietis diis alienis, die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem* [1]. Thren. v, 5 : *Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies.*

« *Ab eo talentum*, » boni naturæ per continuam imminutionem de peccato in peccatum. II Regum, iii, 1 : *Domus Saul erat decrescens.* Psal. lxxx, 13 : *Ibunt in adinventionibus suis.* Job, xx, 18 : *Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur.* Quia licet continuo minuatur, non consumitur : quia naturale est : et natura manente, tolli non potest, quod potentialiter infinitum est.

« *Et date ei qui habet quinque talenta :* » quia sicut in malo minuitur, ita in bonis, continuis profectibus augetur : et hoc significatur in domo David, qui ibat *proficiscens, et semper seipso robustior* [2]. Si objiciatur : Quare non additur ei qui habet duo ? Jam solutum est : quia et illi additur : sed additio plus apparet in eo qui plus proficit. Gregorius tamen dicit, quod « plus in pondere habet qui duo, « quam qui quinque, sicut supra dictum « est : et ideo ei qui quinque habet, ad- « ditur : » quia plerumque accidit, quod simplex bene utens sensibus donum intellectus meretur. Eccli. xv, 3 : *Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potabit illum.*

« Omni enim habenti dabitur, et abundabit. »

Ratio est duorum præcedentium : et secundum expositionem priorem plana est littera : quia habenti ex habitu bona gratiæ, superadditur incrementis continuis bonum naturæ ex profectu justitiæ : et sic abundabit. II ad Corinth. ix, 10 et 11 : *Multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ : ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem.* Ibidem, supra, ℣. 8 : *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* Eccli. xv, 10 : *Sapientiæ Dei adstabit laus, et in ore fideli abundabit.* Sic enim, Joan. i, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes acce-*

[1] Cf. Deuter. iv, 28.

[2] II Reg. iii, 1.

pimus, et gratiam pro gratia. Zachar. IV, 7 : *Exæquabit gratiam gratiæ ejus.*

« *Ei autem qui non habet* » habitum, qui est facultas virtutis : ille enim non habet non alia de causa, nisi quia peccatum ademit eam. Luc. X, 30 : *Despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto.*

« *Et quod videtur habere,* » quia vitiatur bonum naturæ, potius videtur habere quam habeatur : non enim habetur ut bonum nisi quando integrum et perfectum habetur per gratiam. Isa. XXII, 16 : *Quid tu hic, aut quasi quis hic ?* Apocal. III, 1 : *Nomen habes quod vivas, et mortuus es.*

« *Auferetur ab eo,* » continuis defectibus. Psal. CXXXVI, 7 : *Dicunt : Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.*

« Et inutilem servum. »

Jerem. XXII, 30 : *Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur.*

« *Ejicite* » extra habitaculum bonorum. Quasi diceret : Mundate et liberate locum ab ipso. Jerem. XV, 1 : *Ejice illos a facie mea, et egrediantur.* Genes. IV, 14 : *Ecce ejicis me hodie a facie tua : omnis igitur qui invenerit me, occidet me.*

« *In tenebras exteriores* » tetri carceris, quia vixit in tenebris cæcitatis interioris. Thren. III, 2 : *Me minavit, et adduxit in tenebras, et non in lucem.* Job, III, 6 : *Noctem illam tenebrosus turbo possideat.* Exod. X, 21 : *Sint tenebræ tam densæ, ut palpari queant.*

« Illic erit fletus. »

Apocal. XIV, 11 : *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.*

« *Et stridor dentium.* » Propter frigus. Psal. CXLVIII, 8 : *Nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* Eccli. XLIII, 22 : *Frigidus ventus aquilo flavit, et gelavit crystallus ab aqua.* Jerem. I, 14 : *Ab aquilone pandetur malum :* ventus frigidus a plaga tenebrosa veniens.

Et hoc est, quod dicit :

« Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli ejus cum eo, tunc sedebit seper sedem majestatis suæ. » 31

Perfectis parabolis quæ movent ad vigilantiam contra omnes præoccupantes judicium, tangit hic modum judicii. Circa quem modum dicit duo, scilicet modum judicis : et modum judicii, ibi, ℣. 32 : « *Et congregabuntur.* »

Modus autem judicis describitur in quinque, scilicet secundum præsentiam : secundum eam in qua apparebit, naturam : secundum majestatis potentiam : secundum numerosam ministrorum frequentiam : secundum possessionem judiciariam.

De primo horum dicit : « *Cum venerit,* » hoc est, judex præsentialiter in mundo apparuerit. Actuum, I, 11 : *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum.*

Natura describitur, ibi, « *Filius hominis,* » quia in illa apparebit. Joan. V, 27 : *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.* Actuum, XVII, 31 : *Statuit diem in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro in quem statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.* Constituit virum, in quo judicabit orbem terrarum. Daniel. VII, 13 : *Ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat,* in majestate sua. Daniel. VII, 14 : *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur : et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Psal. LXXI, 19 : *Replebitur majestate ejus omnis terra.*

« *Et omnes Angeli ejus cum eo.* » Daniel. VII, 10 : *Milliam illium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Supra, XXIV, 31 : *Mittet Ange-*

los suos cum tuba, et voce magna. Supra, XIII, 41 : *Mittet Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala.*

« Tunc sedebit, »

Ecce auctoritas judiciaria. Apocalyps. IV, 2 : *Sedes posita erat in cœlo, et supra sedem sedens.* Daniel. VII, 9 : *Throni positi sunt.* Psal. LXXXVIII, 38 : *Thronus ejus sicut sol in conspectu meo.* Isa. VI, 1 : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum :* et plena erat omnis terra majestate ejus.

Et attende differentias primi adventus et secundi. Primus enim fuit in infirmitate, in humilitate, et in salutem, et Apostolorum missionem. Et de infirmitate, Isa. IX, 6 : *Parvulus natus est nobis.* De humilitate, Ad Philip. II, 8 : *Humiliavit semetipsum factus obediens,* etc. De salute, Joan. III, 17 : *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum sed ut salvetur mundus per ipsum.* De missione Apostolorum tamquam pusilli gregis [1]. Supra, XI, 25 : *Confiteor tibi Pater..., quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.* Secundus autem est in potestate et majestate ad judicandum, et cum frequentia Angelorum, sicut patet per antedicta.

32 « Et congregabuntur ante eum omnes gentes. »

Hic tangitur modus judicii.

Et tanguntur tria. Primum est congregatio judicandorum ante tribunal Christi: secundum est discretio judicandorum bonorum a malis : tertium est sententia cum causa sua, quæ est commendatio meritorum, et exprobratio demeritorum.

De primo dicit « *Congregabuntur ante eum omnes gentes* » Joel, III, 2 : *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat : et disceptabo cum eis.* II ad Corinth. V, 10 : *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit.*

« Et separabit eos ab invicem, sicut **33**
pastor segregat oves ab hœdis :

Et statuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris. »

Eccce secundum. Et dicit tria, scilicet quis, qualiter, et quomodo separabit.

Quis, quia ipse separabit eos : virtute enim gratiæ et veritatis, quæ per Jesum facta est, separabuntur. Hæc enim gratia est, quæ assimilat sanctos judici, et dividit inter filios regni et filios perditionis. Apocal. XVIII, 4 : *Exite de illa, populus meus.* Numer. XVI, 28 : *Recedite a tabernaculis hominum impiorum.*

« *Sicut pastor,* » jam ad caulas gregem congregans. Ezechiel. XXXIV, 11 et 12 : *Ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum.*

« *Segregat oves,* » bonos, mansuetos, simplices, et utiles. Psal. XCIV, 7 : *Nos populus pascuæ ejus, et oves manus ejus.* Ezechiel. XXXIV, 31 : *Vos autem, greges mei, greges pascuæ meæ, homines estis : et ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus.* Joan. X, 14 : *Ego cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ.* Et, ibidem, ℣℣. 3 et 4 : *Proprias oves vocat nominatim..., et ante eas vadit : et oves illum sequuntur.*

« *Ab hœdis,* » indomitis, fœtentibus, scandentibus alta, depascentibus viridia ramorum, cornibus acutis et altis impingentibus. Zachariæ, X, 3 : *Super hircos visitabo.* De ista segregatione, Osee, XIII, 14 et 15 : *Consolatio abscondita est ab*

[1] Cf. Luc. XII, 32 : *Nolite timere, pusillus grex,* etc.

oculis meis. Quia ipse inter fratres dividet.

Quomodo autem statuet separatos, subjungit dicens :

« Et statuet oves quidem a dextris suis. »

In præcedentibus dictum est, quare dextera significat æterna et potiora bona. Ad Coloss. III, 1 : *Quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.* Ad Hebr. I, 3 : *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis.* Unde etiam, I ad Thessalonic. IV, 17, dicitur, quod *simul rapiemur obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.*

« *Hædos autem a sinistris :* » inferius in terra manentibus, et non diu. Proverb. IV, 27 : *Vias quæ a dextris sunt novit Dominus : perversæ vero sunt quæ a sinistris sunt.* Situs enim loci respondet cordis amori. Sursum pergent, qui cœlestia : deorsum in terram, qui terrena dilexerunt. Cantic. II, 6 : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.*

34 « Tunc dicet rex his qui a dextris ejus erunt. »

Hic ponitur sententia cum causa sua.

Et habet duas partes, sententiam videlicet, et effectum, ibi, ℣. 46 : « *Et ibunt hi*, etc. »

Sententia etiam habet duas partes. Primo ponitur sententia salutis a dextris : et postea sententia condemnationis a sinistris, ibi, ℣. 41 : *Tunc dicet et his*, etc. »

In prima harum sunt tres paragraphi : quorum primus continet invitationem, quæ est per modum sententiæ : secundus, meritorum commendationem : tertius, commendationis admirationem. Et hæc per ordinem jacent in littera.

In invitatione primo describit judicis majestatem et justitiam, dicens : « *Tunc dicet rex.* » Vere rex a regendo. Qui, sicut dicitur, Apocalyps. XIX, 11 et 16 : *Vocatur Fidelis, et Verax : et cum justitia judicat et pugnat... : et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* Jerem. XXIII, 5 : *Regnabit rex, et sapiens erit : et faciet judicium et justitiam.*

« *His qui a dextris ejus erunt.* » Psal. CIX, 1 : *Sede a dextris meis*, etc. Psal. XLIV, 10 : *Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*, hoc est, bonorum Ecclesia.

« Venite, benedicti Patris mei. »

Tangit duo : invitationem, et ejus ad quod invitat, magnitudinem et honorem.

In invitatione duo dicit : invitationem, et invitatorum honestatem.

De invitatione dicit : « *Venite.* » Jerem. LI, 50 : *Qui fugistis gladium, venite, nolite stare : recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum.* Ibi verificabitur quod supra dixit, XI, 28 : *Venite ad me*, etc., *et ego reficiam vos.*

Invitatorum honestas tangitur secundum gratiam, et secundum justitiam.

Secundum gratiam, cum dicitur : « *Benedicti.* » Benedictio enim ad gratiam respicit, in qua benedicti sunt omnes. I Petr. III, 9 : *In hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis.*

Justitia tangitur per hoc quod dicitur : « *Patris mei.* » Per hoc enim quod adoptati sunt a Patre unum naturalem filium habente (quia aliter non adoptaret, si omnino infœcundus esset) facti sunt hæredes. Ad Roman. VIII, 17 : *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Ad Coloss. I, 13, 12 : *Eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ, et dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* Psal. XV, 6 : *Funes ceciderunt mihi in*

præclaris : etenim hæreditas mea præclara est mihi.

« Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. »

Ecce ad quid invitat. Et tangit tria . fructum, prædestinationem, et gloriam.

Fructum in hoc quod dicit : « *Possidete.* » Dicit enim Hermes Trismegistus, quod possessio est post sessio, et cum homo subnixus sit Deo, sub Deo sedere in deliciis et bonis Dei, et ad nutum illa et quiete habere est possidere. Job, XXXVI, 33 : *Annuntiat de luce amico suo, quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere.* Numer. XVIII, 20 : Ego ero possessio eorum [1].

Hoc ergo pertinet ad fructum.

« Paratum vobis regnum a constitutione mundi. »

Hoc est prædestinationis, in qua est Deus ipse præparans : et nobis præparans, ut benevolentiam ostendat : et præparans a prima mundi constitutione, quæ in mente sapientiæ ab æterno fuit, ut in præparatione potentia. Et in hoc quod « *vobis,* » notatur benevolentia. In hoc autem, quod « *a mundi constitutione,* » sapientia denotatur. De primo, Isa. LXIV, 4 : *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te.* I ad Corinth. II, 9, dicitur, quod *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* De secundo, Sapient. XVI, 21 : *Substantia tua dulcedinem tuam quam in filios habes, ostendebat.* Psal. LXVII, 11 : *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.* De tertio, ad Ephes, I, 3 et 4 : *Benedixit nos in omni benedictione spirituali..., sicut elegit nos in Christo ante mundi constitutionem.* Sic enim est Alpha et Omega, principium et finis [2] : ut reducat nos in se, ubi primo præparavit, ubi vita, et lux fuimus, et erimus. Ad Roman. IX, 23 : *Volens ostendere divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Psal. XXX, 21 : *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum.*

« *Regnum.* » Hoc pertinet ad gloriam : et hoc est regnum, in quo omnes sancti ut reges regnabunt. Apocal. I, 5 : *Princeps regum terræ.* Sapient. V, 17 : *Accipient regnum decoris et diadema speciei de manu Domini.* Apocal. XXII, 3, 5 : Factum est regnum Dei nostri, et Christi filii ejus : et *regnabunt in sæcula sæculorum* [3].

« Esurivi enim, et dedistis mihi manducare : sitivi, et dedistis mihi bibere : hospes eram, et collegistis me : **35**

Nudus, et cooperuistis me : infirmus, et visitatis me : in carcere eram, et venistis ad me. » **36**

Ecce meritorum commendatio.

Et attende, quod commendat opera misericordiæ, quia in illis homo maxime de suo facit : humanum enim est fluere pietate in poximum. Justitia autem non sic, sed obligatio efficit opus. Similiter charitas ex vinculo dilecti : et sic de aliis. Et non facit mentionem de sepultura mortuorum, quia licet dicatur Christus esurire in pauperibus, non tamen congrue dicitur mori in morientibus : et mortuus non vere dicitur membrum capitis vivi. De aliis autem omnibus facit mentionem.

Quædam autem sunt a defectu interiori dissolvente substantiam : et substan-

[1] Vulgata habet, Numer, XVIII, 20 : *Ego pars et hæreditas tua in medio filiorum Israel.*

[2] Cf. Apocal. I, 8, et XXI, 6, et XXII, 13.

[3] Apocal. XXII, 3 et 5 : *Sedes Dei et Agni in illa erunt... Et regnabunt in sæcula sæculorum.*

tiam siccam dissolvit fames. Et de illo dicit :

« Esurivi enim, et dedistis mihi manducare. »

Isa. LVIII, 7 : *Frange esurienti panem tuum.* Eccli. IV, 2 : *Animam esurientem ne despexeris.* Ad Roman. XII, 20 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi* [1].

Contra defectum autem, qui dissolvit humidam substantiam, dicit : « *Sitivi, et dedistis mihi bibere.* » Supra, X, 42 : *Qui dederit calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam.* Genes. XXIV, 18 et 19 : *Bibe, domine mi... quin et camelis tuis hauriam aquam,* etc.

« Hospes eram, etc. »

Hospitalitas est beneficium quod ordinatur contra dissolvens extrinsecus : et hoc est aer continens. Est autem lædens impugnando turbine tempestatum, et pluviarum et caumatum et frigorum. Et contra hoc est hospitium, in quo clausus aer quiescit ab hujusmodi turbinibus. Et de hoc dicit : « *Hospes eram, et collegistis me.* » Et hoc notat ex modo loquendi : « *Collegistis,* » hoc est, turbine aeris me dissolutum recollegistis. Job, XXXI, 32 : *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* Luc. XXIV, 29 : *Et coegerunt illum, dicentes : Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit.* Ad Hebr. XIII, 2 : *Hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.* Genes. XVIII, 3 et seq., de Abraham, qui recepit Angelos, et Genes. XIX, 1 et seq., de Lot.

« Nudus, etc. »

Secunda læsio aeris est alterando ex sua qualitate, frigoris quidem aliquando, et aliquando caloris : qui evocat calorem naturalem, et dissolvit corpus : et contra duo ista est vestimentum, de quo dicit : « *Nudus,* supple, eram, et *cooperuistis me.* » Isa. LVIII, 7 : *Cum videris nudum operi eum.* Job, XXXI, 19 et 20 : *Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est.*

« Infirmus, etc. »

Infirmitas est defectus interior, non substantiam nisi per accidens, sed qualitatem complexionis per se dissolvens : et est defectus accidentalis, de quo dicit : « *Infirmus,* supple, fui, *et visitastis me.* » Eccli. VII, 39 : *Non te pigeat visitare infirmum : ex his enim in dilectione firmaberis.* Job, V, 24 : *Visitans speciem tuam, non peccabis.* Jacob, I, 27 : *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est : Visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.*

« In carcere eram, etc. »

Hæc est consolatio contra injuriam violentam illatam extrinsecus ab homine. Job, XXIX, 17 : *Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam.* Sic enim intelligitur : *Et venistis ad me,* » scilicet liberandum. Proverb. XXIV, 11 : *Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.* Danielis, XIV, 39, Rex venit ad Danielem in lacu leonum. Jerem. XXXVIII, 11 et 13, de Abdemelech Æthiope, qui extraxit de lacu Jeremiam prophetam.

Sunt ergo opera misericordiæ contra defectus miseriæ, interiores naturales, et exteriores naturales : interiores naturales dissolventes substantiam humidam,

[1] Cf. Proverb XXV 21.

vel siccam : exteriores naturales impugnantes turbine, vel qualitate. Similiter sunt contra defectus accidentales, interius impugnantes, vel exterius : et sic etiam ordinantur a Domino, et continentur in hoc versu :

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

37 « Tunc respondebunt ei justi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te : sitientem, et dedimus tibi potum ?

38 Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te : aut nudum, et cooperuimus te ?

39 Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te ?

40 Et respondens rex, dicet illis : Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. »

Tangitur commendationis hujus admiratio. Non enim est ignorantiæ quæstio, sed attendentes quod nihil talium, tantæ commendationis, et remunerationis dignum fecerunt : videntes quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad gloriam quæ manifestatur tunc eis [1] : præ admiratione, « *Respondebunt ei justi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem*, etc. »

Et admirationi eorum « *respondens rex dicet illis : Amen dico vobis*, etc. » Et hæc plana sunt.

Sed notandum est, quod Dominus in die bonorum non est immemor malorum. Pauper enim expertus necessitates pauperum, in gloria etiam judiciariæ potestatis præfulgens, dicit sibi omnia facta esse in pauperibus. Væ ergo his qui persequuntur pauperem et inopem, et compunctum corde mortificare [2]. *Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes* [3].

41 « Tunc dicet et his qui a sinistris erunt : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.

42 Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare : sitivi, et non dedistis mihi potum :

43 Hospes eram, et non collegistis me : nudus, et non cooperuistis me : infirmus et in carcere, et non visitastis me.

44 Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi ?

45 Tunc respondebit illis, dicens : Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.

46 Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam. »

« *Tunc dicet et his qui a sinistris ejus erunt*, etc. » Sapient. XI, 11 : *Illas tamquam durus rex interrogans condemnasti.*

« *Discedite.* » Sententia est cum exprobratione demeriti. Sententia continet quatuor, scilicet, a vultu Dei et bonis separationem : culpæ exprobrationem : ignis æterni afflictionem : Diaboli et malorum omnium societatem.

De primo dicit : « *Discedite a me*, » qui dum vixeratis, dixistis mihi, Job. XXI, 14 : *Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.* Supra, VII,

[1] Cf. ad Roman. VIII, 18.
[2] Cf. Psal. CVIII, 17.
[3] Psal. LIV, 16.

23 : *Discedite a me, qui operamini iniquitatem.*

« *Maledicti.* » Exprobratio est culpæ. Psal. CXVIII, 21 : *Maledicti qui declinant a mandatis tuis.* « *Maledicti,* » hoc est, malo addicti. Ad Hebr. VI, 8 : *Terra... proferens spinas ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima : cujus consummatio in combustionem.* Job, III, 8 : *Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan.*

« *In ignem æternum.* » Ignis et afflictio. Isa. LXVI, 24 : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.*

« *Qui paratus est,* » a Deo præsciente culpam et parante pœnam, « *diabolo et Angelis ejus.* » Societas est malorum. Ad Roman. IX, 22 : *Sustinuit in multa potentia vasa iræ, apta in interitum.* Isa. XXIV, 23 : *Congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum.* Luc. III, 17 : *Purgabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum : paleas autem comburet igni inexstinguibili.*

« Esurivi, etc. »

Hæc est demeritorum exprobratio. Non fiet voce corporali sonante, cum, sicut dicitur, I ad Corinth. XV, 52 : *Resurrectio futura sit in momento, in ictu oculi, in novissima tuba,* sed fit conscientia dictante. Est enim Christus liber vitæ, scriptus justitia Dei : et ille aperitur omnibus, sicut dicitur, Apocal. XX, 12 : *Alius Liber apertus est, qui est vitæ : et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris :* et in illa scriptura quilibet leget suorum meritorum aut commendationem, aut exprobrationem. Sancti etiam perfecti, qui cum Christo judicabunt, ex contemplatione sapientiæ continua corda habebunt inscripta : et illorum cordium propalatio Sanctorum est judicium. Daniel. VII, 10, et Apocal. XX, 12 : *Libri aperti sunt.*

« Tunc respondebunt ei. »

Hæc quæstio etiam admirationis de hoc, quod tantæ gloriæ et rex pauperibus vult connumerari. Sapient. V, 2 et 3 : *Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes : Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum,* etc.

Et hoc est, quod sequitur : « *Tunc respondebit illis,* » inconscientiis eorum.

« Et ibunt hi, etc. »

Ecce effectus sententiæ. Daniel. XII, 2 : *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alii in vitam æternam, et alii in opprobrium æternum ut videant semper.* Joan. V, 29 : *Procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ : qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.*

CAPUT XXVI.

Consultant principes sacerdotum de occidendo Jesu : qui unguento pretioso a muliere perfunditur, murmurantibus discipulis : venditur a Juda : de cujus proditione discipulis in cœna loquitur, in qua panem in corpus suum, et vinum in sanguinem consecrata tradit discipulis : prædicit omnes scandalizandos, trinamque Petri negationem : et post trinam orationem capitur a Judæis : quorum uni Petrus abscidit auriculam : discipulis fugientibus, coram Caipha a falsis testibus accusatus, mortisque reus judicatus, conspuitur ac cæditur, et ter a Petro negatur.

1. Et factum est, cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis :
2. Scitis quia post biduum pascha fiet [1], et Filius hominis tradetur ut crucifigatur.
3. Tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas :
4. Et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, et occiderent.
5. Dicebant autem : Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.
6. Cum autem Jesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi,
7. Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis [2].
8. Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes : Ut quid perditio hæc?
9. Potuit enim istud venumdari multo, et dari pauperibus.
10. Sciens autem Jesus, ait illis : Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me :
11. Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis.
12. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.
13. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus.
14. Tunc abiit unus de duodecim [3], qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum :
15. Et ait illis : Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos.
16. Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet.
17. Prima autem die azymorum [4], accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere pascha?
18. At Jesus dixit : Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei : Magister dicit : Tempus meum

[1] Marc. XIV, 1 ; Luc. XXII, 1.
[2] Marc. XIV, 8 ; Joan. XI, 2 et XII, 3.
[3] Marc. XIV, 10 ; Luc. XXII, 4.
[4] Marc. XIV, 12 ; Luc. XXII, 7.

prope est : apud te facio pascha cum discipulis meis.

19. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, et paraverunt pascha.

20. Vespere autem facto [1], discumbebat cum duodecim discipulis suis.

21. Et edentibus illis, dixit : Amen dico vobis quia unus vestrum me traditurus est [2].

22. Et contristati valde, cœperunt singuli dicere : Numquid ego sum, Domine ?

23. At ipse respondens, ait : Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.

24. Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de illo [3] : væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur ! bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

25. Respondens autem Judas qui tradidit eum, dixit : Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi : Tu dixisti.

26. Cœnantibus autem eis [4], accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite : hoc est corpus meum.

27. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes.

28. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

29. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.

30. Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.

31. Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte [5]. Scriptum est enim [6] : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.

32. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam [7].

33. Respondens autem Petrus, ait illi : Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.

34. Ait illi Jesus : Amen dico tibi quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis [8].

35. Ait illi Petrus : Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo [9]. Similiter et omnes discipuli dixerunt.

36. Tunc venit Jesus cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani, et dixit discipulis suis : Sedete hic, donec vadam illuc, et orem.

37. Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari et mœstus esse.

38. Tunc ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hic, et vigilate mecum.

39. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans et dicens : Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste : verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.

40. Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes : et dicit Petro : Sic non potuistis una hora vigilare mecum ?

41. Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem

[1] Marc. XIV, 17 ; Luc. XXII, 14.
[2] Joan. XIII, 21.
[3] Psal. XL, 10.
[4] I ad Corinth. XI, 24.
[5] Marc. XIV, 27 ; Joan. XVI, 32.
[6] Zachar. XIII, 7.
[7] Marc. XIV, 28 et XVI, 7.
[8] Marc. XIV, 30 ; Joan. XIII, 38.
[9] Marc. XIV, 31 ; Luc. XXII, 33.

promptus est, caro autem infirma.

42. Iterum secundo abiit, et oravit, dicens : Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

43. Et venit iterum, et invenit eos dormientes : erant enim oculi eorum gravati.

44. Et relictis illis, iterum abiit, et oravit tertio, eumdem sermonem dicens.

45. Tunc venit ad discipulos suos, et dicit illis : Dormite jam, et requiescite : ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

46. Surgite, eamus : ecce appropinquavit qui me tradet.

47. Adhuc eo loquente [1], ecce Judas, unus de duodecim, venit, et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus, missi a principibus sacerdotum et senioribus populi.

48. Qui autem tradidit eum dedit illis signum, dicens : Quemcumque osculatus fuero, ipse est : tenete eum.

49. Et confestim accedens ad Jesum, dixit : Ave, Rabbi. Et osculatus est eum.

50. Amice, ad quid venisti ? Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum.

51. Et ecce unus ex his qui erant cum Jesu, extendens manum, exemit gladium suum, et percutiens servum principis sacerdotum, amputavit auriculam ejus.

52. Tunc ait illi Jesus : Converte gladium tuum in locum suum : omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt [2].

53. An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?

54. Quomodo ergo implebuntur Scripturæ [3], quia sic oportet fieri ?

55. In illa hora dixit Jesus turbis : Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me : quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis.

56. Hoc autem totum factum est ut adimplerentur Scripturæ prophetarum [4]. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt [5].

57. At illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham [6], principem sacerdotum, ubi scribæ et seniores convenerant.

58. Petrus autem sequebatur eum a longe, usque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut videret finem.

59. Principes autem sacerdotum, et omne concilium, quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent :

60. Et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Novissime autem venerunt duo falsi testes,

61. Et dixerunt : Hic dixit : Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud [7].

62. Et surgens princeps sacerdotum, ait illi : Nihil respondes ad ea quæ isti adversum te testificantur ?

63. Jesus autem tacebat. Et princeps sacerdotum ait illi : Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus, Filius Dei.

64. Dicit illi Jesus : Tu dixisti : ve-

[1] Marc. XIV, 43; Luc. XXIII, 47; Joan. XVIII, 3.
[2] Genes. IX, 6; Apocal. XIII, 10.
Isa. LIII, 10.
Thren. IV, 20.
[5] Marc. XIV, 50.
[6] Luc. XXII, 54; Joan. XVIII, 24.
[7] Joan. II, 19.

rumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli [1].

65. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens : Blasphemavit : quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam :

66. Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt : Reus est mortis.

67. Tunc exspuerunt in faciem ejus [2], et colaphis eum cæciderunt : alii autem palmas in faciem ejus dederunt,

68. Dicentes : Prophetiza nobis, Christe : quis est qui te percus sit ?

69. Petrus vero sedebat foris in atrio [3] : et accessit ad eum una ancilla, dicens : Et tu cum Jesu Galilæo eras.

70. At ille negavit coram omnibus, dicens : Nescio quid dicis.

71. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, et ait his qui erant ibi : Et hic erat cum Jesu Nazareno.

72. Et iterum negavit cum juramento : Quia non novi hominem.

73. Et post pusillum accesserunt qui stabant, et dixerunt Petro : Vere et tu ex illis es : nam et loquela tua manifestum te facit.

74. Tunc cœpit detestari et jurare quia non novisset hominem. Et continuo gallus cantavit.

75. Et recordatus est Petrus verbi Jesu quod dixerat : Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amare.

IN CAPUT XXVI MATTHÆI

ENARRATIO.

« Et factum est, cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis :

Scitis quia post biduum Pascha fiet. »

Hic incipit agere de duobus sacramentis, per quæ omnia complentur, hoc est, de sacramento Passionis et mortis primo, et Resurrectionis secundo, ibi, XXVIII, 1 : « *Vespere autem sabbati :* » quorum primum est ad deletionem peccati, et alterum ad justitiæ innovationem. Ad Roman. IV, 25 : *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.* Gregorius : « Qui mortem « nostram moriendo destruxit, et vitam « resurgendo reparavit. »

Adhuc autem, sacramentum Passionis in duo dividitur : primo enim agit de Passione, et secundo de officio sepulturæ, ibi, XXVII, 62 : « *Altera autem die, quæ est post Parasceven.* » In justificatione per Passionem oportet nos et mori peccato, et complantari sepulturæ in baptismo. Ad Roman. VI, 4 : *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo resurrexit Christus per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.*

Adhuc autem, pars quæ de Passione est, habet partes duas, quia secundum quod ipse, supra, XX, 18 et 19, prædixit, traditus est Judæis, et a Judæis traditus est Gentibus. Et ideo de traditione, qua traditus est Judæis a discipulo, agit primo : de traditione autem, qua traditus est gentibus ad crucifigendum, agit secundo, ibi, XXVII, 1 : « *Mane autem facto,* etc. »

Adhuc, prior pars quæ continetur in

[1] Supra, XVI, 27 ; ad Roman. XIV, 10 ; I ad Thessal. IV, 16.

[2] Isa. L, 6 ; Marc. XIV, 65.

[3] Luc XXII, 55 ; Joan. XVIII, 17.

isto capitulo, dividitur in tria : primo enim agit de traditione, qua per Judam traditus est Judæis : secundo, de comprehensione, ibi, in medio ℣. 50 : « *Tunc accesserunt, et manus injecerunt*, etc. » Tertio, de illusione et condemnatione facta per linguas Judæorum, ibi, ℣. 59 : « *Principes autem sacerdotum, et omne concilium*, etc. »

Adhuc, prior harum partium dividitur in tres partes penes circumstantias : consideratur enim traditio in pacto, in opportunitate, et in facto : et penes hoc dividitur pars ista. Secunda incipit, ibi, ℣. 16 : « *Et exinde quærebat opportunitatem*, etc. » Tertia, ibi, ℣. 47 : « *Adhuc eo loquente.* »

Adhuc, prior harum dividitur in quatuor, secundum ea quæ circumstant pactum traditionis : quorum primum est temporis secundum prophetiam congruentia : secundum autem quærentium eum ad mortem completa malitia, ibi, ℣. 3 : « *Tunc congregati*, etc. » Tertium pretii, pro quo tradebatur ex facto, quod accidit, occasionata avaritia, ibi, ℣. 6 : « *Cum autem Jesus esset in Bethania.* » Quartum est pactionis ipsius perfecta conventio, ibi, ℣. 14 : « *Tunc abiit unus*, etc. »

Quocumque autem modo facta sit traditio, tunc voluit tradi, ut ignorans : ut peccata destrueret quæ fiunt per ignorantiam : unde dixit, Luc. XXIII, 34 : *Dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt.* Comprehendi voluit, ut infirmus : ut peccata destrueret quæ fiunt per impotentiam : unde, Marc. XIV, 38 : *Caro vero infirma.* Illudi voluit, ut reus malorum, et malus : ut destrueret peccata quæ fiunt per certam malitiam. Marc. XIV, 28 : *Cum iniquis deputatus est.* Isa. LIII, 10 : *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur.* Sic enim destruxit peccatum in Patrem, et peccatum in Filium, et peccatum in Spiritum sanctum : et factus est vere Jesus, universaliter salvans populum suum a peccatis eorum.

In prima harum sunt tria : primum continet effectum totius Passionis et congruentiam : secundum est traditionis prædictio ne a discipulis crederetur involuntaria : tertium, quod medium est inter duo, temporis a lege et Prophetis prædicti congruentia. Et hæc patent in *Littera.*

Dicit igitur : « *Et factum est, cum consummasset,* » hoc est, ad summam et perfectionem deduxisset, per hoc quod ultimo adjecit : et hoc est passio. Ad Hebr. II, 10 : *Decebat eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Ad Hebr. X, 14 : *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* 1

« *Sermones hos omnes,* » qui ab initio in Evangelio scripti sunt, cum omnibus confirmantibus eos et ex lege, et ex prophetis. Eccli. XLIII, 29 : *Multa dicemus, et deficiemus in verbis : consummatio autem sermonum ipse est.* Unde, Joan. XIX, 30, in cruce pendens dixit : *Consummatum est.*

« *Dixit discipulis suis.* » Quibus specialiter instruendis insistebat. Supra, XIII, 11 : *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum.*

« Scitis. » 2

Exod. XII, 18, Quartadecima die ad vesperum pascha Domini est [1].

« Quia post biduum Pascha fiet, »

Hoc est, solemnitas Paschæ, id est transitus. Non enim pascha a passione dicitur, sicut quidam existimant : sed

[1] Exod. XII, 18 : *Primo mense, quartodecima die mensis ad vesperam, comedetis azyma*, etc.

græce *pascha, phase* hebraice, latine dicitur *transitus*. Luc. XXII, 1 : *Appropinquabat dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha.*

« *Post biduum.* » Hoc ergo fuit in quarta feria, quando jam fuit luna tertiadecima.

« Et Filius hominis tradetur ut crucifigatur. »

In ista prædicatione traditionis tria dicuntur, secundum quam videlicet naturam est traditus : et prædictio traditionis, ne videatur ignarus : et ad quid traditus, qui est finis traditionis.

Dicit igitur : « *Et Filius hominis,* » in quantum filius hominis, quia secundum naturam divinam tradi non potuit. Supra, XX, 19 : *Filius hominis tradetur ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum.*

« *Tradetur* » a Juda active, a Patre et a seipso dispensative. Ad Roman. VIII, 32 : *Etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

« *Ut crucifigatur.* » Hic est finis traditionis. Malach. III, 8 : *Si affliget homo Deum, quia vos configitis me ?*

« Tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas :

Et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, et occiderent.

Dicebant autem : Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. »

Hic tangitur quærentium eum ad mortem completa malitia : et hic tanguntur octo : in fortitudinis ipsorum concordi congregatione : in congregatorum auctoritate : in ordinaria ad hoc accepta potestate : in consilii machinatione : in cautelarum dolositate : in violentiæ illatione : in pessima intentione : et impedimentorum astuta exclusione.

De congregata et unanimi fortitudine dicit : « *Tunc congregati sunt,* » ut multitudine armarentur. Psal. II, 2 : *Convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.* Joan. XI, 47 : *Collegerunt pontifices et Pharisæi concilium.*

« *Principes.* » Tria genera tangit, in quibus erat auctoritas agendorum : Principes in quibus potentia justa, ut videbatur. Isa. XXXII, 1 : *Principes in judicio præerunt.* Sed isti erant de illis, de quibus, Isa. I, 23 : *Principes tui infideles, socii furum.* Sophon. III, 3 : *Principes ejus in medio ejus quasi leones rugientes : judices ejus lupi vespere, non relinquebant in mane.*

« *Sacerdotum.* » In quibus debuit esse sanctitatis bonitas (alias, sanctitas bonitatis). Exod. XXVIII, 41 : *Cunctorum consecrabis manus, sanctificabisque illos, ut sacerdotio fungantur mihi.* Sed econtra isti sunt, de quibus, Sophon. III, 4 : *Sacerdotes ejus polluerunt sanctum, injuste egerunt contra legem.*

« *Et seniores populi.* » In quibus debuit esse sapientia. Job, XII, 12 : *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.* Sed econtra de istis dicitur, Job, XXXII, 9 : *Non sunt longævi sapientes.* Daniel. XIII, 5 : *Egressa est iniquitas a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum.* Sophon. III, 4 : *Prophetæ ejus vesani, viri infideles.*

« *In atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas,* » eo quod, sicut dicitur, Joan. XI, 49, *esset Pontifex anni illius,* ut ab ipso ordinariam acciperet potestatem, et sic formam justitiæ haberet iniquitas. Eccle. X, 5 et 6 : *Est malum quod vidi sub sole :... positum stultum in dignitate sublimi, et divites sedere deorsum.* II Machab. IV, 25 : *Nihil habens dignum sacerdotio, animos vero crudelis tyranni, et feræ belluæ iram gerens.*

« Et consilium fecerunt. »

Ecce consilii machinatio : ut ex consensu et præmeditata procederet iniquitas. Genes. XLIX, 6 : *In consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu illorum non sit gloria mea.* Isa. VII, 5 : *Consilium iniit contra te Syria in malum.* Syria *sublimitas* (alias, sublimis) interpretatur : quia ibi erat sublimitas potentiæ sanctitatis apparentis et potentiæ (alias, potentia).

« *Ut Jesum.* » Act. III, 15 : *Auctorem vitæ interfecistis.*

« *Dolo.* » Ecce cautelarum dolositas. Jerem. IX, 6 : *Habitatio tua in medio doli. In dolo renuerunt scire me, dicit Dominus.* Quia extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii, et non veritatis. Psal. XXXVII, 13 : *Dolos tota die meditabantur.*

« *Tenerent.* » Ecce violentia. Psal. XXI, 22 : *Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam.*

« *Et occiderent.* » Ecce intentio. Genes. XXXVII, 20 : *Venite, occidamus eum.* Supra, XXI, 38 : *Venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus.*

« Dicebant autem. »

Ecce impedimentorum exclusio.

« *Non in die festo.* » Non quod curarent de violatione festi. Isa. I, 13 et 14 : *Neomeniam, et sabbatum, et festivitates alias non feram... : facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.* Sed potius, « *ne forte tumultus fieret in populo.* » Marc. XI, 32, et, Supra, XXI, 26, cum quæreret, *Baptismus Joannis unde erat*, etc., populus videns prudentiam ipsius, defendebat eum, quia sicut prophetam eum habebant : et timebant, quod si iterum injicerent in eum manus coram populo, quod similiter defenderetur. Joan. VII, 45 et 46 : *Quare non adduxistis illum ? Responderunt ministri,* qui missi fuerant ad capiendum eum : *Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur.*

« Cum autem Jesus esset in Bethania, in domo Simonis leprosi, 6

Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis. » 7

Hic ponit factum incitans avaritiam tradentis, et hoc est perditio unguenti, de cujus venditione concupivit furtum decimæ : et quia perdidit, vendidit pro triginta, quæ sunt decima trecentorum quos hoc unguentum valuit. Dicuntur autem hic tria : mulieris pietas, discipulorum in mulierem fremitus et impietas, et Domini mulieris de facto, quod fecit, excusationis ostensio.

In primo notantur quatuor, scilicet mulieris confidentia, providentia, largitas, et pietas.

Confidentia accipitur ex loco : et ille describitur ex nomine villæ, et ex domus hospite.

De nomine villæ dicit : « *Cum esset Jesus in Bethania* : » in domo obedientiæ : præsignans se tunc perfecturum obedientiam, de qua dicit Apostolus, ad Philip. II, 8 : *Factus* est *obediens* Patri *usque ad mortem, mortem autem crucis.*

« *In domo Simonis leprosi.* » Non quod tunc leprosus fuerit, sed ante, et nomen retinuit in signum memoriæ tanti beneficii. Supra, VIII, 3 : *Confestim mundata est lepra ejus,* IV Reg. V, 14, Mundata est lepra ejus, et restituta est ejus caro, sicut caro pueri parvuli [1]. Et ex hoc concepit mulier audaciam, non præsumptionis, sed confidentiæ : quia vidit, quod non abhorruit eum qui leprosus exstiterat, qui multis sunt horrori etiam post sanitatem, præsumpsit, quod etiam

[6] IV Reg. V, 14 : *Descendit,* scilicet Naaman, *et lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei, et restituta est caro ejus sicut caro pueri parvuli, et mundatus est.*

officium pietatis ab ea futurum non abhorreret.

Et hoc est, quod dicit :

« Accessit ad eum mulier. »

Dicit autem Hieronymus, quod « nemo putet eamdem esse, quæ super caput effudit, et super pedes : illa enim et lacrymis lavit, et crine tersit, et manifeste meretrix appellatur [1]. De hac autem nihil tale scriptum est. Nec enim poterat statim capiti Domini meretrix digna fieri. » Item, Chrysostomus : « Mulier ista videtur esse una et eadem apud omnes Evangelistas : non est autem, sed apud tres una quidem mihi videtur : apud Joannem autem non adhuc, sed mirabilis quædam soror Lazari. » In contrarium hujus est Rabanus : « Mulier ista Maria Magdalena erat, soror Lazari. » Hoc idem dicit Gregorius. Dicunt ad hoc quidam, quod eadem in persona, altera in habitu : quia prima peccatrix et capite Christi indigna, postea justificata, et tunc digna. Ego puto esse dicendum, quod de hoc Sancti dissentiunt, quia spiritu suo loquuntur, et non est de fide et moribus. Unde Chrysostomus super *Joannem* dicit Mariam Magdalenam virginem permansisse, et numquam fuisse peccatricem. IV Reg. IV, 37, cum Sunamitis venisset ad virum Dei, *corruit ad pedes ejus.*

« Habens alabastrum unguenti. »

In hoc notatur providentia. Est autem alabastrum album genus marmoris : sicut si nitor argenti permistus sit niveo candori, et est perspicuum, frigidæ naturæ, habens vim conservandi unguenta. Cantic. IV, 10 : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.*

« *Pretiosi.* » Marc. XIV, 3 : *Nardi spicati pretiosi.* Nardus autem frutex est, crescens superius in figuram spicarum, quæ (quia subtilius humidum est, quod altius ascendit, et magis digestum) magis sunt odoriferæ et pretiosæ. Joannes autem dicit, XII, 3 : *Nardi pistici* : quia contusæ erant aristæ. Unguentum enim non penetrat nisi sit subtile, et non est subtile nisi species contusæ valde sint in eo. Cantic. I, 11 : *Dum esset rex in accubito suo, nardus mea dedit odorem suum.*

« Et effudit. »

Ecce liberalitas : in effusione enim notatur abundantia, nihil in vase retinens. Cantic. I, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.* Cantic. I, 2 : *Fragrantia unguentis optimis.* Unde, Joan. XII, 3, dicit quod *domus impleta est ex odore unguenti* : tam abundanter effusum fuit.

« *Super caput ipsius recumbentis.* » Ecce pietas : quia scivit, quod ad occisum accessum non haberet : et vivo exhibuit officium funeris. Psal. CXXXII, 2 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam,* etc. Proverb. XXVII, 9 : *Unguento et variis odoribus delectatur cor.*

« Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes : Ut quid perditio hæc ? **8**

Potuit enim istud venumdari multo, et dari pauperibus. » **9**

Hic tangitur indignatio discipulorum. Et tanguntur tria : primum est oculus nequam : secundum, indignationis murmuratio : tertium, causa.

Dicit igitur : « *Videntes autem discipuli.* » Sed contra, Joan. XII, 4, Judas solus indignatus dicitur. Et dicendum, quod solus Judas movit alios : alii autem non consenserunt nisi opinando, quod inde impedita fuisset misericordia in pau-

[1] Cf. Luc. VII, 37.

peres. Solus autem Judas fecit hoc avaritiæ respectu. Eccli. XIV, 10 : *Oculus malus ad mala : et non satiabitur pane, sed indigens et in tristitia erit.* Et paulo supra : *Insatiabilis oculus cupidi.*

« Indignati sunt. »

Duo dicit, indignationem cordis, et murmurationem oris. De indignatione, Daniel. XIV, 27, Indignati sunt Babylonii contra regem pro Daniele. Iste enim miser quia jam vilipendit Dominum indignabatur, quod mulier aliquid expendit in eum.

« Dicentes : Ut quid perditio hæc? »

Arguunt enim eam ut prodigam. Proverb. XXIX, 22 : *Qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior.* Sapient. I, 11 : *Custodite vos a murmuratione, quæ nihil prodest, et a detractione parcite linguæ.*

« Potuit enim istud. »

Arguunt hic quasi impiam in pauperes. « *Venumdari multo.* » Alius Evangelista : *Plus quam trecentis denariis* [1].

« *Et dari pauperibus.* » Joan. XII, 6 : *Dixit hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat,* hoc est, asportabat. Supra, XIX, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus.* Hujus prætextu verbi volebat suæ consulere avaritiæ. Psal. CXI, 9 : *Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi.*

10 « Sciens autem Jesus, ait illi : Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me :

Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis. 11

Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. » 12

Hic ponitur per Dominum excusatio facta. Et tangit duo : plenam excusationem, et operis remunerationem, ibi, ℣. 12 : « *Mittens enim hæc unguentum hoc.* »

Operis excusatio tangitur per tria : per murmuris et molestiæ repressionem : per operis laudem : per temporis, in quo factum est, opportunitatem.

De primo dicit : « *Quid molesti estis huic mulieri?* » Ruth, II, 9 : *Mandavi pueris, ut nemo molestus sit tibi.*

« Opus enim bonum. »

Ecce laus operis. « *Operata est in me,* » quia pietatis opus bonum est. Joan. X, 32 : *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Quasi dicat : Vos lapidatis eam de bono opere.

« Nam semper pauperes habetis vobiscum. »

Ecce temporis opportunitas. Deuter. XV, 11 : *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ : Idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi.*

« *Me autem non semper habetis,* » secundum corporalem infirmitatis præsentiam : secundum deitatem enim, Infra, XXVIII, 20, dicit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* II ad Corinth. V, 16 : *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus.* Supra, IX, 15 : *Venient dies cum auferetur ab eis sponsus.*

[1] Marc. XIV, 5 : *Poterat unguentum istud venumdari plusquam trecentis denariis,* etc.

« Mittens enim hæc, »

Scilicet mulier. Tangit modum qualiter opus opportunum fuerit tempori. « *Unguentum hoc in corpus meum,* » quod Spiritu sancto unctum est. Isa. LXI, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.*

« *Ad sepeliendum me fecit,* » quia tunc erat consuetum ungere corpora defunctorum. Marc. XIV, 8 : *Prævenit ungere corpus meum in sepulturam.*

13 « Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus. »

Tangitur hic operis remuneratio. Et duo tanguntur, scilicet præscientia Evangelii prædicandi, et laus operis in prædicato Evangelio.

De primo dicit : « *Ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo.* » Psal. XVIII, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum.* Marc. XVI, 15 : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.*

« *Dicetur,* » et hoc est etiam cum Evangelio, « *quod hæc fecit in memoriam ejus,* » mulieris videlicet. Proverb. X, 7 : *Memoria justi cum laudibus.* Psal. CXI, 7 : *In memoria æterna erit justus.* Sapient. IV, 1 : *Immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud Deum nota est, et apud homines.*

14 « Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum.

Et ait illis : Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? » 15

Ecce hic ponitur pactum traditionis secundum operis perfectionem. Et dicuntur tria, scilicet Domini vilipendium, et pretii constitutio, et traditionis promissio.

Primum tangitur in hoc quod Judas non emptores sanguinis exspectavit, sed prævenit : et per hoc, quod in arbitrio eorum posuit utrum parum, vel multum dare vellent.

Dicit ergo : « *Tunc,* » pretio unguenti amisso.

« *Abiit unus.* » Psal. I, 1 : *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.* Joan. XIII, 30 : *Exivit continuo. Erat autem nox.* A vero enim lumine oculos avertit, cupiditate excæcatus.

Et tangit ingratitudinem per hoc, quod dicit : « *De duodecim,* » cui gratiam illam fecerat, quod inter duodecim præfecerat Apostolum [1]. Psal. LIV, 14 et 15 : *Dux meus, et notus meus : qui simul mecum dulces capiebas cibos.*

Et describit eum nomine et patria : « *Qui dicebatur Judas,* » nomine : « *Iscariotes,* » patria : a villa unde natus est.

« *Ad principes sacerdotum.* » I Esdr. IX, 2 : *Manus principum et magistratuum fuit in transgressione hac prima.*

« Et ait illis, »

Quærens avaritiæ recuperationem. Proverb. XXX, 15 : *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes : Affer, affer :* furtum videlicet in Juda, et perditio sanguinis. Eccli. X, 9 : *Avaro nihil est scelestius.* Et paulo infra, ℣. 10 : *Hic et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua.*

« Quid vultis mihi dare, etc? »

Ecce quasi vile mancipium constituit

[1] Cf. Supra, X, 4.

in potestate mentium, quid dare velint. Asinum enim suum nemo sic vendit, ut Judas Salvatorem. Eccli. xx, 10 : *Est datum quod non est utile.* Et paulo infra ỳ. 14 : *Datus insipientis non erit utilis*, etc. Genes. xxv, 34 : *Abiit parvipendens quod primogenita vendidisset.*

« At illi constituerunt ei triginta argenteos.

16 Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet. »

Ecce pretii constitutio.

« *Triginta argenteos.* » Zachariæ, xi, 12 : *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Genes. xxxvii, 28, venditus est Joseph viginti argenteis, quia melius debuit esse forum servi quam Domini. Isa. lxii, 11 : *Ecce merces ejus cum eo, et opus ejus coram illo :* et ideo eadem prophetia Isaiæ legitur in Ecclesia, quarta feria ante Pascha. Et quia tunc venditus fuit Dominus, ideo in jejunio, quod fit honore passionis post sextam feriam (in qua crucifixus est Dominus) secundum locum tenet quarta feria, in qua est traditus et venditus. Sed qui jejunant in honore Virginis matris sabbatum, jejunant congruentius : quia illa die cæteris dubitantibus, fides in ea stetit : et ideo in sabbato inolevit consuetudo solemnizare de gloriosa Virgine.

« Et exinde, »

Pacto firmato, « *quærebat opportunitatem ut eum,* » sine turbis existentem, « *traderet.* » I ad Timoth. vi, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.* Unde, Luc. xxii, 6, apertius dicitur : *Quærebat opportunitatem ut traderet illum sine turbis,* ne scilicet auxilio, vel tumultu turbarum evaderet manus tradentium.

« Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere Pascha ? » 17

Peracta traditione secundum confirmationem pacti, tangit eamdem secundum opportunitatem : hoc autem est, ut inveniatur sine turbis. Duæ igitur sunt opportunitates, una remota, et altera propinqua, et conveniens malitiæ proditoris. Prima est cœna sacramentalis in qua declinare necesse fuit a turbis : alia est locus secretæ orationis, cui non competit etiam intimorum accessus, ibi, in medio ỳ. 31 : « *Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini, etc.* »

Et prima concluditur ad secundam : et ideo prima duas habet partes, scilicet, in sequestro turbarum cœnæ præparationem : et post cœnam gratia orationis ad secretum locum declinationem, ibi, ỳ. 30 : « *Et hymno dicto exierunt*, etc. » Unde alius Evangelista [1] dicit, quod sciebat autem et Judas locum : quia frequenter ibi introibat Jesus, etc.

Adhuc autem prior harum partium in tria dividitur secundum tres partes cœnæ sacramentalis : in quarum prima Sacramentum vetus terminatur : in secunda autem Sacramentum novum instituitur, ibi, ỳ. 26 : « *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem*, etc. » In tertia, ratio terminationis veteris assignatur, ibi, ỳ. 29 : « *Dico autem vobis, non bibam amodo*, etc. »

Prima harum adhuc habet partes tres : quarum prima est de cœnæ typicæ, sive figuralis præparatione : secunda autem

[1] Joan. xviii, 2 : *Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis.*

de proditoris benigna et cauta a proposito malo revocatione : tertia autem de proditoris temeraria et pertinaci in malitia obduratione. Et hæc patent in littera.

Circa cœnæ typicæ præparationem quinque opponuntur, scilicet temporis congruentia, ministrorum potestas ordinaria, loci proprietas determinata, determinantis auctoritas divina, et cœnæ sanctæ cum sanctis communio figurativa. Et hæc per ordinem jacent in littera.

Dicit igitur de primo, quod cum quæreret opportunitatem Judas crescens in malitia, occurrit

« Prima dies azymorum, »

In qua, sicut dicit Lucas [1], necesse fuit occidi Pascha, et parari : et hoc fuit luna decima quarta ad vesperum. Exod. XII, 19 : *Septem diebus non invenietur fermentatum in domibus vestris.* Et hoc idem dicitur, Numer. XXVIII, 17, et Levit. XXIII, 6, et Deuter. XVI, 3. Et, iterum, Exod. XII, 6 et seq., Quarta decima die ad vesperum Pascha Domini est, et in quinta decima solemnitatem celebrabitis altissimo Domino. Hoc autem fuit quinta feria ad noctem, quando non erat fermentatum in domibus Judæorum : eo quod illa nocte, sicut dicitur, Exod. XII, 39, annis revolutis multis tulerat populus conspersam farinam, quæ fermentari non poterat, compellentibus Ægyptiis exire populum de Ægypto. Et ex hoc accipimus ritum nostrum, quia consecramus in azymis, convenientiorem esse ritu Græcorum qui consecrant in fermentato. Si enim in domibus Judæorum non erat tunc fermentatum, non accepit Dominus in consecratione sui sacrosancti corporis nisi azymum. Dicitur enim *azymum* ab *a* quod est sine, et *zyma*, quod est fermentum [2]. Convenit autem hoc etiam mysterio. I ad Corinth. V 8 : *Epulemur... in azymis sinceritatis et veritatis :* et præmittit : *Non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, et nequitiæ*, etc.

« Accesserunt, »

Ausu familiaritatis et debito sui ordinis, « *discipuli ad Jesum, dicentes.* » Exod. XXVIII, 41, dicitur : *Consecrabis sacerdotum manus, ut sacerdotio fungantur mihi.*

« Ubi vis paremus tibi comedere Pascha ? »

Non puto quemquam legisse, quod discipuli se ad coquinandum exhibuerunt nisi hoc loco. Joan. enim IV, 8, legitur, quod *discipuli abierant in civitatem ut cibos emerent*, sed non ut coquinarent. Causa autem est, quia sacramentalis cœna ordinata, et consecratæ potestatis exigit ministrum, et illos ministros opportuit esse Apostolos, qui ordinati a Domino intelliguntur. Alibi etiam cum communis esset refectio, dicit gratia humilitatis : *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat* [3].

Et attende ordinem. Discipuli parant Sacramentum vetus : et Jesus inchoat novum, et discipulis committit frequentandum, et interdicit usum veteris. Infra, in eodem, ℣. 26 : *Cœnantibus autem*, etc.

Dicunt autem : « *Ubi vis ?* » Non enim habebat certam habitationem : sed sicut supra, VIII, 20, dixit : *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Joan. I, 11 : *In propria venit, et sui eum non receperunt.*

« *Paremus*, » nos qui ministri sumus, te nos ordinante. Isa. LXI, 6 : *Vos autem sacerdotes Domini vocabimini : Ministri Dei nostri, dicetur vobis.* I Petr. II, 9 : *Genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis : ut virtu-*

[1] Cf. Luc. XXII, 7.

[2] Τὰ ἄζυμα [ἀ priv. et ζύμα, fermentum]

[3] Luc. XXII, 27.

tes annuntietis ejus qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.

« *Comedere Pascha,* » hoc est, agnum typicæ et veteris immolationis, cum lactucis agrestibus et azymis panibus. Non enim dicitur hic Pascha solemnitas ipsa, quam nemo comedit, sed id quod in Pascha offerebatur. Joan. XVIII, 28 : *Ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut menducarent Pascha.* Similiter accipitur, I ad Corinth. V, 7 : *Pascha nostrum immolatus est Christus.*

18 « At Jesus dixit : Ite in civitatem ad quemdam. »

« *At Jesus dixit.* » Locum determinans : in quo tria dicit. Discipulis enim ministerium cœnæ injungit, locum determinat, et prætendit paupertatis humilitatem.

Per hoc enim, quod dicit : « *Ite* » injungit ministerium. Simile, Luc. X, 3 : *Ite : ecce ego mitto vos.* Marc. XVI, 15 : *Euntes in mundum universum*, etc.

« *In civitatem.* » Loci determinatio, in quo notatur, quod communicare debet, qui cœnam Domini cœnat : quia civitas dicitur civium unitas. Non communicat autem sacramentaliter, qui excommunicatus est Ecclesiæ jurisdictione : spiritualiter autem non communicat, qui excommunicatus est Ecclesiæ triumphantis excommunicatione, quæ fit pro mortali peccato. I ad Corinth. XVI, 22 : *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit, Maran Atha.* Hæc communio significatur in Psalmo CXXI, 3 : *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.* Apocal. III, 20 : *Si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Non ergo cœnat cum Domino nisi in quem jam per gratiam inhabitat Deus. Ideo communis confessio et pœnitentia instituitur ante generalem, quæ in Pascha celebratur, communionem : et indicitur generale jejunium.

« *Ad quemdam.* Ecce paupertatis humilitas. Pauper enim erat, non claræ dignitatis, et nominis inter cives. Unde, Luc. XXII, 10 : *Occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans.* Paupertatis enim judicium dedit, qui per se non vinum, sed aquam ad festum Paschæ celebrandum portavit. Zachar. IX, 9 : *Ipse pauper.* Psal. LXXXVII, 16 : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea.* Unde etiam Apostolus in tali cœna vituperat præparationes divitum, I ad Corinth. XI, 18, 20 et 21 : *Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam..., jam non est dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius vero ebrius est.* Unde et Rabanus hic exclamat, dicens : « Audiant « quibus ædificandarum domorum vita « est, quos pretiosorum marmorum columnæ delectant ! » Jerem. XXII, 13 et 14 : *Væ qui ædificat domum suam in injustitia ! Qui dicit : Ædificabo mihi domum latam, et cœnacula spatiosa : qui aperit sibi fenestras, et facit laquearia cedrina, pingitque sinopide.* Amos, III, 15 : *Percutiam domum hiemalem cum domo æstiva : et peribunt domus eburneæ.*

« Et dicite ei : Magister dicit : Tempus meum prope est : apud te facio Pascha cum discipulis meis. »

Instituentis et terminantis hic tangitur auctoritas. Et dicit quatuor, scilicet terminantis typicum sacramentum auctoritatem : et ejusdem in passione sua, qua omnia consummantur, terminationem : et ultimam istius Sacramenti celebrationem : et significatam in illo Sacramento communionem : et hæc tanguntur per ordinem.

De primo dicit : « *Magister dicit.* » Potius dicit Magister quam Dominus : quia sacramentum est signum, quod præter speciem quam ingerit sensibus, aliud facit in notitiam venire : et usus ejus est totus in significando doctrinam spiritualem :

et hoc potius ad magisterium, quam ad dominium pertinet. Isa. L, 5 : *Dominus Deus aperuit mihi aurem*, ut audiam eum tamquam magistrum : *ego autem non contradico*. Joan. III, 2 : *Scimus quia a Deo venisti magister*. Luc. IV, 32 : *Stupebant in doctrina ejus, quia in potestate erat sermo ipsius*.

« *Tempus meum prope est.* » Cum tempus sit quidam numerus, ut dicit Philosophus, non habetur tempus hominis nisi sicut numerus vitæ hominis : et hoc est per ultimæ horæ adjectionem, sicut et numerus constituitur per ultimæ unitatis adjectionem : sic enim tempus est mensura vitæ et numerus. Unde quidam dixit, Isa. XXXVIII, 10 : *Ego dixi : In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. Quæsivi residuum annorum meorum*. Hoc autem tempus dupliciter fuit Christi : uno quidem modo, qui dictus est : alio autem modo, qui in dispositione sua fuit, quantus esset numerus temporis. In nobis enim non est, quantum vivamus : et ideo tempus nostrum semper est in termino quasi finiente vitam : sed non sic Christo. Joan. VII, 6 : *Tempus meum nondum advenit : tempus autem vestrum semper est paratum*. Hoc igitur modo (tempus Christi passio est in finita vita) dixit : *Consummatum est* [1], omnibus legalibus finem imponens. Et hæc est ratio, quare de tempore suo in cœna facit mentionem. Ex hoc autem etiam discipuli instruebantur, quod non ignorans præoccupabatur passione, sed volens, et omnia ex sapientia præordinans. Ad Roman. XI, 34 et 36 : *Quis enim cognovit sensum Domini ? Aut quis consiliarius ejus fuit ?... Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia*.

« Apud te facio Pascha. »

Ecce Sacramenti ultima celebratio. Hoc autem quod dicit, « *facio*, » ex modo loquendi, notat potestatem celebrantis : ut faciat de sacramentis sicut vult. Joan. XIII, 3 : *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit*. Hoc significatum est, III Esdræ, I, 1, ubi, fecit Josias Pascha, quale non est factum a diebus regum et judicum Israel.

« *Cum discipulis meis.* » Ecce significata in sacramento communio : et ideo fit cum discipulis : quia significatur in eo membrorum cum capite communicatio in Spiritus unione. Ad Ephes. IV, 4 : *Unum corpus, et unus Spiritus*. Ad Roman. XII, 4 et 5 : *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo* [2].

« Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, et paraverunt Pascha. » **19**

Hic tangitur modus celebrationis. Et in hoc quod dicit : « *Sicut constituit illis Jesus*, » notatur, quod non est præsumendum ab aliquo, quod aliter celebret Sacramentum, quam a Deo est institutum. I ad Corinth. XI, 29 : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit*. Ibi Glossa Augustini : « Indigne su« mit, qui aliter celebrat, quam institutum « est. » I ad Corinth. XI, 23 : *Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis*. Et, ibidem, ℣.2 : *Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis*.

« *Et paraverunt pascha*, » quod certe non fecissent, nisi formam, qua institutum est, retinuissent. Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere*. Isa. XXVI, 12 : *Quia opera nostra operatus es nobis*,

[1] Joan. XIX, 30.

[2] I ad Corinth. XII, 12 : *Sicut corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita et Christus*.

Domine. Exod. XII, 21 : *Ite, tollentes animal..., et immolate Phase.*

20 « Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis.

21 Et edentibus illis, dixit : Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. »

22 Et contristati valde, cœperunt singuli dicere : Numquid ego sum, Domine ?

23 At ipse respondens, ait : Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.

24 Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo. »

Hic tangitur quadruplex revocatio proditoris. Nam qui pati venit, et voluit, tamen actionem tam detestabilem noluit, et ab ea ministrum sceleris revocavit, Primo autem revocat, se præscire traditionem et traditorem ostendendo, ut deitatis scientia perlustratus erubescat : secundo, beneficium commensalitatis prætendendo, ut beneficum tradere verecundetur : tertio comminationes æternarum pœnarum terrendo ingeminat, ut saltem timore retrahatur a malitia : quarto et ultimo, manifestando subobscure, ut sic notatus confundutur, et a proposito desistat.

Dicit igitur tria circa primum, scilicet, quando dixit et aperuit præscientiam proditoris, et ipsum dictum, et turbationem ex hoc ortam inter discipulos.

Dicit igitur : « *Vespere autem facto,* » lunæ quartædecimæ, « *discumbebat cum duodecim discipulis suis,* » per quos ad omnes alios ordinatio sacramentorum descendere debuit. Psal. CXXXII, 2 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus.* Non excludit proditorem, ut revocet beneficio. Cantic. I, 6 : *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie,* hoc est, in pleno lucis splendore et plenæ charitatis fervore, et hoc in sacramento cœnæ nos illuminans et accendens. Hoc impletum est, Genes. XLIII, 16 : *Introduc viros domum..., quoniam mecum sunt comesturi meridie.* Cantic. V, 1 : *Comedite amici, et bibite, et inebriamini, charissimi.* Exod. XXIV, 11 : *Viderunt Deum, et comederunt, et biberunt.*

« Et edentibus illis, dixit. »

Isa. XXI, 5 : *Comedentes et bibentes, surgite, principes, arripite clypeum.*

« *Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est,* » Ut impleatur, quod dixit Psalmus XL, 10 : *Homo pacis meæ, in quo speravi : qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.*

« Et contristati valde, »

Eo quod intolerabile erat eis aliquid contra dilectum magistrum audire. Supra, XVII, 22 : *Absit a te, Domine : non erit tibi hoc.* Unde et Joan. XIII, 24, Petrus innuit Joanni, ut diligenter investigaret quis esset. Et dicit Chrysostomus, quod « ideo hoc fecit, quia proditorem « cogitabat interficere, et sic Dominum « liberare, ignarus sacramenti Passionis. »

« *Cœperunt singuli dicere,* » quia licet conscientia non accusaret eos, tamen plus Magistro de se, quam propriis credebant conscientiis. Joan. XVI, 30 : *Scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget.* Job, X, 13 : *Scio quia universorum memineris.* Et, ibidem, XLII, 2 : *Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio.*

« *Numquid ego sum, Domine ?* » Psal. XXV, 2 : *Proba me, Domine, et tenta me : ure renes meos et cor meum* [1]. Ad Hebr.

[1] Et iterum, Psal. CXXXVIII, 24 et 25 : *Proba me, Deus, et scito cor meum : interroga me, et cognosce semitas meas. Et vide si via iniquitatis in me est,* etc.

IV, 12 et 13 : *Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti : et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.*

« At ille respondens, ait, »

Volens revocare commemoratione beneficii. Eccli. XII, 9 : *In bonis viri, inimici illius in tristitia : et in malitia illius, amicus agnitus est.*

« *Qui intingit mecum manum in paropside.* » Attende quod *paropsis* est vas magnum a paribus absidibus dictum, quod Marcus [1] vocat *catinum* : licet catinum proprie sit vas fictile. Erat autem vas magnum, in quo totus jacebat agnus, in extremitatibus habens parva receptacula, in quibus erat sapor lactucæ agrestis. Unde licet omnes acciperent de agno de paropside, non tamen omnes intingebant in eodem sapore, sed Judas cum Domino, Joan. tamen, XIII, 26, dicitur sic : *Cui ego intinctum panem porrexero,* quod idem est, et majoris indicium amicitiæ, quod inter tot charos sibi soli manu propria saporem porrexit.

« *Hic me tradet.* » Jerem. IX, 4 : *Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre non habeat fiduciam : quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet.* Mich. VII, 2, 6 : *Vir fratrem suum venatur ad mortem..., et inimici hominis domestici ejus.*

Ne autem dicat aliquis, quare Christus non subduxit, ne Judæ daret occasionem se præcipitandi in tantum scelus ? Ideo sequitur :

« Filius quidem hominis vadit, »

Ad Passionem voluntarius, « *sicut scriptum est de eo* : » et facit quod præordinatum est : nec aliquid dimittit de his quæ ad redemptionem pertinent. Ipse autem Judas caveat quid faciat, quia ego faciendo quod convenit, moneo eum ut sibi caveat. Sic ergo non dans Judæ occasionem, « *vadit Filius hominis* » ad Passionem. Joan. XIV, 31 : *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.* Non est dubium, quin ad Passionem. Joan. XVI, 5 : *Vado ad eum, qui misit me.*

« *Sicut scriptum est de eo,* » hoc est, sicut Scriptura testante præordinatum est, Psal. XXXIX, 8 et 9 : *In capite libri est scriptum de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Luc. XXIV, 44 : *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.*

« Væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur ! Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. »

Ecce revocatio comminatione pœnæ. « *Væ autem,* » æterna damnationis, « *homini illi per quem,* » sicut sceleris ministrum, « *Filius hominis tradetur !* » Isa. X, 5, simile : *Væ Assur : virga furoris mei et baculus ipse est : in manu eorum indignatio mea.* Eccli. II, 14 : *Væ duplici corde, et labiis scelestis, et manibus malefacientibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis !*

« Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. »

Contra hoc objiciunt quidam : Quia si natus non fuisset, non esset : et si non esset, non esset ei neque bonum, neque

[1] Marc. XIV, 20.

malum. Ad hoc dicit Hieronymus, quod « modus est loquendi : quia melius esset « non esse, quam in extremo infelicitatis « infelicem esse. » Et intendit quod non esse dupliciter consideratur : in se videlicet, et sic nihil est, nec est ei aliquid bonum, vel malum : aut ut est oppositum ad esse, et in tali oppositione, esse potest esse minus quam non esse : et sic est putativum, vel negativum, et per consequens mali et infelicis esse : et hoc modo sumitur hic. Cum dicit : « *Bonum,* » virtutem habet comparationis in opposito, hoc est, minus malum, « *erat ei, si natus non fuisset homo ille.* » II ad Thessal. II, 3 : *Ne quis vos seducat : quoniam... nisi revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis.* Joan. XVII, 12 : *Nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.* Job, X, 18 et 19 : *Quare de vulva eduxisti me ? qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret. Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum.*

25 « Respondens autem Judas qui tradidit eum, dixit : Numquid ego sum, Rabbi ? Ait illi : Tu dixisti. »

Post alios omnes usque post comminationem tacet, induratus malitiæ pertinacia : et tunc non interrogat nisi videatur tacendo se prodere. Unde, Joan. XIII, 2, dicitur : *Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ.* Et propter hanc pertinaciam irrevocabilem, dicitur non diabolicus, sed *diabolus.* Joan. VI, 71 : *Nonne ego vos duodecim elegi : et ex vobis unus diabolus est ?*

« *Numquid ego sum, Rabbi ?* » Dicit Glossa quod in ipsa interrogatione notatur affectio. Quasi dicat : Ego sum, Rabbi : et numquid non ita est ? et est ejus, qui confundi nescit. Jerem. III, 3 : *Frons mulieris meretricis facta est tibi : noluisti erubescere.*

« *Ait illi Jesus : Tu dixisti.* » Quasi dicat : Tu te prodidisti. Et eodem sermone usus est Dominus contra Pilatum, Joan. XVIII, 37 : *Tu dicis quia rex sum ego.*

« Cœnantibus autem eis, accepit 26
Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite : hoc est corpus meum. »

Hic tangitur Novi Testamenti Sacramentum, quod Eucharistia, hoc est, bona gratia vocatur : eo quod continet eum qui est et auctor et causa et vas omnis gratiæ secundum corpus et animam et deitatem.

Tangit autem hic tria, sicut etiam in parte ante diximus, scilicet Sacramenti institutionem, et alterius Sacramenti (quod typus hujus fuit) terminationem, et gratiarum actionem.

Sacramenti autem institutio dupliciter tangitur, scilicet institutio corporis, et institutio sanguinis.

Circa institutionem autem Sacramenti corporis dicuntur octo secundum ordinem in littera, quorum primum est congruitas temporis. Et hoc notat, cum dicit :

« Cœnantibus autem eis, »

Hoc est, cœnam typici agni complentibus : illo enim ultimo facto, ad ipsum immediate continuatum est novum : ut post illam ultimam cœnam numquam amplius in eo spes poneretur. Levit. XXVI, 10 : *Comedetis vetustissima veterum, et vetera novis supervenientibus projicietis :* sed usque ad nova comedetis vetera. Et in hujus signum deteguntur, et lavantur altaria in die Cœnæ. Isa. XXVI, 3 : *Vetus error abiit.* I ad Corinth. V, 8 : *Epulemur, non in fermento veteri,* etc.

Sed tunc quæritur qualiter suis Apostolis dedit corpus suum completa cœna :

nobis autem præcipitur, ut jejuni sumamus? Videretur enim, quod ritum Apostolicum æmulari deberemus. Et dicendum est ad hoc, quod Apostolis post cœnam dedit, ut veritatem figuræ continuaret : et ut illud, quod maximi amoris est indicium ultimo datum, magis memoriæ commendaret, et ut Domini et Redemptoris et amici hoc memoriale relinqueretur, I ad Corinth. XI, 24, et Luc. XXII, 19 : *Hoc facite in meam commemorationem.* Thren. III, 20 : *Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea.* Hoc enim memoriale maximum dilectionis est signum : maxime nostri ad Deum unitivum, et amici abeuntis quoties placet revocativum. Sic enim dicit : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* [1]. Unde in hoc suos in finem dilexit [2]. De secundo, Job, XXXI, 31 : *Si non dixerunt viri tabernaculi mei : Quis det de carnibus ejus, ut saturemur ?* hoc est, corpori ejus uniamur. Joan. VI, 57 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* De tertio dicitur, Joan. VI, 52 : *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

Secundum autem est operatio virtutis divinæ. Et hoc notatur, cum dicit :

« Accepit Jesus. »

Ad hoc enim accepit in manibus, ut tactu suo transsubstantialitatem(alias,transsubstantiabilitatem) conferret materiæ Sacramenti : ut quando forma accederet, fieri posset, et fieret Sacramentum. Sic etiam tactu suæ mundissimæ carnis vim regenerativam contulit aquis [3]. Hoc quoque significatum est, Supra, XIV, 19, et Joan. VI, 11, ubi tangens panes multiplicavit eos in pastum et satietatem multorum millium hominum. Non est enim mirum si manus, qua condidit etiam creaturas, mutet in quod voluerit. Cantic. V, 14 : *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Tornatiles dicuntur propter operationis facilitatem : aureæ, propter divinæ potentiæ in opere quolibet fulgorem : plenæ hyacinthis, propter operis cœlestem pretiositatem.

« Panem. »

Tertium est, in quo notatur Sacramenti propria materia. In speciebus enim quibusdam, licet multæ species esse videantur, tamen una est quæ attingit complementum, et aliæ sunt distantes ab ea quibusdam ægritudinibus, sicut dicunt Alchimici de auro : et ideo omne metallum purgatione materiæ in aurum dicunt transmutari. Sicut etiam videmus de granis : quoniam bonitate terræ siligo in triticum nobilitatur, et ejusdem malitia triticum degenerat in siliginem. Et ideo simpliciter et absolute *panis* triticeus est panis. Hinc est, quod ipse Christus in hoc Sacramento contentus se grano frumenti comparat, Joan. XII, 24 : *Nisi granum frumenti*, etc. Et quoad hoc habet similitudinem ad corpus Christi verum. Comparat etiam electos tritico, Supra, XIII, 30 : *Triticum congregate in horreum meum.* Et sic habet convenientiam ad corpus Christi mysticum. In effectu etiam maxime convenit : quia puritate maxime nutrit, et viscositate maxime membris adhæret nutrimentum, quod exinde sumptum est : et quoad hæc duo dicitur in Psal. CIII, 15 : *Panis cor hominis confirmet.* Genes. XVIII, 5 : *Ponam buccellam panis, et confortate cor vestrum.* Act. IX, 19 : *Cum accepisset cibum, confortatus est.* Est autem etiam hoc granum nobilissimum et cibis hominum communissimum (alias, convenientissimum) quia competit infirmis et sanis. De primo dicit Psalmus LXXVII, 25 : *Pa-*

[1] Joan. XV, 13.

[2] Joan. XIII, 1 : *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

[3] Vide supra dicta in expositione cap. III, 13 et seq. Tom. XX hujusce editionis. Cf. etiam. Marc. I, 9, et Luc, III, 22.

nem Angelorum manducavit homo. In hoc enim notatur nobilitas. Communitas autem notatur, Sapient. XVI, 21 : *Deserviens voluntati uniuscujusque eorum, ad quod quisque volebat, convertebatur.* Est autem et alia convenientia : quia sicut ex multis granis depuratis a paleis fit unus panis, ita de multis fidelibus a peccato depuratis una fit Ecclesia. I ad Corinth. X, 17 : *Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Adhuc autem in pane quælibet pars integra cibi et refectionis habet plenam rationem : ita in Sacramento, quælibet pars formæ divisæ habet integrum Christum totum reficientem. Joan. VI, 58 : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Psal. CXLVII, 14 : *Adipe frumenti satiat te.* Sapient. XVI, 20 : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.*

« Et benedixit. »

Quænam fuit ista benedictio ? Aliqua benedixit benedictione speciali, qua etiam a discipulis agnitus est, Luc. XXIV, 35 : *Quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* Eccli. XXXIX, 27 et 28 : *Benedictio illius quasi fluvius inundavit. Quomodo cataclysmus aridam inebiavit, sic,* etc. Hac benedictione etiam ipsum Sacramentum benedictione gratiæ exuberat. Unde, Sapient. XVI, 27 et 28 : Manna *quod ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat, ut notum omnibus esset quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam.* Et pro hac benedictione Ecclesia utitur collectis etiam ante transsubstantiationem, et post, tam pro vivis quam pro mortuis : eo quod ad omnes hoc Sacramentum gratiæ exuberat. Genes. XLIX, 20 : *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.*

« Ac fregit. »

Fractio est quintum, et est in accidentibus, quæ non afficiunt corpus Domini, sed circumstant ipsum, ut ostendat ibi Dominum esse in cibi effectu spiritualis. Osee, XI, 4 : *Declinavi ad eum ut vesceretur.* Et ideo mirabile est accidens ibi esse sine subjecto, ad hoc quod cibi effectum in corpore ostendat : et ideo etiam sicut corpus panis transsubstantiatur in carnem Christi veram, ita etiam accidens in obsequium Sacramenti recipit virtutem super posse accidentis exaltatam : ut circumstando corpus Sacramenti, sicut diximus, ostendat virtutem : ut etiam fractio sit in ipsis : quia verum corpus non frangitur, sed fractis accidentibus, sub qualibet specie et parte fractionis totum est corpus Christi. Et ideo, Act. II, 42, dicitur, quod Apostoli erant perseverantes in fractione panis. Marc. VI, 41 : *Fregit panes, et dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos.* Et præcepit, Joan. VI, 12, ut fragmenta colligerent, ne perirent. Thren. IV, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Hæc enim fractio significat etiam iræ fractionem divinæ, tam in vivos quam in mortuos in purgatorio existentes : et bonitatem suam in eos qui feliciter jam regnant cum ipso. Et ideo in tres partes frangitur hostia. Psal. CV, 23 : *Dixit* Deus *ut disperderet eos, si non Moyses, electus ejus, stetisset in confractione in conspectu ejus.* Moyses electus significat Christum in istius hostiæ fractione.

« Deditque discipulis suis. »

Hoc est sextum, quod ad distributionem pertinet Sacramenti : ideo enim vocatur *communio* latine, *synaxis* græce, quia omnes in eo communicant, ut Christus in omnibus sit. I ad Corinth. X, 16 : *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est ?* Ideo, Supra, VI, 11, dicitur : *Panem nostrum,* non

meum. Ideo etiam David rex, II Reg. VI, 19, populo divisit tortulam panis, quæ tortula significabat Christi passionem : quo facto lætantes abierunt ad propria. « *Dedit* » autem, non tam ut munus, quam postestatem dandi de cætero. Unde ista datione transtulit in eos potestatem conficiendi et distribuendi. Unde, Luc. XXII, 19 : *Hoc facite in meam commemorationem.* In quo verbo notatur acceptæ potestatis exercitium : et forte in hoc ipso verbo sacerdotes ordinati intelliguntur per translationem talis potestatis. Hoc significatum est supra, XIV, 19, et Joan. VIII, 10, ubi dicitur, quod dedit discipulis, ut apponerent turbis, et non tantum ut comederent. Supra, X, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.* Dedit autem ad induendum, ad offerendum, et ad sumendum. De inditione, ad Galat. III, 27 : *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Ad Roman. XIII, 14 : *Induimini Dominum Jesum Christum.* De oblatione, Isa. LIII, 7 : *Oblatus est quia ipse voluit.* Ad sumendum, Joan. VI, 56 : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Induitur in ornamentum conversationis, offertur in pretium redemptionis, sumitur in restaurum deperditæ spiritualitatis. De primo, Isa. LXI, 10 : *Sed induit me Dominus vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me.* De secundo, I Petr. I, 18 et 19: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* De tertio, Joan. VI, 58 : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Primum fit Christi virtute, secundum valore, et tertium nostri ad ipsum mutatione. Est ille mutans nos ad ipsum, et non mutatus, Jerem. XV, 19 : *Convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos.* Unde Augutini dictum est voce sonante de sublimi : « Cibus sum grandium, « cresce, et manducabis me : nec tu me « mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, « sed tu mutaberis in me. »

« Et ait : Accipite et comedite. »

Hoc est septimum, et pertinet ad verum Sacramenti usum. Et duo modi usus tanguntur : sacramentalis quidem, quando dicit : « *Accipite* : » hæc enim pertinent ad acceptionem, quæ est in specie sacramentali. Quod autem dicit : « *Comedite,* » pertinet ad usum (alias, esum) spiritualem.

Dicit igitur : « *Accipite,* » in fide, et devotione, et reverentia. In fide, quia mysterium est fidei : in devotione, quia est plenæ charitatis sacramentum : in reverentia, quia omnium dignorum est dignissimum : et ideo tria sunt in manna, nomen, et collectio, et reservatio [1]. Nomen manna quod est : quid est hoc ? propter fidei admirationem : collectio, propter donationem : reservatio in urna. Urna aurea propter reverentiam ad dignitatem. Accipitur igitur fide, ut credatur. Unde Augustinus : « Ut quid paras « dentem et ventrem ? crede, et man« ducasti. » Colligitur per devotionem, ut desideretur, Psal. LXXVII, 29, 30 : *Manducaverunt, et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis : non sunt fraudati a desiderio suo.* Conservatur in apotheca cordis, ut in memoria reservetur. Si enim amici abeuntis ad prandium olerum nos invitantis recordamur, indignum est nos proprii corporis convivium Domino abeunte deinceps non recordari. Isa. XLIII, 26 : *Reduc me in memoriam, et judicemur simul.*

« *Et comedite,* » spirituali manducatione : vos mihi incorporate, ut masticatio fiat per meditationem (quæ est frequens reditus memoriæ super idem) : digestio non corporis, sed nostri fiat per confessionem, quæ purum ab impuro novit separare : suctio autem corporis fiat per

[1] Cf. Exod. XVI, 15 et 16.

charitatis calorem : et unio fiat per spiritus unitatem. Sic enim Christo incorporamur, et incorporati secum ascendimus in cœlum : et sic totum corpus mysticum, hoc modo efficitur corpus Christi. I ad Corinth. XII, 27 : *Vos estis corpus Christi, et membra de membro.* De primo dixit, Psal. CXLII, 5 : *In factis manuum tuarum meditabar.* Et iterum, Psal. LXXVI, 4 : *Memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum, et defecit spiritus meus*, scilicet præ admiratione bonitatis. De secundo, Josue, VII, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere*, scilicet peccatum tuum, *atque indica mihi quid feceris.* De tertio, Isa. LXVI, 11 : *Ut sugatis...., et deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus.* De quarto, Joan. XVII, 23 : *Ego in eis, et tu in me : ut sint consummati in unum.*

Sic ergo « *comedite*, » hoc est, spiritualiter sumite.

Et ait :

« Hoc est corpus meum. »

Hoc est octavum et ultimum, quod pertinet ad formam. Et si quæritur : Quid per pronomen *hoc* demonstratur ? Dicendum, quod tota hæc oratio resolvitur ad rem, et res ipsa in unita et indivisa virtute divina operatur. Et ideo non est quærendum, quid dictiones in hac oratione positæ divisim operentur : et hoc est, quod dixerunt antiqui Doctores, quod quando dictum est totum, tunc totum factum est. Cum autem elevatur jam consecratione facta, tunc iterum potest dici, quia hoc est corpus Christi verum : licet enim accidentia non afficiant corpus Christi, verumtamen sunt de essentia Sacramenti, et ostendunt Sacramenti verum effectum, et hunc ostendunt sacramentaliter : et ideo faciunt ad veram Christi demonstrationem sacramentalem. Sicut enim dicit Innocentius, « Corpus Christi per figu-« ram propriam est in cœlo, sacramen-« taliter in altari, et ut Deus, est ubi-« que. » Unde sicut propria lux, et propria figura et habitudo corporis vere demonstrant eum in cœlo, ubi est per propriæ figuræ repræsentationem : ita accidentia coloris et figuræ et saporis et odoris refectionis (alias, repræsentative) demonstrant eum in altari, in quo per veri cibi veritatem et repræsentationem est : et ideo vere demonstratur, quando dicitur : *Hoc est corpus meum.* Nec est verum, quod dicunt quidam, quod videtur sicut homo tectus velo : hoc enim non est verum : sed videtur sub speciebus veri Sacramenti, sicut dictum est. Et commendatur devotio fidelium manibus protensis, et visu occurrentium ei : et significatur hoc, Exod. XIX, 17 etseq., ubi legitur, quod cum Dominus descenderet, omnes occurrerunt ad ostia tabernaculorum suorum, et viderunt Dominum. Genes. XXXII, 30 : *Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* Numer. XXI, 8 : *Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo : qui percussus adspexerit eum, vivet.*

Sic ergo terminatur pars, quæ est de Sacramento corporis.

« Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes. **27**

Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » **28**

Tangit hic Sacramentum sanguinis. Et si quæritur, cum corpus non sit sine sanguine, nec sine anima : et hæc ambo non sint sine deitate, cui unita sunt : quare oportuit haberi specialiter Sacramentum sanguinis ? Et dicendum ad hoc, quod in memoriale summæ dilectionis instituit Deus hoc Sacramentum. Oportuit autem nos maxime recordari maximi in factis Christi, et maximi in passionibus. Maximum autem in factis est, quod corpus suum dedit in cibum :

quia per hoc omnes nos sibi univit, cum incarnatione non univerit sibi nisi unius solius naturam. Unde Hilarius dicit, quod « per istud Sacramentum omnes « naturaliter Christo unimur. » Maximum autem in passionibus est, quod sanguinem fudit et nobis illum infudit : et hæc est causa quod oportebat habere speciale memoriale Passionis. Est autem corpus in cibum, et sanguis in potum, et corpus in pretium, et sanguis in ablutionem. Apocal. I, 5 : *Dilèxit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.*

Dicit igitur :

« Et accipiens. »

Dicit autem hic novem circa Sacramentum sanguinis : quorum primum est operatio divinæ virtutis in manibus humanis : et hoc notatur, cum dicit : « *Accipiens.* » Tactu enim enim contulit transsubstantiabilitatem, sicut dictum est [1]. Psal. LXXIV, 9 : *Calix in manu Domini vini meri plenus misto.*

Secundo tangit materiam, cum dicit :

« Calicem. »

Calida est potio, simplex vinum, quod vere potus est, præcipue dulce et rubeum, quod designat sanguinem : unde comparat se viti, Joan. XV, 5 : *Ego sum vitis, vos palmites.* Hoc est vinum, de quo dicitur, Cantic. VII, 9 : *Dignum dilecto meo ad potandum, labiisque et dentibus illius ad ruminandum.* Psal. CIII, 15 : *Vinum lætificat cor hominis :* et bonæ spei facit hominem, ut dicit Philosophus. Judicum, IX, 13, dicit vitis : *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines ?* Inebriat etiam, III Esdræ, III, 10 : *Forte est vinum.* Cantic. V, 1 : *Inebriamini, charissimi.* Cantic. II, 4 et 5 : *Introduxit me rex in cellam vinariam : ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Psal. XXII, 5 : *Calix meus inebrians quam præclarus est !* Sic ergo vinum est calidum, portativum, lætificans, spem elevans, et inebrians : quæ omnia sunt in Sacramento, quod calefacit devotione, potat refectione, lætificat spirituali exsultatione, spem certificat magni meriti, quod est in Passione : inebriat autem charitate. Psal. CXVI, 13 : *Calicem salutaris accipiam,* etc. Genes. XLIX, 11 : *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum.*

« Gratias egit. »

Supra dixit : *Benedixit,* hoc est, gratias egit, dicens, quod in passionibus debemus gratias agere, dicentes illud Apostoli, ad Roman. VIII, 18 : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Joan. XI, 41 : *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Supra, XI, 25 : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ.* I ad Corinth. X, 16 : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ?*

Sed hic non dicitur calix mistus aqua : quare ergo Ecclesia miscet ? Ad hoc dicendum, quod Apocal. XVII, 15, dicitur, quod aquæ sunt populi et gentes [2] : et quia vult significare transitum populi in Christum, ideo miscet : insipidum populum designans in saporem gratiæ Christi transiturum : et hoc designatur, Proverb. IX, 5, ubi sapientia loquitur dicens : *Bibite vinum quod miscui vobis.* Et de hoc specialiter gratias agit : quia in hoc redemptus est populus : et hoc significavit, Joan. II, 7 et seq., aquam mutans in vinum. Unde et tam parum aquæ debet poni, quod tota transeat in vini naturam. Ex quo enim non ponitur nisi

[1] Cf. Supra, XIV, 19.

[2] Apocal. XVII, 15 : *Aquæ quas vidisti... populi sunt, et gentes, et linguæ.*

propter significatum, tantum facit ibi gutta, quantum faceret mare totum.

Quartum est in potestatis collatione : et hoc tangit, cum dicit etiam :

« Et dedit illis, »

In potestate consecrandum, et conficiendum, et distribuendum : et hoc significatum est, Supra, XXV, 14 : *Tradidit illis bona sua.* Isa. LXIII, 7 : *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus quæ largitus est nobis.* II ad Corinth. IX, 15 : *Gratias Deo super inenarrabili dono ejus.*

« Dicens : Bibite ex hoc omnes. »

Quintum est, quod est sumptio communicationis. Psal. LXXX, 17 : *De petra, melle saturavit eos*, hoc est dulcissimo sanguine de petra Christo fluente. I ad Corinth. X, 3 et 4 : *Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritalem biberunt* (*bibebant autem de spiritali, consequente eos, petra : petra autem erat Christus*). Hic sanguis habet ea quæ sunt potus : nutrimentum enim vehit, membris influit, incensa exstinguit, arida infundit, indurata remollit, sitim exstinguit : et ideo vere est potus. Joannis, VI, 56 : *Sanguis meus vere est potus.* Propter primum dicitur, Isa. LXVI, 12 : *Ego declinabo sicut flumen pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis.* Propter secundum dicit, Psal. XXXV, 9 : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ : et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Propter tertium dicitur, Eccli. XV, 3 : *Aqua sapientiæ salutaris potabit illum.* Aqua enim refrigerat, et præcipue quæ de latere Christi est egressa [1]. Propter quartum dicitur in Psalmo LXIV, 11 : *In stillicidiis ejus lætabitur germinans*, ariditate jam amissa. Propter quintum dicitur, quod sicut sanguis hirci mollit adamantem, ita sanguis Christi pro peccatis oblatus mollit cor durum, Ad Hebr. IX, 13 et 14 : *Si enim sanguis hircorum et vitulorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ad serviendum Deo viventi.* Propter sextum dicitur, Joan. IV, 13 : *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Hæc est enim mista sanguini lateris Christi.

« Hic est enim sanguis meus. »

Hoc est sextum, et pertinet ad formam Sacramenti : in verbis enim his fit transsubstantiatio vini in sanguinem. Et quod additur : « Novi et æterni testamenti, » et « mysterium fidei, » competit Sacramento jam perfecto.

Sed tunc quæritur : Utrum sint duo Sacramenta propter duas materias et formas ? Et dicendum, quod non : quia verum Sacramentum est corpus Christi, quod idem et totum est sub forma panis, et sub specie vini. Et si objicitur de collecta, quæ dicitur : « Perficiant in nobis, « Domine, tua Sacramenta quod conti- « nent. » Dicendum, quod hoc dictum est propter species exteriores visibilium elementorum Sacramenti. Ad Hebr. IX, 12 : *Per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa.*

« Novi testamenti. »

Hoc est septimum, et est sanguinis proprius effectus : quod videlicet dedicator est novi testamenti quo testatus est nobis hæreditatem. Ad Hebr. VIII, 8 et 9 : *Ecce dies venient, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel, et super domum Juda testamentum novum : non secundum testamentum quod feci patribus eorum* [2]. Ad Hebr. IX, 13 : *Ideo novi testamenti mediator est, ut morte in-*

[1] Cf. Joan. XIX, 34.

[2] Cf. Jerem. XXXI, 31.

tercedente, in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis.

« Qui pro multis effundetur. »

Octavum est, et est finis. Et dicit : « *Pro multis* » effective, licet pro omnibus sufficienter effusus sit. Psal. XXIX, 10 : *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem ?* supple, in his pro quibus effudi sanguinem.

« In remissionem peccatorum. »

Nonum est, et est intentio. Ad Hebr. IX, 22 : *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Ad Hebr. XIII, 12 : *Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Hinc est, quod dicit Apostolus, ad Hebr. IX, 19 et 20 : *Lecto omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum, cum aqua, et lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque librum et omnem populum aspersit, dicens : Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus* [1].

29 « Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.

30 Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti. »

Hic ponitur Veteris Testamenti et Sacramenti terminatio. Et dicit duo, scilicet cessationem Veteris, et inchoationem Novi.

Cessationem Veteris tangit dupliciter, per auctoritatem finientis ipsum, et per inhibitionem ritus :

De primo dicit : « *Dico autem vobis,* » qui auctor sum legis. Ex quo enim calix sanguinis mei novi testamenti dedicator est, ideo veteravit. Ad Hebr. VIII, 13 : *Dicendo novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur, et senescit, prope interitum est.* « *Dico autem vobis,* » per quem gratia et veritas facta est [2]. Et ideo semen sæculare et sanctificationis culturæ de cætero termino : quia sicut supra dixi, XI, 13 : *Omnes prophetæ et lex usque ad Joannem prophetaverunt :* et ex tunc aperte nova gratia prædicari incepit, quæ modo in passione mea consummatur.

Et ideo dicit : « *Non bibam, amodo,* » ego in membris meis, « *de hoc genimine vitis,* » de cujus genimine bibi in cœna agni typici. Levit. XXVI, 10 : « *Vetera novis supervenientibus projicietis.* « *Usque.* » Exclusivum est, quia nec tunc bibam. « *In diem* » surgentis auroræ resurrectionis, quando ad matutinum surgit lætitia post fletum passionis, qui ad vesperam demorabitur, quando post noctem, quæ præcessit, abjectis operibus tenebrarum, indutus armis lucis filios lucis efficiam.

« *Cum,* » in membris meis, « *illud bibam novum,* » quod nunc institui, « *vobiscum,* » quos ministros institui, « *in* » novo « *regno Patris mei :* » quod est Ecclesiasticæ potestatis perfectio, in sacro principatu et urbanitate continente, et officiorum distributione, et legibus justitiæ : hæc enim omnia sunt de regno, juxta illud Malach. I, 10 et 11 : *Munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus : et in omni loco sanctificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Hoc significatum est, Genes. XIV, 18, ubi Melchisedech obtulit panem et vinum Abrahæ reverso a cæde regum. Et ideo post Sacerdotium leviticum dixit Spiritus sanctus : *Tu es*

[1] Cf. Exod. XXIV, 31.

[2] Joan. I, 17 : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.*

Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech [1] : eo quod post sacerdotium non succedet aliud.

Aliter etiam exponitur, sed non ita bene, quod sit sensus : « *Non bibam amodo,* » a tempore passionis, « *de hoc genimine vitis,* » hoc est, mei calicis : quia non plus patiar : et tunc quod sequitur : « *Usque dum,* etc., » est inclusivum : quia etiam de cætero non bibam plus calicem passionis. Et sic dicebat, Supra xx, 22 : *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum ?* Ad Roman. vi, 9 et 10 : *Christus resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus peccato, mortuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo.*

« Et hymno dicto, etc.»

Pars est, in qua est gratiarum actio. Psal. xxi, 27 : *Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum : vivent corda eorum in sæculum sæculi.* I ad Thessal. v, 18 : *In omnibus gratias agite.*

31 « Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.

32 Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. »

Hic incipit ponere circumstantias oppurtunitatis ex loco, in quo captus est Dominus sine turbis, ad quem declinavit propter sequestrum quod exigit quies orationis. Unde, Joan. xii, 2, dicitur, quod *sciebat autem et Judas locum, quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis.*

Dividitur autem in duas partes ita : Prima continet traditionis futuræ, secundum quod inductiva est scandali, prædictionem : in secunda autem tangitur solitudo captata propter orationem, ibi, ℣. 36 : « *Tunc venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani.*

In prima duo continentur : quorum primum est prædictio scandali generalis ex traditione : in secundo autem tangitur scandalum spirituale Petri, ibi, ℣. 33 : « *Respondens autem Petrus.*

Circa primum tanguntur tria, scilicet prædictio scandali, quod est signum præscientiæ divinæ : confirmatio Scripturæ, quod est signum divinæ præordinationis eorum quæ sunt in passione : et prædictio resurrectionis, quæ est temperamentum tristitiæ : primum enim ostendit passionem esse voluntariam in ipso patiente, secundum confirmat fidem in audiente, tertium autem prævenit temperando scandalum in infirmitate.

Dicit igitur : « *Tunc,* » in monte Oliveti constitutus, ubi exspectabat traditorem, « *dicit illi Jesus,* » volens præmunire de futuro scandalo. Gregorius : « Mi« nus enim jacula feriunt, quæ prævi« dentur. Et nos tolerabilius mundi mala « suscipimus, si contra hæc per clypeum præscientiæ communimur. » Joan. xiv, 29 : *Et nunc dixi vobis prius quam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.*

« *Omnes vos,* » eo quod estis adhuc pusilli in fide. Supra, xiv, 31 : *Modicæ fidei, quare dubitasti ?*

« *Scandalum patiemini.* » Supra, xviii, 7 : *Necesse est enim ut veniant scandala : verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit !* Intelligitur autem hic scandalum passivum, quod est impactio in infirmitatem Christi : activum autem scandalum fecit Judas : de quo dicitur, Supra, xviii, 6 : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.*

« *In me,* » hoc est, in mea infirmitate :

[1] Psal. cix, 4.

quia tradar sicut ignarus futurorum, capiar sicut impotens agendorum, illudar et accusabor sicut reus malorum. Luc. II, 34 : *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur.*

« *In ista nocte,* » quando non modo lucis exterioris occasus est, sed *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [1], suæ claritatis pati videbitur occasum. Job, III, 6, 4 : *Noctem illam tenebrosus turbo possideat... et non illustretur lumine.*

« Scriptum est enim. »

Et sic patet, quod est ordinatio divina prædicta a Prophetis. Eccli. XXXVI, 18 : *Prophetæ tui fideles inveniantur.* Est autem scriptum, Zachariæ, XIII, 7 [2] : « *Percutiam pastorem,* » Christum, qui dicit, Joan. X, 11 : *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* « *Et dispergentur oves gregis.* » III Reg. XXII, 17 : *Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastorem,* sine consolatione de dispersione. Quia dicitur, Ezechiel. XXXIII, 11 et 12 : *Ecce ego requiram oves meas..., et liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant in die nubis et caliginis.* Et, Joan. XVI, 32 : *Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis.* Nostra littera sic habet, Zachar. XIII, 7 : *Framea, suscitare super pastorem meum, et super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum : percute pastorem, et dispergentur oves.* Septuaginta sic : « Percute pastorem, et eripe oves. »

« *Postquam autem resurrexero.* » Temperamentum est tristitiæ. « *Præcedam vos in Galilæam.* » Sophon. III, 8 : *Expecta me in die resurrectionis.* Infra, XXVIII, 7 : *Cito euntes, dicite discipulis ejus quia surrexit, et ecce præcedit vos in Galilæam : ibi eum videbitis : ecce prædixi vobis.* Ibi enim incepit prædicare, et ibi voluit lucem resurrectionis ostendere : non quoniam prius non apparuerit, sed quia primo ibi mandata de Ecclesia instituenda dedit. Ibi enim dixit : *Euntes in mundum universum,* etc. [3].

« Respondens autem Petrus, ait illi : Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor. » **33**

Hic tangit scandalum speciale Petri, qui vertex vocatur Apostolorum. Et tanguntur duo : quorum primum est, in quo Petrus ex fervore præponit se imbecillitati aliorum : secundum autem, in quo confidit se fortiorem omni gravitate periculorum, ibi, ℣. 35 : « *Ait illi Petrus : Etiamsi oportuerit,* etc. »

In primo horum adhuc sunt duo : in quorum primo Petri fervor minus expertus exprimitur : in secundo autem per sapientiam Christi modeste reprimitur, ibi, ℣. 34 : *Ait illi Jesus : Amen dico tibi,* etc.

Dicit igitur :

« *Respondens autem Petrus, ait illi.* » Nec est mendacium, nec temeritas : sed fervor dilectionis sapienter diligentis.

« *Etsi omnes scandalizati fuerint in te,* » hoc est, in tua infirmitate causam, vel occasionem ruinæ acceperint, « *ego numquam scandalizabor.* » Accepit fiduciam ab eo, quod ante, multis retro abeuntibus, cum Christus diceret paucis, qui remanserant : *Numquid et vos vultis abire ?* dixerat Petrus : *Domine, ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes* [4]. Et quia tunc perstiterat, putabat se in æternum non commovendum. Psal. CXXIV, 1 : *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in æternum.*

[1] Joan. I, 9.

[2] Zachar. XIII, 7 : *Percute pastorem, et dispergentur oves.*

[3] Marc. XVI, 15

[4] Cf. Joan. VI, 68 et 69.

Amor enim ita repleverat eum, quod de nullo nisi de non recedendo a Christo cogitabat. Ad Roman. VIII, 38 et 39 : *Certus sum quia neque mors, neque vita..., neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu.*

34 « Ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. »

Repressio est fervoris Petri.

« *Amen dico tibi,* » hoc est, vere, qui sum veritas. Joan. XIV, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.* « *Quia in hac nocte,* » non tam exteriori quam interiori. Sapient. XVII, 5 : *Ignis quidem nulla vis, nec siderum limpidæ flammæ poterunt illuminare illam noctem horrendam.*

« *Antequam gallus cantet,* » Sic tres Evangelistæ dicunt : Matthæus, Lucas, Joannes. Solus Marcus XIV, 30, dicit : *Priusquam gallus bis vocem dederit.* Et solvitur contrarietas, quæ videtur : quia in mente quidem Petri concepta negatio tota deliberatione perfecta fuit ante primum galli cantum, sed in operis exsecutione non fuit ante primum perfecta trina negatio, nisi postquam gallus bis vocem dedit, sicut dicit Marcus. Job, XXXVIII, 36 : *Quis dedit gallo intelligentiam ?* Naturale enim est, quod animalia, quæ parum circa propria sollicitantur, fortiter percipiunt mutationes elementorum quæ fiunt ex renovatione angulorum solis : et ideo sero et media nocte et mane, quando angulos horizontis et mediæ terræ mutat sol, gallus cantat : et hoc vocatur intelligentia.

« *Ter me negabis.* » Sed cum Petrus liberum arbitrium ex dicto Domini non amiserit, potuit fieri post hoc dictum, quod non negasset : igitur potuit vacillare dictum Domini, quod est impossibile. Supra, XXIV, 35 : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Ad hoc dicendum videtur, quod cum dicitur, « *ter me negabis,* » est dictum quasi res dependens ad futurum, et ideo contingens, quod neque verum est, neque falsum, et quoad hoc super ipsum cadit Petri liberum arbitrium. Dictum autem hoc in dicente consideratum non respicit futurum, sed ab æterno præscitur : et quoad hoc est immobilis veritatis, et sic non cadit super ipsum arbitrium. Unde non sequitur, si non negasset, quod vacillasset dictum Domini : sed sequitur, quod tunc non fuisset præscitum : et ideo a Domino non prædictum fuisset. Non advertit Petrus illud Ecclesiastici, XXVII, 6 : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.* Dominus autem et hunc cæcum fervorem et casum Petri permisit, ut in seipso disceret, qualiter aliis compati pastor Ecclesiæ deberet : et hæc est sententia Gregorii, Eccli. XXXIV, 9 : *Qui non est tentatus, quid scit ?* Et, Eccli. XXXI, 18 : *Intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso.*

« Ait illi Petrus ; Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt. » 35

Hic ostenditur, qualiter Petrus promittit se omnibus periculis fortiorem. Et tanguntur duo : promissio confidentiæ Petri, et aliorum consensus discipulorum.

« Dicit igitur : « *Etiamsi opportuerit me mori tecum.* » Sciebat enim illud Cantic. VIII, 6, quod *fortis est ut mors dilectio.* II Reg. XV, 21 : *Vivit Dominus, et vivit dominus meus rex, quia in quocumque loco fueris, domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.* IV Reg. II, 2, 4, 6 : *Vivit Dominus, et vivit anima tua, quia non derelinquam te.* Advertit forte, quod Dominus præceperat : *Ne terreamini ab his qui*

occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant[1].

« Similiter et omnes discipuli dixerunt. »

Petro consentientes : et ideo etiam solus Petrus corrigitur, ut per ipsum alii corrigantur. Luc. XXII, 31 et 32 : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Istis poterat dici quod dicit Apostolus ad Titum, I, 16 : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Et illud Eccle. V, 3 : *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere : displicet enim dei infidelis et stulta promissio.*

36 « Tunc venit Jesus cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani, et dixit discipulis suis : Sedete hic, donec vadam illuc, et orem.

37 Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari et mœstus esse.

38 Tunc ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hic, et vigilate mecum.

39 Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans et dicens : Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste : verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. »

Hic tangit sequestrum orationis, quod quæsivit : ubi orans pro humani generis redemptione inveniretur a traditore, et a turbis. Tangit autem hic tria : scilicet, quam quiete, et quam vigilanter, et quam instanter oportet orare in tentatione. Et post hæc tria, docet quam patienter, et quam constanter oportet se exhibere passioni, ibi, in medio v. 45 : « *Dormite jam, et requiescite.* »

Prima tria patent in Littera.

Circa primum dicit septem : primum est, quod elegit locum orationi quietæ congruum : secundo, a communi frequentia etiam bonorum recessum : tertio, suarum passionum fidele adhibet testimonium : quarto, in oratione etiam a paucis procurat silentium : quinto, humilitatis in orando prætendit signum : sexto, in prima orationis parte humanum ostendit affectum : septimo, divinæ voluntatis in omnibus præponit consilium : et ista per ordinem in Littera continentur.

De primo dicit : « *Tunc venit Jesus cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani.* » Lucas dicit in monte Olivarum factum esse[2]. Joan. XVIII, 1, dicit, quod *egressus est Jesus trans torrentem Cedron, ubi erat hortus in quem introivit ipse et discipuli ejus.* Et dicendum, quod idem totum : quia torrens Cedron est in valle montis Olivarum, quam transgressus fuit Jesus. Gethsemani autem est casale quoddam ad radices montis Oliveti, juxta quod erat hortus consitus arboribus, in quo facta sunt quæ hic narrantur. II Reg. XV, 23 : *Rex transgrediebatur torrentem Cedron, et cunctus populus incedebat contra viam quæ respicit ad desertum.* Et in hoc notatur captatio occulti loci sequestrati a tumultu mundi, quando volumus orare. Marc. VI, 31 : *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.* Osee, II, 14 : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.*

« *Et dixit discipulis suis,* » volendo secedere etiam ab intimis tempore orationis, ne interrogationibus inquietarent eum : « *Sedete hic, donec vadam illuc, et orem.* » Genes. XXII, 5 : *Exspectate hic cum asino : ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* In hoc autem quod dicit :

[1] Luc. XII, 4. Cf. etiam, Matth. X, 28.

[2] Luc. XXII, 39 : *Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum. Secuti sunt autem illum et discipuli.*

« *Sedete,* » quietem indicit, qua indiget orans. Psal. CXL, 2 : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo : elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* »

« Et assumpto Petro, »

Qui Apostolorum fuit princeps, et Ecclesiæ fundamentum, « *et duobus filiis Zebedæi,* » quorum unus Theologorum summus, alter primus Apostolorum pro Christo martyrio laureatus, qui testes essent humanarum passionum, quas sustinuit : et per hoc a futuris caverent hæresibus. Cantic. II, 15 : *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas : nam vinea nostra floruit.* Deuter. XIX, 15 : *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.* Isa. LIV, 2 et 3 : *Vidimus eum..., novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem.* Unde unus testium Petrus dixit, II Petr. I, 16 : *Non enim doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem.* Alter autem, I Joan. I, 1 et 2, dicit : *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ : et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis,* etc.

Quid autem isti testificentur, subdit : quia coram eis

« Cœpit contristari et mœstus esse, »

Ut scirent eum prophetiæ congruere, quæ inducta est : *Virum dolorum, et scientem infirmitatem,* et verum hominem veras sentire passiones humanas, et jam in corde pati angustias, ut interior passio exteriorem præveniret : jam enim gladius intus vulnerabat. Isa. LIII, 4 : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Erubescat igitur Manichæus hæc phantastica dicens fuisse, et non vera. Marc. XIX, 33 : *Cœpit pavere, et tædere.*

Sed objicitur quod, Proverb. XII, 21, dicitur : *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.* Christus autem superjustus fuit. Ad hoc dicit Hieronymus, quod est tristitia passio, et tristitia propassio. Passio est, quæ movet sensualitatem, et qualitatem suam fortiter imprimit in eam. Propassio subitus motus est, qui licet tangat, tamen cor ab æqualitate deducens non alterat : et hunc dicit motum in Christo fuisse. Sed contra hoc est, quod ut dicit Dionysius ad Gaium monachum : « Subito fit, quod fit præter spem. » In Christo autem nihil præter spem factum est, et prævisionem : nihil igitur subitum fuit in ipso. Adhuc autem de Sanctis, qui minus fortes sunt, dicitur, Sapient. III, 1 : *Non tanget illos tormentum mortis* : ergo multo minus tetigit Christum, qui comprehensor fuit, et viator : et gaudium comprehensionis exclusit in eo vim passionis. Et his consentire videtur Hilarius. Sed dicendum, quod Christus vere propassione tristatus est, et contristatus, hoc est, simul in sensualitate, et ratione sive corde tristatus : et magis etiam tristatus omnibus aliis Sanctis. Quanto enim vita sua fuit melior et dignior, tanto etiam fuit angustia mortis amarior. Et subitum, quod in Christo fuit, non dicitur respectu rationis prævidentis, sed respectu mensurantis temporis. Et quod objicitur de aliis Sanctis, non est simile : quia anima illorum non habuit duas conjunctiones : et ideo conjuncta Deo abstrahebatur a carne (alias, corpore) et minus sensit pœnarum acerbitates. Sed Christi anima in comprehensione, quæ continua fuit in ipso, non abstrahebatur a carne : et ideo remansit sensus acerbitatis, et totus patiebatur. Quia et ratio, ut erat natura et forma corporis regens corpus, necesse fuit ut eo plus doleret de morte imminente, quo scivit vitam esse meliorem,

cujus privatio mors fuit. Unde nunc vere de ipso dicitur, quod *tactus dolore cordis fuit intrinsecus* [1]. Et Jerem. XXXI, 20 : *Conturbata sunt viscera mea* [2]. Thren. I, 22 : *Multi gemitus mei, et cor meum mœrens.*

Et sicut in veritate patiebatur intus, ita expressit foris ad suarum passionum testes, dicens :

« Tunc ait illis : Tristis est anima mea. »

« Ad litteram, quia scivit privandam esse optimam de mundo vitam, in qua necesse est plus dolere, sicut dicit Philosophus in *Ethicis*.

« *Usque ad mortem.* » *Usque* non dicit hic intensionem dejicientem in mortis desperationem, sed dicit passionem durantem usque ad mortem. Ad Philip. II, 8 : *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Simul autem docet eos in oratione in angustiato spiritu et contribulato esse ante Deum. Baruch, III, 1 : *Anima in angustiis, et spiritus anxius clamat ad te.* Daniel. III, 39 : *In animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur,* etc. Psal. L, 19 : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus,* etc.

« Sustinete hic. »

Hic ulterius ostendit orantem esse debere solitarium. Unde ad tres quos passionum testes assumpserat, dicit : « *Sustinete hic, et vigilate mecum,* » ut omnia percipiatis vestræ salutis mysteria. I Petr. IV, 7 : *Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus.* Ad Coloss. IV, 2 : *Orationi instate vigilantes.* Eccli. II, 3 et 4 : *Sustine sustentationes Dei : conjungere Deo, et sustine, ut crescat in novissimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe : et in dolore sustine.* Psal. XXIV, 3 : *Universi qui sustinent te, non confundentur.* Psal. XXVI, 14 : *Exspecta Dominum, viriliter age : et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.* I ad Corinth. XVI, 13 : *Vigilate, state in fide, viriliter agite.*

« Et progressus pusillum. »

Luc. XXII, 41 : *Quantum jactus est lapidis.* Thren. III, 28 : *Sedebit solitarius, et tacebit : quia levavit super se.*

« *Procidit in faciem suam,* » videns quo caderet : non sicut Heli, qui cadens retrorsum fractis cervicibus exspiravit [3]. Et notat humilem debere esse orationem. Eccli. XXXV, 21 : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* I ad Corinth. XIV, 25 : *Cadens in faciem suam adorabit Deum.*

« *Orans.* » Augustinus : « Oratio est « pius affectus mentis in Deum. » Damascenus : « Oratio est ascensus intelle- « ctus in Deum. » Et notat in hoc, quod abstractus a carne, et altus in spiritu debet esse orans. Joan. IV, 23 : *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum.* I ad Corinth. XIV, 15 : *Orabo spiritu, orabo et mente.* Isa. XXVI, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.*

« Et dicens : Pater mi. »

Notat dulcis affectus debere esse orationem : « Quæ enim dulcescit nomine « Patris, dat impetrandi fiduciam, » ut dicit Bernardus. Joan. III, 35 : *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus.*

« Si possibile est. »

Duo continet ista oratio : consona enim est oranti, et ei qui adoratur. Prima pars congruit oranti, cum dicit : « *Si possibile est, transeat a me calix iste.* » Per hoc enim, quod dicit : « *Si possibile est,* »

[1] Genes. VI, 6.

[2] Osee, XI, 8 : *Pariter conturbata est pœnitudo mea.*

[3] Cf. I Reg. IV, 8.

humani affectus notat subjectionem. Et per hoc, quod dicit : « *Transeat,* » humani affectus notat veritatem, qui horret passionem. Et ista est discreta et ordinata oratio : et ideo non est illi similis, de qua dictum est, Supra, xx, 22 : *Nescitis quid petatis.* Et illi, de qua, III Reg. II, 23, dictum est : *Vivit Dominus, quia contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc.* Alius autem Evangelista Marcus, XIII, 36, dicit: *Pater, omnia tibi possibilia sunt.* Et hoc est verum de potestate absoluta. Sed hic loquitur de potestate ordinata per dispositionem consilii de redemptione humani generis et est sensus : Si possibile est salutem humani generis, salvo per omnia tuo consilio, aliter per me procurari. Tunc affectus humanus horret istam passionem : et hæc est agonia, qua natura passionem abhorruit : et ratio consilium state voluit : et spiritus elegit voluntatem Patris impleri. Luc. XXII, 43 et 44 : *Factus in agonia prolixius orabat : et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Hic Moyses electus Dei stans in confractione, tria habens in seipso agoniam moventia : in quibus notatur naturæ veritas, rationis prudentia, et optimæ obedientia voluntatis.

Et hoc est, quod sequitur : « *Verumtamen non sicut ego,* » secundum naturalem humanæ naturæ affectum, « *volo, sed sicut tu.* » Non solum illud, quod volo tibi et tuæ conformetur voluntati, sed etiam in forma, et modo, et fine tuæ voluntatis : ut quod vis, et sicut vis, et propter quod vis, per omnia fiat. Fecit enim, quod supra, VII, 10, docuit : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in terra.* Isa. XLVI, 10 : *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet.* Quod autem voluntas Dei fuit Christum pati, et non transire ab eo calicem, Isa. LIII, 10 : *Si posuerit pro peccato animam suam; videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur.*

« Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes : et dicit Petro : Sic non potuistis una hora vigilare mecum ? » 40

Hic tangit quam vigilanter oportet orare : et hoc docet exhortatione, et exemplo.

In exhortatione tria facit : arguit, exhortatur, et causam exhortationis subjungit : et hæc patent in littera.

In redargutione causam præmittit redargutionis præcepti in obedientiam, cum dicit : « *Et venit ad discipulos suos,* » tres videlicet, quos sibi viciniores habuit : sicut et Moyses quasi tribus gradibus ad Dominum appropinquavit. Primo enim terminos circa montem posuit, quo non appropinquaret populus : et secundo, paucis assumptis montem ascendit : et tertio, etiam ab illis avulsus solus in caliginem intravit. Primum, Exod. XIX, 12. Secundum et tertium, Exod. XXIV, 14, 18. Sic Christus pluralitatem discipulorum primo divisit, et secundo paucos, quos assumpsit dimittens, solus ad orandum Patrem accedit.

« *Et invenit eos dormientes.* » Contra hoc, quod dixerat : *Sustinete hic, et vigilate mecum.* Isa. LI, 20 : *Filii tui dormierunt in capite omnium viarum..., pleni indignatione Domini, et increpatione Dei tui.* I ad Thessal. V, 7 : *Qui dormiunt, nocte dormiunt.*

« *Et dicit Petro,* » qui se magna facturum promiserat : et in eo increpat alios. « *Sic non potuistis una hora vigilare mecum ?* » quod tam modicum est : quasi dicat : Memoriam habe tuæ fragilitatis, et ne confidas tibi. Cantic. II, 7 : *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum.* Hœdi sunt defectus naturales. Quasi dicatur : Considera te juxta eos, qui pascunt, hoc est, satisfaciunt defectibus naturalibus. Ad Roman. VII, 18 : *Scio quia non habitat in me, hoc est in*

carne mea, bonum. Nam velle, adjacet mihi : perficere autem bonum, non invenio.

« Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

42 Iterum secundo abiit, et oravit, dicens : Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. »

Exhortatio est duo continens, scilicet vigilandum esse et orandum. Vigilandum contra malum insidians, et orandum, ut detur bonum promovens. Quia dicit Damascenus, quod « oratio est petitio de- « centium a Deo. » « *Vigilate.* » I Petr. v, 8 : *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.*

« *Et orate, ut non intretis in tentationem.* » Intrare in tentationem est per gradus tentationis, consentiendo tentationi, progredi in præcipitium peccati. Supra, VI, 13 : *Et ne nos inducas in tentationem.* I ad Corinth. X, 13 : *Tentatio vos non apprehendat nisi humana : Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere.*

Hujus exhortationis subjungit causam dicens :

« Spiritus quidem promptus est, »

Qui superior pars est hominis, ad imaginem Dei insignita. Ad Roman. VII, 22 : *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.*

« *Caro autem infirma.* » Job, IV, 19 : *Qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea.* Sapient. IX, 15 : *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Ad Roman. VII, 24 : *Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus ?*

« Iterum secundo abiit, et oravit, dicens. »

Exemplo docet, quod suasit exhortando.

« *Pater mi, si non potest,* » consilio tuo movente, « *transire hic calix* » passionis, « *Fiat voluntas tua,* » quia tunc *calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* [1] : sicut prius expositum est.

« Et venit iterum, et invenit eos dor- 43
mientes : erant enim oculi eorum gravati.

Et relictis illis, iterum abiit, et ora- 44
vit tertio, eumdem sermonem dicens. »

Hic tertio ostendit orationem debere esse instantem : et est idem modus exponendi, qui prius. « *Invenit eos dormientes.* » Et subjungit causam : « *Erant enim oculi eorum gravati,* » præ tristitiæ tædio. Psal. CXVIII, 28 : *Dormitavit anima mea præ tædio : confirma me in verbis tuis.* Supra, XXV, 5 : *Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt.*

Et ideo etiam hic non arguit eos, sed

« Relictis illis, »

Ut quiescant, ut postea recreati fugere possint, « *iterum abiit* » ab eis, « *et oravit tertio, eumdem sermonem dicens,* » quem semel et secundo dixerat.

Sed contra hoc esse videtur, quod dicitur, Eccli. VII, 15 : *Ne iteres verbum in oratione tua.* Sed dicendum, quod sensus auctoritatis est, quod ita attente oran-

[1] Psal. CXV, 13.

dum sit, quod pro negligentia iterare non oporteat.

Tertia autem Domini oratio fuit contra mortis horrorem, crucis confusionem, et doloris acerbitatem. Vel propter veniam præteritorum, tutelam præsentium, et cautelam futurorum. Et multis aliis modis facile est hoc variare.

45 « Tunc venit ad discipulos suos, et dicit illis : Dormite jam et requiescite : Ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

46 Surgite, eamus : ecce appropinquavit qui me tradet, »

Hic ostendit, quam patientes et fortes debemus esse in periculis. Et ideo tria hic dicit, scilicet compassionem discipulorum, patientiam periculorum, et constantiam in comprehensione hostium.

De compassione venit, quod dicit : « *Dormite jam et requiescite,* » quia somnus recreatio est sensuum et spirituum et membrorum quies. Isa. LVIII, 11 : *Requiem tibi dabit Dominus semper.*

Sed tunc quæritur : Quomodo dormire poterant, cum statim subdat : « *Ecce appropinquavit hora.* » Et dicendum, quod interposita fuit hora et spatium noctis, in qua dormierunt : unde, Marc. XIV, 41, interponitur : *Sufficit.* Voluit autem eos quiescere, sicut diximus, ut recreati fugere possent. Et custodivit eos, vigilans super custodiam gregis sui [1]. Isa. XXI, 11 : *Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte?* Psal. CXX, 4 : *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.*

« Ecce appropinquavit hora, »

Præfinita a Patre, « *et Filius hominis,* » secundum naturam humanam, « *tradetur in manus,* » hoc est, in potestatem « *peccatorum.* » Job, IX, 24 : *Terra data est in manus impii, vultum judicum ejus operit.* Habacuc, I, 4 : *Quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.* Isa. LIII, 12 : *Tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est.* Simile dictum propheticum est, IV Reg. VI, 32, ubi Eliseus dixit ad senes Israel : *Numquid scitis quod miserit filius homicidæ, ut præcidatur caput meum?* Unde patet, quod suæ traditionis non erat ignarus.

« Surgite, eamus »

Obviam eis, constantiam ostendentes. Joan. XVIII, 4, 5, 8 : *Processit, et dixit eis : Quem quæritis? Responderunt ei : Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus : Ego sum.. Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Joan. XIV, 31 : *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.*

« *Surgite, eamus* » ad locum videlicet traditionis et passionis.

« *Ecce appropinquavit qui me tradet.* » I Petr. II, 23 : *Tradebat autem judicanti se injuste.* Joan. XVII, 19 : *Pro eis ego sanctifico meipsum,* hoc est, sacrifico meipsum.

« Adhuc eo loquente, ecce Judas, 47
unus de duodecim, venit, et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus, missi a principibus sacerdotum et senioribus populi. »

Hic tangitur traditio secundum operis perfectionem. Et tangit duo : proditionem videlicet tradentis, et patientiam et benignitatem Christi traditi, ibi, ℣. 50 : « *Dixitque illi Jesus.* »

[1] Cf. Luc. II, 8.

In primo sunt duo : ministri videlicet sceleris, et signum traditionis.

Ministri sceleris describuntur in duce, et sequacibus.

De duce dicit : « *Adhuc eo loquente,* » ut arctius in corde discipulorum infigeretur, quod non erat ignarus omnium quæ venerunt super eum, sed præscius. Joan. XIII, 1 : *Sciens Jesus quia venit hora ejus*, etc.

« *Ecce Judas, unus de duodecim,* » ingratus et proditor, Act. I, 16 : *De Juda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Jesum.* Joan. VI, 71 : *Nonne ego vos duodecim elegi, et ex vobis unus diabolus est.*

« *Et cum eo turba,* » multitudine fortis, armis impugnationis armata et munita, « *missi,* » ut ordinariam et publicam viderentur habere potestatem : et hoc est, quod dicit : « *Cum eo turba multa :* » a turbando vere turba dicta. Sicut rex Syriæ misit exercitum ad comprehendum Eliseum [1]. Et sicut Saul elegit tria millia virorum fortium, et egressus est ad comprehendendum David [2].

« *Cum gladiis et fustibus.* » Quæ sunt arma impugnationis, non defensionis : et ideo illicita, quando adhibentur ad nocumentum innocentis : unde, infra, ℣. 55 : *Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me.* Exod. XV, 9 : *Dixit inimicus : Persequar et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea : evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.*

« *Missi a principibus,* » in quibus publica potestas judiciorum fuit, « *Sacerdotum,* » in quibus scientia legis et sanctitas debuit esse ordinis, « *et senioribus populi,* » in quibus debuit esse consilium agendorum in humanis. Et hæc omnia perversa facta sunt : quia, Proverb. XXIX, 24, dicitur : *Qui cum fure participat, odit animam suam.* Jam autem participabant cum Juda, de quo dicitur, Joan. XII, 6 : *Quia fur erat et loculos habens, ea quæ mittebantur portabat.* Isa. I, 23 : *Principes tui infideles, socii furum.* De senioribus autem dicitur, Daniel. XIII, 5 : *Egressa est iniquitas a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum.*

« Qui autem tradidit eum dedit illis signum, dicens : Quemcumque osculatus fuero, ipse est : tenete eum. **48**

Et confestim accedens ad Jesum, dixit : Ave, Rabbi. Et osculatus est eum. **49**

Dixitque illi Jesus : Amice, ad quid venisti ? » **50**

Hic ponitur traditoris signum. Et tanguntur duo. Determinatio videlicet signi per verbum : et exhibitio per opus.

De primo dicit : « *Qui autem tradidit eum.* » Joan. XIII, 2 : *Cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ.* Et nota studium malitiæ, et dolum. Studium in hoc quod signum dedit : dolum in hoc, quod non aperte videretur cum persequi, sed ex confidentia familiaritatis accedere ad osculum amoris. Proverb. VI, 12 et seq. : *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum.* Isa. XXXII, 7 : *Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii, cum loqueretur pauper judicium.*

Sed quæritur, Quare signum dabat de eo, qui omnibus continuo fuit manifestus ? Et ad hoc dicit Hieronymus, quod putabat signa, quæ fecerat Salvator, magicis esse facta artibus. Et quia in monte audierat transfiguratum, timebat ne aliam faciem sibi sumeret, et sic evaderet manus capientium, si palam ut persecutor accessisset.

« *Dedit eis signum* » suæ proditioni

[1] Cf. IV Reg. VI, 14.

[2] Cf. I Reg. XXIV, 3.

congruum, sed homicidio valde inconsonum. Psal. LXXIII, 4 : *Posuerunt signa sua, signa.* II ad Thessal. II, 9 : *Cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus.*

« Quemcumque osculatus fuero, ipse est. »

Sicut agnus a lupo osculatur. Proverb. XXVII, 6 : *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.*

« *Tenete eum.* » Marcus, XIV, 44, addit : *Et ducite caute.* Quasi dicat : De manibus non dimittite, ne transfiguratus evadat.

« Et confestim accedens. »

Ecce signi exhibitio. « *Ad Jesum, dixit : Ave, Rabbi.* » Falsa salutatio per *ave*, quod væ mortis ministrat et procurat. Jerem. IX, 8 : *Ore suo pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias.*

« *Et osculatus est eum.* » II Reg. XX, 9 et 10, dixit Joab Amasæ : *Salve, mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum..., et percussit eum in latere, et occidit eum.* Proverb. XI, 9 : *Qui despicit amicum suum, indigens corde est.*

« *Dixitque illi Jesus.* » Patientiam opponens contra omnia illata mala. Jacob. I, 4 : *Patientia opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.*

« Amice. »

Ex parte Christi enim amicitia salva fuit : quia bonum pro malo reddidit, quod est amicorum. Sed quia amicitia inter duos est, et Judas egit inimicitias, ideo dicit Glossa, quod est ironia. Supra, XXII, 12 : *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem*, hoc est, amici habitum, sed proditoris ? Eccli. VI, 8 : *Est amicus secundum tempus, et non permanebit in die tribulationis.*

« Ad quid venisti ? »

Hoc est, de statu Apostoli in quam vilem foveam proditoris cecidisti ? Isa. XIV, 12 : *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris ? corruisti in terram.* Ezechiel. XXVIII, 16 : *Ejeci te de monte Dei..., de medio lapidum ignitorum.*

« Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum. »

Hic post perfectam traditionem tangitur captivitas sive comprehensio Domini, quæ terminatur ad illusionem, sicut ante dictum est. Habet autem partes duas : comprehensionem videlicet, et tractionem in captivitatem, ibi, ℣. 57 : « *At illi tenentes Jesum*, etc. » Comprehensio tollit agendi libertatem : tractio compellit ad sustinentiæ difficultatem. Comprehensio ergo sua solvit in nobis difficultatem ad bene operandum : et tractio sua redimit inclinationem ad malum, qua trahimur ex lege membrorum. Hæc autem duo tanguntur, ad Roman. VII, 18 et 19 : *Perficere bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio : sed quod nolo malum, hoc ago.*

Prima adhuc dividitur in duo : in comprehensionem, et in auxiliantium destitutionem, ibi, in medio ℣. 56 : « *Tunc discipuli, relicto eo*, etc. »

Adhuc prior dividitur secundum ea quæ circumstant comprehensionem, quæ sunt quatuor : quorum primum est, quod comprehenditur ut infirmus : secundum autem est, quod ostenditur comprehensio non esse infirmitatis, sed dispensationis discipulis : in tertio, ostenditur voluntaria esse comprehensio turbis : in quarto autem ostenditur esse præordinata consilio Patris, quod expressum est in Scripturis : et istæ partes patent in littera.

In prima, qua ostenditur infirmitas

comprehensi, tanguntur tres actus malorum : unus est præsumptuosus accessus : secundus est violentus captus sacrilegæ manus : et tertius est pertinacis malitiæ tentus.

Dicit igitur : « *Tunc accesserunt,* » signo accepto. Eccli. I, 40 : *Accessisti maligne ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo.* Isa. LVII, 3 : *Accedite huc, filii auguratricis, semen adulteri, et fornicariæ.* Exod. XIX, 13 : Si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Bestia (quasi vastia dicta) homicidæ sunt.

« *Et manus* » sacrilegas « *injecerunt in Jesum.* » Job, XVI, 12 : *Conclusit me Deus apud iniquum, et manibus impiorum me tradidit.*

« *Et tenuerunt eum :* » pertinaci malitia « *tenuerunt* » tenentem omnia. Thren. IV, 20 : Ante faciem nostram *Christus Dominus captus est in peccatis nostris : cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus.*

51 « Et ecce unus ex his qui erant cum Jesu, extendens manum, exemit gladium suum, et percutiens servum principis sacerdotum, amputavit auriculam ejus. »

Hic ostenditur hæc comprehensio non esse infirmitatis, sed dispensationis : et in hac dicuntur quatuor. Unum et primum paratum auxilium, quod Petrus exhibuit : secundum, repressio zeli auxiliantis : tertium est ratio repressionis : et quartum, ostensio dispensationis.

De primo ergo dicit : « *Et ecce unus,* » inter tot discipulos, et est ille, qui fervore se omnibus prætulit. Unde, Joan. XVIII, 10 : *Simon Petrus habens gladium, eduxit eum, et percussit pontificis servum,* etc.

« *Ex his qui erant cum Jesu.* » Luc. XXII, 28 : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Joan. XV, 27 : *Ab initio mecum estis.*

« *Extendens manum,* » ut fortiorem daret ictum. Isa. V, 25 : *Non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta*

« *Exemit gladium,* » eodem zelo quo dixerat : *Tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire* [1]. Forte putabat se ita debere facere : quia, Luc. XXII, 36, dicitur : *Qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium.* Unde etiam ibi dicitur, quod dixerunt, ℣℣. 49 et 51 : *Domine, si percutimus in gladio ?* Et Jesus dixit : *Sinite usque huc,* hoc est, permittite eos captivare me. Sed inter loquendum, antequam Petrus hoc intelligeret, fervore succensus dedit ictum.

« *Et percutiens servum principis sacerdotum,* » eo quod ille potestate domini sui accepta, videbatur esse caput cohortis, et cogitabat Petrus, quod illo interfecto, alii confusi fugerent : et volens vibrare gladium in cerebrum ejus, declinato capite ad latus, « *amputavit auriculam ejus dexteram.* » Et Lucas addit, quod Jesus tangens auriculam sanavit eum [2] : ut probaret illud Psalmi CXIX, 7 : *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus : cum loquebar illis, impugnabant me gratis.*

« Tunc ait illi Jesus : Converte gladium tuum in locum suum : omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt. » 52

Hic tangitur compressio expetentis vindictam duobus modis : primo, per inhibitionem : secundo, per pœnæ comminationem.

De primo dicit : « *Converte gladium tuum in locum suum.* » Cesset vindicta, exhibeatur patientia. Supra, V, 39 : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram.* II Reg.

[1] Luc. XXII, 33.

[2] Luc. XXIV, 51.

XIX, 22 : *Quid mihi et vobis, filii Sarviæ ? cur efficimini mihi hodie in Satan ? an ignoro me hodie factum regem super Israel ?*

Sed hic objicitur : quia dicit Beda, quod non sunt immunes a scelere, qui permiserunt Christum occidere, cum potuerint prohibere. Hoc igitur defendens Petrus, non videtur esse prohibendus. Et dicendum, quod injuria potest repelli pluribus modis. Aut enim repellitur per impedimentum aliquod, sicut, Act. XXIII, 10, fecit Paulus, quando fecit præmuniri Præsidem, ut custodiretur a militibus, ne interficeretur : et sicut aliquis tenet manum alicujus, ne lædat : vel etiam totum insanientem, ne lædat : et hoc cuilibet tam clerico quam laico conceditur. Potest etiam repelli injuria propulsando eam : et hoc dupliciter : aut enim fit vi privata, aut publica. Si vi privata : aut cum armis, vel sine armis. Sine armis : aut zelo defensionis, aut vindictæ. Et zelo defensionis sine armis impugnationis, etiam cum armis defensionis omnibus licet tam clericis quam laicis. Si autem publica et cum armis impugnationis, non licet clericis, sed permittitur laicis, flagrante injuria statim cum moderamine inculpatæ tutelæ. Sed si intervallum sit inter injuriam illatam et defensionem, non permittitur nisi per eum qui judex est, et ordinariam habet ultionis potestatem : ille enim justa bella movere potest contra injuriam facientes.

« Omnis enim qui gladium acceperit. »

Comminatio est, per quam reprimit Petrum. Est autem accipere invectus ad capientem : et intelligitur gladium accipere propria sponte, capiens gladium ad expetendam ultionem : si enim datur ordinarie sibi gladius, tunc exercet commissum, et non accipit usurpatum. Ad Roman. XIII, 4 : *Non sine causa gladium portat princeps : vindex in iram est ei qui malum agit.* II Machab. XV, 16 : *Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel.* Sed quia Petrus fuit sacerdos, et passio fuit dispensatoria, ideo est prohibitus. Ad Titum, I, 7 : *Oportet Episcopum sine crimine esse, non violentum* [1], *non percussorem.*

« *Gladio peribit* : » materiali et spirituali, qui est excommunicatio : quia reatum interius incurrit, qui gladium non juris ordine suscipit. Job, XIX, 29 : *Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est.* Apocal. I, 16 : *De ore ejus gladius ex utraque parte acutus exibat.* Psal. VII, 13 : *Gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, et paravit illum.*

« An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum ? **53**

Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri ? » **54**

Hic ostendit discipulo, qui caput est aliorum, quod dispensative patitur, et non ex infirmitate. Propter quod etiam, Supra, XVI, 23, dixit : *Vade post me, Satana : quia non sapis ea quæ Dei sunt.*

Et dicit sic : « *An putas.* » Quasi dicat : Mirum est, si hoc putas, tot signis potentiam meam expertus.

« *Quia non possum rogare Patrem meum,* » de quo, Joan. XI, 42, dixi : *Quia semper me audis :* « *et exhibebit mihi modo,* » in hac necessitate, « *plus quam duodecim legiones Angelorum :* » quoniam scriptum est [2] : *Quoniam Angelis suis mandavit de te,* etc. Qui enim hoc feci servis, IV Reg. VI, 17 : *Ecce mons plenus equorum, et curruum igneorum in circuitu Elisei :* multo magis si vellem,

[1] Vulgata habet, *non vinolentum.*

[2] Psal. XC, 11.

facerem hoc mihi Magistro et Domino. Quasi dicat: Quid mihi prodest defensio Apostolorum, qui possum habere duodecim legiones Angelorum, in quibus sunt septuaginta duo millia Angelorum, sex millibus pro legione una computatis? Et hi sunt innumeri Angeli qui per totum mundum præsunt septuaginta duabus linguis hominum: et post Resurrectionem cum Tito et Vespasiano venientes, perdiderunt homicidas illos: de quibus, Supra, XXII, 7: *Missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit.*

« Quomodo ergo implebuntur Scripturæ? »

Ecce ostendit præordinationem. Act. III, 18: *Deus, quæ prænuntiavit per os omnium prophetarum, pati Christum suum, sic implevit.*

« *Quia sic oportet fieri.* » Si enim, ut Cassiodorus dicit, Prophetia est divina inspiratio rerum eventus immobili veritate denuntians, tunc oportet fieri necessitate ordinis, quamvis non sit ibi rei ordinatæ necessitas. Quamvis enim de potentia absoluta fuerit alius modus possibilis nostræ liberationis, tamen de potentia ordinata, et prænuntiata, non fuit alius possibilis. Luc. XXIV, 25, 26: *O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?*

55 « In illa hora dixit Jesus turbis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis. »

Ostendit hic turbis, quod voluntarie se obtulit: et dicit duo. Primum est reprehensionis modestæ de inutilitate armorum contra innocentem et non se defendentem: secundo, dicit innuendo quod cum tempus suum nondum advenerat, eum tenere non potuerunt: cum autem tempus præfinitum venit, sine armis potuerunt tenuisse.

Et hoc est: « *In illa hora,* » cum defensionem respuit, « *dixit Jesus turbis.* » Joan. VII, 49: *Turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.*

« *Tamquam ad latronem* » nocentem, et se defendentem, « *existis cum gladiis et fustibus,* » quæ arma sunt expugnationis, « *comprehendere me,* » qui licet sim similis peccatori, non sum latro: sed propter verba labiorum Patris, custodivi vias latronis, cauterium habens circumcisionis, et possibilitatem primi latronis, qui similitudinem Dei furari voluit, et per rapinam voluit esse æqualis Deo: ego autem cum in forma Dei sim, non rapinam arbitror me esse æqualem Deo [1].

« *Quotidie,* » hoc est, sæpe his diebus: et tangit hic quatuor, quæ debet habere Doctor, scilicet prædicationis instantiam, cum dicit: « *Quotidie.* » II ad Timoth. IV, 2: *Insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina.*

Secundum est, quod quærat audientes: et hoc notat, cum dicit: « *Apud vos.* » Supra, IX, 35: *Circuibat Jesus omnes civitates, et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni.*

Tertium est quies, quod notat, cum subdit: « *Sedebam.* » Psal. CVI, 32: *In cathedra seniorum laudent eum.*

Quartum est locus publicus, cum dicit: « *In templo.* » Joan. XVIII, 20: *Ego semper docui in synagoga, et in templo, quo omnes Judæi conveniunt.*

« *Et non me tenuistis,* » quia tempus meum nondum venerat. Quasi dicat: Sic nec modo teneretis nisi vellem. Psal. LIII, 8: *Voluntarie sacrificabo tibi.* Psal. XXXIX, 8, 9: *In capite libri scriptum est*

[1] Cf. ad Philip. II, 6.

de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus, volui, etc.

56 « Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturæ prophetarum. »

Hic ostenditur passio esse a Spiritu sancto præordinata.

Et hoc est, quod dicit : « *Hoc autem totum*, » quod dictum est de traditione et comprehensione, « *factum est*, » in expletione operis, « *ut* » consecutionem notat, non causam, « *adimplerentur*, » superimplerentur, « *Scripturæ prophetarum.* » Eccli. xxxvi, 18 : *Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur.* Psal. l, 6 : *Justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.*

« Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt. »

Hic auxilii tangitur destitutio : quia si aliquis auxiliari debuit, discipuli debuissent : et in littera patet. Job, xix, 13 et 14 : *Noti mei quasi alieni recesserunt a me. Dereliquerunt me propinqui mei.* Psal. xxxvii, 11 : *Dereliquit me virtus mea : et lumen oculorum meorum*, hoc est, Apostoli, *et ipsum non est mecum.*

57 « At illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham, principem sacerdotum, ubi Scribæ et seniores convenerant. »

Hic tangitur qualiter tractus est Dominus a ministris sceleris ad hujus sceleris auctores et ordinatores. Et tanguntur hic duo, scilicet qualiter trahebatur : et qualiter omni solatio præsidii destituebatur, ibi, ℣. 58 : « *Petrus autem sequebatur.* » Dicit igitur : « *At illi*, » sceleris ministri, « *tenentes Jesum*, » qui tamen omnia tenebat. Ad Hebr. i, 3 : *Portans omnia verbo virtutis suæ.* « *Duxerunt illum*, » ductu tractionis, « *ad Caipham.* » I Paralip. xxiii, 5 et seq., legitur, quod David volens ampliare cultum Domini, instituit viginti quatuor summos sacerdotes. Qui ordo tamen postea in captivitate babylonica corruptus est, sed reintegratus ab Esdra. Quod sacerdotium Herodes sub Romanis imperans vendidit, et quæstum suum fecit : et emerunt ipsum Annas et Caiphas, et per vices anni instabant. Tunc autem administrabat Caiphas : et hoc est, quod dicit :

« *Principem sacerdotum.* » Joan. xi, 49 : *Unus ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius.* Sed contra, Joan. xviii, 13 : *Adduxerunt eum ad Annam primum.* Dicendum, quod primum ad Annam duxerunt, sed non ut audiretur, sed ut in lætitiam et derisum ibi ostenderetur : sed ad Caipham ducitur, ut audiatur in judicio, et accusationes ejus ibi ordinentur.

« *Ubi* » omnes « *Scribæ*, » qui litteraturæ calumnias invenire scirent. Luc. xi, 52 : *Væ vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ :* et Pharisæi, qui simulata sanctitate accusationes zelo justitiæ factas esse probarent. Supra, vi, 16 : *Exterminant facies suas.*

« *Et seniores*, » qui longa experientia malitiæ multa objicere scirent, et responsis obviare. Jerem. iv, 22: *Sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Omnes isti « *convenerant.* » Act. iv, 27 et 28 : *Convenerunt in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum..., facere quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri.* Psal. ii, 2 : *Convenerunt in unum adversus Dominum*, etc.

« Petrus autem sequebatur eum a longe, usque in atrium principis sacerdotum ? Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut videret finem. » 58

His tangitur destitutio solatii : Petrus

enim, qui se promiserat socium esse tribulationis, jam non cum ipso in carcerem vadit, sed longe sequitur.

Et dicit hic quatuor per ordinem : *Petrus autem sequebatur*, » hoc est, non oblitus charitatis pristinæ. Daniel. III, 41 : *Sequimur te in toto corde, et timemus te.* Joan. XIII, 36 : *Quo ego vado, non potes me modo sequi*, hoc est, consequi : *sequeris autem postea.*

« *A longe.* » Hoc est timoris, et hoc est secundum.

Sed quomodo dicitur sequi, cum ante dictum sit, quod *discipuli omnes relicto eo fugerunt ?* Sed dicendum, quod primo fugerunt, sed postea occulte revertentes, sequebantur duo, Petrus et discipulus alius, qui erat *amictus sindone super nudo* [1]. Qui *erat notus Pontifici*, sicut narrat Joannes, XVIII, 15.

« *Usque ad atrium principis sacerdotum :* » exterius in curiam, quia ibi erat multitudo ministrorum qui adduxerant Jesum. Principes autem jam intra se in domum receperant vinctum Jesum.

« Et ingressus intro. »

Hoc significabat desiderium Petri. Ingressus autem fuit per discipulum qui erat notus Pontifici. « *Sedebat cum ministris,* » exspectans, « *ut videret finem* » eorum quæ fiebant circa Jesum.

Sed quæritur, cum iste percusserit auriculam servi Pontificis, qualiter audebat sequi ? Dicendum, quod in tenebris percussit, et ideo notus non fuit : multis enim ibi adstantibus nesciverunt qui ictum dederat : et ideo supra, ℣. 51, Evangelista dixit : *Unus ex his qui erant cum Jesu.* Et quod Joannes, XVIII, 10, dicit : *Simon ergo Petrus habens gladius :* hoc scivit familiariter, quia semper proximi esse consueverunt Joannes et Petrus : et ideo Joannes hoc vidit, sed alii non viderunt.

« Principes autem sacerdotum, et **59**
omne concilium quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent.

Et non invenerunt, cum multi falsi **60**
testes accessissent. »

Hic tangitur de condemnatione facta per linguas et consilium Judæorum. Sunt autem in hoc duo principaliter inducta, quæ Christum multum afflixerunt : quorum unum est falsi criminis impositio per inimicum : secundum est veritatis negatio per eum qui præcipuus erat inter amicos. Et hæc patent in littera.

In prima parte tria sunt per ordinem, videlicet accusatio, condemnatio, et illusio.

In accusatione dupliciter procedunt : præordinatur enim accusatio ex testimonio aliorum : et subjungitur accusatio ex confessione propria.

Item, testimonium alienum duplex inducitur : falsum videlicet, et verum, sed falso intellectu inductum. Et hæc omnia per ordinem patent in littera.

In primo falso testimonio quatuor dicuntur, videlicet testantium instantia, testimonii falsitatis insufficientia : testantium malitia : et ad inveniendum etiam falsum testimonium impotentia.

De primo dicit : « *Principes autem sacerdotum,* » sicut auctores, « *et omne concilium,* » sicut consentiens neci. Eccli. XVI, 7 : *In synagoga peccantium exardebit ignis, et in gente incredibili exardescet ira.* Isa. I, 13 : *Iniqui sunt cœtus vestri.* Genes. XLIX, 6 : *In cœtu illorum non sit gloria mea.*

« *Quærebant.* » Ecce instantia Psal. XXXVII, 13 : *Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates.* « *Falsum testimonium,* » quia defecit eis veritas. Job, XVI, 18 : *Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces.* Job, XVI, 9 : *Suscitatur*

[1] Marc. XIV, 51 et 52.

falsiloquus adversus faciem meam contradicens mihi.

« *Ut eum morti traderent.* » Ecce malitia. Ostendunt se esse genimina viperarum : sic enim falso testimonio bonum civem Naboth interfecerunt patres eorum [1].

« Et non invenerunt, »

Quia honestas famæ falsitatem mentitam exclusit.

« *Cum multi falsi testes accessissent.* » Multi enim laboraverunt. Psal. LXIII, 7 : *Defecerunt scrutantes scrutinio.* Jerem. II, 5 : *Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt ?* Unde de talibus, Daniel. XIII, 55 : *Recte mentitus es in caput tuum.*

61 « Novissime autem venerunt duo falsi testes,

Et dixerunt : Hic dicit : Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud. »

Hic tangitur verum perverso intellectu acceptum.

Unde dicit : « *Novissime,* » quando jam omnes defecerant, « *venerunt duo falsi testes.* » Exod. XX, 16 : *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Quia vero sciverunt, quod lex dicit, Deuter. XIX, 15 : *Non stabit unus testis contra aliquem..., sed in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum :* ideo jungunt se duo falsi testes, quia falso intellectu quod vere dictum erat, acceperunt. Job, X, 17 : *Instauras testes tuos contra me, et multiplicas iram tuam adversum me.* Jerem. XII, 8 : *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva : dedit contra me vocem.*

« Et dixerunt [2] : Hic dixit : Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud. »

Hoc non dixit Dominus, sed sic, Joan. II, 19 : *Solvite templum hoc,* etc. Sed isti videntes, quod facilius erat destruere quam construere : et audientes, quod post triduum excitaret, arguebant quod etiam in triduo destrueret. Et hoc dixit Dominus prædicens sacramentum Passionis suæ, et prædicens Resurrectionem : unde, ibidem, Joan. II, 21, additur : *Ille autem dicebat de templo corporis sui.*

« Et surgens princeps sacerdotum ait illi : Nihil respondes ad ea quæ isti adversum te testificantur ? 62

Jesus autem tacebat. » 63

Incipit exigere propriam confessionem, ut accuset ex ipsa : et dicuntur hic tria. Primo enim in furorem captus exigit objectorum responsionem : secundo, adjurans exigit confessionem : tertio, ex confessione format accusationis condemnationem. Et hæc patent in littera.

Dicit ergo : « *Et surgens princeps sacerdotum,* » quia motu corporis indicabat insaniam mentis de hoc, quod conveniens testimonium contra Dominum non inveniebatur, ita avidus fuit mortis ejus. Proverb. I, 16 : *Pedes illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem.* Isa. LVII, 20 : *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.*

« *Dixit illi,* » insidiose. Eccli. XI, 33 : *Bona in mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam.* Psal. X secundum Hebræos, 9 : *Insidiatur quasi leo in spelunca sua : insidiatur ut rapiat pauperem.*

[1] Cf. III Reg. XXI, 13.

[2] Joan. II, 19 : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.*

« *Nihil respondes ad ea quæ isti* » falsi testes « *adversum te testificantur ?* » Ipse potius princeps respondere debuit, et falsos testes examinare, et dijudicare, et facere eis sicut male egerunt contra innocentem : sicut fecit Daniel, XIII, 51 et seq. Hoc enim erat officii sui. Proverb. XIX, 9 : *Falsus testis non erit impunitus.*

« Jesus autem tacebat. »

Proverb. XXIII, 9 : *In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquii tui.* Isa. LIII, 7 : *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.* Psal. XXXVII, 15 : *Factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.*

64 « Et princeps sacerdotum ait illi : Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus, Filius Dei.

Dicit illi Jesus : Tu dixisti : verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. »

Et hoc est secundum. « *Adjuro te per Deum vivum,* » in comparatione idolorum, de quibus dicitur : *Neque enim est spiritus in ore ipsorum* [1]. Interrogat autem primum, antequam in vituperia illusionum prorumpat, ut conformet se sapienti. Eccli. XI, 7 : *Priusquam interroges, ne vituperes quemquam.*

« *Ut dicas nobis,* » Joan. I, 22 : *Quid dicis de te ipso ?* Quasi dicat : Audisti quid alii de te dicunt : et voluit alios primo proponere, ut ex dicto illorum irritaretur, et sic provocatus mala diceret.

« *Si tu es Christus,* » Messias in lege promissus, et hoc quoad humanitatem, « *Filius Dei* » vivi quoad deitatem. Hoc Martha simpliciter confessa est, Joan. XI, 27 : *Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Sed iste quærit insidiose.

« Dicit illi Jesus : Tu dixisti. »

Joan. XVIII, 37 : *Ego in hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati.* Et caute dicit : « *Tu dixisti,* » quia et si non affirmando, tamen quærendo dixit. Joan. VIII, 25 : *Tu quis es ?* Et respondit : *Principium qui et loquor vobis.* Joan. V, 18, propterea persequebantur eum Judæi, non solum quia frangebat sabbatum, sed quia se dixit Filium Dei, æqualem se faciens Deo.

« *Verumtamen dico vobis,* » licet modo absconditus sit vultus meus, et despectus [2]. « *Amodo,* » post Passionem in secundo adventu, « *videbitis Filium hominis.* » Joan. V, 22 : *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* « *Sedentem,* » regnantem, « *a dextris virtutis Dei,* » in potioribus bonis. Psal. CIX, 1 : *Dixit Dominus,* etc. Act. VII, 56 : *Video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei.* Apocal. I, 7 : *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* « *Et venientem in nubibus cœli.* » Daniel. VII, 13 : *Ecce cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat.* »

« Tunc princeps sacerdotum scidit 65
vestimenta sua, dicens : Blasphemavit : quid adhuc egemus testibus ? Ecce nunc audistis blasphemiam :

Quid vobis videtur ? At illi respon- 66
dentes dixerunt : Reus est mortis. »

Hoc est tertium. Et dicuntur in eo quatuor : primum est signum detestationis dicti Salvatoris : secundum, senten-

[1] Psal. CXXXIV, 17.

[2] Cf. Isa. LIII, 3.

tia Pontificis de crimine imposito Salvatori : tertium est inquisitio sententiæ condemnationis : et quartum est sententia consilii communis.

Dicit igitur : « *Tunc,* » hoc audito, « *princeps sacerdotum.* » Sophon. III, 4 : *Sacerdotes ejus polluerunt sanctum.* « *Scidit vestimenta sua,* » quasi volens ostendere detestationem blasphemiæ. Sicut Ezechias audiens blasphemiam Rapsacis scidit vestimenta sua exsiliens de solio [1], et tamen iste libenter audivit.

« *Dicens : Blasphemavit,* » in hoc quod se Filium Dei fecit. Joan. X, 33 et seq. : *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia : et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Sed ad hoc respondet Salvator : *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura, quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis : Quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum.*

« Quid adhuc egemus testibus ? »

Quasi dicat : Frustra laboramus. « *Ecce nunc audistis blasphemiam* » qua sibi attribuit divinitatem. Job, XV, 5 et 6 : *Docuit iniquitas tua os tuum, et imitaris linguam blasphemantium. Condemnabit te os tuum, et non ego.*

« Quid vobis videtur ? »

Quærit judicium ab his qui sitiunt sanguinem ipsius, quos scivit cito daturos mortis sententiam. Exod. XXIII, 7 : *Innocentem et justum non interficies* [2]. Exod. XXIII, 2 : *In judicio non plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies.*

« *At illi respondentes dixerunt : Reus est mortis.* » Sapient, II, 21 : *Hæc cogitaverunt et erraverunt : excæcavit enim illos malitia eorum.* Sapient. VI, 3 : *Cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis.* Exterius tamen volebant se conformare legi, Levit. XXIV, 16 : *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.*

« Tunc exspuerunt in faciem ejus. » **67**

Hic tangitur illusio, quæ conficitur ex tribus : ex illusione vilitatis immunditiæ, et ex afflictione verborum exprobratæ blasphemiæ, et ex irrisione tamquam prolatæ stultitiæ.

De primo dicit : « *Tunc exspuerunt in faciem ejus,* » tamquam os illud conspuentes, quod immunditia blasphemiæ se polluit. Isa. L, 6 : *Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.* Job, XXX, 10 : *Faciem meam conspuere non verentur.*

« Et colaphis eum cæciderunt : alii autem palmas in faciem ejus dederunt,
Dicentes : Prophetiza nobis, Christe : **68**
quis est qui te percussit ? »

Tangit afflictionem duplicem : colaphos in collo, quo Adam gluttivit vetitum pomum : alapas in maxilla, qua masticavit.

Dicit igitur : « *Et colaphis eum cæciderunt* » Isa. L, 6 : *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus.*

« *Alii autem palmas,* » extensas, « *in faciem ejus dederunt,* » percutientes maxillas ejus. Thren. III, 30 : *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Job, XVI, 11 : *Exprobrantes percusserunt maxillam meam.* Mich. V, 1 : *In virga percutient maxillam judicis Israel.* Proverb. XVII, 26 : *Non est bonum dam-*

[1] Cf. Isa. XXXVII, 1.

[2] Cf. Daniel. XIII, 53.

num inferre justo, nec percutere principem qui recta judicat.

« Dicentes, »

Irridendo.

« Prophetiza nobis, Christe. »

Luc. XXIII, 64, dicitur, quod velaverunt faciem ejus.

« *Quis est qui te percussit ?* » Jerem. XX, 7 : *Factus sum in derisum tota die : omnes subsannant me.* Thren. III, 63 : *Ego sum psalmus eorum.* Job, XII, 4 et 5 : *Deridetur justi simplicitas. Lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum.*

69 « Petrus vero sedebat foris in atrio : et accessit ad eum una ancilla, dicens : Et tu cum Jesu Galilæo eras. »

Hic ponitur secundum, in quo tangitur defectus veritatis : qui in tantum afflixit Christum, quod fecit eum respicere Petrum. Et tanguntur duo, negatio videlicet, et pœnitentia, ibi, ℣. 75 : « *Et recordatus est Petrus.* »

Adhuc autem negatio hic inducitur triplex, et secundum hoc patet divisio.

In prima tanguntur tria : locus, et occasio, et negatio ipsa.

De loco dicit : « *Petrus vero,* » qui sequebatur ut videret finem, « *sedebat foris,* » extra domum, « *in atrio,* » cum ministris. Et secundum Augustinum, hoc dicitur per recapitulationem : et est factum in atrio Annæ, quia in illo dicit incepisse negationem. Sed alii expositores dicunt factum in atrio Caiphæ.

« Et accessit ad eum, »

Ut melius discerneret. Proverb. VII, 10 et 11 : *Mulier garrula, et vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis.*

« *Una ancilla.* » Proverb. XXX, 21 et seq. : *Per tria movetur terra, et quartum non potest sustinere : per servum, cum regnaverit : per stultum, cum saturatus fuerit cibo : per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta, et per ancillam, cum fuerit hæres dominæ suæ.* Potuit esse, quod in templo viderat Petrum sæpe cum Domino : et ideo discrevit eum inter alios.

Ad exaggerationem autem timiditatis Petri tria concurrunt : quod una fuit, quia multitudo plus timetur : et sexus fœmineus, qui minus timetur : et conditio, quia ancilla minus timetur quam domina. Levit. XXVI, 36 : *Terrebit eos sonitus folii volantis.* Psal. XIII, 5 : *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Causa autem erat, quia spiritum ad robur adhuc nondum acceperat. Luc. XXIV, 49 : *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Et verificatum est in Petro, quod dixit sibi Christus, Supra, ℣. 41 : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Ex promptitudine enim spiritus processit, quod supra dixit : *Tecum paratus sum et in carcerem, et in mortem ire* [4] : ex infirmitate autem carnis, quod negavit ad vocem unius ancillæ dicentis :

« Et tu cum Jesu Galilæo eras. »

Galilæus dicitur quia ibi fuit nutritus et conceptus, et inde incepit prædicatio sua, et ibi fecit initium signorum, sicut dicitur, Joan. II, 11.

70 « At ille negavit coram omnibus, dicens : Nescio quid dicis. »

Tria dicit : negationem, et publicum negationis, et modum.

Primum significatur, cum dicit : « *At*

[4] Luc. XXII, 33.

ille negavit. » Ad Titum, I, 16 : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

« *Coram omnibus.* » Supra, X, 33 : *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo.* Causa autem negationis erat, quia non abnegaverat semetipsum, sicut dixerat, Supra, XVI, 24 : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.*

Id autem quod in manifesto fecit negationem, hoc fecit ad scandalum, « *Dicens : Nescio quid dicis.* » Modus est negationis : et dicunt quidam, quod hic non negavit Christum, sed dictum : et contra hoc dicit Augustinus, quod si isti verum dicunt, tunc respondeant ad dictum Domini, quo dixit : *Ter me negabis*[1] : et non dixit ter dictum mulieris negabis. Contra hoc dicitur, Eccli. IV, 24, 33 : *Pro anima tua ne confundaris dicere verum... : et usque ad mortem certa pro justitia.*

71 « Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, et ait his qui erant ibi : et hic erat cum Jesu Nazareno.

72 Et iterum negavit cum juramento : Quia non novi hominem. »

Hic ponitur secunda negatio. Et duo tanguntur, scilicet occasio negationis, et negatio.

Occasio negationis tangitur ex loco, et allocutione accusantis fœmina.

Ex loco, cum dicit : « *Exeunte autem illo januam.* » CONTRA : Nonne ante dictum est, quod sedebat foris ? Dicendum secundum Lucam, XXII, 58, quod *post pusillum eum alius videns, dixit : Et tu de illis es ?* In hoc ergo pusillo timore perterritus exivit : et iterum amore Magistri, cujus finem videre desideravit, redivit, et tunc facta est negatio. Et quod Lucas innuit virum hoc fecisse, hic autem dicitur quod fœmina, Dicendum, quod fœmina incitavit alios primo : et tunc accessit vir et impetivit Petrum.

« *Vidit eum,* » diligenter intuens, « *alia ancilla,* » de qua scriptum est, Genes. XXI, 10 : *Ejice ancillam hanc, et filium ejus.* Istius enim ancillæ petulantis et tradentis discipulos Domini figura est filia Herodiadis, quæ saltibus fecit amputari caput Joannis Baptistæ[2]. Ideo Paulus dicit : *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberavit*[3].

« *Et ait his qui erant ibi.* » Et ideo in ista negatione major est causa timoris, quia multi concitantur ad tenendum Petrum. Eccle. VII, 27 : *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, et sagena cor ejus, vincula sunt manus illius.*

« *Et hic cum Jesu Nazareno erat.* » Job, II, 10 : *Quasi una de stultis mulieribus locuta es.* Quid enim mali fuit cum Jesu Nazareno esse ? Supra, XII, 30 : *Qui non est mecum, contra me est : et qui non colligit mecum, dispergit.* Si enim Jesus est, non salvatur qui secum non est. Si Nazarenus, non floret virtutibus qui recedit ab ipso.

« Et iterum negavit. »

Et quia major erat causa timoris, major ponitur confirmatio negationis : et ideo additur, « *cum juramento.* » Exod. XX, 7 : *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Zachariæ, V, 4, dicitur, quod volumen maledictionis *veniet ad domum furis, et ad domum jurantis in nomine meo mandaciter.*

« *Quia non novi hominem.* » Quidam dicunt eum intendisse, quia non nosset Christum esse purum hominem. Sed hoc nihil, ut probatum est prius. Jerem. IX,

[1] Matth. supra, ỳ. 34.
[2] Cf. Supra, XIV, 8 et seq.
[3] Ad Galat. IV, 31.

6 : *In dolo renuerunt scire me, dicit Dominus.* Job, XXI, 14 : *Dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus.*

73 « Et post pusillum accesserunt qui stabant, et dixerunt Petro : Vere et tu ex illis es : nam et loquela tua manifestum te facit. »

Hic incipit tertia negatio : et in ipsa est causa majoris timoris : et ideo etiam adjungitur major confirmatio negationis.

Tanguntur autem in causa timoris tria : tempus, cum dicitur : « *Et post pusillum.* » Luc. XXII, 59 : *Intervallo facto quasi horæ unius.*

« *Accesserunt,* » causa tenendi, et ut diligentius considerarent qui stabant secum, sicut dicit Joannes, XVIII, 18, quod inter ministros stabat et calefaciebat se. Et ideo patet quantum nocet malorum societas. I ad Corinth. XV, 33 : *Corrumpunt mores bonos colloquia mala.* Psal. XVII, 27 : *Cum perverso perverteris.* Eccli. XIII, 1 : *Qui communicaverit superbo, induet superbiam.*

« *Et dixerunt Petro.* » Luc. XXII, 59, et Joan. XVIII, 26, dicunt unum solum cognatum Malchi (cui Petrus amputavit auriculam), hoc dixisse. Sed hoc solvitur, quod ille primo dixit, et alios advocavit : et tunc multorum simul conclamatio facta est in Petrum.

« *Vere et tu ex illis es.* » Non enim quærebant tantum pastorem, quem jam tenebant : sed etiam mactare volebant totum gregem. Joan. X, 10 : *Fur non venit, nisi ut furetur, et mactet, et perdat.* Sed verus pastor venit, *ut vitam habeant, et abundantius habeant.*

« *Nam et loquela tua.* » Adhibet signum probabilitatis dicti sui, « *manifestum te facit.* » Luc. XXII, 59 : *Nam et Galilæus est.* Licet enim omnes loquerentur hebraice, tamen (sicut est in qualibet provincia) modos pronuntiandi habebant diversos Galilæi et Jerosolymitæ. Act. II, 7 : *Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt ?* Simile, Judic. XII, 5 et 6 : *Numquid Ephrathæus es ?... Dic ergo : Scibboleth.* Et ille non poterat dicere Scibboleth, sed Sibboleth, alia littera posita : propter diversum modum pronuntiandi contribulium suorum, in quibus fuerat conversatus.

« Tunc cœpit detestari et jurare quia non novisset hominem. » 74

Ecce quomodo mali homines proficiunt in pejus, et seductores errantes, et in errorem mittentes. Primo enim aperte, secundo cum juramento, tertio cum detestatione et jurejurando negavit. Et primo quidem compulit ancilla, secundo advocavit adstantes, et tertio adstantes conclamaverunt.

Detestatio autem est exsecratio, qua sibi malum imprecabatur, si nosset Christum. Eccli. XXIII, 9, 12 : *Jurationi non assuescat os tuum : multi enim casus in illa... Vir multum jurans replebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga.*

« *Quia non novisset hominem.* » I Joan. II, 22 : *Quis est mendax, nisi is qui negat, quoniam Jesus est Christus ?* Sed Petrus erat primo mollis cordis. Job, X, 9 : *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me.* Quod facile omnem recipit impressionem. Isa. LXIV, 8 : *Pater noster es tu, nos vero lutum.* Et ideo in monte, Supra, XVII, 4, videns Christi gloriam, facile impressus est, et manere statuit dicens : *Bonum est nos hic esse.* Et nunc videns Christi pœnam, fugit timore perterritus : et allocutione comprehendentium Christum negat, totus intra se confusus. Proverb. XIII, 19 : *Detestantur stulti eos qui fugiunt mala.*

« Et continuo gallus cantavit.

Et recordatus est Petrus verbi Jesu 75

quod dixerat : Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amare. »

Hic incipit Petri pœnitentia. Et dicuntur tria : primo enim brutum et irrationale animal reducit in sensum Apostolorum principem : secundo, recordatur præscientiæ futurorum, quam audivit a Christo : et tertio, lacrymis lavat delictum.

Dicit igitur : « *Et continuo,* » ut magis esset commonitio divinæ dispositionis quam naturæ instinctus. Sicut enim præceptum divinum venit ad vermiculum, qui percussit hederam [1], ita etiam sententia divinæ dispositionis movit gallum, ut continuo inclamaret Petrum. II Petr. II, 16 : *Subjugale mutum animal prohibuit prophetæ insipientiam.* Designat etiam hic gallus clamorem, quo a prædicatione inclamandus est peccator. Isa. LVIII, 1 : *Clama, ne cesses : quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.*

« Et recordatus est Petrus verbi Jesu, »

Per cantum galli commonefactus, Isa. XLIII, 26 : *Reduc me in memoriam, et judicemur simul.*

« *Quod dixerat : Priusquam gallus cantet, ter me negabis.* » Et per hoc venit in fidem deitatis, quæ præscia fuit futurorum casuum. Job, X, 13 : *Scio quia Universorum memineris.* Et, ibidem, XLII, 2 : *Scio quia nulla te tatet cogitatio.* Luc. tamen, XXII, 61, additur, quod *conversus Dominus respexit Petrum.* Quod Augustinus dicit intelligendum de respectu misericordiæ potius interius, quam de respectu oculi exterioris : cum, ut dicit, Christus oculos velatos habuerit, et in interioribus penetralibus domus conclusus fuerit, et Petrus extra cum ministris. Ego tamen sine præjudicio loquens opinor de respectu simul exteriori et interiori intelligendum esse : quia oculi damnandorum non ligantur, antequam ultima sententia damnati sint : nec legitur de Salvatore, quod oculos velatos habuerit, nisi ad derisum eorum qui colaphos et alapas dabant ei, et eum prophetare jusserunt, quis esset percutiens. Puto etiam non ita in penetralibus esse conclusum, sed potius irrisioni publicæ et interrogationi expositum, ut omnes accederent, qui aliquid imponere vellent : unde, supra dictum est, ℣. 59, quod *Principes sacerdotum et omne concilium quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent.* Puto etiam, quod frequens respectus Petri, et frequens mutatio vultus ad tormenta Jesu prodiderunt Petrum, quod suspicio adstantium movebatur contra eum. Sapient. IV, 15 : *Respectus ejus in electos illius.* Isa. LXVI, 2 : *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos ?*

« Et egressus foras, »

Extra malorum societatem. Apocal. XVIII, 4 : *Exite de illa, populus meus.* Jerem. L, 8 : *Recedite de medio Babylonis, et de terra Chaldæorum egredimini.*

« *Flevit amare.* » Isa. XXII, 4 : *Recedite a me, amare flebo.* Psal. VI, 7 : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.*

[1] Cf. Jonæ, IV, 7.

CAPUT XXVII.

Judas, relatis argenteis, laqueo se suspendit : Jesus coram Pilato accusatus, non respondet : uxor autem Pilati dicit ipsum justum : præeligitur tamen Barabbas : Pilatus lotis manibus Jesum flagellatum tradit crucifigendum : qui a militibus multipliciter illusus dicitur ad crucifigendum : et felleo vino potatus, inter latrones crucifigitur, divisis ipsius vestimentis : et a variis multæ jactantur in ipsum blasphemiæ : suboriuntur tenebræ : et clamans Jesus Eli, acetoque potatus, cum clamore exspirat, ac signa varia fiunt : corpus Jesu a Joseph sepultum, custoditur a militibus.

1. Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent.
2. Et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato præsidi [1].
3. Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sasacerdotum et senioribus,
4. Dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt : Quid ad nos ? tu videris.
5. Et projectis argenteis in templo, recessit, et abiens laqueo se suspendit [2].
6. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt : Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est.
7. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.
8. Propter hoc vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem [3].
9. Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem : Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel [4] :
10. Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.
11. Jesus autem stetit ante præsidem : et interrogavit eum præses, dicens [5] : Tu es rex Judæorum ? Dicit illi Jesus : Tu dicis.
12. Et cum accusaretur a principibus sacerdotum et senioribus, nihil respondit.
13. Tunc dicit illi Pilatus : Non audis quanta adversum te dicunt testimonia ?
14. Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer.
15. Per diem autem solemnem consueverat præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent.

[1] Marc. xv, 1 ; Luc. xxiii, 1 ; Joan. xviii, 28.
[2] Act. i, 18.
[3] Act. i, 19.
[4] Zachar. xi, 12.
[5] Marc. xv, 2 ; Luc. xxiii, 3 ; Joan. xviii, 33.

16. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas.
17. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus : Quem vultis dimittam vobis? Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus?
18. Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum.
19. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens : Nihil tibi et justo illi : multa enim passa sum hodie per visum propter eum.
20. Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent [1].
21. Respondens autem præses ait illis : Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt : Barabbam.
22. Dicit illis Pilatus : Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus?
23. Dicunt omnes : Crucifigatur. Ait illis præses : Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes : Crucifigatur.
24. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego sum a sanguine justi hujus : vos videritis.
25. Et respondens universus populus, dixit : Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.
26. Tunc dimisit illis Barabbam, Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.
27. Tunc milites præsidis, suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem [2].
28. Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei :
29. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus [3]. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes : Ave, rex Judæorum.
30. Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus.
31. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum ut crucifigerent.
32. Exeuntes autem, invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem [4] : hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus.
33. Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus [5].
34. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere.
35. Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes, ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem : Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem [7].
36. Et sedentes servabant eum.
37. Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam : Hic est Jesus, rex Judæorum.
38. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones : unus a dextris, et unus a sinistris.
39. Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua,
40. Et dicentes : Vah qui destruis templum Dei et in triduo illud

[1] Marc. xv, 11 ; Luc. xxiii, 18 ; Joan. xviii, 40.
[2] Marc. xv, 16 ; Psal. xxi, 17.
[3] Joan. xix, 2.
[4] Marc. xv, 21 ; Luc. xxiii, 26.
[5] Marc. xv, 22 ; Luc. xxiii, 33 ; Joan. xix, 17.
[6] Marc. xv, 24 ; Luc. xxiii, 34 ; Joan. xix, 23.
[7] Psal. xxi, 19.

reædificas, salva temetipsum : si Filius Dei es, descende de cruce [1].

41. Similiter et principes sacerdotum, illudentes cum Scribis et senioseni oribus dicebant :

42. Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere : si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei [2].

43. Confidit in Deo [3], liberet nunc, si vult eum : dixit enim : Quia Filius Dei sum.

44. Idipsum autem et latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.

45. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam.

46. Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens : Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me [4]?

47. Quidam autem illic stantes et audientes, dicebant : Eliam vocat iste.

48. Et continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto et imposuit arundini, et dabat ei bibere.

49. Cæteri vero dicebant : Sine videamus an veniat Elias liberans eum.

50. Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.

51. Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum [5], et terra mota est, et petræ scissæ sunt,

52. Et monumenta aperta sunt : et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt.

53. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.

54. Centurio autem et qui cum eo erant custodientes Jesum, viso terræmotu et his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes : Vere Filius Dei erat iste.

55. Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa, ministrantes ei :

56. Inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Joseph mater, et mater filiorum Zebedæi.

57. Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu [6].

58. Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus.

59. Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda.

60. Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit.

61. Erat autem ibi Maria Magdalene, et altera Maria, sedentes contra sepulcrum.

62. Altera autem die, quæ est post Parasceven, convenerunt Principes sacerdotum et Pharisæi ad Pilatum,

63. Dicentes : Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens : Post tres dies resurgam.

64. Jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi : Surrexit a mortuis : et erit novissimus error pejor priore.

[1] Joan. II, 19.
[2] Sapient. II, 18.
[3] Psal. XXI, 9.
[4] Psal. XXI, 2.
[5] II Paralip. III, 14.
[6] Marc. XV 42 ; Luc. XXIII, 50 ; Joan. XIX, 38.

65. Ait illis Pilatus : Habetis custodiam : ite, custodite sicut scitis.

66. Illi autem abeuntes munierunt sepulcrum, signantes lapidem, cum custodibus.

IN CAPUT XXVII MATTHÆI

ENARRATIO.

« *Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent.* »

Ab hoc loco ostendit Evangelista traditionem prosequi, qua traditus est Christus gentibus ad crucifigendum, qua sicut reus malorum condemnatus est, et cum sceleratis deputatus ad crucem.

Tangit igitur tria, in quibus hoc perfecte ostenditur, scilicet, innocentem condemnatum, impie crucifixum, et potestatem mortis habere etiam mortuum. Secundum est, ibi, ℣. 27 : « *Tunc milites præsidis.* » Tertium, ibi, ℣. 45 : « *A sexta autem hora*, etc. »

Prima harum partium adhuc habet tria, scilicet accusantium malitiam : excusantium sufficientiam, ibi, ℣. 3 : « *Tunc videns Judas.* » Et inique datam vel potius permissam, secundum ipsius judicis protestationem, sententiam, ibi, ℣. 24 : « *Videns autem Pilatus.* »

In prima harum partium duo inducuntur : malitia et violentia, ibi, ℣. 2 : « *Et vinctum adduxerunt.* »

Malitia autem tradentium Judæorum exaggeratur in sex, scilicet in fervore, studio, consensu ad malum, potestate, malignitate, et intentionis perversitate.

Fervorem eorum ad nocendum notat in hoc, quod dicit :

« Mane autem facto. »

Prævenerunt enim tempus judicii, et anticipaverunt judicem ex nimio occidendi desiderio. Job, XXIV, 14 : *Mane primo consurgit homicida, interficit egenum et pauperem : per noctem vero erit quasi fur.*

« *Consilium inierunt.* » Ecce studium. Isa. XXX, 1 : *Væ, filii desertores, ut faceretis consilium, et non ex me.* Jerem. XI, 19 : *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam : et non cognovi quia cogitaverunt adversum me consilia, dicentes : Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium.*

« *Omnes.* » Ecce ad malum consensus. Psal. XIII, 3 : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Jerem. XV, 10 : *Omnes maledicunt mihi, dicit Dominus.*

« *Principes.* » Ecce potestas duplex : auctoritatis et consilii. Auctoritatis, quia dicitur : « *Principes sacerdotum.* » Ezechiel. XXII, 27 : *Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem.*

Consilii autem et senatus potentia notatur in hoc, quod dicit : « *Et seniores populi.* » Daniel. XIII, 5 : *Egressa est iniquitas a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum.* Ezechiel. VIII, 12 : *Certe vides, fili hominis, quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris.*

« *Adversus Jesum* » Salvatorem. Ecce malignitas in Deum salvantem. Malach. III, 8 : *Si affliget homo Deum, quia vos configitis me ?* I Reg. II, 25 : *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus : si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo ?* Osee, IX, 9 : *Profunde peccaverunt, sicut in diebus Gabaa.*

« *Ut eum morti traderent.* » Ecce intentionis perversitas : quia non correctioni, sed morti studuerunt. Isa. X,

7 : *Ad conterendum erit cor ejus, et ad internecionem gentium non paucarum.* Sapient. II, 20 : *More turpissima condemnemus eum.*

« Et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato præsidi. »

Hic tangit violentiam ligationis, quæ aufert motus libertatem : tractionis, quæ infert motus violenti voluntatem. Joan. XXI, 18 : *Alius te cinget, et ducet quo tu non vis.* Et tradionis, quæ sistit ad condemnationem. Dicit ergo : « *Vinctum.* » Ezechiel. III, 25 : *Fili hominis, ecce data sunt super te vincula, et ligabunt te in eis : et non egredieris.*

« *Et adduxerunt,* » hoc est, traxerunt. Nahum. II, 7 : *Miles captivus abductus est.*

« *Et tradiderunt,* » proditione emptum, « *Pontio Pilato præsidi.* » Pontius dicitur ab eventu, quia devicit Pontum, et subjecit Romanis : Pilatus proprio nomine : præses autem potestate dignitatis : unde, Joan. XVIII, 35 : *Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi, quid fecisti ?* Psal. LXXXVII, 9 : *Traditus sum, et non egrediebar.*

« Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus. »

Hic tangitur de ostensione innocentiæ Domini. Et habet partes duas : in quarum prima sufficienter innocens ostenditur Dominus : in secunda, quod non valuerunt efficere per justitiam, suadent et efficiunt per tumultum populi, ibi, ℣. 20 : *Principes autem sacerdotem suaserunt populo,* etc. »

Adhuc, prior harum partium subdividitur secundum ea quæ excusant Dominum : et hæc sunt traditoris confessio, judicis diligens inquisitio et absolutio, uxoris judicis revelatio : et hæc patent in littera.

Traditoris confessio cum suis circumstantiis describitur hic tripliciter : in pœnitentia Judæ : in dissimulatione sacerdotum, qui dissimulant Judæ pœnitentiam, et obumbrant eam, ne veniat in lucem, et ex ea putetur Dominus innocens : et in confirmatione prophetiæ.

Pœnitentia Judæ tangitur in dolore cordis, in confessione oris, et in quadam satisfactione operis : quæ per ordinem patent in littera.

Dicit igitur : « *Tunc,* » quando traditus est præsidi, « *videns Judas, qui eum tradidit,* » ad differentiam Judæ Thaddæi, qui eum non tradidit, « *quod condemnatus esset* » Jesus jam linguis Judæorum, et ad occidendum traditus : ut opere compleretur per gentes, quod jam linguis sententiaverant : « *pœnitentia ductus.* » Ecce dolor, qui peccata non delevit, quia cum spe veniæ non fuit : et intelligitur, quod Judas non credidit, quod sacerdotes deberent eum interficere, sed emendatum per flagella dimittere. Sapient. V, 3 : *Dicentes intra se, pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes : Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii.*

« *Retulit triginta argenteos,* » quos adhuc apud se habuit : avarus enim erat, et diligenter conservavit. Eccle. V, 9 : *Avarus non implebitur pecunia.* Et, Eccli. XIV, 9 : *Insatiabilis oculus cupidi.*

« *Principibus sacerdotum et senioribus populi,* » a quibus acceperat, ut restituto pretio Christus liberaretur. Job, XX, 15 : *Divitias quas devoravit evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus.* Retulit autem cum proposito reddendi. Genes. XLIV, 8 : *Pecuniam, quam invenimus in summitate saccorum, reportavimus ad te de terra Chanaan.* Hæc autem

pœnitentia est, de qua, ad Hebr. XII, 17, dicitur : *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.*

4 « Dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt : Quid ad nos ? tu videris.

5 Et projectis argenteis in templo, recessit, et abiens laqueo se suspendit. »

Ecce confessio oris et dolor cordis cum proposito satisfactionis. Et tanguntur duo : confessio proditoris ad exemplum sacerdotum facta, et sacerdotum pertinacia in malitia.

Confessio est, quæ dicta est : et exprimit reatum, cum dicit : « *Peccavi :* » et ingratitudinem, cum dicit : « *Tradens :* » et peccati speciem, cum dicit : « *Sanguinem :* » et peccati ex circumstantia quantitatem, cum dicit : » *Justum.* » Et hæc omnia frustra sunt propter veniæ desperationem. Genes. IV, 13 : *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Sanguis autem clamaret pro eo, si veniam speraret. Ad Hebr. XII, 24 : *Accessistis ad sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.* Sanguis enim Abel loquitur vindictam. Genes. IV, 10 : *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Sanguis Christi clamat veniam. Luc. XXIII, 34 : *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Et quia veniam non speravit, fiebat in eo quod dicitur, Genes. XLII, 22 : *En sanguis ejus exquiritur.* Et illud Apostoli ad Hebr. X, 29 : *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit ?*

« At illi dixerunt : Quid ad nos. »

Pertinacia est sacerdotum : quia videntes Judam pœnitere, non sunt compuncti : et hæc verba possunt referri ad hoc, quod dictum est : *Retulit triginta argenteos.* Vel ad hoc, quod dixit : *Peccavi.*

Primo quidem modo sensus est : Quid ad nos de pecunia ? « *Tu videris :* » quando ponderasti et probasti eam sufficiens esse pretium pro vendito sanguine justi : igitur posside eam, quia nos tenebimus quod nobis vendidisti. Secundo autem modo sensus est : Quid ad nos si peccasti ? « *Tu videris,* » si contra conscientiam operatus es : quia nos de peccato tuo non curamus, dummodo voluntas nostra perficiatur. Hi sunt figura malorum sacerdotum, qui non curant peccata subditorum, sed mittunt ad interitum. Osee, VI, 9 : *Particeps sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem.* Unde quoad hoc, sceleratiores fuerunt sacerdotes quam Judas : sed quoad ingratitudinem et desperationem, Judas omnibus fuit sceleratior. Psal. CVIII, 7 : *Oratio ejus fiat in peccatum.*

« Et projectis argenteis. »

Hic ponitur satisfactio operis informis et infamis. Ad hoc enim projecit, quia recipere noluerunt : in templo autem projecit, ut oblatio satisfaciens esset, et in thesaurum Dei reponerentur.

« *Recessit, et abiens.* » Sapient. III, 3 : Abierunt ab itinere recto in exterminium [1].

« *Laqueo se suspendit.* » I ad Timoth. VI, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem.* II Regum, XVII, 23 : *Achitophel videns, quod non fuisset factum consilium*

[1] Vulgata habet, Sapient. III, 3 : *Et quod a nobis est iter exterminium.*

suum..., abiit in domum suam, et disposita domo sua, suspendio interiit. Hic pendet Aman iniquus in ligno, quod Mardochæo paravit [1]. Act. I, 18 : *Suspensus Judas crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus.*

« Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt : Non licet eos mittere in corbonan, quia pretium sanguinis est.

Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.

Propter hoc vocatus est ager ille Haceldana hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem. »

Hic tangitur confessionis hujus obumbratio per sacerdotes, ne per eam Christus credatur innocens : et ideo pretium tamquam immundum in templo relinquere noluerunt. Et dicuntur hic tria, scilicet, ejectio pretii de templo, et emptio agri, et nomen.

Dicit igitur : « *Principes autem sacerdotum,* » qui auctores sunt et capita malitiæ, « *acceptis argenteis,* » de loco, in quo projecerat eos Judas, « *dixerunt,* » eadem impietate, qua primo eos dederant : « *Non licet eos mittere in corbonam.* » Tria erant in templo reservatoria oblationum : Musach sabbati, in quo principum oblata reponebantur : et Gazophylacium, in quo reponebantur oblata plebis : et Corbona, in quo ponebantur oblata sacerdotum. Quia igitur Judas obtulit eam sacerdotibus, et a sacerdotibus acceperat, ideo ad corbonam pertinere videbatur : et ideo dicunt : « *Non licet eos mittere in corbonam,* » tamquam immundos : et reddunt causam : « *Quia pretium sanguinis est.* » Proverb. XV, 8 : *Victimæ impiorum abominabiles.* Eccli. XXXIV, 21 : *Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata.*

« Consilio autem inito, »

Qualiter Dominum redderent accusabilem. Job, XXI, 16 : *Consilium impiorum longe sit a me.* Eccli. XXVII, 30 : *Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur.*

« *Emerunt ex illis agrum figuli.* » Vel, qui possessio erat figuli : vel, qui erat de terra fictili, significante Spiritu sancto eis invitis, quod ficti de luto figuli redempti essent isto pretio. I ad Corinth. VI, 20 : *Empti estis pretio magno. Glorificate et portate Deum corpore vestro.*

« *In sepulturam peregrinorum.* » Antiquitus locus immundus sepulturæ exsulum deputabatur. Quasi dicat : Ipso facto quod immunditiæ esset signum, quia immundi hominis pretio esset comparatum. Contra quod dicitur, Isa. XI, 10 : *Erit sepulcrum ejus gloriosum.* Genes. XXIII, 20 et 21 : *Confirmatus est ager... Abrahæ in possessionem,* scilicet sepulcri, *videntibus filiis Heth.*

« Propter hoc vocatus est, etc. »

Tangit monumentum per nomen. « *Ager ille Haceldama* [2], ut esset per-

[1] Cf. Esther, VII, 10.

[2] *Haceldama* ; plus exactement Hakal-Dema, les deux mots araméens חקל דמא qui signifient « champ du sang ». D'après S. Mathieu, le sang serait celui de Jésus, ce qui fait dire à S. Jean Chrysostôme : « Hoc vero et testimonium contra illos et proditionis argumentum fuit. Nomen quippe loci clarius quam tuba cædem ab illis perpetratam omnibus proclamat. » Hom. LXXXV in Matth. D'après S. Pierre, Act. I, 18, 19, ce serait celui de Judas, car c'est dans le champ du potier qu'auraient eu lieu le suicide du traître et l'effusion affreuse de son sang. Mais rien n'empêche que les deux circonstances réunies aient contribué à la formation du nom Haceldama. (Fillion, Not. in Matth.)

tetuum monumentum, et detestatio nominis Jesu Christi usque in hodiernum diem. Et est nomen impositum ab eventu, sicut etiam simile dicitur, II Reg. II, 16 : *Vocatum est nomen loci illius : Ager robustorum in Gabaon.*

9 « Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem : Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel :

10 Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. »

Tangitur hic confirmatio per prophetam : et est hic quæstio, quia hoc, quod hic dicitur, in Jeremia non invenitur : et ideo dicit Hieronymus in originali super locum istum, quod antiqui latini codices hic habeant sic : « Tunc impletum est quod dictum per Asaph prophetam. » Quod quidam non intelligentes, correxerunt per Isaiam, quidam autem per Jeremiam, et quidam aliter. Sed in Hebræo, in quo scripsit Matthæus, invenitur sicut hic continetur : et ideo dicit Hieronymus, quod nuper invenit quædam Jeremiæ apocrypha, in quibus de verbo ad verbum scriptum fuit sicut hic habetur : et de istis apocryphis etiam fit mentio in II Machab. II, 4 et seq. Legitur in descriptionibus Jeremiæ, quod arcam contutavit in locum secretum, et oravit, ut omnibus incognitus esset locus, etc. Et bene potest esse, quod Jeremias in illis descriptionibus ista dixerit : licet ad nos non venerit ista scriptura. Augustinus dicit quod Spiritu sancto ordinante Evangelistæ subvenit de Jeremia, licet hoc dixerit Zacharias [1], ut ex hoc intelligatur omnes Prophetas uno spiritu esse locutos : et ideo uni attribui quod alius dixit. Possumus tamen dicere, quod hoc, quod dixit Evangelista, non refertur ad immediatum, sed ad hoc, quod dicitur : « *Et dederunt eos in agrum figuli,* » quia de agri emptione hic agitur, et non de quantitate pretii, de cujus quantitate supra determinatum est.

Unde sensus : « *Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam,* » qui dicit hanc sententiam de agri emptione. Bene dico quod impletum est : quia ipsi sacerdotes « *acceperunt triginta argenteos* » quod erat « *pretium* » Judæ « *appretiati, quem* » sacerdotes « *appretiaverunt a filiis Israel,* » assumptum non ab alienigenis, quia minus esset inconveniens, si hoc fecisset alienigena : et sicut dixit Jeremias, XXXII, 7 et seq. : *Eme tibi agrum meum qui est in Anathoth*, etc.

« Dederunt eos in agrum figuli, »

Sicut mihi, Jeremiæ, constituit, hoc est, ex revelatione sua præcepit Dominus. Verba autem Jeremiæ, XXXII, 8 et 9, sunt hæc : *Intellexi quod verbum Domini esset : et emi agrum ab Hanameel, filio patrui mei.* Et iste est sensus litteræ [2].

[1] Zachar. XI, 12 : *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.*

[2] Super explationem ℣℣. 9 et 10 Matthæi, hæc ait D. Fillion (Not. in Matth. XXVII, 9 et 10, pp. 533 et 534) : « Le nom de Jérémie que l'on rencontre dans la plupart des manuscrits et des versions, crée en cet endroit de très sérieuses difficultés, car on ne trouve dans les écrits de ce prophète rien qui ressemble au passage cité par S. Matthieu. D'un autre côté, Zacharie a quelques lignes qui sont à peu près identiques à celles que l'évangéliste attribue à Jérémie ; Cf. Zachar. XI, 12 et 13. Comment expliquer cet état de choses ? Origène s'en préoccupait déjà, et tous ceux qui, depuis lui, ont étudié le premier Evangile ont dû s'en préoccuper à leur tour. Jansénius, Comment. in Harmon. Evangel. c. CXL, comptait dix opinions qui s'étaient formés sur ce point délicat. Aujourd'hui, il faudrait peut-être en compter vingt si l'on voulait être complet ; mais nous nous restreindrons aux plus sérieuses. Les

11 « Jesus autem stetit ante præsidem, et interrogavit eum præses, dicens : Tu es rex Judæorum ? Dixit illi Jesus : Tu dicis. »

Hic ostenditur Dominus innocens per præsidis inquisitionem et interrogationem. Hic autem duo dicuntur : unum est diligens auditus accusantium, et interrogatio veritatis : secundum autem est voluntas absolutionis Christi post inventam insufficientiam accusationis, ibi, ℣. 15 : « *Per diem autem solemnem.* »

In prima parte duo sunt : interrogatio præsidis, et auditus accusationis.

Interrogationi præsidis respondet Dominus per confessionem veritatis : accusationi auditus tanta respondet patientia taciturnitatis, quod etiam præses admiratur.

Dicit igitur : « *Jesus autem,* » ut judicandus, « *stetit,* » constanter agonizans ante præsidem. Sapient. v, 1 : *Stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt.*

« *Et interrogavit eum præses,* » volens formam servare justitiæ : quia ex ore, vel ex testimonio quisque condemnandus est. Eccli. xi, 7 : *Priusquam interroges, ne vituperes quemquam : et cum interroga veris, corripe juste.* Job, xxix, 16 : *Causam quam nesciebam, diligentissime investigabam.*

« Tu es rex. Judæorum ? »

Objiciunt tria, dicentes : *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et*

manuscrits 33 et 157, les versions syriaque, persane, etc., omettant le nom de Jérémie, plusieurs auteurs ont pensé qu'il s'était glissé dans le récit par suite d'une interpolation. Ils rétablissent donc ce qui était suivant eux le texte primitif, en supprimant Ἱερεμίου. D'autres, qui croient la leçon actuelle authentique (Origène, S. Augustin, de Cons. Evang. III, 7, S. Jérôme affirment expressément qu'elle l'est en réalité), supposent que S. Matthieu mentionne soit une prédiction orale de Jérémie, restée inédite jusque-là, soit un passage de ses écrits qui se serait perdu (Berlepsch, Ewald, etc.), ou qui aurait été supprimé à dessein par les Juifs (S. Jean Chrysostôme), soit un texte de quelque ouvrage apocryphe faussement attribué au prophète (Origène ; S. Jérôme est hésitant). Lighfoot qui prétend prouver à l'aide de diverses traditions juives, que le livre de Jérémie a occupé pendant quelque temps la première place parmi les נביאים אחרונים de la Bible hébraïque, conclut de là que S. Matthieu a voulu désigner tous les écrits prophétiques en nommant Jérémie : les mots, *per Jeremiam prophetam,* équivaudraient donc à « per prophetas » (c'est du reste l'opinion d'Albert-le-Grand). Tout cela est assez arbitraire. Nous aimerions à penser avec Jansénius que la variante διὰ τοῦ Ζαχαρίου, qu'on trouve dans le Cod. 22 et ailleurs, représente le vrai texte officiel ; la question serait alors bien simplifiée. Mais qu'est-ce que deux ou trois autorités contre cent témoins sérieux ? Il reste encore une conjecture qui nous semble mériter assez de confiance. Elle consiste à dire que S. Matthieu, usant d'une liberté dont on trouve plus d'un exemple chez les vieux écrivains Juifs, aurait combiné, amalgamé ensemble plusieurs passages prophétiques, tirés en partie de Jérémie, en partie de Zacharie, et donné au texte ainsi produit le nom du plus célèbre des deux prophètes. Plusieurs passages de Jérémie, en particulier XVIII, 2 et seq., XXXII, 8-14, peuvent se prêter à une combinaison de ce genre. Le prophète d'Anathoth y parle d'un champ, et même d'un champ de potier situé dans la vallée d'Hinnom, que le Seigneur ordonna d'acheter. Dans la prédiction de Zacharie, il n'est pas question de champ ; mais les trente pièces d'argent y sont nettement déterminées. Pourquoi S. Matthieu, éclairé par l'Esprit-Saint, et envisageant les prédictions antiques au brillant reflet de l'histoire de Jésus, n'aurait-il pas composé un alliage qui manifestait mieux la pensée des Prophètes ? D'ailleurs, des les premières pages de son Evangile, il extrait de tous les prophètes réunis un texte qu'aucun d'eux pris à part n'avait écrit : *Nazaræus vocabitur.* C'est un résumé analogue, quoique moins extraordinaire, qu'il fait à la dernière page du même Evangile. (On trouvera dans Hengstemberg, Christologie des A. Test. t. II, p. 257. et seq., des preuves détaillées de cette opinion qui remonte du reste

prohibentem tributa dare Cæsari, et dicentem se Christum Regem esse [1] : et de duobus quidem non interrogat præses, quia primum frivolum reputabat : de secundo autem audierat oppositum, quod dixerat : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo* [2]. Et ideo quærit solum de tertio, quod remansit.

« Dicit ei Jesus : Tu dicis »

Tamen dicit Joannes, quod addidit : *Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis* [3] Et quod dicit : « *Tu dicis,* » sensus est : Tu dicis, sicut se habet veritas. Nulla autem causa fuit condemnationis, nisi ista confessio : et ideo hæc titulo crucis inscribebatur.

12 « Et cum accusaretur a principibus sacerdotum et senioribus, nihil respondit.

13 Tunc dicit illi Pilatus : Non audis quanta adversum te dicunt testimonia ?

14 Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer. »

Istud est secundum de auditu accusationum : hoc enim exigit ordo judiciarius. Joan. VIII, 51 : *Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso ?*

Dicuntur hic quatuor, accusatio sacerdotum, taciturnitas Domini, provocatio judicis ad respondendum, et admiratio patientiæ.

De primo dicit : « *Et cum accusaretur a principibus sacerdotum,* » in quibus potestas, « *et senioribus* » populi, in quibus debuit esse veritas, « *nihil respondit.* » Chrysostomus : « Quia omni- « bus patuit, quod non erant convenien- « tia testimonia : et etiam quod digni « non fuerunt. » Judici autem respondit : quia ad minus ille formam justitiæ tenuit, et invitus fecit quod fecit. Tacuit autem, ut adimpleretur quod dicit Isaias, LIII, 7 : *Quasi agnus coram tondente se obmutescet.*

« Tunc dicit illi Pilatus, »

Libenter volens audire accusationem. « *Non audis quanta,* » hoc est, quot, « *adversum te dicunt testimonia ?* » Non

jusqu'à Sanctius). Mais comme sa citation se rattache davantage au texte de Zacharie, pour l'expliquer nous aurons plus spécialement recours aux paroles de ce prophète. Dans son douzième chapitre, Zacharie agit au nom de Jéhova, et représente d'une manière symbolique l'ingratitude de la nation juive à l'égard de son Dieu. Il est pasteur d'un troupeau qui figure Israel ; fatigué des ennuis que lui causent ses brebis, il demande son compte pour se retirer ensuite. On lui offre le prix dérisoire de trente deniers ; mais Dieu lui commande de jeter cet argent dans le Temple. « Et je saisis, raconte-t-il d'après le texte hébreu, les trente deniers. » Jéhova lui dit : Jette-le au potier, ce prix magnifique auquel ils m'ont estimé. » Il obéit aussitôt à cet ordre : « Et je les jetai au potier dans la maison du Seigneur. »

D'après S. Matthieu, les trente pièces d'argent prophétisaient la somme pour laquelle Jésus-Christ, le bon pasteur, fut livré à ses ennemis : *pretium appreciati.* C'est à ce vil prix qu'il fut taxé par les princes des prêtres, comme autrefois Zacharie, représentant de Jéhova. L'évangéliste cite librement, à la façon des Targums, afin de rendre l'application plus sensible. De là les changements de personnes, les insertions de mots nouveaux et les autres modifications qu'il introduit dans le texte prophétique. Mais il ne change rien à la substance de la prédiction. »

[1] Luc. XXIII, 2.

[2] Supra, XXII, 21.

[3] Joan. XVIII, 36.

dicit probant, sed *dicunt*, quia nihil poterant probare eorum quæ dicebant. Jerem. IX, 8 : *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est.* Psal. XIII, 3 : *Venenum aspidum sub labiis eorum.*

« Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præses. »

Eccli. XX, 7 : *Homo sapiens tacebit usque ad tempus.* Psal. XXXVIII, 2 et 3 : *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Obmutui, et silui a bonis.* Isa. XLII, 14 : *Tacui semper, silui, patiens fui.*

15 « Per diem autem solemnem consueverat præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent.

16 Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas.

17 Congregatis ergo illis, dixit Pilatus : Quem vultis dimittam vobis : Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus ?

18 Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum.

19 Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens : Nihil tibi et justo illi : multa enim passa sum hodie per visum propter eum. »

Hic post inventam veritatem quærit innocentis absolutionem, sed humano timore detentus, quærit hoc facere de bona eorum voluntate. Et dicuntur hic quatuor : primo enim Evangelista facilem absolutionem allegat nactus temporis opportunam consuetudinem : secundo, ejus qui cum Domino captus erat, sceleris immanitatem : tertio, proponit quæstionem : quarto, allegat causam, quare quæsivit liberationem.

Dicit igitur : « *Per diem autem solemnem* » Paschæ, quo liberati fuerant ab Ægyptiaca captivitate, « *consueverat præses,* » captans amorem populi, ne diutius eum sustinerent, « *populo* » petenti « *dimittere unum vinctum,* » in memoriam antiquæ liberationis de Ægypto : « *quem voluissent,* » ut daretur honor populo. Isa. LVIII, 6 : *Dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus dirumpe.*

« Habebat autem tunc vinctum insignem, »

Hoc est, vulgatum in malitia : vel secundum alios insignem, id est, nobilem. « *Qui dicebatur Barabbas.* » Marc. XV, 7, qui propter seditionem et homicidium, quod commiserat in civitate, positus erat in carcerem. Et captavit Pilatus illum nominare : quia probabile erat multos esse potentes, quos ille offenderat, ut illi peterent Jesum dimitti, et persuaderent populo, quod ideo peterent secum : de quo dicitur, Exod. XXII, 18 : *Maleficos non patieris vivere.*

« Congregatis autem illis, dixit Pilatus. »

Congregati autem tunc ad serviendum Domino in die festo. Psal. CI, 23 : *In conveniendo populos in unum, et reges ut serviant Domino.*

« *Quem de duobus vultis vobis dimitti ? Barabbam* » latronem, « *an Jesum qui dicitur Christus ?* » A populo unctus vocabatur, et rex irrosorie : sed a Sanctis secundum veritatem. Joan. XI, 27 : *Ego credidi quia tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Jerem. XXI, 8 : *Ecce ego do coram vobis viam vitæ, et viam mortis.* Deuter. XXX, 15 : *Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et econtrario mortem et malum.*

« Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum, »

Et hac de causa quæsivit eum liberare. Genes. XXXVII, 33 : *Fera pessima*

comedit *filium meum, bestia devoravit Joseph*, hoc est, invidia. Sapient. II, 24 : *Invidia diaboli mors introivit in orbem errarum.*

« Sedente autem illo pro tribunali. »

Ecce excusatio facta per revelationem diaboli, qui per uxorem quæsivit subvertere fortitudinem Christi, sicut dejecit Samsonem per Dalilam [1]. Incipiebat enim jam æstimare Christum Dominum esse, et se perditurum potestatem per ejus crucifixionem : et immisit terribilia visa uxori, si crucifigeretur Dominus. Est autem tribunal sedes judicum, sicut solium est sedes regis, et cathedra sedes doctorum.

« *Misit ad eum uxor ejus dicens,* » inspirata per diabolum : « *Nihil tibi et justo illi.* » Hic est enim justus, de quo, Proverb. XII, 24 : *Qui negligit damnum propter amicum, justus est.*

« *Multa enim passa sum hodie* » terribilia, « *per visum propter eum.* » Hæc autem justitiæ Christi indicia immisit diabolus vera visa, non ex voluntate : quia sicut dicitur, Joan. VIII, 44 : *Mendax est, et pater ejus :* sed magis volebat uni parcere et omnes perdere. Eccli. XXXIV, 6 : *Sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur. Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio,* etc.

20 « Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent.

21 Respondens autem præses ait illis : Quem vultis vobis de duobus dimitti ? At illi dixerunt : Barabbam.

22 Dicit illis Pilatus : Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus ?

23 Dicunt omnes : Crucifigatur. Ait illis præses : Quid enim mali fecit ? At illi magis clamabant, dicentes : Crucifigatur. »

Hic incipit pars illa, quæ est petitio condemnationis Christi per tumultum iniquæ voluntatis, qui condemnari non poterat propter accusationem alicujus iniquitatis.

Dicit ergo : « *Principes sacerdotum,* » quos non excusat impotentia, « *et seniores,* » quos non excusat ignorantia, « *persuaserunt populis ut peterent Barabbam,* » homicidam et latronem et seditiosum, « *Jesum vero perderent,* » hoc est, perdi postularent. Jerem. VIII, 3 : *Eligent magis mortem quam vitam, omnes qui residui fuerint de cognatione hac pessima.* Proverb. XVII, 15 : *Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.*

« Respondens autem præses ait illis, »

Refricando quæstionem : « *Quem vultis vobis de duobus dimitti ?* » Quasi dicat : In electione vestra pono. Eccli. XV, 17 : *Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam.*

« *At illi dixerunt : Barabbam.* » Act. III, 14 et 15 : *Petistis virum homicidam dari vobis : auctorem vero vitæ interfecistis.*

« Dicit illis Pilatus, »

Adhuc instans pro liberatione : « *Quid ergo faciam de Jesu, qui dicitur Christus ?* Quasi dicat : Rex vester est : magnum dedecus facitis. Luc. I, 32 : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum.*

[1] Cf. Judicum, XVI, 18 et seq.

« Dicunt omnes. »

Josue, IX, 1 et 2 : *Congregati sunt cuncti pariter qui erant trans Jordanem, ut pugnarent contra Josue et Israel uno animo, eademque sententia.*

« *Crucifigatur.* » Joan. XIX, 15 : *Tolle, tolle, crucifige eum.*

« *Ait illis præses: Quid enim mali fecit?* » Joan. XIX, 4 : *Ego nullam invenio in eo causam.* Job, XVI, 18 : *Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces.*

« *At illi magis clamabant, dicentes : Crucifigatur.* » Isa. V, 7 : *Exspectavi ut faceret judicium, et ecce iniquitas : et judicium, et ecce clamor.* Luc. XXIII, 23 : *At illi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur.* Et patet, quod a judice absolvendus judicatur : nec causa condemnationis habetur nisi proterva voluntas.

Et hæc est pars prima istius partis, in qua per disceptationem populi et judicis Dominus probatur innocens.

24 « Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego sum a sanguine justi hujus : vos videritis.

25 Et respondens universus populus, dixit : Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.

26 Tunc dimisit illis Barabbam : Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur. »

In secunda autem parte se innocentem a sententia ostendit, et causam voluntati eorum et favori condescendens, Christum crucifigendum tradit. Et ideo hic tria dicuntur, scilicet falsa innocentia judicis, a Judæis electio ut sibi imponatur reatus sanguinis, et traditio facta per judicem ad crucifigendum Dominum.

De primo dicit : « *Videns autem Pilatus quia nihil proficeret,* » instando pro liberatione. Proverb. I, 16 : *Pedes illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem,* scilicet, innoxium. Psal. XIII, 3 : *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.*

« *Sed magis tumultus fieret,* » etiam in periculum judicis et Reipublicæ subversionem. Isa. III, 5 : *Tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem* suscitabitur. « *Accepta aqua, lavit manus suas.* » Ista ablutio non justificat, cum tradat eum voluntati populi, quem liberare debuerat. Proverb. XXIV, 11 : *Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.* Job, XIX, 17 : *Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam.* « *Coram populo.* » Non coram Deo. Supra, XXIII, 28 : *Aforis paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi, et iniquitate.* Non enim profuit, quod innocentem absolvendum judicavit, et postea crucifigendum tradidit, nisi in testimonium suæ condemnationis.

« *Dicens,* » ut quos signo sedare non poterat, verbo sedaret.

« Innocens ego sum a sanguine justi hujus. »

Eccle. VII, 16 : *Justus perit in justitia sua, et impius multo tempore vivit in malitia sua.* Isa. LVII, 1 : *Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo.*

« *Vos videritis,* » ex quibus allegationibus eum condemnetis : quia in eo non est causa ex allegatione. Sed nonne, Joan. XIX, 7, dicunt : *Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit?* ergo sufficiens erat allegatio. Ad hoc dicendum, quod Pilatus videns eum infirmum stare coram se, reputavit hoc frivolum.

« Et respondens universus populus, dixit, »

Quia inducti per Pontifices concordes erant in malum. Genes. VI, 12 : *Omnis caro corruperat viam suam.*

« Sanguis ejus super nos, »

Hoc est, reatus sanguinis, « *et super filios nostros,* » per successionem. Exod. XX, 5 : *Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem.* Et iste reatus opprimit eos hodie, quod dati sunt in reprobum sensum. Dictum tamen optimum licet perverse intellexerunt : super quem enim sanguis Jesu non est, non sanctificatur : et super cujus filios non est, non mundatur ab originali generatio illa. Ad Hebr. IX, 14 : *Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortis, ad serviendum Deo viventi.*

« Tunc dimisit illis Barabbam, »

Justificans impium pro dilectione suæ potestatis, « *Jesum autem* » injuste « *flagellatum tradidit eis.* » Condemnans Justum : et ideo ex duabus causis Deo abominabilis. Daniel. XIII, 53, dicente Domino : *Innocentem et justum non interficies.* Sapient. VI, 5 : *Cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ.*

« *Ut crucifigeretur,* cum horrore pœnalis mortis confusionem copulans, ut ostentui habeatur. Ad Hebr. VI, 6 : *Crucifigentes Filium Dei, et ostentui habentes.* Joan. XIX, 1, apertius dicitur : *Tunc apprehendit Pilatus Jesum,* et, scilicet in conspectu Judæorum, *flagellavit* eum. Psal. XXXVII, 18 : *Ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper.* Et ideo merito dicitur eis illud Jeremiæ, II, 13 : *Duo mala fecit populus meus : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Et, III Reg. XX, 42 : *Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima ejus.*

« Tunc milites præsidis, suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem. **27**

Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei : **28**

Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes : Ave, rex Judæorum. **29**

Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus. » **30**

Hic agitur de Domini crucifixione. Et dicuntur duo : illusio videlicet præambula, et crucifixio : et hæc patent in littera.

Illusio autem componitur ex tribus : derisione, vilificatione, et ex afflictione.

Derisio autem describitur ex ministris ejus, et loco, et spectaculo, et instrumentis sive modis.

De ministris dicit : « *Tunc milites,* » quia ministri erant sceleris : contra illud, quod dicitur eis, Luc. III, 14 : *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis : et contenti estote stipendiis vestris.* Job, XXV, 3 : *Numquid est numerus militum ejus? et super quem non surget lumen illius?* Nihil autem horum isti fecerunt, sed erant ministri diaboli.

« *Suscipientes Jesum in prætorium.* » Ecce locus incongruus derisioni, eo quod debuit esse locus justitiæ. Amos, VI, 3 : *Separati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis.*

« *Congregaverunt ad eum universam cohortem.* » Ecce spectaculum universale fecerunt de Filio Dei, ut ab omnibus derideretur. Psal. XXI, 8 : *Omnes videntes*

me, deriserunt me. Jerem. xx, 7 : *Factus sum in derisum*, scilicet omni populo meo.

« Et exuentes eum, »

Propriis vestibus. Cantic. v, 7 : *Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.*

« *Chlamydem coccineam circumdederunt ei.* » Tria erant insignia regalia, chlamys coccinea, corona, et sceptrum : et per hæc tria deridetur : quia confessus fuit illam accusationem coram judice, quod diceret se esse regem Judæorum : et illi intulerunt, quod in hoc contradiceret Cæsari : et hoc tangit hic in modo derisionis. Et quod chlamys fuerit de insignibus regalibus habetur, 1 Machab. xiv, 43 et 44, ubi Demetrius rex concessit Simoni uti chlamyde coccinea. Erat autem purpura, qua reges induebantur. Herodes autem derisit eum indutum veste alba [1]. Proverb. xxxi, 22 et seq. : *Byssus et purpura indumentum ejus*, etc.

« Et plectentes coronam de spinis, »

Hoc est, de juncis spinatis et aculeatis, quæ plexæ fuerant ad modum capillorum fœminæ, et aculei conversi ad interius circuli, ut caput compungerent.

« *Posuerunt super caput ejus.* » Cantic. iii, 11 : *Egredemini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua*, scilicet synagoga.

« *Et arundinem in dextera ejus,* » loco sceptri regalis, in signum quod vacuum et inane fuerit regnum ejus et instabile. Supra, xi, 7 : *Quid existis in desertum videre ? arundinem vento agitatam ?* Unde, Isa. xxxvi, 6, regnum Ægypti dicitur baculus arundineus, cui si innixus fuerit homo, confringetur, et perforabit manum illius [2].

« Et genuflexo ante illum, illudebant ei. »

Tangit modum honoris regalis tractum in derisum. Eccli. xix, 23 : *Est qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo.*

« Ave, rex Judæorum. »

Isa. xxix, 13 : *Appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me : cor autem ejus longe est a me.*

« Et exspuentes in eum. »

Ecce vilificatio, quam etiam supra passus est a suis. Isa. lvii, 3 et 4 : *Filii auguratricis, semen adulteri et fornicariæ, super quem lusistis, super quem ejecistis linguam ?* Job, xxx, 10 : *Faciem meam conspuere non verentur.*

« *Acceperunt arundinem.* « Erat autem arundo magna, quæ *sambucus* vocatur : « *et percutiebant caput ejus.* » Ecce illusio afflictionis. Michææ, v, 1 : *In virga percutient maxillam judicis Israel.* Job, xvi, 11 : *Exprobrantes percusserunt maxillam meam : satiati sunt pœnis meis.*

« Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum ut crucifigerent. 31

Exeuntes autem, invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem : hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus. » 32

Tangitur hic crucifixio cum suis cir-

[1] Cf. Luc. xxiii, 11.

[2] Isa. xxxvi, 6 : *Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum : cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam.*

cumstantiis præcedentibus, concomitantibus et sequentibus eam : et secundum istud dividitur.

Dicit autem duo præambula, reinduitionem, et eductionem, in qua notatur crucis portatio.

De reinduitione dicit sic : « *Et postquam illuserunt ei,* » quod ipse, Supra, XX, 19, prædixerat : *Tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum.* « *Exuerunt eum chlamyde.* » Jusserunt deponere signa regalia, cum tamen ipse esset, de quo dicitur, ad Philip. II, 9 et seq. : *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.*

« *Et induerunt eum vestimentis suis,* » in signum assumptæ paupertatis et infirmitatis. II ad Corinth. VIII, 9 : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives : ut illius inopia vos divites essetis.* Job, XVI, 16 : *Saccum consui super cutem meam.* Psal. XXIX, 12 : *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.*

« *Et duxerunt eum,* » hoc est, traxerunt eum, sed obedientem. Unde hanc ductionem vocat portationem, Jerem. XI, 19 : *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.*

« *Ut crucifigeretur.* » Job, VII, 15 : *Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea.*

« Exeuntes autem. »

Hic tangit communicationem crucis Christi in via eductionis factam gentili, antequam communicaretur Israeli, in signum redemptionis gentilium.

Dicit igitur, quod « *invenerunt,* » divina ordinatione procurante hoc in præsagium futurorum, « *hominem* » natura, licet moribus esset silvestris. Psal. CXXXI, 6 : *Invenimus eam in campis silvæ.*

« *Cyrenæum* » de Cyrene, quæ est in Lybia, ubi gentilitas habitabat. « *Nomine Simonem,* » propter futuram obedientiam mandatorum.

« *Hunc angariaverunt.* » Angaria est servitus violenter exacta, et in propria persona exhibita : perangaria autem est servitus violenta in rebus personæ impensa, et non in propria persona : et significat eos, qui invite Christi crucem propter carnis contradictionem suscipiunt, et tamen portant. Ad Galat. V, 24 : *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis.* « *Ut tolleret crucem ejus.* » Supra, XI, 29 : *Tollite jugum meum super vos,* etc. Ad Roman. XV, 1 : *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere.* Christus enim sicut dicitur, Joan. XIX, 17, primo *exivit bajulans sibi crucem.* Deinde infirmatus lassitudine illusionum et verberum, quæ tota nocte et parte diei sustinuerat, volens nobis veræ infirmitatis ostendere indicia, destitutus infirmitate, supportante indiguit : et ad hanc compassionem gentilis subservivit. Et dicitur, Marc. XV, 21, quod iste Simon fuit *pater Alexandri et Rufi :* qui rustici noti erant ab omnibus, et post Resurrectionem fidem suscipientes.

« Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus. **33**

Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere. **34**

Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes, ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem : Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. **35**

Et sedentes servabant eum. **36**

Et imposuerunt super caput ejus **37**

causam iqsius scriptam : Hic est Jesus, rex Judæorum.

Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones : unus a dextris, et unus a sinistris. »

Hæc sunt crucifixionem concomitantia : horror loci, potus amaritudinis, exspoliatio et suspensio nudæ veritatis, circumvallatio violentæ crudelitatis, superscriptio reatus, et turpium associatio, quos idem locus optimo Domino sociavit.

Dicit igitur : « *Et venerunt in locum* » supplicii, « *qui dicitur Golgotha,* » quod Evangelista interpretatur, « *quod est Calvariæ locus.* » Non a Calvaria Adæ, quem ibi quidam sepultum mentiuntur, cum Adam in Josue, XIV, 15, juxta Hebron sepultus esse legatur : sed quia ibi calvariæ jacebant latronum et damnatorum per justitiam publicam. Et hoc fuit, ut ipse horror loci, morti pœnam cumularet. Ad Hebr. XIII, 12 et 13 : *Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.*

« Et dederunt ei »

Debilitato et lassato verberibus et tractibus sitienti, « *vinum bibere cum felle mistum,* » ut impleretur quod dictum est, Deuter. XXXII, 32 : *Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi.* Et attende, quod his potatus est suspendendus, et in cruce suspensus. Suspendendus hic, Habacuc, II, 15 : *Væ qui potum dat amico suo immitens fel !* Dicit autem, Marc. XV, 23, quod dederunt ei vinum myrrhatum [1]. Et dicendum, quod myrrhatum, et felle mistum fuit : vel propter amaritudinem dicitur hic felle mistum. Prima responsio convenientior est. Psal. LXVIII, 22 : *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Quidam etiam dicunt, quod potaverunt eum, ut citius moreretur : et hoc falsum est, quia non compatiebantur ei : et non est naturale, ut homo citius moriatur propter potum, nisi cum febre moriatur : sed ideo voluit hoc Christus fieri, ut dilueret delectationem vetiti, quam gustavit Adam. Thren. III, 19 : *Recordare paupertatis et transgressionis meæ, absynthii, et fellis.*

« Et cum gustasset, »

Ad fauces et linguam, « *noluit bibere,* » gluttiendo : unde Marc. XV, 23, dicitur, quod *non accepit :* quia quamvis accepit ad gustandum, non tamen accepit ad gluttiendum.

« Postquam autem crucifixerunt eum. »

In ipsa crucifixione, « *diviserunt sibi* » quatuor « *vestimenta ejus :* » quilibet tollens unum vestimentum : sicut dicitur, Joan. XIX, 23, 24, sortem mittentes de quinto vestimento, quod erat tunica inconsutulis [2] : unde, Joan. XIX, 24 : *Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit* . Proverb. XVI, 19 : *Melius est humiliari cum mitibus, quam dividere spolia cum superbis.* Isa. IX, 3 : *Sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia.* Job, XXIV, 6 et 7 : *Agrum non suum demetunt : et vineam ejus, quem vi oppresserint, vindemiant. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes.*

« *Ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem : Diviserunt sibi vestimenta mea* » quatuor, « *et super vestem meam,* » quintam tunicam inconsu-

[1] Marc. XV, 23 : *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum : et non accepit.*

[2] Joan. XIX, 23 : *Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.*

tilem, « *miserunt sortem* [1]. » Job, XIX, 9 : *Spoliavit me gloria mea.*

« Et sedentes. »

Quiescentes crudeliter in pœnis ejus, « *servabant eum,* » ne turbis abeuntibus a discipulis deponeretur. Job, XIX, 12 et 13 : *Obsederunt in gyro tabernaculum meum. Fratres meos longe fecit a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me.*

« Et posuerunt super caput ejus, »

In tabula affixa cruci contra caput, « *causam ipsius scriptam,* » quam confessus est coram Pilato, quia aliud probare non poterant.

« Hic est Jesus, Rex Judæorum. »

Unde, Joan. XIX, 21 : *Noli scribere, Rex Judæorum : sed quia ipse dixit : Rex sum Judæorum.* Rex tamen est, quia titulus crucis eum Regem fecit. Jerem. XXIII, 5 : *Regnabit rex, et sapiens erit.* Et potest esse quod quia prædicavit novum regnum, judex credidit quod hoc esset mundanum : et quod se regem vellet facere in illo.

« Tunc, »

In ipsa crucifixione, « *crucifixi sunt cum eo,* » ut major esset sui detestatio, quasi fuisset socius latronum, « *duo latrones,* » propter duo genera latronum spiritualium, Adam, qui surripere voluit divinitatem secundum omnem scientiam, et qui in actuali peccato surripere vult Deo honorem imperii, quia non vult subdi præcipienti Deo. « *Unus a dextris,* » qui pœnituisse dicitur, « *et alter a sinistris,* » qui remansit in pertinacia. Marc. XV, 28 : *Et impleta est Scriptura quæ dicit : Et cum iniquis reputatus est.* Isa. LIII, 12 : *Cum sceleratis reputatus est.* Habacuc, III, 2, secundum translationem Septuaginta : In medio duum animalium innotesceris, hoc est, duorum bestialiter viventium. Et significat spiritum salutis in medio carnis et mundi crucifixum.

« Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, 39

Et dicentes : Vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud ædificas salva temetipsum : si Filius Dei es, descende de cruce. 40

Similiter et principes sacerdotum illudentes cum Scribis et senioribus, dicebant : 41

Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere : si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei. 42

Confidit in Deo : liberet nunc, si vult eum : dixit enim : Quia Filius Dei sum. » 43

Hic tangit sequentia crucifixionem. Et horum quædam sunt facientia ad honorationem infirmitatis : quædam autem ad demonstrandam potestatem majestatis, ibi, ℣. 45 : « *A sexta autem hora,* etc. »

Prima harum partium dividitur secundum differentiam eorum qui Domino illuserunt : et isti sunt plebeii, et principes, et latrones.

De plebeiis dicit : « *Prætereuntes autem blasphemabant eum,* » hoc est, maledicebant ei. Speciem enim pro genere ponit : vel quia se dixit Deum, irrisio majestatis (quæ in infirmitatem conversa esse videbatur) blasphemia vocatur. Matth. XII, 31 et 32 : *Spiritus blasphemia non remittetur... neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

« *Moventes capita sua.* » Psal, CVIII, 25 :

[1] Psal. XXI, 19 : *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.*

Factus sum opprobrium illis: viderunt me, et moverunt capita sua. IV Reg. XIX, 21, et Isa. XXXVII, 22 : *Despexit te, et subsannavit te virgo filia Sion: post te caput movit filia Jerusalem.* (Motus autem capitis atrocitatem significat cordis).

« Et dicentes, »

Irrisorie :

« Vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas. »

Dictum est duorum falsorum testium in præcedenti capitulo positum, quod modo sine scitu ipsorum impleri incepit : quia modo templum solverunt.

« *Si Filius Dei es.* » Sapient. II, 13, 16 : *Filium Dei se nominat, et gloriatur Patrem se habere Deum.*

« *Descende de cruce.* » Jerem. XIV, 9 : *Quare futurus es velut vir vagus, ut fortis qui non potest salvare,* etc. Habacuc, III, 4 et 5 : *Ibi abscondita est fortitudo ejus : ante faciem ejus ibit mors.*

« Similiter et principes sacerdotum illudentes. »

I Esdræ, IX, 2 : *Manus principum et magistratuum erat in transgressione hac prima,*

« *Cum Scribis.* » Isa. XXXIII, 18 : *Ubi est litteratus, ubi legis verba ponderans ?* Psal. LXX, 15 et 16 : *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini.*

« *Et senioribus.* » Job, XXXII, 9 : *Non sunt longævi sapientes, nec senes intelligunt judicium.*

« Dicebant : Alios salvos fecit. »

Ironice dicunt. Luc. IV, 23 : *Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice, cura teipsum.*

« *Seipsum non potest salvum facere.* » Contra hoc dicitur, Isa. LIX, 1 : *Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat.*

« *Si rex Israel est,* » sicut dicit jactando. Isa. IX, 7 : *Super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret amodo et usque in sempiternum.*

« *Descendat nunc de cruce,* » liberans se a passione : contra quod est consilium Patris de cœlo. Eccli. VII, 28 : Non credas te odibili in toto corde tuo [1]. Proverb. I, 10 : *Fili mi, ne acquiescas eis.*

« *Et credimus ei.* » Mentiuntur. Sed dicerent sibi sicut supra, XII, 24, in Beelzebub principe dæmoniorum hoc fieri.

« Confidit in Deo. »

Daniel. XIII, 35 : *Erat enim cor ejus fiduciam habens in Domino.*

« *Liberet nunc, si vult eum.* » Eccli. II, 11 et 12 : *Respicite, filii, nationes hominum : et scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est ?*

« *Dixit enim : Quia Filius Dei sum.* » Propterea persequebantur eum Judæi : non solum quia hoc fecit in die Sabbati, sed quia dixit se Filium Dei, æqualem se faciens Deo [2].

« Idipsum autem et latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. » **44**

Tertia est pars. Jerem. XV, 10 : *Omnes maledicunt mihi.* Et, Jerem. XX, 7 : *Omnes subsannant me.* Sed contrarium videtur dici, Luc. XXIII, 40 et 41, ubi dicitur, quod unus latronum arguit alium dicens : *Neque tu times Deum, quod in eadem*

[1] Vulgata habet, Eccli. VII, 28 : *Odibili non credas te. In toto corde tuo honora patrem tuum.*

[2] Joan. V, 18 : *Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.*

damnatione es : et nos quidem juste, nam digna factis recipimus : hic vero nihil mali gessit. Respondens autem Augustinus dicit, quod plurale ponitur pro singulari, sicut usitato nomine dicimus, scilicet, rustici derident nos, quamvis non rideat nisi unus. Melius dicitur, quod primo ambo improperabant : et postea dexter videns signa, compunctus est, et socium in perversitate perdurantem arguit.

45 « A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam, »

Hic incipit agere de demonstratione divinæ virtutis Christi patientis, quæ usque huc abscondita fuit in passione assumptæ infirmitatis. Argumenta autem ostensionis sumit a sex differentiis, sicut et principium mundi in senario est perfectum. Sumit enim a destitutione ornatus cœlestis : et a calamitate assumpti hominis, qui etiam clamavit se derelictum propter protoplasti peccatum : sumit etiam a mysticis argumentis aperte revelatis : et sumit a mundi elementis revelationem : sumit etiam a mortuis sanctis : et sumit a confessione facta a vivis. Primum ostendit patientis autoritatem, secundum passibilis naturæ veritatem, tertium figurarum impletionem, quartum Passionis virtutem, quintum sanctam ex Passione redemptionem, sextum futuram ex passione fidei dilatationem.

Circa primum dicit tria, scilicet, quid factum, quamdiu, et quantum secundum latitudinem terrarum.

Quid, quia « *tenebræ factæ sunt.* » Quamdiu ? quia « *a sexta hora usque ad nonam,* » quod est per tres horas, quamdiu eclipsis naturalis non durat. Quantum dilatatæ per terras ? quia « *per universam terram :* » aut Judæorum, ut dicit Origenes : aut etiam simpliciter, sicut videtur Dionysius dicere, qui dicit se hanc eclypsim cum sancto Apollophane vidisse apud Heliopolim civitatem Ægypti : et dicit quod facta fuit, cum luna jam deesset : et hoc est, cum esset quinta decima, quando nulla potest esse naturalis eclypsis, quia illa non fit nisi in conjunctione luminarium : unde et multa dicit fuisse in illa eclypsi : quod videlicet luna tantum in tribus horis movebatur, quantum in triginta diebus moveri debuit : et quod per eamdem portionem circuli ad solem accessit et recessit : et quod obscuritas solis a parte Orientis incepit, et ex parte Occidentis incepit reilluminari : quorum quodlibet magis fuit impossibile secundum astrorum cursum quam ipsa eclypsis : et quod hæc omnia indicabant pati Jesum, qui est omnium causa : et hoc dicit Dionysius in duabus Epistolis, quarum unam scripsit Polycarpo, et alteram Apollophani [1].

Dicit igitur :

« A sexta autem hora. »

Et videtur esse contrarietas : quia, Marc. xv, 25, dicitur : *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum.* Et dicendum secundum Augustinum, quod in tertia condemnatus est. Et ut notetur crucifixus magis linguis Judæorum clamantium : Crucifige, crucifige, quam manibus gentilium, ideo dicit tunc in hora tertia crucifixum. Potest etiam dici, quod Marcus tangit inceptionem crucifixionis, et hæc fuit sententia, et eductio, et hujusmodi. Matthæus autem ponit ipsam horam suspensionis.

« *Tenebræ factæ sunt,* » per lunam se soli supponentem, ut dicit Dionysius, et non per retractionem luminis, ut quidam mentiuntur. Amos, viii, 9 : *Occidet sol in meridie, et obtenebrescere faciam terram in die luminis.* Job, v, 14 : *Per diem*

[1] Cf. editionem nostram Opp. Dionysii Areopagitæ, Tom XIV hujusce editionis, Epist. 7 ad Polycarpum, et 11 ad Apollophanem.

incurrent tenebras, et quasi in nocte sic palpabunt in meridie. Joel, II, 10: *Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum.* Justum profecto fuit, ut cum incorruptibile lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, patiebatur eclypsim, etiam exterius lumen occumberet, ne interioris luminis defectum adspiceret.

« *Super universam terram.* » Origenes dicit, quod sicut, Exod. X, 22 et 23, Ægyptiis fuerunt tenebræ, et sanctis lux in eadem terra, ita nunc Judæis conversis in Ægyptios erant tenebræ, et aliis hominibus lux. Dionysius autem dicit quod tenebræ extendebantur usque in Phrygiam ad partes Iliacas, ubi fuit Troja. Sapient. XVII, 19 et 20: *Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine... Solis autem illis super posita erat gravis nox, imago tenebrarum quæ superventura illis erat.*

« *Usque ad horam nonam,* » durantibus tenebris: quando etiam lumen gratiæ in Adam occubuit. Genes. III, 8 et 9, dum deambularet Dominus in paradiso ad auram post meridiem clamavit, et dixit: Adam, ubi es? Et in eadem hora postea clamavit in cruce obtenebrata utraque interiori luce.

Et hoc est, quod sequitur:

46 « Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

47 Quidam autem illic stantes et audientes dicebant: Eliam vocat iste.

48 Et continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere.

49 Cæteri vero dicebant: Sine videamus an veniat Elias liberans eum.

Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum. » **50**

« *Et circa horam nonam clamavit Jesus.* » Et hoc est, quod ibi ostenditur, veritas assumptæ infirmitatis. Et dicuntur tria. Primum est clamor pro magnitudine causæ Passionis, quæ est peccatum protoplasti: secundum est pertinax malitia turbæ circumstantis: tertium est iteratus clamor pro magnitudine passionis.

Dicit igitur: « *Et circa horam nonam,* » quando sol declinaverat. Jerem. VI, 4: *Væ nobis, quia declinavit dies, quia longiores factæ sunt umbræ vesperi!*

« *Clamavit Jesus,* » licet esset debilitatus. Et cum in debilibus, et præcipue qui exsangues, et jam pene exanimes facti sunt, sit vox acuta et debilis, tamen clamavit « *voce magna, dicens:* » ut demonstraret illud quod dixit, Joan. X, 17: *Nemo tollit animam meam a me: sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Et eadem virtute transcendens debilitatem nunc clamat. Ad Hebr. V, 7: *Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad Deum..., cum clamore valido et lacrymis offerens,* in omnibus *exauditus est pro sua reverentia.*

Et hæc est vox turturis, quæ audita est in terra nostra [1].

« Eli, Eli. »

Bis dicit: quia in duabus naturis vere filius fuit: et in utraque Pater vere suus Deus sibi in identitate essentiæ secundum deitatem, et in inhabitatione summæ gratiæ secundum humanitatem conjunctus. Joan. XX, 17: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.*

[1] Cf. Cantic. II, 12.

« Lamma sabacthani. »

Miseriam protoplastorum deplorat, pro qua redimenda protectio divinitatis infirmitatem humanitatis passioni exposuerat, et sic dereliquerat.

« *Hoc est, Deus meus,* etc. » Verbum est Evangelistæ interpretantis sermonem hebraicum. Isa. LIV, 7 : *Ad punctum in modico dereliqui te, et in miserationibus magis congregabo te.* Isa. LX, 10 : *In indignatione mea percussi te, et in reconciliatione mea misertus sum tui.* Isa. LIII, 4 : *Nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum.* Dicunt quidam, quod post hunc clamorem Salvator legit centum quinquaginta versus, qui ab hoc loco psalterii usque ad istum versum Psalmi XXX, 6 : *In manus tuas commendo spiritum meum,* continentur [1].

« Quidam autem »

Romanorum gentilium ignari sermonis hebraici, « *illic stantes,* » et custodientes eum, « *et audientes dicebant : Eliam vocat iste,* » propter figuram dictionis similem Eli et Elias : et perversi cordis pertinacia, quod judicabant eum alieno indigere auxilio, cum de eo dicat Jeremias, XXXII, 17 : *Ecce tu, Domine, fecisti cœlum et terram in fortitudine tua magna...: non erit tibi difficile omne verbum.* Isa. XL, 13 : *Quis adjuvit spiritum Domini ? aut quis consiliarius ejus fuit ?*

« Et continuo currens unus ex eis, »

Volens ut magis puniretur, « *acceptam spongiam,* » quæ multum in se trahit humorem, « *implevit aceto,* » quod acutum est in actione et penetrativum, « *et imposuit arundini,* » sambuco videlicet, ut tangere posset ad os exaltati in cruce, « *et dabat ei bibere,* » ut impleretur illud Thren. III, 15 : *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.* Joan. XIX, 28, dicitur, quod in cruce pendens dixit : *Sitio :* et quod tunc accurrens iste, fecit quod hic dictum est : et sic bis potatus in lingua sustinuit passionem, eo quod lingua congruit in duo officia, in gustum et in interpretationem : in quorum utroque peccavit protoplastus gustando vetitum, et loquendo cum serpente.

« Cæteri vero, »

Damnabili detenti curiositate, « *dicebant : Sine.* » Non inferendo ei acetum, quod exasperat arteriam vocalem, et sic raucescere facit vocem. Ac si dicat : Permitte eum clamare et invocare Eliæ auxilium. « *Et videamus an veniat Elias liberans eum.* » Isa. XXVIII, 11 : *In loquela labii, et lingua altera loquetur ad populum istum.* Et sequitur, ℣. 12 : *Et noluerunt audire,* dicit Dominus.

« Jesus autem iterum, »

Præ magnitudine passionis, « *clamans voce magna.* » Erat enim passio Domini omnibus passionibus major. Et hoc tribus de causis : quarum una est melior omnibus natura, unione deitatis nobilitata, peccato non corrupta, non infirmitate, vel senio destituta : et ideo necesse est amarissimam fuisse separationem. Alia est bonitas vitæ, quæ maxime diligitur ab anima : ex malitia enim vitæ quidam tædium vitæ concipientes interficiunt seipsos. Tertia causa est sumpta ex circumstantiis : quia innocens : quia coram notis : quia a vilibus personis sacerdotum ministris : quia ex causa invidiæ, et hujusmodi. De prima dicitur, Thren. I, 12 : *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus !* De secunda dicitur, Jerem.

[1] Ab hoc Psalmo XXI, 2 : *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti ?* ad Psal. XXX, 6 : *In manus tuas commendo spiritum meum.*

XII, 7 : *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam : dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.* Et Aristoteles in *Ethicis*, quod « fortis « virtuosus amariori morte moritur, in « quantum multis bonis privatur sciens[1]. » Et Augustinus narrat, quod quidam stoicus magnæ virtutis in periculo maris valde timere inventus est, in quo servus nauticus inventus est non timere : et cum a periculo maris liberatus servus nauticus insultaret stoico, dicens quare timuisset, cum probatum sit apud stoicos perturbationem non cadere in sapientem. Respondit stoicus non esse mirum quod timuit, cum sciret quantis bonis privaretur per mortem : sed mirum esse quod servus non se diu in mare præcipitaverit, cum desiderio sibi esse deberet ut a tam turpi vita citius absolveretur. De tertio dicitur, Cantic. I, 12 : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Quid autem clamaverit in tanto isto clamore, dicitur, Lucæ, XXIII, 34, quia duo clamavit, scilicet : *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Et illud, ℣. 46 : *Pater, in manus tuas commendo spritum meum.*

Et hoc est, quod sequitur :

« Emisit spiritum. »

Nullus igitur extorsit : sed propria voluntate et potestate, sicut voluit, pro pretio redemptionis in manus Patris posuit. Hic columba evolat de arca, reditura cum signo clementiæ Dei ramo virentis olivæ[2]. Hic benedicta gloria Domini recedit de templo[3]. Isa. LIII, 10 : *Si posuerit homo pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur.* In aliorum autem potestate non est ponere, vel emittere spiritum. Luc. XII, 20 : *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te.* Sapient. XVI, 14 : *Cum exierit spiritus, non revertetur, nec revocabit animam quæ recepta est,* scilicet sub virtute naturæ.

« Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum. » 51

Sumit hic argumentum a mysticorum revelatione. Et hoc est, quod « *velum scissum est,* » quod velabat arcam continentem signa gratiæ, et apparuit nuda veritas.

« *In duas partes* » mysticorum probantium veritatem, et per gratiam juvantium ad bonitatem. Primum deseruit fidei, secundum virtuti.

« *A summo,* » quod est significatum in cœlo quoad gaudium felicitatis, « *usque deorsum,* » in profundum inferni, ubi ostenditur judicii severitas in pœnis. Isa. VII, 11 : *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Apocal. XI, 19 : *Visa est arca testamenti Dei in templo Dei.* Hanc expositionem probat Apostolus, II ad Corinth. III, 16 et 17 : *Cum conversus fuerit quis ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem Spiritus est.*

« Et terra mota est, et petræ scissæ sunt. »

Accipit argumentum ab elementis mundi dupliciter : a terra quidem, ex qua materialiter corpus hominis constituitur : et ex lapide, per quem durities cordis infidelis designatur.

Dicit igitur : « *Et terra mota est.* » Psal. LXVII, 9 : *Terra mota est, etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.* Et significat motus iste compunctionis justificationem. Isa. XXIV, 19 : *Contritione conteretur terra, com-*

[1] ARISTOTELES, Lib. III Ethicorum.
[2] Cf. Genes. VIII, 11.
[3] Cf. Ezechiel. X, 18.

motione commovebitur terra. Tremore enim reverentiæ concutitur a majestate ejus quem susceptura erat. Eccli. XXIV, 45 : *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, et inspiciam omnes dormientes, et illuminabo omnes sperantes in Domino.*

« *Et petræ scissæ sunt,* » in signum scissuræ duri cordis, quod sanguis passionis emollit. Ezechiel. XI, 19, et XXXVI, 26 : *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum.* Joel, II, 13 : *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum.* Zachar. XIV, 4 : *Scindetur mons Olivarum ex media parte sui ad orientem et ad occidentem, prærupto grandi valde.*

52 « Et monumenta aperta sunt : et multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt.

53 Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis : »

Hic sumit argumentum ab ipsis mortuis et morte. Et dicit tria : obedientiam elementi mortuos reddentis, et mortuorum resurrectionem, et fidei testimonium quod dederunt.

De primo dicit : *Monumenta aperta sunt,* » ad litteram. Ezechiel. XXXVII, 12 : *Aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris populus meus.* Et attende, quod licet aperta fuerint monumenta in Christi Passione, tamen non surrexerunt corpora ante tertium diem. Christus enim primus liber inter mortuos surrexit. I ad Corinth. XV, 23 : *Primitiæ Christus : deinde ii qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt.* Apocal. I, 5 : *Primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ.*

« *Et multa,* » non omnia, « *corpora Sanctorum,* » ibi sepultorum, « *qui dormierant.* » Psal. CXXVI, 2 et 3 : *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini.*

« *Surrexerunt.* » Et ideo in terra illa sepeliri petiverunt Abraham, Isaac, Jacob, Joseph et alii : et hoc est significatum IV Reg. XIII, 21, ubi ad tactum ossium Elisei surrexit mortuus.

« Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, »

Hoc est, Christi, « *venerunt in sanctam civitatem,* » olim sanctam, sed tunc per immunditiam homicidarum facta est Sodoma et Ægyptus [1]. Isa. I, 21 : *Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.*

« *Et apparuerunt multis.* » Ita quod in Evangelio Nicodemi dicitur, quod filii sancti Simeonis duo, qui surrexerant coram sacerdotum principibus manifeste in templo testimonium dabant Resurrectionis. Isa. XXVI, 19 : *Expergiscimini, et laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus, et terram gigantum detrahes in ruinam,* hoc est, homicidarum Judæorum per Titum et Vespasianum.

« Centurio autem et qui cum eo 54
erant custodientes Jesum, viso terræmotu et his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes : Vere Filius Dei erat iste. »

Sumit hic argumentum a conversione gentilitatis. Est autem Centurio, qui centum sub se habet milites. « *Et* » illi « *qui erant cum eo,* » qui sibi commissi fuerant a Pilato, ut procuraret supplicium. Et hoc est, quod sequitur : *Custodientes Jesum,* » custodem hominum. Job, VII, 20 : *O custos hominum, quare*

[1] Cf. Apocal. XI, 8.

posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis ?

Viso terræmotu et his quæ fiebant. » Luc. XXIV, 46, dicit, quod videntes, quod sic clamans exspirasset, quod scilicet ad clamorem tot apparuerunt signa, quod totus mundus conclamavit se mortem illam sustinere non posse.

« *Timuerunt valde.* » Luc. XXIII, 48 : *Percutientes pectora sua revertebantur.*

« *Dicentes.* » Et sicut dicit Lucas, confessione fidei glorificaverunt Deum : « *Vere Filius Dei erat iste* » Eccli. XXXVI, 17 : *Da testimonium his qui ab initio creaturæ tuæ sunt.* Supra, III, 17 : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

55 « Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa, ministrantes ei :

56 Inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Joseph mater, et mater filiorum Zebedæi. »

Hic tangitur obsequium sepulturæ. Et primo tanguntur personæ, per quas officium illud completur. Et secundo, tangitur modus, ibi, ℣. 60 : « *Et accepto corpore, Joseph*, etc.» Tertio, tangitur sepulcri custodia, ibi, ℣. 62 : « *Altera autem die, quæ est post Parasceven.* »

In primo tanguntur mulieres, quæ aromatibus sepulcrum visitare disponebant : secundo etiam tangitur Joseph, qui reddi corpus impetrabat. Et hæc patent in littera.

In prima dicit tria, scilicet, communiter mulieres, et ad quid illuc convenerant, et tertio tangit principales.

Dicit igitur : « *Erant autem ibi mulieres multæ.* » Quod significatum est, Job, XIX, 20 : *Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum.* Os enim fortitudo est Christi : caro Apostoli, qui per fugam et dubitationem recesserant : pellis autem mulieres, quæ adhæsit ossibus.

« *A longe.* » Contra, Joan. XIX, 25 : *Stabant juxta crucem Jesu Maria mater ejus, et soror matris ejus.* RESPONSIO. Primo steterunt prope : quia non negabatur damnatis ut sua cum suis disponerent : et tunc commisit matrem discipulo. Et postea cum hoc factum fuerat, oportuit ut longius starent : et hoc tangit Matthæus.

« *Quæ secutæ erant Jesum.* » Daniel. III, 41 : *Nunc sequimur te in toto corde, et timemus te.*

« *Et ministrabant ei,* » de facultatibus suis. IV Reg. IV, 13 : *Ecce sedule in omnibus ministrasti nobis.* Eccli. XXIV, 14 : *In habitatione sancta coram ipso ministravi.* Luc. X, 40 : *Martha autem satagebat circa frequens ministerium.*

« Inter quas erat Maria, »

Proprio nomine, « *Magdalene*, » cognomento a castro unde orta est. Marc. XVI, 9, dicitur, *de qua ejecerat septem dæmonia.* « *Et Maria,* » quæ erat « *Jacobi* » minoris, et « *Joseph,* » qui cognominabatur justus, « *mater.* » II Machab. VII, 20 : *Supra modum mater mirabilis, et bonorum memoria digna.* « *Et mater filiorum Zebedæi,* » quæ supra, XX, 21, regnum filiis postulavit. Dicitur autem quod et Maria Salome ibi fuit, sed tunc forte lassa ab eis parum diverterat.

« Cum sero autem factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu. 57

Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus. » 58

Hic describit personam quæ corpus impetravit. Dicit Matthæus circa hoc : tempus, naturam, fortunam, locum, no-

men, professionem, et modum impetrandi, et concessionem Pilati.

Dicit igitur : « *Cum sero autem factum esset.* » Postquam uterque sol lucem suam abscondit in Parasceve. Psal. XXIX, 6 : *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.*

« *Venit,* » quia de die manifestare non ausus fuit. Simile, Joan. III, 2 : *Hic venit ad Jesum nocte.*

« *Quidam homo.* » Natura rationalis, et discernens, et humanorum studium habens. Econtra de quibusdam dicit Psalmus XLVIII, 21 : *Homo, cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.* Hic est homo, qui ad imaginem Dei factus est et similitudinem hominis, *qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* [1].

« *Dives.* » Ecce fortuna. Unde, Marc. XV, 43, dicitur nobilis decurio, eo quod officium publicum ministrabat. « *Ab Arimathæa,* » quæ est civitas suæ nativitatis : quæ est Remata [2] Elcanæ et Samuelis civitas, ut dicitur, I Regum, I, 1.

« *Nomine Joseph,* » præsago nomine, qui crevit in virtute. Psal. LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion.* In cujus figura Joseph Patriarcha præcessit [3]. Et Joseph nutritius Domini fuit I, 18 [4]. Et iste sequens obsequitur mortuo.

« *Qui* » accessit, « *et ipse discipulus erat Jesu.* » Ecce professio. Joan. VIII, 31 et 32 : *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.*

« Hic accessit ad Pilatum. »

« *Hic,* » ut amicus, « *accessit ad Pilatum,* » quia de curia (alias, decurio) erat et familiaris. Marc. XV, 43, hic audacter accessit [5]. Eccli. VI, 7 : *Si possides amicum, in tentatione,* scilicet tribulationis, *posside eum.*

« *Et petiit corpus Jesu.* » Eccli. VII, 37 et 38 : *Mortuo non prohibeas gratiam. Non desis plorantibus in consolatione, et cum lugentibus ambula.*

« Tunc Pilatus jussit reddi corpus. »

Hoc est enim pignus, quod ante occasum solis debebat reddi [6]. Unde etiam, Joan. XIX, 31, ait quod petierunt ut non remanerent corpora in cruce in die sabbati, ut frangerentur eorum crura et deponerentur.

« Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda. 59

Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit. 60

Erat autem ibi Maria Magdalene, et altera Maria, sedentes contra sepulcrum. » 61

Tangitur hic modus sepulturæ. Et dicit duo : modum sepulturæ, et mulierum nomina prænominatarum, quæ sepulturæ interfuerant ut locum sepulcri notarent.

Modus autem sepulturæ describitur primo ex parte corporis, quod Joseph, « *accepto corpore,* » ut munere pretioso, « *involvit illud in sindone munda,* » hoc est, linteo mundo : et ideo etiam statutum est, ut corporalia non nisi de lineo mundo fiant, quod significat munditiam sanctitatis. Proverb. XXXI, 13 : *Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum.* Lanam ad

[1] Ad Ephes. IV, 24.

[2] I Reg. I, 1 : *Fuit vir unus de Ramathaim-Sophim,... et nomen ejus Elcana.*

[3] Cf. Genes. XXXVII, 2 et seq.

[4] Cf Luc. I, 27 et Matth. I, 18.

[5] Marc. XV, 43 : *Venit Joseph ab Arimathæa, nobilis decurio,... et audacter introivit ad Pilatum,* etc.

[6] Cf. Exod. XXII, 26.

vestimentum virtutis, et linum de innocentia candoris.

Deinde describit ex parte sepulcri, dicens :

« Et posuit illud in monumento. »

Quod quasi monimentum, eo quod in ipso sit monitio et recordatio mortuorum. « *Suo,* » non alieno, ne quisquam ejicere posset. « *Novo,* » ne si forte alius ibi sepultus fuisset, quod ille et non Dominus resurrexisse diceretur : « *quod exciderat in petra :* » ne si forte in terra esset, quod effossum mentirentur : et si esset de pluribus petris, diceretur quod per remotionem lapidum et repositionem esset ablatum.

« Et advolvit saxum, »

Integrum, « *magnum,* » non nisi plurium auxilio removendum, ut indubitata esset fides integri sepulcri : et ideo dicitur, Isa. xi, 10 : *Erit sepulcrum ejus gloriosum.* Job, v, 26 : *Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo,* hoc est, in abundantia honoris.

« *Et abiit,* » dimittens sepulcrum custodiæ tortorum. Ezechiel. iii, 14 : *Abii amarus in indignatione spiritus mei.*

« Erant autem ibi Maria Magdalene, et altera Maria, »

Mater filiorum Zebedæi, « *sedentes contra sepulcrum,* » ut notarent locum. Ruth, i, 17 : *Quæ te terra morientem susceperit,* hæc et me suscipiet. Joan. xi, 16 : *Eamus et nos, ut moriamur cum eo.*

Et non fit hic mentio de matre Domini, nec de tertia Maria : quia mater Domini afflicta nimis ad quietem ducta fuisse creditur : et in ejus obsequio tertia Maria abierat, et quædam de mulieribus aliis.

« Altera autem die, quæ est post Parasceven, convenerunt principes sacerdotum et Pharisæi ad Pilatum, **62**

Dicentes : Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens : Post tres dies resurgam. **63**

Jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi : Surrexit a mortuis : et erit novissimus error pejor priore. **64**

Ait illis Pilatus : Habetis custodiam : ite, custodite sicut scitis. **65**

Illi autem abeuntes munierunt sepulcrum, signantes lapidem, cum custodibus. » **66**

Hic tangitur sepulcri custodia. Et dicuntur tria : custodiæ impetratio, et custodiæ concessio et monumenti sigillatio.

Custodiæ autem impetratio tangitur descripta secundum tempus et secundum dignitatem impetrantium, et rationem impetrationis, et ipsam postulationem. Et subjungit causam timoris si non custodiretur.

Dicit igitur : « *Altera autem die, quæ est post Parasceven,* » hoc est, in die sabbati. Sed contra. Tunc non licuit operari, ergo nec sepulcrum munire. Ad hoc dicunt, quod custodia sepulcri non est opus servile, sicut nec sigillatio litterarum. Aliter dicitur secundum Remigium, quod Parasceve non ponitur pro die, sed pro præparatione ad festum : unde dies altera a præparatione fuit sexta feria, quæ erat luna decima quinta, quia in quinta feria præparatio facta fuit : et hoc probabile fuit, quia nisi statim munitum fuisset sepulcrum in prima nocte, poterant timere furtum.

« Convenerunt, »

Ut nec mortuo parcerent, « *Principes*

sacerdotum, » in quibus auctoritas, « *et Scribæ*, » in quibus magisterium erroris. Jerem. IV, 22 : *Sapientes sunt, ut faciant mala : benefacere autem nescierunt.* « *Et Pharisæi*, » in quibus simulata sanctitas, « *ad Pilatum*, » qui præfuit reipublicæ.

« Dicentes, »

Detractorie. Ezechiel. XXII, 9 : *Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem.* Job, XIX, 18 : *Cum ab eis recessissem, detrahebant mihi.*

« Domine. »

Allegant rationem, qua persuadeant. « *Recordati sumus.* » Multorum bonorum nullam habebant memoriam : sed ejus, quod obesse poterat, optime recordantur. « *Quia seductor*, etc. » Et de talibus dixit, Joan. VIII, 49 : *Honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me.* Psal. CVIII, 4 : *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi : ego autem orabam.* Erat tamen seductor in bono. Jerem. XX, 7 : *Seduxisti me, Domine, et seductus sum : fortior me fuisti, et invaluisti.* Sed isti dicunt in malo, secundum quod seductor dicitur : seorsum vero a veritate ductor. Joan. VII, 12 : *Quidam dicebant : Quia bonus est. Alii autem dicebant : Non, sed seducit turbas.*

« *Dixit adhuc vivens.* » Putabant enim eum in toto mortuum, qui dixit : *Ego sum via, et veritas, et vita* [1].

« *Post tres dies resurgam.* » Supra, XX, 19 : *Et tertia die resurget.* Osee, VI, 3 : *Vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos.*

« Jube ergo. »

Petitio est. « *Custodiri sepulcrum.* » Et licet hoc in malitia dicerent, tamen hoc Spiritu sancto præordinante dixerunt, ut quanto custodiverint diligentius, tanto fides Resurrectionis certior appareret, et hoc significatum est, Judicum, XVI, 2, ubi Philistiim obsederunt Samsonem in Gaza gloriantes, quod jam comprehendissent eum conclusum infra suas portas et seras.

« *Usque in diem tertium*, » quando putabant et corruptum fuisse corpus, et falsificatum verbum : non attendentes, quod Psalmista dicit : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem : notas mihi fecisti vias vitæ* [2]. Act. II, 24 : *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni.* Juxta quod impossibile erat teneri illum ab illo.

Et subjungunt timoris causam, quæ non fuit fides veritatis, sed mendacii pertinacia :

« Ne forte veniant discipuli ejus. »

Et hoc mirabile est : quia discipuli videntes eum permanere in morte, potius recederent detestando eum, et propalando vias ejus, quam quod de morte causas erroris fabricarent : et propter hoc dicitur in Psalmo XL, 11 : *Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me : et retribuam eis.*

« *Et furentur eum.* » Turpe furtum esset fœtidi hominis mortui : et ideo dicitur, Job, XIX, 3 : *En decies confudistis me, et non erubescitis opprimentes me.*

« *Et dicant plebi.* » Hoc fuit eis tota causa timoris. « *Surrexit a mortuis.* » Et est stultitia custodire quoad eos : quia si vincens mortem et infernum surgit a mortuis, quid prodest custodia infirmi hominis ? Et hoc est, quod prius dictum est, quod omnia hæc ordinavit Spiritus sanctus in fidei demonstratione. Osee, XIII, 14 : *Ero mors tua, o mors : morsus tuus ero, inferne.*

« *Et erit novissimus error*, » de prædicatione vitæ immortalis per multos disseminatus, « *pejor priore*, » qui per

[1] Joan. XIV, 6.

[2] Psal. XV, 10.

unum et mortalem disseminatus est. II Petr. II, 22 : *Canis reversus ad suum vomitum : et, Sus lota in volutabro luti.* Dicunt tamen verum quoad se : quia primo ignorabant : modo autem contemnunt pœnitentiam. Act. XIII, 46 : *Repellitis verbum, et indignos vos judicatis æternæ vitæ.* Isa. VI, 10 : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude : ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.*

« Ait illis Pilatus, »

Annuens petitioni eorum, quia humanum captabat favorem. Psal. LII, 6 : *Confusi sunt qui hominibus placent, quoniam Deus sprevit eos.*

« *Habetis custodiam,* » hoc est, custodes sunt parati, milites videlicet Præsidis. « *Ite, custodite sicut scitis.* » Quasi dicat : Sufficiat vobis quod in mortem consensi innocentis : quæ restant, facite sicut vultis. Jerem. LI, 12 : *Levate signum, augete custodiam, levate custodes, præparate insidias : quia cogitavit Dominus, et fecit quæcumque locutus est.*

« Illi autem abeuntes, »

Accepta potestate, « *munierunt sepulcrum.* » Job, XIX, 12 : *Obsederunt in gyro tabernaculum meum.* Eccli. XI, 31 : *Multæ sunt insidiæ dolosi.*

Et subdit modum munitionis duplicem : « *Signantes,* » annulis suis, « *lapidem* » suppositum, « *cum custodibus,* » in circuitu positis. Daniel. VI, 17, obsignavit rex lapidem qui positus erat super os laci annulo suo, et annulo optimatum suorum. Genes. XLIX, 9 : *Requiescens accubuisti ut leo : quis suscitavit eum ?*

Sic igitur terminatur sepulcri custodia.

CAPUT XXVIII.

Facto terræmotu, exterritisque custodibus, angelus mulieribus narrat Christi resurrectionem : qui ipsis apparens jubet (sicut et angelus jusserat) ut discipulis nuntient, quod Dominum in Galilæa visuri sint : milites sepulcri custodes, pecunia corrupti, dicunt corpus Christi furto sublatum : discipuli videntes in Galilæa Dominum, jubentur ire ad docendas et baptizandas omnes gentes.

1. Vespere autem sabbati quæ lucescit in prima sabbati [1], venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum.
2. Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum.
3. Erat autem adspectus ejus sicut fulgur, et vestimentum ejus sicut nix.

[1] Marc. XVI, 1 ; Joan. XX, 11.

4. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui.
5. Respondens autem angelus, dixit mulieribus : Nolite timere vos : scio enim quod Jesum qui crucifixus est quæritis.
6. Non est hic : surrexit enim, sicut dixit. Venite, et videte locum ubi positus erat Dominus.
7. Et cito euntes, dicite discipulis ejus quia surrexit, et ecce præcedit vos in Galilæam : ibi eum videbitis : ecce prædixi vobis.
8. Et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus.
9. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens : Avete. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum.
10. Tunc ait illis Jesus : Nolite timere : ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.
11. Quæ cum abissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt Principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant.
12. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus,
13. Dicentes : Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt et furati sunt eum, nobis dormientibus.
14. Et si hoc auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus.
15. At illi, accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem.
16. Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus.
17. Et videntes eum, adoraverunt : quidam autem dubitaverunt.
18. Et accedens Jesus locutus est eis, dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.
19. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti [1] :
20. Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.

[1] Marc. xvi, 15.

IN CAPUT XXVIII MATTHÆI

ENARRATIO.

« Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum. »

Sicut Christus mortuus est propter delicta nostra, ut nos a morte absolveret : ita resurrexit propter nostram justificationem, ut nos ad immortalitatem secum educeret, et ut sua Resurrectio nostræ resurrectionis causa esset. Et de resurrectione Christi agit Evangelista in isto ultimo capitulo, ostendens eam tripliciter. Primo, in testimonio creaturarum. Secundo, in testimonio custodum inimicorum suorum, quia non est suspectum testimonium veritatis ab hoste perhibitum. Deuter. XXXII, 31 : *Non enim est Deus noster ut dii eorum, et inimici nostri sunt judices.* Hoc autem testimonium inducit, ibi, ℣. 11 : *Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus*, etc. » Tertio autem adstruit fidem Resurrectionis cum demonstratione potestatis, qua dat mandata prædicandæ veritatis, ibi, ℣. 16 : « *Undecim autem discipuli.* »

Prima harum subdividitur in duas : in quarum prima adstruitur Resurrectio per creaturas Christo resurgenti deservientes : et in secunda, testimonium hoc confirmatur per apparitionem Christi aperte factam, ibi, ℣. 9 : « *Et ecce Jesus occurrit illis*, etc. »

Circa testimonium Resurrectionis duo inducuntur, scilicet, ipsum testimonium, et rei testificatæ mulieribus injunctum præconium, ibi, ℣. 7 : *Et cito euntes, dicite discipulis*, etc. »

Circa primum tria dicuntur, scilicet, temporis congrui circumstantia, adventus personarum quibus testificatio est facta, et ipsa Resurrectionis testificatio.

De primo horum dicitur : « *Vespere autem sabbati.* » Vesperam Scriptura computat pro nocte : unde, Genes. I, 5 : *Factum est vespere et mane, dies unus.* Et sic conjungit hic duos terminos noctis, in quorum primo lux recumbit : et in secundo oritur : dicens, « *quæ,* » transacta nocte, « *lucescit,* » in mane, « *in prima* » feria « *sabbati,* » hoc est, a sabbato : et non facit mentionem noctis, significans, ut dicit Petrus beati Gregorii diaconus, quia « hæc nox est, « quæ sicut dies illuminabitur, et nox « illuminatio mea in deliciis meis [1]. » Michææ, VII, 8 : *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.* Significat autem Evangelista ex modo loquendi, quod sanctæ mulieres in nocte post sabbatum venire disponebant : per hoc quod aromata empta præparaverunt, et in diluculo pervenerunt : unde, Marc. XVI, 2 : *Valde mane una sabbatorum*, hoc est, prima sabbatorum, *veniunt ad monumentum, orto jam sole.* Et ideo dicitur, Luc. XXIV, 1, quod ibant diluculo ad monumentum. Cum enim Marcus, XVI, 2, dicat, *orto jam sole*, intelligit quando radii solares apparent in nubibus, non super terram : et hoc est, quando lucescit hora in mane diei sequentis. Hoc est, quod dicit Psalmus XXIX, 6 : *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitiæ.*

« Venit Maria. »

Tangit adventum personarum, quibus factum es testimonium. « *Madgalene,* » quæ ardentius cæteris amabat eum, « *et*

[1] Vide hymnum *Exsultet jam angelica turba cœlorum*, in officio matutino in Sabbato sancto.

altera Maria, » una de tribus Mariis. Ruth, III, 11 : *Scit omnis populus*, scilicet Israel,... *mulierem te esse virtutis.*

« *Videre sepulcrum.* » Per metonymiam, hoc est, sepultum. *Ut ungerent Jesum*, sicut dicit alius Evangelista [1].

Si quæritur de tempore Resurrectionis, diversi diversa sentiunt. Gregorius dicere videtur, quod media nocte surrexit : per illud Judicum, XVI, 3, Samson fortissimus media nocte surrexit, et portas Gazæ tulit ad supercilium montis. Proverb. XXXI, 15 : *De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria*, hoc est, refectionem de gaudio Resurrectionis, *ancillis suis.* Augustinus videtur dicere, quod ante auroram parum, ut tenebras nostras in lucem se mutare designaret. Genes. XXVIII, 18 : *Surgens Jacob mane*, etc. Et ideo beatæ fuerunt mulieres, quæ mane vigilabant ad ipsum. Psal. LXII, 2 : *Ad te de luce vigilo.* Proverb. VIII, 34 : *Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei.* Isa. XXVI, 9 : *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.*

2 « Et ecce terræmotus factus est magnus. »

Hic dantur Resurrectionis testimonia. Primo quidem de profundo inferni, et secundo de excelso supra, sicut dicitur, Isa. VII, 11 : *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.*

De profundo dicit evidentiam testimonii, cum dicit : « *Ecce.* » Psal. XCII, 5 : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Secundo, tangit rem testantem. « *Terræmotus.* » Et tertio, quantitatem, cum subdit : « *Factus est magnus*, » quia ab intimis terra concutitur, quia Christus victor ab inferis resurrexit. Psal. LXVII, 9 : *Terra mota est, etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.* Psal. LXXV, 9 et 10 : *Terra tremuit et quievit, cum exsurgeret in judicium Deus.* Et hoc est testimonium de inferno.

Testimonium autem de excelso supra subdit, cum dicit :

« Angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum.

Erat autem adspectus ejus sicut ful- 3
gur, et vestimentum ejus sicut nix.

Præ timore autem ejus exterriti sunt 4
custodes, et facti sunt velut mortui. »

Et dividitur in duo. Primo enim ponit descriptionem testificantis, et secundo, certitudinem testimonii, ibi, ℣. 5 : « *Respondens autem Angelus.*

Descriptio autem Angeli ponitur hic, ab officio, ab auctoritate, a loco, a virtutis opere, a forma adspectus, ab habitu, et a terrore.

Ab officio, cum dicit : « *Angelus*, » quod est idem quod nuntius. Psal. CIII, 4 : *Qui facis Angelos tuos spiritus.* Isa. XVIII, 2 : *Ite, Angeli veloces, ad gentem convulsam, et dilaceratam*, hoc est, ad discipulos dispersos, et tristitia dilaceratos, et dubietate convulsos.

« *Domini.* » Ecce auctoritas : quia ministri sunt Christi Domini sui, et ab ipso habent legationis auctoritatem. Supra, IV, 11 : *Angeli accesserunt et ministrabant ei.* Daniel. VII, 10 : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.*

« *Descendit*, » et condescendit hominibus, « *de cœlo*, » ut hominibus operaretur. Et videtur contrarium, quod dicit, Joan. XX, 12, ubi dicuntur duo Angeli visi fuisse, unus ad caput, unus ad pedes. Sed dicendum, quod in monumen-

[1] Marc. XVI, 1.

to visi sunt duo : sed monumentum reseravit unus, nec alterius indiguit auxilio : et forte multi valde circa monumentum erant, cum et ipse Dominus esset circa monumentum : et hoc significatum est, Genes. XXXII, 2, ubi dicitur : *Castra Dei sunt hæc : et appelavit nomen loci illius Mahanaim, id est, Castra.*

« *Et accedens,* » ut suo accessu fiduciam daret, « *revolvit lapidem,* » in suæ virtutis demonstrationem contra custodes. Præcipue quia mulieres *dicebant ad invicem : Quis revolvet nobis lapidem ab obstio monumenti ? Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde* [1].

« *Et sedebat super eum.* » Qui, sicut dicitur, Luc. II, 9, in Nativitate pastoribus gaudia nuntians stabat : ut ipso situ ostenderet, quod qui in nativitate pugnaturus venerat, modo resurgens a mortuis quiete in dextera Dei consideret. Ad Coloss. III, 1 : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens.* Isa. XXXII, 18 : *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.*

« Erat autem adspectus ejus. »

Descriptio est ab adspectu. « *Sicut fulgur,* » in quo adspectu terror est malorum. Apocal. I, 14 : *Oculi ejus tamquam flamma ignis.* Psal. CXLIII, 6 : *Fulgura coruscationem, et dissipabis eos.*

« *Et vestimentum ejus sicut nix.* » In quo notatur blandimentum eorum qui cœlestis sunt conversationis, et vestimentum decoris Christi. Isa. XLIX, 18 : *Omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi sponsa.* Psal. CIII, 2 : *Amictus lumine sicut vestimento.*

« Præ timore autem ejus. »

Describit hic a terrore fulguris. Tantæ enim majestatis apparuit, qui fecit Angelos suos spiritus et ministros suos flammam ignis [2], quod in corde « *exterriti sunt custodes.* » Et quia cor omnibus membris ministrat motum et vitam, ideo etiam in corpore « *facti sunt velut mortui.* » Exod. XXXIII, 20 : *Non videbit me homo, et vivet.* Et ex quo sic emarcuerunt custodes visum unius, quid esset si duodecim legiones talium misisset? Daniel. IX, 16 : *Domine mi, in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, et nihil in me remansit virium.* Sapient. V, 2 : *Videntes turbabuntur timore horribili,* etc.

« Respondens autem Angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos. » 5

Hic tangitur testimonium quod continetur in duobus : in confortatione videlicet contra timorem, et veritatis demonstratione contra dubietatem.

Sed hoc præmittit Evangelista, dicens : « *Respondens,* » non ad verba, sed ad corda trepidantia, « *Angelus dixit mulieribus,* » exterius sonans per corpus assumptum. Et hoc dignum fuit : quia istæ fuerunt quæ luctabantur oratione et desiderio cum Angelo, non dimittentes eum nisi benediceret eis. Genes. XXXII, 26 : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Osee, XII, 4 : *Invaluit ad Angelum, et confortatus est : flevit, et rogavit eum.* Et est concordans tempus : quia lucta Jacob facta est in aurora, quæ auream horam præfigurabat Ressurrectionis, quando jam radii gloriosæ felicitatis diffusi sunt in nube assumptæ carnis.

« *Nolite timere vos.* » Discretionem notat pronomen. Quasi dicat : Illi timeant, qui ad gloriam nostram non per-

[1] Marc. XVI, 3 et 4.

[2] Psal. CIII, 4.

tinent : vos autem quid timetis, quæ vestros concives videtis ? Judicum, VI, 23 : *Pax tecum, ne timeas, non morieris.* Daniel. X, 19 : *Noli timere, vir desideriorum : pax tibi : confortare, et esto robustus.*

6 « Scio enim quod Jesum qui crucifixus est quæritis. Non est hic. »

Hic ponitur veritatis assertio, quam asserit a tribus : a conscientiæ revelatione, ut cætera melius credant : a præteritorum recordatione : a præsentium demonstratione.

De revelatione conscientiæ est : « *Scio enim quod Jesum qui crucifixus est quæritis.* » Psal. XXIII, 6 : *Hæc est generatio quærentium Dominum.* Sapient. I, 1 : *In simplicitate cordis quærite illum.* Quod autem dicit : « *Qui crucifixus est,* » non dicit ad specificandum, sed ad dubium de cordibus earum expellendum.

Et subinfert ex hoc assertionem, dicens : « *Non est hic,* » corporali præsentia : sicut enim dicit alius Evangelista, Luc. XXIV, 5 : *Quid quæritis viventem cum mortuis?*

« Surrexit enim, sicut dixit. »

Ecce adstruitur a memoria præteriti. Dixit enim, Supra, XX, 19 : *Et tertia die resurget,* et XXVI, 32 : *Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Supra, XII, 40 : *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus,* etc.

« Venite, et videte locum ubi positus erat Dominus. »

Adstruit hic a demonstratione præsentium, dicens : « *Venite.* » Joan. XX, 11 : *Inclinavit se Maria, et prospexit in monumentum.* « *Et videte,* » considerate diligenter locum. Quia sicut dicitur, Luc. XXIV, 3, 12, corpus Jesu non invenerunt : sed linteamina, et sudarium quod fuerat super caput Jesu seorsum positum involutum in unum locum [1].

« *Ubi positus fuerat Dominus.* » Unde dicitur, Joan. XX, 15, quod sublatum credidit, et dixit : *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum : et ego eum tollam.*

« Et cito euntes, dicite discipulis ejus quia surrexit, et ecce præcedit vos in Galilæam : ibi eum videbitis : ecce prædixi vobis. » 7

Hic injungit nuntiationem Resurrectionis, in qua sanctæ mulieres Apostolæ sunt Apostolorum : sicut enim in prima prævaricatione mors per angelum malum malum venit ad fœminam, et per fœminam ad virum, ita nunc nuntia vitæ per Angelum veniunt ad fœminas, et per fœminas ad viros.

Dicuntur autem hic duo : injunctio nuntii boni, et confirmatio veritatis.

Injunctio autem nuntii optimi perficitur in velocitate nuntiantium, et determinatione eorum quibus fit nuntium, et quid nuntietur.

De primo dicit : « *Et cito euntes,* » et notat velocitatem, et velocitatis continuationem.

De velocitate dicit : « *Cito.* » Isa. XL, 31 : *Current, et non laborabunt : ambulabunt, et non deficient.* « *Cito,* » inquam, gaudio vos agitante et incitante. Psal. CXVIII, 32 : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Psal. CXLVII, 15 : *Velociter currit sermo ejus.*

« *Euntes,* » continuo sine mora interposita. IV Reg. VI, 24, dixit Sunamitis pergens ad Prophetam : *Ne mihi facias moram in eundo.*

[1] Cf. etiam, Joan. XX, 7 et 8.

« *Dicite.* » IV Reg. VII, 9 : *Hæc dies boni nuntii est : si tacuerimus, et noluerimus nuntiare usque mane, sceleris arguemur.* Proverb. XXV, 25 : *Aqua frigida animæ sitienti, et nuntius bonus de terra longinqua.* « *Discipulis ejus,* » tristitia detentis, et dubietate vacillantibus. Job, IV, 4 : *Vacillantes confirmaverunt sermones tui, et genua trementia confortasti.* « *Et Petro,* » ne desperet propter negationem. Luc. XXII, 31 et 32 : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

« Quia surrexit. »

Tria sunt nuntianda : Resurrectio, præcessio in Galileam, et læta visio.

Resurrectio intentionem elevat, præcessio dirigit, et visio illuminat intellectum. Vel, Resurrectio elevat cor, præcessio rectificat opus, et visio consolatur peregrinationem incolatus.

« *Quia surrexit :* » de cætero immortalis sursum a mortalitate se erexit. Ad Coloss. III, 1 et 2 : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

« *Et ecce præcedit vos.* » Quasi dicat : In evidenti est statim. Mich. II, 13 : *Ascendet pandens iter ante eos.* Joan. X, 3 et 4 : *Proprias oves vocat nominatim..., et ante eas vadit : et oves illum sequuntur.*

« *In Galilæam.* » Quæ *transmigratio facta* interpretatur, ut a vitiis ad virtutes, a miseria ad gloriam, a dissimilitudinis exsilio in imaginem Dei transmigremus. De primo, Ezechiel. XII, 3 : *Transmigrabis per diem coram eis.* De secundo, Psal. X, 2 : *Transmigra in montem sicut passer :* et est translatio Hieronymi. De tertio, II ad Corinth. III, 18 : *Nos omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.*

« *Ibi eum videbitis,* » visione lætitiæ, quæ merces est beatorum. Isa. XXXIII, 17 : *Regem in decore suo videbunt.* Isa. LXVI, 14 : *Videbitis, et gaudebit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinabunt.*

« Ecce prædixi vobis. »

Confirmatio est dictorum, quod verum est, quia ego nuntius veritatis dico vobis. Apocal. III, 14 : *Hæc dicit : Amen, testis fidelis.* Ad Roman. IX, 1 : *Veritatem dico in Christo Jesu, non mentior.*

« Et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus. » 8

Hic incipit mandati Evangelici perfectio. Et quia obedientia velox meretur remunerationem, ideo inter obediendum visione Dei sacræ mulieres remunerantur, et certificantur de nuntio, quod Angelus asseruerat.

Dicit igitur in primo quatuor : omnis enim honestatis mulieres nominat, velocitatem commemorat, exitus de monumento, cursum charitatis : etiam dicit ad nuntiandum discipulis et quibus passionibus afficiebantur, dum ista perficerent.

Dicit igitur : « *Maria* [1]. » Bene Maria amaritudine plena de hoc quod desolata, quem anima quæsivit, non invenit. Ruth, I, 20 : *Vocate me Mara (id est, amaram), quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.* « *Magdalene,* » turrita. Proverb. XVIII, 10 : *Turris fortissima nomen Do-*

[1] Expositio ista nominum piarum mulierum quæ venerant primo mane et cito exeunt de monumento ad ỹ. 1 referenda est.

mini, ad ipsam confugit justus, et salvabitur. Cantic. VII, 4 : *Collum tuum sicut turris eburnea*. Collum nexus est capitis et corporis : et significat gratiam, quæ nectit nos cum capite, Christo : ebur autem candens et infrigidans, refrigerium est, et munditia castitatis : turris autem fortitudinem et altitudinem et rectitudinem, fortitudo est in adversis, altitudo in prudentiæ et sapientiæ contemplatione et circumspectione, sed rectitudo in operibus justitiæ et recta intentione.

« *Et altera Maria :* » altera amaritudo de peccatis in pœnitentia. Ezechiel. III, 14 : *Abii amarus in indignatione spiritus mei*. Hæ duæ sunt myrrha ungentes Dominum : una amara, quia non est præsens ad dilectum : altera amara, quia a dilecto per peccatum recesserat. Cantic. V, 5 : *Manus meæ stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima.*

« Exierunt cito de monumento, »

Non invento corpore, nec ipso Jesu, Eccli. XXXI, 27 : *In omnibus operibus tuis esto velox*. Proverb. XXII, 29 : *Vidisti virum velocem in opere suo ? coram regibus stabit*. Ezechiel. I, 14 : *Quatuor animalia ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis*. Notat autem quod de monumento, ubi non est Jesus, cito exeundum est imperantibus Angelis, hoc est, de religione, in qua non invenitur Christus, sed tantum vestis : ibi enim periculum est remanere. Luc. XXIV, 5 : *Quid quæritis viventem cum mortuis ?* Illa enim sunt monumenta, quæ dicuntur sepulcra concupiscentiæ, ubi non est studium nisi ventris. Ad Roman. XVI, 18 : *Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri*. Ad Philip. III, 19 : *Quorum Deus venter est* Numer. XI, 34 : *Vocatus est ille locus, Sepulcra concupiscentiæ.*

« *Cum timore et gaudio magno.* » Ecce quibus affectibus movebantur in corde. Timore enim non mali quod non aderat, sed magni quod apparuerat : et ille est timor, in quo cor fugit in stupore et admiratione : et gaudium est diffusio quædam, et dilatatio animi in conceptu boni : ut dicere possint : *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum* [1]. Et illud : *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* [2].

« *Currentes,* » Joan. XX, 2 : *Cucurrit Maria, et venit ad Simonem Petrum*. I ad Corinth. IX, 26 : *Sic curro, non quasi in incertum*. Act. XX, 24 : *Nihil horum vereor,... dummodo consummem cursum meum.*

« *Nuntiare discipulis ejus.* » Isa. XII, 4 : *Notas facite in populis adinventiones ejus : mementote quoniam excelsum est nomen ejus*. Psal. XXI, 23 : *Narrabo nomen tuum fratribus meis*. Hoc enim conceptum gaudium proferendum est ad ducem. Psal. LXV, 16 : *Narrabo... quanta fecit animæ meæ*. Apocal. XXII, 17 : *Qui audit, dicat : Veni.*

« Et ecce Jesus occurrit illis, dicens : Avete. »

Hic ponit apparitionem Domini certificantem verba Angeli. Et dicit quatuor : benignam et plenam affectu salutationem, devotam sanctarum mulierum et plenam charitate adorationem, Domini apparentis quam mulieribus fecit fiduciam et confortationem, et iteratam ut gaudium discipulis nuntietur injunctionem.

Dicit igitur Evangelista : « *Et ecce,* » evidenter. I Reg. II, 27 : *Numquid non aperte revelatus sum domui patris tui ?* « *Jesus occurrit illis.* » Isa. LXIV, 5 : *Occurristi lætanti, et facienti justitiam in viis tuis*. Isa. XXI, 14 : *Qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti.*

« *Dicens : Avete.* » Ave beatæ Virgini datum purgavit a væ culpæ in nativitate : sed modo purgatæ sitis a væ miseriæ in

[1] Psal. LXXXV, 11.

[2] Psal. II, 11.

Resurrectione. Eccli. XXII, 31 : *Amicum salutare non confundar.* Iste est ramus virentis olivæ, quem columba anima Christi revertens ab inferis ad corpus, fractis claustris inferni, reportavit ad mundum [1]. Hoc est osculum oris sui, Cantic. I, 1 : *Osculetur me osculo oris sui*, in signo pacis, propulsata miseria infernalis pœnalitatis.

« Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum.
10 Tunc ait illis Jesus : Nolite timere : ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt. »

Hic tangit tria : accessum charitatis, tentionem pedum imitationis, et adorationem fidelis confessionis et veritatis.

Dicit igitur : « *Illæ autem accesserunt,* » quia dilectio quærit conjunctionem. Cantic. I, 12 : *Inter ubera mea commorabitur.* Psal. XXXIII, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini.*

« *Et tenuerunt pedes ejus,* » ut et reverentiam exhiberent, et loca clavorum deosculărentur, ut vestigia imitarentur. Psal. CXXXI, 7 : *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* IV Reg. IV, 27, cum venisset illa Sunamitis ad virum Dei, *apprehendit pedes ejus.*

« *Et adoraverunt eum,* » confessione deitatis. Isa. XLIX, 23 : *Vultu in terram demisso adorabunt te.* Isa. LX, 14 : *Adorabunt vestigia pedum tuorum.* Supra, II, 11 : *Procidentes adoraverunt eum.*

« Tunc ait illis Jesus : Nolite timere. »

Ecce confortatio. Luc. XII, 32 : *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Isa. VII, 4 : *Noli timere, et cor tuum ne formidet.*

« *Ite, nuntiate.* » Injunctio est officii. « *Fratribus meis,* » cohæredibus gloriæ meæ. Ad Hebr. II, 11 et 12 : *Qui sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens : Nuntiabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ laudabo te.* Genes. XLV, 4 : *Ego sum frater vester, quem vendidistis in Ægypto.* Et sequitur, ℣. 5 : *Pro salute vestra misit me Dominus ante vos.* Non enim spernere potest fratres, qui sunt os de ossibus suis, et caro de carne sua.

« *Ut eant in Galilæam.* » Hic enim locus competit, eo quod jam a mortalitate ad immortalitatis gloriam transmigraverim. Isa. IX, 1 et 2 : *Aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux ortu est eis.* Etiam est et alia causa : quia finem principio conjungere voluit : ibi enim prædicare incepit : et ideo ibidem lucem voluit Resurrectionis clarescere. Apocal. I, 8 : *Ego sum Alpha et Omega, principium et finis.*

« *Ibi me videbunt,* » visu purgante tristitiam, quæ ex compassione acciderat. Joan. XVI, 22 : *Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Istud autem non est sic dictum, quod ante non viderint : quia ipso die Resurrectionis quinquies visus est. Primo, Mariæ Magdalenæ in specie hortulani, quando dictum est ei : *Noli me tangere* [2]. Deinde, eidem Mariæ Magdalenæ cum aliis mulieribus, cum irent nuntiare discipulis gaudia Resurrectionis, ut hic dictum est. Tertio, visus est duobus discipulis euntibus in castellum Emmaus in specie peregrini [3]. Postea, visus est Petro : quod qualiter et ubi factum sit, nullus narrat Evangelistarum, sed quod factum sit Lucas commemorat [4]. Deinde, red-

[1] Genes. VIII, 11.
[2] Joan. XX, 17.
[3] Luc. XXIV, 13 et seq.
[4] Cf. Luc. XXIV, 34.

cuntibus illis duobus in Jerusalem, et narrantibus quomodo cognoverunt eum in fractione panis : stetit iterum Jesus in medio eorum : quod item est in evangelio Lucæ, XXIV, 36 et seq. Et post dies octo iterum visus est ab eis, quando Thomas erat cum eis [1]. Et iterum ad mare Tiberiadis, quando stetit in littore [2]. Et istæ sunt septem apparitiones, omnes factæ antequam in Galilæa videretur : sed omnes illæ non sunt factæ nisi ad fidem Resurrectionis confirmandam : sed in Galilæa prædixit locum, unde fides illa per totum mundum, et ordo Ecclesiasticus per prædicationem Apostolorum derivaretur. Hic igitur est sensus litteræ.

11 « Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant. »

Hic tangitur testimonium Resurrectionis factum ab inimicis : et ideo est minus suspectum. Tanguntur autem duo : quorum primum est simplex testificatio veritatis : secundum autem astuta nequitia inducens veritatis corruptionem et falsitatis assertionem, ibi, ℣, 12 : « *Et congregati cum senioribus*, etc. »

Circa primum notandum est : quando, et qui, et ubi, et quibus, et quid nuntiaverunt.

Quando : « *Quæ*, » mulieres, « *cum abiissent*, » quia durante visione et allocutione Angeli jacebant immobiles quasi mortuæ. Job, XXV, 2 : *Potestas et terror apud eum est.* Sapient. V, 2 : *Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis.* Amos, III, 8 : *Leo rugiet, quis non timebit?* Exod. XV, 16 : *Fiant immobiles quasi lapis, donec transeat populus tuus, Domine, donec pertranseat populus tuus iste quem possedisti.*

« *Ecce quidam de custodibus.* » Non omnes : quia quidam illorum territi sunt compuncti, et fugerunt. Nahum, III, 17 : *Custodes tui quasi locustæ : et parvuli tui quasi locustæ locustarum, quæ considerunt in sepibus in die frigoris : sol ortus est, et avolaverunt.*

« *Et venerunt in civitatem.* » De qua, Isa. I, 21 : *Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.* Nahum, III, 1 : *Væ, civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena.*

« *Et nuntiaverunt.* » Indocta enim simplicitas fatetur veritatem. « *Principibus sacerdotum.* » Isa. I, 23 : *Principes tui infideles, socii furum.* « *Omnia quæ facta fuerant,* » miracula et apparitiones et terrores, quæ viderant. II Machab. III, 36, Heliodorus omnibus nuntiabat, quam expertus fuerat magnificam Dei virtutem.

12 « Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus,

13 Dicentes : Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus.

14 Et si hoc auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus.

15 At illi, accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem. »

Hic tangitur veritatis corruptio. Et dicuntur duo, videlicet corruptio, et corruptionis nocumentum, ibi, in medio ℣. 15 : « *Et divulgatum est verbum istud.* »

Corruptio autem tangitur ex parte corrumpentium, et ex parte corruptorum, ibi, ℣. 15 : « *At illi accepta pecunia.* »

Ex parte autem corrumpentium tan-

[1] Cf. Joan. XX, 26.

[2] Cf. Joan. XXI, 4 et seq.

guntur quinque : quorum primum est ad corrumpendam veritatem concordia : secundum est studium : tertium est avaritiæ, quæ excæcat oculos, instrumentum : quartum est persuasum mendacium : quintum est assecuratio impunitatis : et hæc patent per ordinem in littera.

De primo dicit : « *Et congregati cum senioribus,* » ut simul possent quod singuli non potuerunt. Isa. VIII, 9 et 10 : *Congregamini, populi, et vincimini :... quia nobiscum Deus* [2]. Psal. XV, 4 : *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Psal. LV, 17 : *Operuit terram super congregationem Abiron.*

« *Consilio accepto.* » Ecce studium. Genes. XLIX, 6 : *In consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu illorum non sit gloria mea.* Isa. VIII, 10 : *Inite consilium, et dissipabitur : loquimini verbum, et non fiet.*

Pecuniam copiosam dederunt militibus. »

Ecce avaritiæ instrumenta, per quam corrupta concupiscibilis : et ideo inducta est cæcitas bonæ rationis. Dicitur autem, « *pecunia copiosa,* » quæ tanta est, quod supplens necessitates etiam refundi potest ad alios : et sic custodes, et custodum amici ditati sunt ab eis. I ad Timoth. VI, 10 : *Radix omnium malorum est cupiditas.* Eccle. X, 19 : *Pecuniæ obediunt omnia.* Deuter. XVI, 19 : *Non accipias munera quæ excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum.*

« Dicentes : Dicite. »

Ecce persuasum falsitatis mendacium. « *Quia discipuli ejus venerunt nocte,* » quasi essent fures mortui et fœtidi corporis, ut seipsos deciperent, et in falsitate detinerent, ex qua nihil emolumenti consequerentur nisi persecutionem et exspoliationem rerum suarum, et mortem turpem : unde constat nihil habere probabilitatis.

« *Et furati sunt eum, nobis dormientibus.* » Si enim dormiverunt, quomodo viderunt ? et si non dormiverunt, quomodo auferre discipuli potuerunt ? Psal. XXVI, 12 : *Insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.* Job, XIII, 3, 4 : *Disputare cum Deo cupio : prius vos ostendens fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum.* Jerem. IX, 5 : *Docuerunt linguam suam loqui mendacium : ut inique agerent laboraverunt.*

« Et si hoc, etc. »

Ecce promissio impunitatis : ut sicut concupiscibilis corrupta corrumpit rationem, ita irascibilis corrupta per spem securitatis, in corruptione teneat corruptam rationem, et non redeat ad veritatem.

« *Auditum fuerit a præside,* » qui invitus condemnavit eum, et ideo citius puniret testes falsitatis, « *suadebimus ei,* » non ratione, sed pecunia : et ita « *securos vos faciemus* » a pœna, non a culpa. Jerem. XVI, 19 : *Vere mendacium possederunt patres nostri, vanitatem quæ eis non profuit.* Job, XVI, 9 : *Suscitatur falsiloquus adversus faciem meam contradicens mihi.*

« At illi accepta pecunia. »

Corruptio est ex parte corruptorum. I ad Timoth. I, 19 : *Habens fidem, et bonam conscientiam, quam quidam repellentes,* scilicet homines corrupti mente, *circa fidem naufragaverunt.* Psal. XI, 3 : *Vana locuti sunt unusquisque ad proxi-*

[1] Isa. VIII, 9 et 10 : *Congregamini, populi, et vincimini : et audite, universæ procul terræ : confortamini, et vincimini : accingite vos, et vincimini : inite consilium, et dissipabitur : loquimini verbum, et non fiet, quia nobiscum Deus.*

mum suum: labia dolosa, in corde et corde locuti sunt.

« *Fecerunt* » igitur « *sicut erant edocti.* » Joan. VIII, 44 : *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus.* III Reg. XXII, 22 : *Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus.*

« Et divulgatum est verbum hoc, »

Hoc est, in commune vulgus derivatum apud Judæos mendacium diligentes. Isa. XXVIII, 15 : *Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.*

« *Usque in hodiernum diem.* » Sic impletum est illud Psalmi XI, 2 : *Diminutæ sunt veritates a filiis hominum.* Usque in hodiernum enim diem in mendacio illo perseverant. Hieronymus hic dicit in Glossa quod eadem avaritia, quæ captivavit discipulum comitem Domini, decepit et milites custodes sepulcri. Et qui rebus Ecclesiæ abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluptatem, similes sunt Scribarum et Pharisæorum et Sacerdotum redimentium mendacium per sanguinem Salvatoris.

Hæc est Glossa Augustini sumpta de concordiis Evangelistarum valde bona, quæ sex determinat circa litteram quæstiones : quarum prima est de tempore terræmotus, quando acciderit : secunda quando Magdalenæ apparuerit : tertia de numero mulierum quæ quandoque duæ, quandoque tres dicuntur : quarta de apparitione Angelorum, quia quandoque duo, quandoque unus leguntur apparuisse : quinta de Angelorum positione, quia quandoque stantes, quandoque sedentes leguntur : sexta de Angelorum allocutione. Hæc Glossa Augustini incipit sic : « Prima sabbati diluculo, etc., » et non est necesse quod verba Glossæ ponamus, quia quilibet per seipsum relegere poterit.

« Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus. 16

Et videntes eum, adoraverunt : quidam autem dubitaverunt. 17

Et accedens Jesus locutus est eis, dicens : Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. » 18

Hic incipit pars illa, quæ est de argumento veræ Resurrectionis : facta ad hoc, quod fides indubitata per mundum ad ipsis testibus prædicetur.

Habet autem quatuor paragraphos : in quorum primo fides adstruitur Resurrectionis, ut testes ejus in veritate confirmentur : secundus, demonstrationem habet potestatis, ut ordo Ecclesiasticus ab ipso per gradus instituatur, ibi, in fine ℣. 18 : « *Data est mihi omnis potestas,* etc. » Tertius, sub hac potestate continet collatam ministris potestatem docendi, sacramenta dispensandi, et ordinem vitæ secundum divina mandata determinandi, ibi, ℣. 19 : « *Euntes ergo docete.* » Quartus et ultimus continet indeficientiam fontis in gratia, et potestate semper in Ecclesia manendi, ibi, in fine ℣. 20 : « *Et ecce vobiscum sum,* etc. »

In primo autem dicuntur tria : locus, visus, et per confortationem tremor dubitationis ablatus.

In loco duo sunt : communis, et proprius.

Dicit igitur : « *Undecim discipuli,* » qui principales erant, qui Apostoli nominati sunt [1]. Cum quibus tamen multi alii pergebant credentes ut beata visione fruerentur. I ad Corinth. XV, 5 et 6 : *Visus est Cephæ, et post hoc undecim : deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt.*

« *Abierunt,* » a Jerusalem, « *in Galilæam.* » Causa quidem est : quia Galilæa a Gentibus in parte, et in parte a Judæis

[1] Supra, X, 2 et seq.

habitabatur : et prædicatio a Judæis debuit ad gentes transire. Act. XIII, 46 : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.* Et hoc dixerat sanctus Simeon, Luc. II, 32 : *Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ.*

« *In montem* » Thabor, ubi etiam transfiguratus est, ut putatur [1].

« *Ubi constituerat illis Jesus.* » Supra, XXVI, 32 : *Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Constituit etiam per sermonem angelicum et proprium. Isa. II, 5 : *Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Dei nostri.* Psal. LXXV, 5 et 6 : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis : turbati sunt omnes insipientes corde.* Iste est *mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo* [2]. Isa. XL, 9 : *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion.*

« Et videntes. »

Ecce visus qui conjungitur devotionis adorationi.

Dicit igitur : « *Et videntes eum,* » corporeo intuitu in argumentum veræ Resurrectionis. Genes. XXXII, 30 : *Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* Luc. XXIV, 39 : *Palpate, et videte quia ego ipse sum.*

« *Adoraverunt* » verum Deum, et viventem ex mortuis confitentes. Exod. IV, 31 : *Proni adoraverunt in terram.* Psal. LXV, 4 : *Omnis terra adoret te, Deus.*

« Quidam autem »

Ex Apostolis adhuc « *dubitaverunt.* »

Dubitatio est tremor rationis, quo interminate movetur ad utramque partem contradictionis : et hoc aliquando contingit ex stupore admirationis : aliquando ex magnitudine signorum ad unam partem, et veritate trahente ad aliam : et aliquando contingit ex pietate affectus, quæ ita detinet rationem ad unum quod eruere se non potest ad speculandum alterum : et ideo distinguitur multiplex dubitatio. Est enim dubitatio tarditatis, sicut fuit Thomæ et multorum discipulorum, Luc. XXIV, 24 : *O stulti, et tardi corde ad credendum !* Est etiam dubitatio admirationis, ut hic et Luc. XXIV, 41 : *Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus præ gaudio.* Est etiam dubitatio ratiocinationis, Joan. I, 46 : *A Nazareth potest aliquid boni esse ?* Luc. I, 34 : *Quomodo fiet istud ?* Est etiam dubitatio erroris, Joan. X, 24 : *Quousque animam nostram tollis ? si tu es Christus, dic nobis palam.* Est etiam dubitatio pietatis, Supra, XI, 3 : *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus ?* Quidam igitur hic dubitaverunt ex admiratione stupefacti. Genes. XXVII, 33 : *Ultra quam credi potest, admirans, ait : Quis igitur ille est qui dudum captam venationem attulit mihi ?* Isa. LX, 5 : *Tunc videbis, et afflues, mirabitur et dilatabitur cor tuum.*

« Et accedens, »

Ut suo accessu ausum daret discipulis : quia sicut dicitur, Genes. XLV, 3 et 4, cum diceret Joseph : *Ego sum Joseph... Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti. Ad quos ille clementer : Accedite, inquit, ad me. Et cum accessissent prope : Ego sum, ait, Joseph, frater vester.*

« *Locutus est eis, dicens* » multa pertinentia ad illuminationem dubitationis. Unde, Marc. XVI, 14 : *Apparuit illis Jesus, et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis : quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.*

[1] Vide expositionem in ℣. 2 cap. XVII. Tom. XX.

[2] Psal. LXVII, 17.

« Data est mihi omnis potestas. »

Et quare non dicit : omnis sapientia, vel bonitas ? Dicendum, quod sapientia nota fuit eis, eo quod sciverunt, sicut dicitur, Luc. XXIV, 19, quod *fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo.* Bonitas etiam nota fuit, eo quod animam voluntarius posuit, et corporis et sanguinis communicationem dedit. Sed potentia in infirmitate multa depressa videbatur : et ideo illam ostendit. Et tunc quæritur : Qualiter illam nunc datam sibi dicit, cum omnipotentiam ab æterno habuerit ? Si dicatur, quod dicit sibi datam secundum humanitatem, non est solutio, quia illa etiam data sibi fuit ab instanti suæ conceptionis. RESPONSIO, quia dicitur *data*, quando innotescit secundum Augustinum. Ad Philip. II, 9 et 10 : *Donavit illi nomen quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum.*

« In cœlo et in terra. »

Quare non in inferno ? RESPONSIO. Notum erat hoc per Resurrectionem : quia nisi potestatem super inferna habuisset, victor ab inferis non resurrexisset. Eccle. VIII, 3 : *Omne quod voluerit faciet, et sermo illius potestate plenus est.* Psal. CXXXIV, 6 : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cœlo, in terra, in mari et in omnibus abyssis.* Supra, VI, 10 : *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.*

Vel, possumus dicere quod dicit : « *Data est mihi omnis potestas,* » et non potentia : quia potestas nomen est civile, et dicit potentiam stantem ad juris ordinem : et ideo ordinaturus Ecclesiam facit mentionem de plenitudine potestatis, dicturus Petro de pastura ovium sicut dicitur, Joan. XXI, 15 et seq. Et commissurus discipulis dispensationem doctrinæ et sacramentorum. Ad Roman. XIII, 1 et 2 : *Non est potestas nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et tunc planum est quare dicit, « *in cœlo et in terra :* » in quibus operatur potestas clavium, quibus licet non prævaleant portæ inferi, tamen non sunt claves inferni, sicut docuimus supra, XVI, 18 et 19.

Attende autem, quod propter apparitiones septem, quas supra notavimus, Augustinus hic in Glossa ponit tres esse factas : octava autem est, quæ narratur hic facta in monte Galilææ : et nona est, quando recumbentibus undecim discipulis apparuit [1]. Et est similis isti : sed non eadem, nec eadem die facta : quia etiam discipuli non ita cito reversi sunt de Galilæa. Decima autem fuit, quando eos eduxit extra Jerusalem in Bethaniam, et a monte Oliveti ascendit coram eis, sicut dicitur, Luc. XXIV, 51, et Act. I, 9.

Attende, quod apparuit discipulis plorantibus, ut Petro et Mariæ Magdalenæ [2] : per quod intelliguntur pœnitentes, quibus apparet per gratiam. Apparet etiam piscantibus [3] : per quod intelliguntur prædicantes. Apparet etiam currentibus cum timore et gaudio [4] : per quod intelliguntur bene in charitatis fervore operantes. Apparuit et de se conferentibus in via [5] : per quod intelliguntur legentes Scripturam. Et hæc omnia sunt de perfectione activæ vitæ. Apparet etiam vacantibus sive feriantibus otio sacro, Joan. XX, 19 : *Cum sero esset, et fores essent clausæ :* per quod intelligitur otium contemplationis. Apparuit etiam in Galilæam ascendentibus, ut hic : per quod intelligitur ascensus de virtute in virtutem. Apparuit etiam in monte [6] : per quod intelli-

[1] Cf. Marc. XVI, 14.
[2] Cf. Joan. XX, 14 et seq.
[3] Cf. Joan XXI, 3 et seq.
[4] Cf. Supra, ℣. 9.
[5] Cf. Luc. XXIV, 13 et seq.
[6] Cf. Marc. XVI, 19.

gitur exaltatio intellectus, et excessus in lumine. Apparet etiam cœlum intuentibus [1], quod significat raptum cum Paulo in tertium cœlum, hoc est, per considerationem Creationis, Redemptionis, et æternæ beatitudinis : quorum primum est in Christi nativitate, secundum in Passione, et tertium in Resurrectione et Ascensione.

19 « Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti :

20 Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. »

Commemorata potestate, hic transfundit eam in personas Ecclesiasticas secundum ordines tres : prædicandæ fidei, dispensationis Sacramentorum, et ordinandæ vitæ : et hæc tangit per ordinem.

De primo dicit : « *Docete omnes gentes.* » Doctrina proprie rationi subjectorum est, sicut supra, IV, 17, notatum est : et hic improprie sumitur : et ideo expressius dicitur, Marc. XVI, 15 : *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Prædicare enim pertinet ad ea quæ sunt supra naturam, quæ noster intellectus non capit nisi per fidem. Isa. VI, 9, secundum aliam translationem : « Nisi credideritis, non intelligetis. »

Per hoc autem quod dicit : « *Euntes,* » notat instantiam. II ad Timoth. IV, 2 : *Prædica verbum, insta opportune, importune.* Unde, Supra, XX, 4, 7 : *Ite et vos in vineam meam.* Psal. CXXV, 6 : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua.*

Quod autem dicit : « *Omnes gentes,* » sine personarum acceptione, generaliter notat esse prædicandum. Sapient. VI, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æquæliter cura est illi de omnibus.* Jacob. II, 1 : *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ.* Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad ultimum terræ.* Et attende quod jam dilatat Evangelium, ut totum capiat mundum, qui, Supra, X, 5, dixerat : *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis.*

« Baptizantes eos. »

Hoc solum tangit Sacramentum : quia hoc est janua sacramentorum et dat esse spirituale, per hoc quod est generatio spiritualis, et est ad salutem necessarium et justo et injusto ubi sacramentum non excludit necessitas : ibi enim baptismus flaminis vel sanguinis vicem supplent sacramenti. Joan. III, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* IV Reg. V, 10 : *Vade, et lavare septies in Jordane, et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.* I ad Corinth. X, 2 : *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari.* De baptismo require, Supra, III, 6 et seq.

« In nomine, »

Non in nominibus : quia una est essentia trium quæ operatur in baptismo. Numer. VI, 27 : *Invocabunt nomen meum super eos, et ego benedicam eis :* et ideo non fit in nomine baptizantis, quia solus Deus benedicit in Sacramentis. Joan. I, 33 : *Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat.*

« Patris, et Filii, et Spiritus sancti, »

Ad fidei distinctionem : ideo fiunt catechismi in baptismo : et ideo hanc formam nulli licet mutare. Jerem. XIV, 9 : *Tu autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos : ne derelinquas nos.* I Joan. V, 7 : *Tres sunt qui*

[1] Cf. Act. I, 9.

testimonium dant in cælo : Pater, Verbum, et Spiritus sanctus : et hi tres unum sunt.

« Docentes eos servare, »

Per memoriam et opus. Et hoc est tertium, quod est doctrina mandatorum : quod est secundum virtutes quæ rationi consentaneæ sunt : unde Philosophus : « Innati sumus eas suscipere : perficere « autem est ab assuetudine. » Et hæc sunt doctrinalia vere, sicut dicit Chrysostomus. Unde , Jacob. I, 21 : *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Deuteron. XXX, 14 : Non longe est verbum a corde tuo [1]. Ad Roman. X, 8 : *Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo : hoc est verbum fidei, quod prædicamus.*

« *Omnia,* » generaliter : quia dicitur, Jacob. II, 10 : *Qui offendit in uno, factus est omnium reus.*

« *Quæcumque mandavi vobis.* » Psal. CXVIII, 4 : *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Iste igitur est congruus ordo : ut potestas detur per gratiam, intellectus purificetur per fidei doctrinam. Act. XV, 9 : *Fide purificans corda eorum.* Et peccatum emundetur per regenerationis sacramentum. Ezechiel. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et demum vita perficiatur per mandatorum obedientiam. Joan. XIV, 23 : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit : et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

De qua mansione subdit :

« Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. »

Et tangit quinque : potestatis videlicet divinæ demonstrationem, et ejusdem verum et primum auctorem, et ejusdem in ministros transfusionem, et ejusdem per ministros successionem, et ejusdem usque in finem sæculi durationem.

Demonstrationem notat, cum dicit : « *Ecce.* » Unde, Marc. XVI, 20, dicit : *Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.* Signum enim fit in demonstrationem potestatis.

Auctoritatem notat, cum dicit :

« Ego. »

Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* Isa. XXVI, 12 : *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine.* II ad Corinth. XIII, 3 : *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus ?*

Transfusionem potestatis notat per hoc quod dicit :

« Vobiscum sum. »

Isa. VII, 14 : *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel,* hoc est, nobiscum Deus [2]. Luc. X, 16 : *Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit.* Est tamen Deus etiam aliter nobiscum : est enim nobiscum meditantibus, Job, XXIX, 2 et 4 : *Quis mihi tribuat ut sim juxta dies pristinos..., quando secreto Deus erat in tabernaculo meo ?* Est etiam nobiscum laborantibus, Sapient. IX, 10 : *Ut mecum sit et mecum laboret.* Est item nobiscum orantibus, Supra, XVIII, 20 : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Est etiam nobiscum loquentibus vel prædicantibus, Jerem. I, 8 : *Ne timeas, quia tecum ego sum.* Est item nobiscum fructus compor-

[1] Deuter. XXX, 14 : *Juxta te est sermo valde, in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum.*

[2] Matth. I, 23 : *Et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum : Nobiscum Deus.*

tantibus, Ruth, II, 4 : *Dominus vobiscum.* Et, Judicum, VI, 12, Gedeoni excutienti frumentum in area dicitur : *Dominus tecum, virorum fortissime.* Et per istam comportationem intelliguntur studentes, grana veritatis colligentes. Est item nobiscum patientibus, Psal. XC, 15 : *Cum ipso sum in tribulatione.* Psal. XXII, 4 : *Non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Est etiam nobiscum pugnantibus, II Paralipom. XX, 17 : *O Juda, et Jerusalem, nolite timere, nec paveatis : cras egrediemini contra eos, et Dominus erit vobiscum.* Est etiam nobiscum perseverantibus, Genes. XXVIII, 20 et 21 : *Si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum et vestimentum ad indumentum... : erit mihi Dominus in Deum.* II Paralipom. XV, 2 : *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo.* Est etiam nobiscum triumphantibus, Judith, XIII, 13 : *Aperite portas, quoniam nobiscum Deus, qui fecit virtutem in Israel.* Hic autem intelligitur, « *vobiscum sum,* » in operatione Ecclesiasticæ potestatis. Joan. XVII, 23 : *Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum.*

« Omnibus diebus. »

Per hoc notatur successio lucis Ecclesiasticæ. Psal. CXVIII, 91 : *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.* Psal. XLIV, 17 : *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos principes super omnem terram.*

« Usque ad consummationem sæculi. »

Per hoc notatur duratio. Tunc enim nobiscum regnabit in sæcula. Sapient. XIX, 20 : *In omnibus magnificasti populum tuum, Domine, et honorasti, et non despexisti, in omni tempore, et in omni loco assistens eis.* Ezechiel. XLVIII, 35 : *Non vocaberis ultra Derelicta, et terra tua non vocabitur amplius Desolata : sed vocaberis Voluntas mea in ea, et terra tua inhabitata.* Hic enim Christus est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech [1], cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. CIX, 4 : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

INDEX

Capitum in alteram Partem Matthæi

(XXI-XXVIII)

CAPUT XXI. *Jesus super asinam Jerusalem cum triumpho ingressus, negotiatores de templo ejicit, et Pharisæis de triumpho indignantibus respondet : discipulis autem de ficulnea Christi verbo arefacta mirantibus, declarat fidei efficaciam : interrogationem de sua potestate retundit quæstione de Joannis baptismo : et ex parabolis de homine duos filios habente, et de patrefamilias, cujus vinitores, post alios servos, etiam filium vineæ læredem occiderunt, prædicit regnum Dei a Judæis ad Gentes transferendum.* 1

In caput XXI Matthæi enarratio. 4

CAPUT XXII. *Parabola de rege qui fecit nuptias filio suo, in quibus discumbens absque, veste nuptiali, in tenebras ejicitur exteriores : tentatur Jesus a Pharisæis super censu dando Cæsari, et a Sadducæis super resurrectione : quorum redarguit inscitiam, mortuorum evincens resurrectionem : rursumque a legis doctore tentatur super magno legis mandato : vicissim quoque interrogat Pharisæos, cujus filius sit Christus.* 33

In caput XXII Matthæi enarratio. 35

CAPUT XXIII. *Scribis et Pharisæis super cathedram Moysi sedentibus præcepit Jesus obedire, ipsorum autem opera non imitari, retegens ipsorum hypocrisim et ambitionem, discipulos vero contrariam docens humilitatem : deinde multiplex væ illis ob hypocrisim ac reliquas suas iniquitates interminatur, prædicens eos patrum suorum mensuram in justorum persecutionibus impleturos, ac Jerusalem deserendam.* 59

In caput XXIII Matthæi enarratio. 61

Caput XXIV. *Prædicit templi eversionem, monetque ut caveant a venturis seductoribus, futura prænuntians bella ac persecutiones : surgent pseudochristi et pseudoprophetæ : de adventu Filii hominis, præcedentibus signis in sole, luna, et stellis : omnibus ignotum dicit Christus diem judicii : et de fideli ac malo servo, propter quæ docet semper esse vigilandum.* 80

In caput XXIV Matthæi enarratio. 82

Caput XXV. *Parabolas proponit de decem virginibus, ac talentis distributis servis : quorum dominus peregre rediens singulos præmiat aut punit iuxta ipsorum merita : extremum judicium ponit ob oculos, et causas præmiationis bonorum ac punitionis malorum.* 114

In caput XXV Matthæi enarratio. 116

Caput XXVI. *Consultant principes sacerdotum de occidendo Jesu : qui unguento pretioso a muliere perfunditur, murmurantibus discipulis : venditur a Juda : de cujus proditione discipulis in cœna loquitur, in qua panem in corpus suum, et vinum in sanguinem consecrata tradit discipulis : prædicit omnes scandalizandos, trinamque Petri negationem : et post trinam orationem capitur a Judæis : quorum uni Petrus abscidit auriculam : discipulis fugientibus, coram Caipha a falsis testibus accusatus, mortisque reus judicatus, conspuitur ac cæditur, et ter a Petro negatur.* 144

In caput XXVI Matthæi enarratio. 147

Caput XXVII. *Judas, relatis argenteis, laqueo se suspendit : Jesus coram Pilato accusatus, non respondet : uxor autem Pilati dicit ipsum justum : præeligitur tamen Barabbas : Pilatus lotis manibus Jesum flagellatum tradit crucifigendum : qui a militibus multipliciter illusus, ducitur ad crucifigendum : et felleo vino potatus, inter latrones crucifigitur, divisis ipsius vestimentis : et a variis multæ jactantur in ipsum blasphemiæ : suboriuntur tenebræ : et clamans Jesus Eli, acetoque potatus, cum clamore exspirat, ac signa varia fiunt : corpus Jesu a Joseph sepultum, custoditur a militibus.* 191

In caput XXVII Matthæi enarratio. 194

Caput XXVIII. *Facto terræmotu, exterritisque custodibus, Angelus mulieribus narrat Christi resurrectionem : qui ipsis apparens jubet (sicut et Angelus jusserat) ut discipulis nuntient, quod Dominum in Galilæa visuri sint : milites sepulcri custodes, pecunia corrupti, dicunt corpus Christi furto sublatum : discipuli videntes in Galilæa Dominum, jubentur ire ad docendas et baptizandas omnes gentes.* 219

In caput XXVIII Matthæi enarratio. 221

INDEX

Analyticus et historicus in alteram partem Matthæi

(XXI - XXVIII)

PARS TERTIA.

Ultimi dies Domini Jesu.

§ I. — Jesus triumphaliter ingreditur Jerosolymam.

Christi triumphus.	XXI, 1-11.

§ II. — Christi ministerium in Jerusalem instante passione.

Venditores e templo ejecti.	XXI, 12-17.
Ficulnea arefacta.	XXI, 18-22.
Synedri confutati.	
1° In qua potestate Jesus agat.	XXI, 23-27.
2° Parabola de duobus filiis.	XXI, 28-32.
3° Parabola de perfidis vinitoribus.	XXI, 33-44.
4° Ira Synedrorum.	XXI, 45 et 46.
5° Parabola de nuptiis regis.	XXII, 1-14.
Pharisæi confutati.	XXII, 15-22.
Sadducæi confutati.	XXII, 23-33.
Iterum confutantur Pharisæi.	
1° De maximo legis mandato.	XXII, 35-40.
2° De Messia filio David.	XXII, 41-46.
Jesus denuntiat hypocrisim Pharisæorum.	
Sermonis prima pars : monitum ad plebem.	XXIII, 1-12.
Sermonis secunda pars : octo væ.	XXIII, 13-32.
Sermonis tertia pars : dira comminatio.	XXIII, 33-39.

Prophetia de ruina Jerusalem ac mundi fine.

1° Occasio prophetiæ. XXIV, 1-3.
2° Indicantur signa ruinæ. XXIV, 4-35.
3° Adhortatio ad vigilantiam.
1) Vigilate. XXIV, 36-51.
2) Parabola decem virginum. XXV, 1-13.
3) Parabola talentorum. XXV, 14-30.
4° Ultimi judicii descriptio. XXV, 31-46.

§ III. — Narratur passio christi.

Instantis passionis prædictio. XXVI, 1 et 2.
Deliberant synedri de Jesu tenendo et occidendo. XXVI, 3-5.
Unctio Christi in Bethania. XXVI, 6-13.
Judæ pactum de Jesu tradendo. XXVI, 14-16.
Ultimæ cœnæ præparatio. XXVI, 17 19.
Cœna legalis, in qua prædicitur Judæ proditio. XXVI, 20-25.
Sanctissimæ Eucharistiæ institutio. XXVI, 26-29.
Prædicitur Petri lapsus. XXVI, 30-35.
Agonia Jesu in Gethsemani. XXVI, 36-46.
Jesus comprehenditur a Judæis. XXVI, 47-56.
Jesus coram Synedris. XXVI, 57-68.
Negatio Petri. XXVI, 69-75.
Jesus traditur Pilato. XXVII, 1 et 2.
Judæ desperatio et suicidium. XXVII, 3-10.
Jesus coram Pilato. XXVII, 11-26.
Spinea corona. XXVII, 27-30.
Via dolorosa. XXVII, 31-34.
Circumstantiæ crucifixionis et mortis Christi. XXVII, 35-56.
Ejus sepultura. XXVII, 57-61.
Custodia sepulcri. XXVII, 62-66.

PARS QUARTA.

Christi resurrectio gloriosa.

Piæ mulieres sepulcrum invisunt. XXVIII, 1-10.
Custodes sepulcri pecunia corrupti. XXVIII, 11-15.
Christus redivivus apparet discipulis in Galilæa. XXVIII, 16-20.

INDEX RERUM

Et verborum notabilium, quæ in Commentariis in Matthæum continentur.

N.-B. — Numerus primus romanus designat caput, secundus arabicus versiculum capitis, tertius vero romanus tomum hujusce editionis. Verbi gratia : *ABBREVIATUM verbum quomodo fecit Dominus super terram ?* I, 18-XX. Expositionem hujus sententiæ require in capite I, versiculo 18, in tomo XX.

A

ABBREVIATUM verbum quomodo fecit Dominus super terram ? I, 18-XX.

ABLUTIO corporis ex se nihil penitus confert ad munditiam mentis. XV, 20-XX.

ABNEGARE seipsum quomodo oporteat qui vult venire ad Christum ? XVI, 24-XX.

ABSCONDITA quæ sint a sapientibus ? XI, 25-XX.

ABSOLVIT Deus, absolvit Sacerdos, sed longe diversa ratione : quæ sit ? XVI, 19-XX.

ABSTINERE a quibus debeant jejunantes ? VI, 17 et 18-XX.

EX ABUNDANTIA cordis quomodo loquatur homo ? XII, 34-XX.

ACCESSIT diabolus Christum tentaturus aliter quam nos. IV, 3-XX.

ACCIDENTIA quare maneant in sacramento Eucharistiæ ? XXVI, 28-XXI.

ACCIDENTIA non afficiunt corpus Christi, sed circumstant ipsum. Ibid.

Ut accipiret conjugem quomodo admonetur Joseph ab Angelo cum non dimisisset eam ? I, 20-XX.

Aciem militum quomodo nobis comparamus participando perfectionibus Angelorum ? VI, 10-XX.

Acus foramen dicebantur portulæ in muro Jerusalem. XIX, 24-XX. Vide in Luc. XVIII, 25-XXIV.

Adam si in similitudine Dei incorruptus perstitisset, ad similitudinem illam omnes genuisset In argumento S. Hieronymi, circa finem.

Adam nomen veri patris amisit, et nomen corruptoris obtinuit. Ibid.

Adam in monte Calvariæ sepultum auctor non approbat. XVII, 33 XXI.

Adimpleri et impleri quomodo differunt ? II, 15-XX.

Adjutorium triplex contra tres infirmitates. VI, 13-XX.

Admiratio quid sit ? VII, 28-XX.

Admiratio est initium omnis inquisitionis veritatis. Ibid.

Admiratio quomodo fuerit in Christo ? XII, 10-XX.

Admiratio ducit ad fidem. VIII, 27-XX.

Admonitus quare dicitur Joseph in somnis ? II, 19 XX.

Adoptivi filii in vero filio adoptantur. XVI, 16-XX.

Adveniat *regnum tuum*, quare dicitur, non autem, Veniamus ad regnum ? VI, 10-XX.

Quomodo Advenit regnum Dei ? Ibid.

Adventum primum Domini in Galilæam tres Evangelistæ omittunt, solus Joannes qui ultimo scripsit, commemorat. IV, 12-XX.

Adventus Antichristi duo signa sunt. XXIV, 23-XXI.

Adulterans mulier quatuor peccata committit. V, 32-XX.

Adultera quando dimittenda ? XIX, 9-XX.

Adulterium quare appellatur *fornicatio* ? V, 31-XX.

Ætates hominum significantur per horas quibus paterfamilias conduxit operarios. XX, 1-8-XX.

Affectum carnalem non esse præponendum operi spirituali. XII, 46 et 47-XX.

Affectus malos non semper immittit diabolus. XV, 19-XX.

Affligent calor et frigus in inferno, non in ratione qualitatum elementalium. VIII, 12-XX.

Agar quomodo interpretatur, et quid significat ? In argumento S. Hieronymi, ad initium.

Agens negotia eorum quibus tenetur, licet

illicite acquisita accipiat, potest ab eis accipere victum in stipendium necessitatis. IX, 10-XX.

AGER est mundus. XIII, 38-XX.
AGER cordis notat optimam exercitationem per disciplinam. XIII, 24-XX.
AGER est cor humanum. XIII, 44-XX
AGER dicitur mundus, Ecclesia, etc. XXIV, 40-XXI.
AGER figuli cur sic dictus? XXVII, 7 et 8-XXI.
AGER ille cur fuerit in sepulturam peregrinorum deputatus? Ibid.
AGRI fundus quomodo debeat esse dispositus? XIII, 8-XX.

AGILITATIS usum non assumpsit Dominus quando ambulavit super mare. XIV, 25-XX.

AGRICOLÆ indispositi ad virtutem. XXI, 38-XXI.
AGRICULTURA præcipuum est in quo laborat humana necessitas. XXI, 5-XXII.

ALLELUIA, quæ pars? V, 18-XX.

ALTARE allegorice dicitur *fides*, moraliter *cor humanum*. V, 23-XX.
ALTARIA quare deteguntur in die Cœnæ? XXVI, 26-XXI.

ALTUS status non sanctificat. X, 4-XX.

AMBITIO conjuncta gulæ, superbiæ, favori populari, et laudi. XXIII, 6-XXI.
AMBITIO quid sit? Ibid.

AMBULO unde dicatur? XII, 43-XX.
AMBULATIO Jesu super mare quale fuerit miraculum? XIV, 25-XX.

AMEN, quæ pars, et cujus linguæ vocabulum? V, 18-XX.
AMEN quare subjungitur orationi Dominicæ? VI, 13-XX.

AMICITIÆ quam Dominus prædicit, multiplex gradus. X, 35-XX.

AMOR duplex : amicitiæ, et concupiscentiæ. V, 43-XX.
AMOR, dilectio, et charitas quomodo differunt? Ibid., et XXII, 37-XXI.
AMOR Christi præponendus amori suiipsius. X, 38-XX.

ANATHOTH interpretatur *sub obedientia*. XIII, 44-XX.

ANCILLA unde dicatur? I, 18-XX.

ANDREAS interpretatur *fortis* vel *virilis*. IV, 18-XX.
ANDREAS et Petrus ter vocati sunt a Domino. Ibid., 19-XX.

ANGARIA quid sit, et quomodo differat a *perangaria*? XXVII, 32-XXI.
ANGARIA est coactio ad opera servilia. V, 43-XX.

ANGELIS *suis mandavit de te*, his verbis tria dicuntur. IV, 6-XX.

Cum Angelis ambulant qui eorum dona participant. VI, 10-XX.

Angelos Christus ad custodiam non habuit. IV, 6-XX.

Angelum custodem deputatum habet quælibet anima. XVIII, 10-XX.

Angelum unum descendisse de cœlo qui revolvit lapidem, dicit Matthæus : Joannes vero ait duos visos fuisse in monumento, quomodo conciliantur ? XXVIII, 2-XXI.

Angelus idem quod nuntius. Ibid.

Angelus Domini verax : Satanæ, mendax. I, 20-XX.

Angelus quare non instruxit Joseph antequam veniret in agoniam dubii ? I, 21-XX.

Angelus quare dixit Joseph, *Accipe puerum*, non autem tuum ? II, 20-XX.

Angustia duplex : bona, et mala. XV, 21-XX.

Anima justi est sedes sapientiæ. V, 34-XX.

Anima dicitur ab animalitate, et ab animeitate. VI, 25-XX.

Animam quomodo perdere debeamus, ut eam salvemus ? XVI, 25-XX.

Animarum magna dignitas, Angelorum habere custodiam. IV, 11 et XVIII, 10-XX.

Animal monstruosum quare dicitur porcus ? VIII, 31-XX.

Animales et terreni qui dicantur ? XI, 28-XX.

Animus quomodo est perfectus, et ordinator totius vitæ ? V, 3-XX.

Anna ex tribus viris peperit tres Marias. X, 3 et 4-XX.

Annis septem permansit Jesus in Ægypto. II, 15-XX.

Antichristi adventus duo signa. XXIV, 23 et 27-XXI.

Antichristi persecutio durabit tribus annis cum dimidio. XXIV, 20-XXI.

Antichristi tempore tribulatio magna erit propter tria. XXIV, 21-XXI.

Antichristus significatur per bestiam. Ibid.

Antichristus maxime regnabit in Judæa. XXIV, 16-XXI.

Antichristus quare habebit aliquos sequaces eremitice viventes ? XXIV, 26-XXI.

Antelucanum noctis quid sit ? XXIV, 25-XXI.

Antidota salutis tria contra tres operationes dæmonum. XII, 22-XX.

Antiquum quid dicatur ? V, 27-XX.

Apex et iota quomodo differant, et quid significent ? V, 18-XX.

Apostoli congrue duodecim. X, 1-XX.

Apostoli qui fuerint fratres, versu exprimitur. X, 2-XX.

Apostoli quomodo putaverunt Christum ambulantem super mare phantasma esse ? XIV, 26-XX.

Apostoli quomodo fuerunt increduli ? XVII, 22-XX.

Apostoli cur ante Resurrectionem jussi sunt solis Judæis prædicare, et non Gentibus, triplex assignatur causa. X, 5-XX.

Apostolorum vocationes figuratæ sunt. IV, 20 et 21-XX.

Apostolus primus dignitate, non vocatione, Simon Petrus. X, 2-XX.

Apostolorum licet Petrus sit primus, tamen Andreas non dicitur secundus, nec Philippus tertius, etc., quare ? Ibid.

Apostolorum duodecim figuræ quantum ad ea quæ eis conveniunt. Ibid. et seq.

Apostolorum missio significata est in Joseph missione ad fratres. X, 16-XX.

Apostolorum parcitas in cibo. XIV, 17-XX.

Apostolos non habuisse fidem, quia montes non eradicarunt, arguitur. XXI, 21-XXI.

Apostolæ Apostolorum factæ sunt mulieres. XXVIII, 7-XXI.

Apostolicæ vitæ austeritas. XIV, 17-XX.

Apparere debuisse Dominum per seipsum Joseph, et Angelum arguitur. I, 20-XX.

Apparere proprie quæ dicantur? Ibid.

Apparere discipulis quare voluit Jesus post resurrectionem ? XXVIII, 9 et 10-XXI.

Apparitio in somnis multiplex. Ibid.

Apparitio facta Joseph in somnis qualis fuerit ? Ibid.

Apparitio facta pastoribus de puero nato quare prætermittitur a Matthæo ? II, 1-XX.

Apparitiones septem factæ sunt Christi post Resurrectionem antequam in Galilæa videretur. XXVIII, 9 et 10-XXI.

Apparuit Jesus quinquies ipso die Resurrectionis. Ibid.

Apparuit multiplici generi hominum, Ibid.

Appetitus nimius munditiæ corporis inducit sordes mentis. XV, 20-XX.

Appetitum principatus interdicit Dominus, et suadet actum humilitatis et vilitatis. XXIII, 5 et 6-XXI.

Aquæ quomodo habeant vim regenerativam ex contactu Christi ? III, 13-XX.

Arbor duplici causa exciditur. III, 10-XX.

Arbor bona dicitur delectabilis, et salutaris, et utilis in fructu. VII, 17 et seq.-XX.

Arbor quædam mala, quædam inutilis. Ibidem.

Arbor bona quomodo non possit malos fructus facere, et bona malos facere ? Ibidem.

Arbor quæ bona, et quæ mala ? XII, 33-XX.

Arbor, frutex, herba, olus, et germen differunt etiam in eadem specie plantæ. XIII, 32-XX.

Arbori comparat Joannes Baptista condemnandos. III, 10-XX.

Arboris præcisio est præcisio ab Ecclesia. VII, 19-XX.

Area est Ecclesia. III, 12-XX.

Arena vocatur congeries peccantium. VII, 26-XX.

Arguitur contra titulum Matthæi. I, 1-XX.

Arguitur contra ultimam quaterdenam genealogiæ Christi. I, 12-XX.

Arguitur contra hoc quod dicitur, *Mathan genuit Jacob.* I, 15-XX.

Arguitur contra genealogiam Christi ex hoc

quod Joseph non fuit ejus pater. I, 16-XX.

ARGUITUR contra hoc quod dicitur, *Antequam convenirent, inventa est in utero habens.* I, 18-XX.

ARGUITUR Joseph non fuisse justum. I, 19-XX.

ARGUITUR Dominum per se debuisse apparere Joseph, non autem Angelum. I, 20-XX.

ARGUITUR contra hoc quod dicitur, *Et tu, Bethlehem, nequaquam minima es*, etc. II, 6-XX.

ARGUITUR Magos non intrasse domum. II, 11-XX.

ARGUITUR cum dicitur Joseph mansisse in Ægypto, hoc non convenire cum superioribus. II, 15-XX.

ARGUITUR contra hoc quod dicitur, *Rachel plorans filios suos.* II, 18-XX.

ARGUITUR Joannem non baptizasse in igne. III, 11-XX.

ARGUITUR Joannem non debuisse recusare baptizare Christum. III, 14-XX.

ARGUITUR contra id quod dicitur, *Ut tentaretur a diabolo.* IV, 1-XX.

ARGUITUR contra id quod dicitur, nos non debere facere nobis occasiones tentationis. IV, 1-XX.

ARGUITUR neminem tentari a Deo. IV, 1-XX.

ARGUITUR contra id quod dicit Matthæus, *Vocavit duos fratres, Petrum et Andream.* IV, 18-XX.

ARGUITUR filios Zebedæi non debuisse relinquere patrem. IV, 22-XX.

ARGUITUR non fuisse sermonem Christi factum in monte. V, 1-XX.

ARGUITUR qui persecutionem patitur non esse beatum. V, 10-XX.

ARGUITUR contra hoc quod dicitur, *Non veni solvere Legem aut Prophetas.* V, 17-XX.

ARGUITUR contra hoc quod dicit Christus se venisse adimplere Legem, et non addit Prophetas. Ibid.

ARGUITUR contra id quod dicitur, *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* V, 22-XX.

ARGUITUR Christum inconvenienter dixisse, non esse resistendum malo. V, 39-XX.

ARGUITUR ex hoc quod Christus non præbuerit maxillam alteram percutienti. V, 39-XX.

ARGUITUR eleemosynam semper esse dandam. VI, 2-XX.

ARGUITUR Christum posse dici Filium nostrum. VI, 9-XX.

ARGUITUR debere dici, Pater mi, vel meus, non autem, *Pater noster.* Ibid.

ARGUITUR hanc petitionem, *Panem nostrum supersubstantialem*, etc., non esse sufficientem. VI, 11-XX.

ARGUITUR petendum esse panem annuum, vel mensurnum, non autem quotidianum. Ibidem.

ARGUITUR Deum neminem inducere in tentationem. VI, 13-XX.

ARGUITUR debere dici, Ne nos permittas in tentationem, non autem, *Ne nos inducas in tentationem.* Ibid.

ARGUITUR pluribus mediis contra hanc petitionem, *Sed libera nos a malo.* Ibid.

ARGUITUR Patrem cœlestem non dimittere nobis propter hoc quod proximo dimittamus. VI, 14 et 15-XX.

ARGUITUR contra hoc quod dicitur, *Nemo potest duobus dominus servire.* VI, 24-XX.

ARGUITUR diabolum posse esse dominum hominis. Ibid.

ARGUITUR sollicitudinem non interdici. VI, 25-XX.

ARGUITUR Deum non providere homini de necessariis. VI, 28 et seq.-XX.

ARGUITUR contra hoc quod dicitur : *Nolite judicare, et non judicabimini.* VII, 1-XX.

ARGUITUR contra hoc quod dicitur : *Attendite a falsis Prophetis.* VII, 15-XX,

ARGUITUR contra hoc quod dicitur : *Non*

potest arbor bona malos fructus facere. VII, 18-XX.

ARGUITUR contra hoc quod dicitur : *Numquam novi vos.* VII, 23-XX.

ARGUITUR contra hoc quod dicitur : *Discedite a me*, etc. Ibid.

ARGUITUR contrà id quod dicit turbas admiratas fuisse. VII, 28-XX.

ARGUITUR non fuisse conveniens Christum tangere leprosum. VIII, 3-XX.

ARGUITUR leprosum curatum non paruisse præcepto, eo quod cœpit diffamare et prædicare. VIII, 4-XX.

ARGUITUR male dici, quod centurio accessit ad Jesum. VIII, 5-XX.

ARGUITUR, quod Dominus dixit se venturum ad servum Centurionis, et non venit. VIII, 7-XX.

ARGUITUR contra hoc quod dicitur : *Audiens Jesus miratus est.* VIII, 10-XX.

ARGUITUR contra hoc quod dicitur : *Non inveni tantam fidem in Israel.* Ibidem.

ARGUITUR contra id quod dicit fletum in inferno. VIII, 12-XX.

ARGUITUR in inferno non esse calorem, nec frigus. Ibid.

ARGUITUR contra ordinem illorum miraculorum. VIII, 14-XX.

ARGUITUR neminem posse esse obsessum a diabolo. VIII, 16-XX.

ARGUITUR quod Dominus fecisset ista miracula absens. VIII, 28-XX.

ARGUITUR contra hoc, quod dicit duos dæmoniacos occurrisse Domino. Ibid.

ARGUITUR contra hoc quod dicitur, quod Capharnaum fuerit civitas Christi. IX, 1-XX.

ARGUITUR contra hoc quod dicitur : *Non veni vocare justos*, etc. IX, 13-XX.

ARGUITUR contra ordinem miraculorum, et solvitur. IX, 18-XX.

ARGUITUR quod male dicatur : *Filia mea modo defuncta est.* Ibid.

ARGUITUR cæcos illuminatos fecisse contra inhibitionem. IX, 31-XX.

ARGUITUR contra hoc quod dicit : *Tolerabilius erit terræ Sodomorum.* X, 15-XX.

ARGUITUR contra hoc quod dicit de cura Dei de passeribus. X, 29-XX.

ARGUITUR de hoc quod dicit : *Capilli capitis vestri numerati sunt.* X, 30-XX.

ARGUITUR contra hoc quod dicit granum sinapis minimum. XIII, 32-XX.

ARGUITUR contra hoc quod dicit : *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram.* X, 34-XX.

ARGUITUR Joannem non essse Prophetam. XI, 9-XX.

ARGUITUR Joannem male nominari Eliam. XI, 14-XX.

ARGUITUR sabbatum non violari per opera templi. XII, 5-XX.

ARGUITUR Judæos non dixisse Christum filium fabri. XIII, 55-XX.

ARGUITUR peccata semel dimissa redire post lapsum. XVIII, 35-XX.

ARGUITUR Apostolos non habuisse fidem, quia montes non eradicaverunt. XXI, 21-XXI.

ARGUUNT quidam Dominum tamquam physicæ disputationis ignarum. XV, 17-XX.

ARGUUNTUR Sacerdotes et Scribæ de tribus. II, 6-XX.

ARGUMENTUM ab auctoritate in Evangelio est infallibile. In argumento S. Hieronymi.

ARGUMENTA ponuntur per ordinem de hoc, quod Joseph ponitur in genealogia Christi, cum tamen non sit pater ejus. I, 16-XX.

ARIDAM manum habens et curatus a Domino, cæmentarius fuit. XII, 10-XX.

Ariolus, incantator, magus, mathematicus, etc., differunt. II, 2-XX.

Aristocratia quæ sit potestas, et unde dicatur ? VI, 10-XX.

Aristocratiam spiritualem quomodo habemus? Ibid.

Arma exercere torneamentis, et cursibus equorum, et telis, erat officium militum. VI, 10-XX.

Arma quibus roboratur regnum spirituale. Ibidem.

Arma ista sunt solertiæ et audaciæ obviandi tentamentis diaboli. Ibid.

Arundo non fuit Joannes. XI, 7-XX.

Arundinis proprietates. Ibid.

Arundo quassata fuit cor Judæorum. XII, 20-XX.

Aruspex, incantator, ariolus, magus, mathematicus, etc., differunt. II, 2-XX.

Ascendit Christus in montem, docens nos ascendere per verbum suum. V, 1-XX.

Ascensionibus suis Christus nostras ascensiones disposuit. VIII, 23-XX.

Ascendere nos fecit Christus via Passionis suæ de virtute in virtutem. XX, 17 et 18-XX.

Aser *beatus* interpretatur. II, 1-XX.

Asina alligata cum pullo quid significet ? XXI, 2-XXI.

Asinæ lac valet ptisicis, quare ? Ibid.

Asini proprietates quæ sint ? Ibid.

Asini plus valent in petrosis quam equi. XXI, 2-XXI.

Asinæ pullus quomodo dicitur fuisse cum ea : cum tamen, Marci, xi, 4, dicatur stetisse ante januam. Ibid.

Asinam et pullum quare jussit adduci : cum tamen non sedit super utrumque ? XXI, 35-XXI.

Assumpsit diabolus Christum in sanctam civitatem : vide an portando, vel ducendo. IV, 5-XX.

Attendendum quomodo sit a falsis Prophetis ? VII, 15-XX.

Auctoritatem Evangelicæ veritatis omnibus humanis esse anteponendam determinatur. XV, 2 et seq.-XX.

Auctoritas prædicandi ex missione. X, 5-XX.

Audire non potest Pater cœlestis, contra quem clamet alius. VI, 14 et 15-XX.

Audiens Jesus centurionem quomodo miratus est? VIII, 10 XX.

Augustini glossa de resurrectione et apparitionibus commendatur. XXVIII, 15-XXI.

Auris triplex notatur. VII, 24-XX.

Aurum obtulerunt Magi in signum regalis dignitatis. II, 11-XX.

Aurum possidere interdicitur Doctoribus

Christianæ religionis : non tamen usus. X, 9-XX.

Austeritas vitæ Apostolicæ. XIV, 17-XV.

Avaris maledicit Christus. XXIII, 23-XXI.

Avarus quare jejunet? VI, 17 et seq.-XX.

Azymo in pane quare consecramus? XXVI, 17-XXI.

B

Babylon quomodo dividatur in tres partes? VII, 27-XX.

Baculum in manibus tollere quid sit? X, 10-XX.

Baptizasse Joannem in igne falsum esse arguitur et solvitur. III, 11-XX.

Baptizari Christus quare voluit? III, 13-XX.

Baptizatus Christus statim ascendit, et quid hac ascensione nos docuit? III, 16-XX.

Baptismatis doctrina quantum ad id quod in baptizando requiritur. III, 2-XX.

Baptismatis figura ponitur. III,6-XX.

Baptisma Christi dicitur omne baptisma, in quo Christi gratia lavat interius. Ibid.

Baptismatis Joannis fiais ponitur. III, 1-XX.

Baptismus in se tria habet. III, 11-XX.

Baptismus Christi quomodo requirat pœnitentiam? III, 6-XX.

Baptismus Joannis utrum conferebat gratiam, vel non? Ibid.

Baptismus Joannis nullam conferebat gratiam, et hujus tres sunt causæ. Ibid.

Baptismi Christi efficacia in comparatione Baptismi Joannis. III, 11-XX.

Baptismi formam nulli licet mutare. XXVIII, 19-XXI.

Baptistæ Joannis commendatio ponitur. III, 3-XX.

Baptista quare dicebatur Joannes a baptismate suo, non autem Petrus vel Paulus? III, 6-XX.

Barjona *filius columbæ* interpretatur, et quis sit? XVI, 17-XX.

Beatitudo quomodo differt a felicitate et virtute? V, 3-XX.

Beatitudo est potius perfectionis, quam actus, vel operatio. Ibid.

Beatitudinis definitio declaratur. Ibid.

Beatitudo quomodo sit status in optimo? Ibid.

Beatitudines multiplicantur a Domino secundum status optimos. Ibid.

In qualibet Beatitudine a Matthæo inductæ considerantur tria. Ibid.

Beatitudo quæ consistit in abdicatione rerum, status altissimus est. Ibid.

Beatitudo secunda ponitur cum dicitur : *Beati mites.* V, 4-XX.

Beatitudo tertia : *Beati qui lagent.* V, 5-XX.

Beatitudo quarta : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* V, 6-XX.

Beatitudo quinta : *Beati misericordes.* V, 7-XX.

Beatitudo sexta : *Beati mundo corde.* V, 8-XX.

BEATITUDO septima : *Beati pacifici.* V, 9-XX.

BEATITUDO octava : *Beati qui persecutionem patiuntur.* V, 10-XX.

BEATITUDINUM octo sufficientia ponitur. Ibidem.

BEATITUDO multiplex, et quid sit quælibet? XVI, 17-XX.

BEATUS quomodo vir Sanctus dici possit? V, 3-XX.

BEATI mendici, habet translatio de Græco facta, ubi alia habet : *Beati pauperes.* Ibidem.

BEATI *pauperes spiritu.* Ibi, *spiritu*, potest accipi æquivoce. Ibid.

BEATIS omnia bona parata sunt. VI, 20 et 21-XX

BEELBZEBUB *vir muscarum* interpretatur. X, 25-XX.

BEL, Baal, et Beelphegor quæ idola? Ibidem.

BENEDICTIO qua Christus benedixerit panem ignoratur. XIV, 19-XX.

BENEFACERE debemus his qui nos oderunt. V, 44-XX.

BENEFICIUM cui sit impendendum? V, 43-XX.

BENEFICIUM quanto est magis requisitum, tanto est magis gratum. VIII, 14-XX.

BENEFICIUM facienti tria conveniunt. XI, 25-XX.

BENEFICI qui, et qui malefici dicantur? XX, 25-XX.

BESELEEL *umbraculum divinum* interpretatur, et signat Sanctos in umbra alarum Dei sperantes. VI, 9-XX.

BESTIÆ tres quæ ascenderunt de mari, quid significent? XXIV, 21-XXI.

BESTIA significat Antichristum. Ibid.

BETHANIA *domus obedientiæ* interpretatur. XXI, 17-XXI.

BETHLEHEM quomodo Maria venit quando peperit Filium præterit Matthæus, quare? II, 1-XX.

BETHLEHEM Judæ dicit ad differentiam alterius Bethlehem. Ibid., et II, 6-XX.

BETHLEHEM dignitas notatur. Ibid.

BETPHPHAGE est nomen compositum ex Græco et Hebræo. XXXI, 1-XXI.

BETHSABEE ponitur in genealogia Christi, non tamen sub nomine proprio, et quare? I, 6-XX.

BETHSAIDA interpretatur *domus venatorum*, et significat divites. XI, 24-XX.

BETHSAIDA est civitas sita in Galilæa. XI, 21-XX.

BIGAMIA duplex quæ inducit irregularitatem, non peccatum. XIX, 5-XX.

BIMOS pueros et infra occidit Herodes : qui dicantur *infra*? II, 16-XX.

BLANDIUNTUR missi a Judæis ad tentandum Christum a quatuor. XXII, 16-XXI.

Blasphemia est quando honor divinus ad res mutas transfertur. VI, 9-XX.

Blasphemia est impositio falsi criminis in Deum. IX, 3 et XII, 31-XX.

Blasphemiæ spiritus differt a blasphemia. Ibidem.

Blasphemos esse derelinquendos ostendit Jesus. XII, 31 et 32-XX.

Bona arbor quæ sit? XII, 33-XX.

Bona non exeunt de corde, sed ex Deo. XV, 18 et 19-XX.

Bona omnia parata in nuptiis illis. XXII, 4-XXI.

Bonos amariori morte mori, auctoritatibus et exemplo probatur. XXVII, 50-XXI.

Bonorum quæ exercentur in Ecclesia ad meritum quinque sunt genera. XXV, 14-XVI.

Bonum et malum quomodo habeant se ad invicem penes divisionem, et quomodo sint in genere? VI, 13-XX.

Bonum increatum quibus adipiscimur? VII, 7-XX.

Bonum multiplex significatum per septem panes. XV, 34-XX.

Bonum unum est Deus. XIX, 17-XX.

C

Cadere in prostrationem est proprie hominis coram Creatore. IV, 9-XX.

Cæci illuminati quia fecerint contra inhibitionem, arguuntur. IX, 30 et 31-XX.

Cæcos istos illuminatos nullus Evangelista commemorat nisi Matthæus. Ibid.

Cæcum unum sedisse secus viam quare Marcus dicit, Matthæus vero duos. XX, 30-XX.

Cæremonialia legis præcepta quæ sint? V, 17-XX.

Cæremonialia omnia ad veritatem spiritus sunt revocata. XV, 18-XX.

Cæsarea Philippi civitas quare sic dicta? XVI, 13-XX.

Calceorum portatura notatur humilitas obsequii, et præparatio Evangelii. III, 11-XX.

Calceus quid significet? Ibid.

Calceamentum est necessarium, quod intelligitur habuisse Dominus. X, 10-XX.

Calceamentis non esse utendum dixerunt quidam hæretici. Ibid.

Calix dicitur calida potio. XX, 22-XX.

Calix unde dicitur, et quare dicitur passio? Ibidem.

Calix communicatio sanguinis Christi dicitur. Ibid.

Calix in malo dicitur potio iræ vindicantis. Ibidem.

Calix dicitur aliquando oblivio insaniæ. Ibidem.

Calicem *meum bibetis*, quomodo verificatum sit hoc verbum de Joanne? Ibid.

Calor et frigus quomodo affligunt in inferno? VIII, 12-XX.

Calores tres habet vinum novum. IX, 17-XX.

CALVARIÆ *locus* quare dicatur? Auctoris sententia. XXVII, 33-XXI.

CANDELABRUM est fastigium Ecclesiasticæ dignitatis. V, 15-XX.

CANIS proprietates malæ quid significent? VII, 6-XX.

CANTUS columbæ dicitur meditatio. X, 16-XX.

CAPHARNAUM incepit Christus prædicare, quare? IV, 13-XX.

CAPHARNAUM quomodo dicatur Christi civitas? IX, 1-XX.

CAPHARNAUM *villa pulcherrima* interpretatur. Ibid.

CAPILLI *capitis* quomodo sint numerati apud Deum, et quomodo se habeant ad corpus, et an reassumendi in resurrectione? X, 30-XX.

CAPTIVITAS sive comprehensio Jesu ponitur. XXVI, 50-XXI.

CAPITI Ecclesiæ Christo quæ conveniant? XII, 18-XX.

CARNALEM affectum non esse præponendum spirituali operi imuit Christus. XII, 18-XX.

CARO in qua quantitate reassumenda in resurrectione? XV, 17-XX.

CASTITATIS amore Origenes dicitur seipsum mutilasse. V, 29-XX.

CASTITAS quibus custoditur? XXV, 1-XXI.

CASTI debent esse tractantes florem castitatis. I, 18-XX.

CATHEDRA cur ponitur Doctoribus, et judicibus thronus? V, 1-XX, et XXIV, 3-XXI.

CENSUS an Cæsari esset dandus vel non, quare Judæi a Christo quæsiverunt? XXII, 17-XXI.

CENSUS ultroneus debet offerri. XVII, 26-XX.

CENTURIO laudatur a Domino. VIII, 10-XX.

CENTURIONIS potestati comparatur potestas Christi in quantum est homo. VIII, 9-XX.

CEPHAM vocant Hebræi et Syri, quem nos Petrum vocamus. XVI, 18-XX.

CHANANÆA quæ mulier dicatur? XV, 22-XX.

CHARITAS, dilectio, amor, quomodo differant? V, 43-XX, et XXII, 37-XXI.

CHARITAS, qua Deus diligit nos spontanee non ex meritis, avertit furorem. VI, 12-XX.

CHARITATIS sollicitudo deprehenditur in quatuor. VI, 13-XX.

CHARITAS ligat Deum et hominem. XI, 29-XX.

CHARITAS significatur per fermenti naturam. XIII, 33-XX.

CHRISTUS in patribus triplex opus perfecit. In argumento S. Hieronymi.
CHRISTUS est idem quod unctus, et quomodo differt ab hoc nomine *Jesus*, et quare dicatur nomen officii? I, 1-XX.
CHRISTUS Rex fuit, et Sacerdos, Ibid.
CHRISTI generatio describitur dupliciter. Ibidem.
CHRISTI generatio ineffabilis etiam humana. I, 18-XX.
CHRISTI generationis et conceptus sinceritatem ponit, et tanguntur septem. Ibid.
CHRISTUS nasci voluit de virgine desponsata, cujus ponuntur octo causæ. Ibid.
CHRISTUM non natum esse de materia seminali ostenditur. Ibid.
CHRISTUS Jesus potest nos salvare per hoc quod est Deus, et debet per hoc quod homo. I, 22-XX.
CHRISTUM gentibus judicium non nuntiaturum arguitur et solvitur. XII-18-XX.
CHRISTI opus est congregare, diaboli dispergere. XII, 30-XX.
CHRISTUS de Juda nasci debuit. II, 6-XX.
CHRISTUS quo anno fuerit adoratus a Magis, baptizatus, etc? III, 13-XX.
CHRISTUS quot annos vixerit? Ibid.
CHRISTUS quare baptizari voluit? Ibid.
CHRISTUS baptizatus quare statim ascendit? III, 16-XX.
CHRISTUS esuriit, quando voluit : et quando voluit, non esuriit. IV, 2-XX.
CHRISTUS quare non videbatur ab hominibus, quando super pinnaculum templi ipsum statuit diabolus? IV, 5-XX.
CHRISTUS Angelos ad custodiam non habuit. Ibidem.
CHRISTI adventum primum tres Evangelistæ prætermittunt, sed solus Joannes ponit. IV, 12-XX.
CHRISTUS secessit in Galilæam, ubi prædicationem suam initiavit. Ibid.
CHRISTUS secessit a Judæa in Galilæam propter tres causas. Ibid.
CHRISTUS non prædicavit aperte, adhuc vivente Joanne, quare? IV, 13-XX.
CHRISTUS quare non incepit prædicare Nazareth, ubi nuntiatus, conceptus et educatus fuit? Ibid.
CHRISTUM sequebantur multi, cujus quatuor tanguntur causæ. IV, 25-XX.
CHRISTUS est Princeps, Dux et liberator. Ibidem.
CHRISTUS per quid excitabatur montem ascendere? V, 1-XX.
CHRISTUS quomodo impleverit legem? V, 17-XX.
CHRISTUS dixit se venisse non solvere Legem, et non addit Prophetas, quare? Ibid.
CHRISTUS non potest dici filius noster. VI,9-XX
CHRISTUS curavit infirmos multis modis. VIII, 16-XX.
CHRISTUS ascensionibus suis disposuit ascensiones in cordibus nostris. VIII, 23-XX.
CHRISTUS quomodo dicatur magister, quomodo Dominus, quomodo paterfamilias secundum tria in ipso? X, 24-XX.
CHRISTUM fuisse Filium Dei quomodo dæmones sciverunt? VIII, 29-XX.
CHRISTUM dixerunt filium David propter quatuor. IX, 27-XX.
CHRISTI veritas omnibus quæ diliguntur, est anteponenda. X, 32-XX.
CHRISTI amor præponendus suiipsius amori. X, 37-XX.
CHRISTI crucem quod debeamus quotidie portare. X, 38-XX.
CHRISTI actus proprius. XII, 18-XX.
CHRISTUS accipitur dupliciter, in persona, et in virtute operante in sacramentis. XXIV, 23-XXI.
CHRISTUM quievisse in sepulcro tribus diebus et tribus noctibus, quomodo intelligitur? XII, 40-XX.
CHRISTUS bis potatus fuit, suspendendus et suspensus. XXVII, 34-XXI.
CHRISTUS docuit nos antequam sumamus cibum, ad Patrem cœlestem adspicere. XIV, 19-XX.

Christus qua benedictione panem benedixerit, ignoratur? Ibid.
Christus docet ad humilitatem confugere post magna facta. XIV, 22-XX.
Christus docet post magna orare, et ad Deum confugere. XIV, 23-XX.
Christus quare solus erat in monte? XIV, 13-XX.
Christus incipit illuminare discipulos. XVI, 8-XX.
Christi discipuli veri tribus perficiuntur. XVI, 16-XX.
Christus traditus est a Patre, a se, a Juda, a Judæis, differenter. XVII, 21-XX.
Christus utrum habuerit pecuniam ad solvendum didrachma, seu tributum? XVII, 26-XX.
Christus passionem suam ante revelavit, quare? XX, 18-XX.
Christus dat resurrectionem celerem, quare? XX, 19-XX.
Christus pro multis passus est efficienter, pro omnibus sufficienter. XX, 28-XX.
Christum congruit pati in Jerusalem. XXI, 1-XXI.
Christus quare passurus iyit ad montem Oliveti? Ibid.
Christus describitur ab octo. XXI, 5-XXI.
Christus ejecit vendentes et ementes de templo. XXI, 12-XXI.
Christus in quo fecerit miraculum maximum? Ibid.
Christum cognoverunt Judæi quomodo, et quomodo non? XXI, 38-XXI.
Christi hæreditas duplex. Ibid.
Christus loquebatur in parabolis propter duas causas. XXII, 1-XXI.
Christum tentaverunt Judæi de veritate judicii et justitiæ. XXII, 16-XXI.
Christum tentaverunt de veritate fidei et religionis. XXII, 23-XXI.
Christum tentaverunt de veritate vitæ. XXII, 34-XXI.
Christus secundum quod Deus, ubique est, secundum quod homo locum mutat. XXV, 14-XXI.
Christus est liber vitæ, qui aperietur omnibus in judicio. XXVI, 55-XXI.
Christi corpus differenter in altari et in cœlo. XXVI, 26-XXI.

Cibos corporis vel mentis non esse sumendos sine benedictione docuit Christus. XIV, 19-XX.
Cibus non bene nutrit nisi fractus. Ibid.
Cibus triplex, verbi, exempli, et temporalis subsidii. Ibid.

Circumcisionis Christi Matthæus non facit mentionem, tamen meminit nominis Jesu, quare? I, 21-XX.

Circumstantiæ ponuntur quibus danda est eleemosyna. V, 42-XX.

Civitas quæ fuerit in qua Dionysius vidit eclipsim tempore Passionis Christi? II, 13-XX.
Civitas Babylon quomodo dividatur in tres partes? VII, 27-XX.
Civitas quæ dicatur Christi? IX, 1-XX.
Civitas dicitur alicujus dupliciter. Ibid.
Civitatis munitio in quibus consistat? XII, 25-XX.

Clamor triplex notatur, et quomodo Christus non clamabat? XII, 19-XX.

Claves datæ sunt his qui sunt in regno Christi. XI, 11-XX.
Claves Ecclesiæ quæ sint? XVI, 19-XX.
Claves Ecclesiæ quomodo acceptæ a Petro et ab aliis in unitate Ecclesiæ? Ibid.

Cœli quomodo aperti sunt Christo et membris? III, 16-XX.

Cœli natura est nobilis, ingenerabilis, et incorruptibilis : quare omnes Philosophi dixerunt cœlum locum Dei? VI, 9-XX.

Cœli forma seu species, cui nihil potest admisceri fœdum. Ibid.

Cœli usus est ad splendorem contemplationis in gloria, Ibid.

Cœli quamdam similitudinem habent in significanda Sanctorum gratia. Ibid.

Cœlum quomodo repræsentet pulchritudinem Dei, et cur non liceat jurare per cœlum? V, 34-XX.

Cœlum dicitur quies et sedes regia. VI, 9-XX.

Cœlum vespere rutilans quid significet? Ibidem.

Cœlum intrare desiderantem oportet continuis profectibus intrare. XVIII, 3-XX.

Cœlum *et terra transibunt*, non quoad substantiam, sed quoad actum et generationem. XXIV, 35-XXI.

Cœna completa, Christus corpus suum dedit Apostolis, tamen nobis præcipitur ut jejuni sumamus illud, quare? XXVI, 26-XXI.

Cœnam Domini qui cœnat, communicare debet. XXVI, 10-XXI.

Cœnandum an sit, et quomodo? VI, 11-XX.

Cognitus an et quomodo fuerit Christus a Judæis? XXI, 38-XXI.

Cognitus an et quomodo fuerit Christus a Joanne Baptista? III, 14-XX.

Cognoscenda tria in littera Evangelii. In argumento S. Hieronymi.

Coinquinatur homo ex eo quod de ore procedit. XV, 18-XX.

Coitus non habens modum generantis in viro et adjuvantis in fœmina, damnatus. XIX, 5-XX.

Columbæ species convenit Spiritui. III, 16-XX.

Columba *mea in foraminebus petræ*, exponitur. IV, 1-XX.

Columba quæ nihil serpentis habet, est facile seducibilis. X, 16-XX.

Columbæ cantus dicitur meditatio, quare? Ibidem.

Columbæ proprietates. Ibid.

Columbas vendentes in templo significant vendentes Sacramenta. XXI, 12-XXI.

De serpentina prudentia et Columbina simplicitate. X, 16-XX.

Collum *tuum sicut turris eburnea*, exponitur mystice. XXVIII, 8-XXI.

Comedendi necessitas quotidiana, unde? VI, 11-XX.

Comedendum an sero? Ibid.

Communicatio Sanguinis Christi dicitur calix. XXVI, 27-XXI.

Communionem generalem in Pascha debet præcedere confessio et pœnitentia. XXVI, 18-XXI.

Compassio Christi describitur. X, 38-XX.

Complacuit quomodo Pater in Filio? III, 17 et XVII, 5-XX.

COMPLETA cœna corpus suum Christus dedit Apostolis. XXVI, 26-XXI.

COMPREHENSIO Jesu, sive captivitas. XXVI, 50-XXI.

CONCILIUM et consilium differunt. V, 22-XX.

CONCIPIET *et pariet*, quare? I, 23-XX.
CONCIPERE, et in utero habere differunt. Ibidem.

CONCORDIA Evangelistarum de Apostolorum vocatione et enumeratione. X, 2-XX.

CONCUPISCENTIA carnis immensa, et infinita in desideriis. IV, 4-XX.
CONCUPISCIBILIUM mundi enumeratio. X, 9 et 10-XX.

CONDEMNATUR nullus ad tantam pœnam, quantam meruit. VII, 1-XX.

CONDOLENDUM tentatis. VI, 13-XX.

CONFESSIO triplex, laudis, veritatis in prædicatione, et peccati. X, 32 et XI, 25-XX.
CONFITENDUM cui sit? XI, 25-XX.
CONFESSIO et pœnitentia quando instituitur? XXVI, 18-XXI.

CONGREGARE opus Christi, dispergere diaboli. XII, 30-XX.

CONSILIO humano deficiente, justis semper adest divinum. I, 20-XX.

CONTEMPLATIVIS studium virtutis, puritatis, et decoris est proprium. XXV, 1-XXI.
CONTEMPLANTIBUS aptus est locus desertus. III, 1-XX.

CONTEMPTUM laudis post magna facta docet Christus. XIV, 22-XX.
CONTEMPTUS habitualis quis sit? IV, 1-XX.

CONTENTIO, quid? XII, 19-XX.
CONTENDERE quomodo dicitur Christus? Ibidem.

CONTENTORUM in libro Evangeliorum Matthæi enarratio, et ordo. In argumento S. Hieronymi.

CONTICINIUM pars noctis quæ sit? XIV, 25-XX.

CONTINENTIÆ inter virtutes attribuitur fructus, quare? XIII, 9-XX.

CONTRA Deum quomodo aliquis possit esse? XII, 30-XX.

CONTRADICENTIBUS veritati necessarium est resistere. IX, 1-XX.

CONTRARIETAS inter Matthæum, et Lucam, cujus filius sit Joseph. I, 15-XX.

Conversio est per spem. VI, 12-XX.

Convocatis duodecim, quare non vocatis? X, 1-XX.

Cophinus quid sit et quid significet? XIV, 20-XX.

Cordis munditia ad plenum tribus perficitur. V, 8-XX.

Corda dæmoniacis operationibus plena dicuntur *vasa*. XII, 29-XX.

Cor quomodo terra habeat? Ibid.

Cor tritum consuetudine peccati et delectationum, non recipit verbum Dei in profundum. XIII, 4-XX.

Cor terrenis sollicitudinibus obumbratum, quomodo significetur per spinas? XIII, 7-XX.

Corbona quid sit, et quod tria repositoria erant in templo? XXVII, 6-XXI.

Corozaim est civitas in Galilæa sita. XI, 21-XX.

Corozaim *secretum meum* interpretatur. XI, 22-XX.

Corpus terrenum et corruptibile obumbrat mentis oculum, non autem gloriosum. V, 8-XX.

Corpus dupliciter accipitur, et quomodo, cum dicitur, *Lucerna corporis tui est oculus tuus?* VI, 22-XX.

Corpus non resurgere cum anima arguitur et solvitur. XXII, 31 et 32-XXI.

Corporeus actus noster dicitur *tenebra*, quare? VI, 22 et 23-XX.

Corporalia missarum debent fieri de panno lineo. XXVII, 59-XXI.

Corporaliter non potest homo esse à diabolo obsessus, nec spiritualiter : arguitur et solvitur. VIII, 16-XX.

Correctio duplex, fraterna scilicet, et alia, quæ cogit per censuras. V, 22-XX.

Correctio est de mortalibus peccatis, non de venialibus. XVIII, 15-XX.

De nullius Correctione desperandum. XVIII, 12-XX.

Correctionis et revocationis modum tangit. XVIII, 15-XX.

Corrigia calceamenti quid significet? III, 11-XX.

Corvus qui pavit Eliam, ministros Ecclesiæ significat. XIV, 19-XX.

Crassitudo unde proveniat, et quid significet? XIII, 15-XX.

Crastinus dies sollicitus erit sibi ipsi, exponitur. VI, 34-XX.

Creatura omnis sensum habet, quo imperium Creatoris percipit et perficit. VIII, 27-XX.

Credendum non est, quod Dominus curam necessitatis prohibeat. X, 9-XX.

Credenti omnia sunt possibilia. XVII, 19-XX.

Crimen judicis dicitur majus duobus modis. VII, 3-XX.

Crucem significat navicula, in qua Jesus ascendit. VIII, 23-XX.
Cruci conformata est vita Ecclesiastica. Ibidem.
Crucem Christi portare quotidie debemus. X, 38-XX.
Crucem suam Christus portavit. Ibid.

Crucifixus quoto anno sit Dominus? III, 13-XX.
Crucifixi sunt cum Jesu duo latrones, quare? XXVII, 38-XXI.
Crucifixionem Christi concomitantia. XXVII, 33 et seq.-XXI.
Crucifixionem sequentia, potestatem ostendentia ponuntur. XXVII, 45 et seq.-XXI.
Crucifixionis hora. Ibid.

Culpa, vitium et macula quomodo differant? IV, 17-XX.

Curam necessitatis Dominus non prohibet. X, 9-XX.
Cura de futuris quando fuit prohibita Apostolis, et quando non. Ibid.
Cura et scientia providentiæ differunt. X, 29-XX.
Curavit Christus infirmos multis modis. VIII, 16-XX.

Custodia castitatis. XXV, 1-XXI.

D

Dæmonem unum esse raro in homine obsesso, probabile est. VIII, 28-XX.
Dæmon unus est qui uni vitio dominatur. XII, 45-XX.
Dæmon assumit septem alios spiritus nequiores se. Ibid.
Dæmones quomodo sciverint Christum fuisse Filium Dei? VIII, 29-XX.
Dæmones dixerunt Christum venisse ad torquendum eos ante tempus, quomodo? Ibidem.
Dæmones in animal irrationale et mundum potestatem non habent nisi permissi. VIII, 31-XX.
Dæmoniacus iste de quo Matthæus, non est idem illi de quo Lucas, XI, 18 et seq., loquitur. IX, 32-XX.
Dæmonium quid? VIII, 28-XX.
Dæmonium Latinum est, sed Græce δαίμων est intellectus. Ibid.
Dæmonium est collectivum dæmonum. Ibidem.
Dæmonia quare quidam dicuntur habuisse, cum tamen dæmonia potius habuerunt eos? Ibid.
Dæmonia septem esse dicuntur, non per numerum personarum, sed malitiarum. Ibidem.

Damnatis in inferno debetur frigus, quare? VIII, 12-XX.
Damnantur juste qui virtuti divinæ detrahunt, innuit Dominus. XIII, 58-XX.
Damnum tale in porcis quare Dominus permisit fieri? VIII, 32-XX.

DANDUM hilariter, cito, large, et opportune, et discrete. V, 42-XX.

DARE eleemosynam præcipitur, et quomodo pauperes hoc præceptum impleant? Ibidem.

DAT Deus large, prudenter, utiliter, et sine improperio. VI, 11-XX.

DAVID et Abraham in genealogia Christi quare præmittuntur? I, 1-XX.

DAVID filium vocaverunt Christum propter quatuor. IX, 27-XX.

DAVID quatuor habuit virtutes. Ibid.

DEBITA nostra dimitti petimus, quare dicitur, *debita*, in plurali? VI, 12-XX.

DEBITI recognitio sine spe veniæ nihil valet. Ibidem.

DEBITORIBUS nostris quomodo debitum dimittimus? Ibid.

DEBITORIBUS suis non dimittens, an possit dicere dominicam orationem? Ibid.

DECENTIA quæ peti a Deo possunt? VI, 5-XX.

DECLINANDI rabiem persequentium dedit exemplum nobis Christus. XII, 15-XX.

DEFENDERE se quando licet, et quando non. XXVI, 52-XXI.

DEFENSIO libertatis nimia, ne fiat scandali occasio, instruitur. XVII, 24-XX.

DEMONSTRATUR res homini multipliciter. I, 20-XX.

DENARIUS quantum valeat? XXII, 19-XXI.

DENARIUS diurnus quis sit quem paterfamilias dedit operariis? XX, 2-XX.

DENTIUM stridor ex frigore provenit. VIII, 12-XX.

DEPRECATIO, oratio, obsecratio, postulatio, petitio, gratiarum actio differunt. VI, 9-XX.

DERISERUNT Christum tribus insigniis regalibus, quare? XXVII, 28 et seq.-XXI.

DESERTUS locus aptus est contemplationibus. III, 1-XX.

DESERTUM intra cor et extra. III, 3-XX.

DESERTUM locus tentationi congruus, et quid sit desertum? IV, 1-XX.

DESERTUM dicitur mens : vide quotuplex sit, et qui inhabitent. Ibid.

DESIDERANTEM intrare cœlum oportet continuis profectibus intrare. XVIII, 3-XX.

DESPONSATA de virgine Christus nasci voluit propter octo causas. I, 18-XX.

DEUS quomodo dicitur tentare? IV, 1-XX.

DEUS a nemine comprehenditur, sed ipse est suiipsius visor et comprehensor. V, 8-XX.

DEUS quomodo sit ens primum, simplex, fontale, immutabile, perfectissimum? VI, 9-XX.

DEUS an ducat nos in tentationem? VI, 13-XX.

DEUM an aliquis odit? VI, 24-XX.

Deus æqualiter omnibus se exhibet, sed non æqualiter omnes eum recipiunt. XI, 25-XX.

Deus quomodo dicatur proficisci? XXI, 33-XXI.

Deus unde dicatur? XXII, 37-XXI.

Dei notitia omnibus naturaliter est impressa. Ibid.

Deus est nobiscum multis modis. XXVIII, 20-XXI.

Dexter oculus quis dicatur? V, 29-XX.

Dextera manus quæ sit, et quid significet? V, 30-XX.

Diabolo partus virginis occultatus est. I, 18-XX.

Diabolus quot modis tentet hominem? IV, 1-XX.

Diabolus per quæ tentet, et quod tentare est officium ejus. Ibid.

Diabolus quasi *deorsum fluens*, vel *criminator* interpretatur. Ibid.

Diabolus quomodo differenter accesserit ad Christum, et accedat ad nos tentandos? IV, 3-XX.

Diabolus quando statuit Christum super pinnaculum templi, quare non videbatur ab aliis? IV, 5-XX.

Diabolus quando assumpsit Christum in civitatem sanctam, an portaverit vel duxerit ipsum? Ibid.

Diabolus semper usurpavit sibi reverentiam Creatori debitam, et ideo idololatriam introduxit. IV, 9-XX.

Diabolus victus ab aliquo, non audet et ulterius tentare. IV, 11-XX.

Diabolus qui tentavit Christum, fuit Lucifer. Ibidem.

Diabolus semper est odio habitus. VI, 24-XX.

Diabolum qui præest divitiis, potius nominat quam alium, quare? Ibid.

Diaboli tentamenta quomodo irruant in domum diaboli? VII, 27-XX.

Diabolus qualem domum habeat? Ibid.

Diabolus utrum possit possidere hominem, et quomodo obsidet hominem? VIII, 16-XX.

Diabolus non illabitur, animæ, sed operationes animæ impedit. Ibid.

Diaboli voluntas semper est ad nocendum. VII, 28-XX.

Diaboli opus est dispergere, congregare Christi. XII, 30-XX.

Diabolus quomodo dicitur *exire ab homine?* XII, 43-XX.

Diabolus dicitur *inimicus homo*. XIII, 28-XX.

Dicere, docere, et prædicare, quomodo differant? IV, 17-XX.

Didrachma est munus duos valens usuales. XVII, 23-XX.

Dies accipitur pro claritate sermonis Christi. VI, 34-XX.

Differenter conveniunt alicui sedere, stare, laborare, ambulare, jacere. V, 1-XX.

Differunt virtus, felicitas et beatitudo. V, 3-XX.

Dilatatio seminis Patriarcharum notatur. I, 4 et 5-XX.

Dilatatio seminis tria exigebat. Ibid.

Dilectio, libitum, complacitum, quomodo differant? III, 17-XX.

Dilectio, amor et charitas, quomodo differant? XXII, 37-XXI, et V, 43-XX.

Dilectionis causam in proximo quomodo Pharisæi acceperint ? V, 43-XX.
Dilectionis proximi vera ratio. Ibid.

Diligendi plus sunt parentes quam proximi. Ibidem.
Diligendus semper est Deus. VI, 24-XX.
Diligere *ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente*, quid sit ? XXII, 37-XXI.
Diliges *Dominum Deum tuum* dicitur : et non dicitur, cognosces, quare ? Ibid.

Dimicatio post transmigrationem Babylonis pro patriis et Dei legibus facta, in quinque perficitur. I, 12-XX.

Dimissa peccata an redeant ? XVIII, 35-XX.
Dimitte *nobis debita nostra :* in ista petitione quatuor dicuntur. VI, 12-XX.
Dimitte *nobis debita nostra*, quare dicitur *debita nostra* ? Ibid.
Dimittere proximo debemus, ut Pater cœlestis dimittat nobis. VI, 14-XX.
Dimitti adultera quando debeat, et quando non ? XIX, 8-XX.

Dionysius, vidit eclipsim in die passionis Dominicæ in civitate. II, 13-XX.

Dipondius, quid sit ? X, 29-XX.

Discedite *a me*, quomodo Christus ut Deus dicere possit, cum ubique sit ? VII, 23-XX.

Discipuli vita perversa redundat in infamiam magistri. IX, 14-XX.
Discipuli Joannis murmuraverunt, quare ? IX, 14-XX.
Discipuli Christi quare non jejunaverunt ? IX, 15-XX.
Discipuli apte sunt duodecim. X, 1-XX.
Discipuli duodecim figurantur in duodecim filiis Jacob. Ibid.
Discipulorum spicas vellentium famis causa quæ fuerit ? XII, 1-XX.
Discipulorum vitæ austeritas notatur in hoc. Ibid.
Discipuli obliti sunt panes, quos, et quare ? XVI, 7-XX.
Discipuli veri Christi tribus perficiuntur. XVI, 16-XX.
Discipuli missi ad asinam adducendam creduntur fuisse Petrus et Philippus. XXI, 1-XXI.

Discubitus est positio composita ex sedere et jacere. IX, 10-XX.
Discumbebat Jesus vespere lunæ decimæ quartæ. XXVI, 20-XXI.

Dispensatio non debet fieri nisi causa publicæ necessitatis. XII, 4-XX.
Dispensative Christus passus est. XXVI, 50-XXI.

Dispergere est opus diaboli, congregare vero Christi. XII, 30-XX.

Dispositio Doctoris Evangelici notatur. XII, 30-XX.

Dividitur totalis liber Matthæi in titulum et tractatum. I, 1-XX.

Divina intelligere non possumus nisi sensibilibus coaptata. XIII, 1-XX.

Divinationes ex somniis quomodo fieri possunt? I, 20-XX.

Divinatio per cursus siderum aliquando est bona, aliquando mala. II, 1-XX.

Divitiis qui præest, diabolum potius nominet quam alium, quare? VI, 19-XX.

Divites illi significantur per Bethsaidam. XI, 22-XX.

Divitem intrare regnum Dei difficile est. XIX, 24-XX.

Diurnus denarius quis sit quem paterfamilias dedit operariis? XX, 2-XX.

Docere, dicere et prædicare, quomodo differant? IV, 17-XX.

Docens quomodo se habere debeat, an sedere, an stare? V, 1-XX.

Docentis potestas quadruplex. VII, 28-XX.

Docere non debet non doctus. XIII, 52-XXI.

Docere in veritate quid sit? XXII, 16-XX.

Doctor Evangelii non debet sedere in uno loco. IV, 23-XX.

Doctores in docendo comparantur civitati. V, 14-XX.

Doctores Ecclesiæ dicuntur Prophetæ. VII, 15-XX.

Doctores veri et falsi qui dicantur, et quomodo differant falsi inter se, et quomodo cognoscantur fructibus eorum? Ibid.

Doctor verbis propriis ostendit se ad opera obligatum. IX, 37-XX.

Doctores operarii sunt pauci. Ibid.

Doctores Christianæ religionis quomodo prohibentur possidere aurum? X, 9-XX.

Doctoris Evangelici dispositio. XIII, 2-XX.

Doctores quomodo sacram Scripturam exponerent, docuit Dominus? XV, 34-XX.

Doctorem humilem decet humilis innocentia. XVIII, 3-XX.

Doctores multi sunt sub Christo, ab ipso illuminati. XXIII, 10-XXI.

Doctores docendo debent sedere. XXIV, 3-XXI, et V, 1-XX.

Doctor debet habere quatuor quæ tanguntur. XXVI, 55-XXI.

Doctrina sacra non debet esse divisa per hæreses et schismata. V, 14-XX.

Doctrina verorum Prophetarum quæ sit? VII, 16-XX.

Doctrinæ usurpatio sine justitia, non est veritas regni, sed vanitas nudi sermonis. VII, 21-XX.

Doctrina proprie dicitur *disciplina*, quæ? VII, 28-XX.

Doctrinæ veritatis contradicentibus resistere est necessarium. IX, 1-XX.

Doctrinæ Apostolorum ordo determinatur secundum quatuor. X, 5-XX.

Doctrina nulla ita humilibus innititur sicut doctrina fidei. X, 7-XX.

Doctrinam homo ex se facere non potest. XV, 9-XX.

Doctrina perversa si dicitur *fermentum*, consequens est ut Catholica dicatur *panis*. XVI, 11-XX.

Doctrina bona est accipienda ab homine malo, et vita spernenda. XXIII, 3-XXI.

Dolores matris Virgo Maria inexperta. I, 18-XX.

Dominatio quid dicat secundum Dionysium? XI, 25-XX.

Dominatus in quo consistat ? VI, 10-XX.
Dominatus pertinet ad potestatem qua continentur multitudines. Ibid.
Dominatus est nomen potestatis : animata justitia secundum Ambrosium. Ibid.
Dominatum regni in spiritualibus quæ faciant ? Ibid.
Dominium an diabolus possit habere in hominem ? VI, 24-XX.
Dominus ubi est, et ubi non ? VI, 6-XX.
Hoc nomen, Dominus, quid dicat secundum Dionysium, et quid requiratur ad dominum secundum Ambrosium ? VI, 10-XX.
Domini potestatem oportet esse ordinatam legibus. Ibid.
Dominus nomen potestatis est. Ibid.
Dominus nomen majestatis est. VIII, 2-XX.
Dominus an venerit ad servum Centurionis sicut dixerat ? VIII, 7-XX.
Dominus quomodo suscitator spiritualiter ? VIII, 25-XX.
Dominus fortis : illius est mundus, conscientia et infernus. XII, 28-XX.

Donum consilii attribuitur beatitudini misericordiæ, quare ? V, 7-XX.

Dormivisse Dominum super cervical in navi dicitur, Marci, IV, 38. Ex quo notatur, quod aliquid commodi in via secum deferebatur. VIII, 24-XX.
Dormire in lecto eburneo est resolutum esse in voto castitatis. XXII, 12-XXI.

Dote agilitatis non est usus Dominus quando super mare ambulavit, sicut neque subtilitatis usum assumpsit in nativitate. XIV, 25-XX.

Dubitatio quid sit, et quomodo causetur, et quotuplex ? XXVIII, 17-XXI.

Ducentia ad bonum increatum, bonum virtutis, et lumen veritatis. VII, 7-XX.
Duci et agi quomodo differant ? IV, 1-XX.
Ducit nos Deus in tentatione, sed non in tentationem. VI, 13-XX.
Ductus *est Jesus in desertum a Spiritu* sancto. IV, 1-XX.

Duodecim sunt discipuli apte. X, 1-XX.
Duodecim discipuli figurantur in duodecim filiis Jacob. Ibid.

E

Ebionitæ hæretici dicunt Christum habuisse fratres. XII, 50-XX.

Ebrius dicitur extra briam, hoc est, mensuram bibens. XXIV, 49-XXI.

Ecclesia est area quam Christus permundabit. III, 12-XX.
Ecclesia quomodo fundetur in Apostolis ? X, 1-XX.
Ecclesia Apostolica sancta est, et habet quatuor. XVI, 18-XX.
Ecclesiæ claves quæ sint ? XVI, 19-XX.
Ecclesiæ sententia timenda est valde. XVIII, 19-XX.
Ecclesia dicitur *ager*, et est unus. XXIV, 40-XXI.

Ecclesia ad hoc habet aurum, ut distribuat pauperibus. XXIV, 45-XXI.
Ecclesiastica bona qui petunt, ære sonante significantur. XXI, 12-XXI.

Eclipsis tempore Passionis et mortis Christi qualis fuerit ? XXVII, 45-XXI.

Edulium hominis triplex. VI, 11-XX.
Edulium compositum est panis Eucharistiæ. Ibid.

Effectus tres peccati notantur. IV, 17-XX.

Efficacia Baptismi Christi. III, 11-XX.

Ejecit Christus spiritus immundos verbo. VIII, 16-XX.

Eleemosyna præcipitur, cui, et quomodo sit danda, et quibus circumstantiis ? V, 42-XX.
Eleemosynam innuit voluntariam esse. VI, 2-XX.
Eleemosyna unde dicatur ? Ibid.
Eleemosyna an sit danda ? Ibid.
Eleemosynam faciendi modus verus tangitur. VI, 3-XX.
Eleemosyna cur vocatur omnia gratia ? Ibid.
Eleemosynæ perfectio unde sit ? Ibid.
Elemosyna quomodo debet esse in abscondito ? VI, 4-XX.

Electi ad militiam non sunt permissi uxores videre. VI, 10-XX.

Elegit Dominus piscatores, non nobiles, non litteratos. IV, 18-XX.

Emmanuel, *nobiscum Deus*. I, 18-XX.

Emutilantes se sunt irregulares. V, 29-XX.

Ens primum, simplex, fontale et immutabile perfectissimum quomodo Deus sit ? VI, 9-XX.
Ens est nomen Patris. Ibid.

Erroris causa tangitur dupliciter. XVI, 17-XX.
Errore tangi et errore duci differunt. XXIV, 24-XXI.

Eruendus an sit oculus ? V, 29-XX.
Eruitur oculus dupliciter. Ibid.

Esau significat illos, qui ex spiritu ad concupiscentiam mutantur. I, 2-XX.

Esurit Christus quando voluit. IV, 2-XX.
Esurire justitiam, et sitire justitiam differunt. V, 6-XX.

Eucharistiæ panis quod efficax, et quomodo sumitur ? VI, 11-XX,
Eucharistia sanctum sacrans. VII, 6-XX.
Eucharistiæ cibus quomodo confectus ? XI, 28-XX.
Eucharistia quibus administranda ? XII, 4-XX.
Eucharistiæ Sacramentum quare cœna ul-

tima completa institutum ? XXVI, 26-XXI.

EUGE est interjectio aggratulantis. XXV, 21-XXI.

EUGE multiplices notat affectus in sacra Scriptura. XXV, 23-XXI.

EUNUCHI in triplici gradu ponuntur. XIX, 12-XX.

EVACUATUR aliquid dupliciter: vide quomodo Lex vetus evacuetur ? V, 17-XX.

EVANGELISTARUM primus cur ponitur Matthæus ? In argumento S. Hieronymi.

EVANGELISTÆ tres intermittunt facta Christi unius anni : quæ solus Joannes ponit, eo quod ultimo scripsit. IV, 12-XX.

EVANGELISTARUM concordia circa enumerationem et vocationem Apostolorum. X, 2 et seq.-XX.

EVANGELII in littera tria sunt cognoscenda. In argumento S. Hieronymi.

EVANGELIUM in omnibus abundat a Prophetia. I, 23-XX.

EVANGELII Doctor non debet in uno loco sedere. IV, 23-XX.

EVANGELIUM est bonum nuntium quod ducit ad regnum. Ibid.

EVANGELIUM secundum finem differt a lege Moysi. X, 7-XX.

EVANGELICÆ veritatis auctoritas humanis est omnibus anteponenda. XV, 3-XX

EVANGELIZARE non debetis ut manducetis. VI, 33-XX.

EXALTATIO seminis Patriarcharum, ad quam duo exiguntur. I, 5-XX.

EXAUDITIO orationis quatuor exigit. VI, 13-XX.

EXAUDIT Deus semper suos quando oratio est ad salutem. Ibid.

EXCÆCATIONIS Deus non est causa, sed illuminationis. XI, 25-XX.

EXCÆCATIONIS meritum obstinatorum unde veniat ? XIII, 14-XX.

EXCELLENTIA scientiæ est in tribus. XXIII' 34-XXI.

EXCIDITUR arbor duplici de causa. III, 17-XX.

EXCOMMUNICATIONIS vi rapientes non suum, cum latronibus conveniunt. XXI, 13-XXI.

EXCUTITE *pulverem de pedibus vestris*, multipliciter exponitur. X, 14-XX.

EXEMPLA duo ponuntur quomodo tentatio sit a Deo, et quomodo a tentato. VI, 13-20.

EXERCENS se dignus est cibo et veste. VI, 30-XX.

EXEUNDUM est usque ad Joannem. Vide exeuntium triplicem diversitatem, et quid significent. XX, 1-XX.

EXITUS patrisfamilias ad conducendum operarios qui et quot, et quid significent ? Ibidem.

EXPONI quomodo debeat sacra Scriptura docet Dominus. XXVIII, 20-XXI.

EXPROBRAT tribus generibus hominum Dominus. XI, 21-XX.

F

FACERE, et agere, et operari, quomodo differant ? XXV, 16-XXI.

FACTA post magna docet Christus ad humilitatem confugere. XIV, 12-XX.

FACIES hominis secundum totum librum Matthæo convenit. I, 1-XX.

FALSUS Propheta dicitur dupliciter. VII, 17-XX.

FALSI Prophetæ Simon Magus, Theodas, Judas Galilæus. XXIV, 5-XXI.

FAMILIA est multitudo ex uno exorta et ab uno denominata. X, 25-XX.

FAMIS discipulorum spicas vellentium quæ fuerit causa ? XII, 1-XX.

FARINA significat virtutis innocentiam. XIII, 33-XX.

FASTUM interdicit Christus his qui præsunt. XX, 26-XX.

FATUE dicens sine causa, *reus erit gehennæ ignis*, non autem si cum causa. V, 22-XX.

FATUÆ virgines quomodo non sumpserunt oleum ? XXV, 3-XXI.

FATUITAS quid sit ? XXV, 2-XXI.

FATUITAS est virginis, accipere gestum meretricis. Ibid.

FATUUM dicere illum quem Deus sale sapientiæ condivit, furor non modicus est. V, 22-XX.

FATUUS quis dicatur ? Ibid.

FEBRIS quid sit, et quomodo causetur ? VIII, 14-XX.

FELICITAS differt a virtute et beatitudine. V, 3-XX.

FELIX quis sit ? Ibid.

FERMENTI natura significat charitatem. XIII, 33-XX.

FERMENTUM erroris et corruptionis quid sit ? Ibidem.

FERMENTUM significat hæresim Pharisæorum. XVI, 6-XX.

FERMENTUM dicitur perversa doctrina, ergo Catholica dicitur *panis*. XVI, 11-XX.

FESTUCA dicitur subditus : quare non ponit festucam in judice ? VIII, 3-XX.

FIBULA datur regibus ad quid, et quid significet ? VI, 10-XX.

FICUS quatuor habet quando bona est. VII, 16-XX.

FICUS fructum facit duplicem. XXI, 19-XXI.

FICUS quare a Christo maledicta ? Ibid.

FIDEM propriam quare paralyticus habuit ? Nota ibi de fide propria et aliena IX, 2-XX.

FIDEI fuit debilis infirmus curatus : quod notatur ex hoc quod dicit : *Confide*. Ibidem.

FIDES salvam fecit mulierem et Christus, sed differenter. IX, 22-XX.

FIDEI cur attribuuntur miracula, non spei, vel charitati ? VIII, 13 et IX, 29-XX.

FIDEI lumen absconditur a sapientibus. XI, 25-XX.

FIDEI verbum habet proprietates sinapis, et fides quomodo potest omnia, et quomodo fidei subjectum est prima veritas ? XVII, 19-XX.

FIDEM Apostolos non habuisse arguitur ex hoc quia non ejecerunt montes in mare. XXI, 21-XXI.

FIGURA partus Virginis. I, 18-XX.

FIGURA Baptismatis. III, 6-XX.

FIGURA numeri Apostolorum. X, 1-XX.

FIGURATÆ quomodo sint Apostolorum vocationes ? IV, 21-XX.

FILIUS David est Christus propter regnum, et Abraham propter sacerdotium. I, 1-XX.

FILIUS David dicitur Christus prius, et postea Abraham propter diversas rationes. Ibid.

FILIUS Melchisedech an deberet dici Jesus in genealogia ? Ibid.

FILIUS David et Abraham quare dicitur fuisse Christus potius quam aliorum ? Ibidem.

FILIOS et patres legales Lucas frequenter ponit in genealogia, quare ? I, 15-XX.

FILIOS quatuor reliquit Herodes. II, 22-XX.

FILII Dei quomodo nunc simus per gratiam, et postea per gloriam ? V, 9-XX.

FILIUS noster, quare non dicimus in oratione Dominica, sed *Pater noster ?* VI, 9-XX.

FILIUS non petit nisi quod est ad honorem patris. Ibid.

FILIUM David vocaverunt Christum propter quatuor. IX, 27-XX.

FILIO Dei quomodo omnia tradita sint a Patre ? XI, 27-XX.

FILIUS qua notitia noscat Patrem, et quomodo nemo alius ? Ibid.

FILIUS *fabri* dicitur Christus. XIII, 55-XX.

FILIUM *hominis* quem dixerunt, et quibus motivis movebantur ? XVI, 13-XX.

FILII omnes adoptantur in Dei Filio. XVI, 16-XX.

FILIUM occidit et comedit mater. XXIV, 19-XXI.

FILII duo in vineam missi quid significent ? XXI, 28-XXI.

FIMBRIAS magnificare quid sit ? XXIII, 5-XXI.

FINALIS impœnitentia quomodo sit peccatum in Spiritum sanctum ? XII, 31-XX.

FINIS quadruplex. In argumento S. Hieronymi.

FINIS Evangelistæ Matthæi triplex. Ibid.

FINIS alius est operis, et alius intentionis Ibidem.

FINIS studentium et legentium in Evangelio. Ibidem.

FINIS baptismatis Joannis. III, 11-XX.

FINIS simpliciter est Christus, et est finis conjungens nos fini ultimo. XIII, 45-XX.

FLETUS quomodo causetur, et quot ad ipsum exigantur, et quomodo sit in inferno, et quomodo non ? VIII, 12-XX.

FLOS quare dicitur Jesus ? I, 18-XX.
FLOS quomodo dicitur Christus ? II, 23-XX.

FONS quare dicitur Virgo Maria ? I, 23-XX.
FONS vitæ est Pater, Filius, Spiritus sanctus. XVI, 16-XX.
FONS fundens vitam est Deus Pater. VI, 9-XX.
FONTALITATE causalitatis suæ Deus inebriat omnia bonis suis. Ibid.

FORAMEN acus dicebantur portulæ parvæ in muro Jerusalem. XIX, 24-XX.

FORMA Sacramenti Corporis Christi ponitur. XXVI, 26-XXI.
FORMA Sacramenti Sanguinis Christi ponitur. XXVI, 28-XXI.
FORMAM Baptismi nulli licet mutare. XXVIII, 19-XXI.

FORNICATIO prohibetur. V, 28-XX.
FORNICATIO pro adulterio ponitur. V, 32-XX.
FORNICATRIX et meretrix quomodo differant? XXI, 31-XXI.

FORUM ponitur pro theatro, quare ? XI, 16-XX.

FRACTIS speciebus Sacramenti, Corpus sub qualibet specie manet integrum. XXVI, 26-XXI.
Quare FRANGITUR in tres partes hostia ? XXVI, 26-XXI.

FRATER *tuus si habet aliquid adversus te :* quare non dicit, tu adversus illum ? V, 23-XX.
FRATRES Christum habuisse dicunt quidam hæretici. XII, 49-XX.
FRATER dicitur multis modis : de hoc dantur versus. Ibid.
FRATER quis dicatur quando dicitur, *Qui irascitur fratri suo ?* V, 22-XX.

FRIGIDITAS inducens somnum, ex tribus causis provenit. I, 20-XX.
FRIGUS quare debetur damnatis in inferno ? VIII, 12-XX.
FRIGUS et calor in inferno affligunt non in ratione qualitatum elementarium. ibid.

FRUCTUS studii Evangelii duplex. In argumento S. Hieronymi.
FRUCTIBUS cognoscuntur Prophetæ falsi, et qui sunt fructus illi ? VII, 16-XX.
FRUCTUS mali sunt indelectabiles, pestiferi, et inutiles. VII, 17-XX.
FRUCTUM centesimum quomodo faciant virgines ? XIII, 8-XX.
FRUCTUM sexagesimum quomodo faciunt viduæ, et trigesimum conjugati ? Ibid.
FRUCTUS quare inter virtutes attribuitur potius continentiæ ? Ibid.
FRUCTUM ficus facit duplicem. XXI, 19-XX.

FRUTEX, herba, germen, olus, arbor differunt in eadem specie plantæ. XIII, 35-XX.

FUGERE debere eum in Ægyptum qui natus est de Spiritu sancto, videtur mirabile. II, 13-XX.
FUGERE quare debuit Jesus potius in Ægyptum quam in alium locum ? Ibid.
FUGERE quando liceat Prædicatori, et quando non ? X, 23-XX.

FULGEBUNT *justi sicut sol* : quomodo exponitur de dotibus beatorum ? XIII, 43-XX.

FULGUR et fulgor quomodo differunt ? XXIV, 27-XXI.

FUNDATUR Ecclesia in Apostolos. X, 1-XX.

FUNDI bona dispositio. XIII, 8-XX.

FUROR est non modicus dicere fatuum illum quem Deus sale sapientiæ condivit. V, 22-XX.

FUTURUM *est ut Herodes quærat puerum* : arguitur contra. II, 13-XX.

G

GABAONITÆ, *proclives iniquitate*. X, 10-XX.

GALILÆA locus communis, in quo conveniebat Christum initiare suam prædicationem. IV, 12-XX.

GALILÆÆ erant duæ partes. IV, 15-XX.

GALILÆI dicebantur omnes credentes. IV, 16-XX.

GALLICINIUM, quæ hora noctis dicatur ? XIV, 25-XX.

GALLUS antequam cantet, tres Evangelistæ dicunt Petrum negaturum : Marcus, antequam bis ; vide concordiam. XXVI, 34-XXI.

GALLUS quare cantet in nocte ? Ibid.

GAUDIUM est diffusio animæ in conceptione et adeptione boni. V, 12-XX.

GEHENNA est pœna acerba a judice inflicta. V, 22-XX.

Hoc nomen, GEHENNA, in veteribus libris non legitur, sed a Domino est impositum. X, 28-XX.

GENEALOGIAM Christi quare incepit ab Abraham, et non Adam. I, 2-XX.

GENEALOGIA quam Lucas ponit, ad quid sit ? I, 1-XX.

GENEALOGIAM Christi non texit Lucas sicut Matthæus. I, 2-XX.

GENEALOGIA nulla per fœminas texi potuit. I, 16-XX.

GENERARE impotens pater, adoptare non potest. XVI, 16-XX.

GENUIT quare dicitur in genealogia ? I, 16-XX.

GENERATIO Christi est facta, ut in nobis perficiat regenerationem. I, 1-XX.

GENERATIO passiva Christi et activa nostri significatur cum dicitur : *Liber generationis*, sed differenter. Ibid.

GENERATIO Christi describitur dupliciter. I, 2-XX.

GENERATIONES quadraginta duæ, quare ponuntur in genealogia Christi a Matthæo ? I, 17-XX.

GENERATIO Christi etiam humana est ineffabilis. Ibid.

GENERATIONIS et conceptus Christi sincerita-

tem tangit, et ponit septem ad eam pertinentia. I, 18-XX.

Generatio temporalis et æterna quomodo conveniant et differant ? Ibid.

Generatio multiplex, et quomodo Christi generatio se habeat ad alias ? Ibid.

Generatio Christi refertur ad nostram regenerationem. III, 1-XX.

Generatio quare dicitur mala, quare adultera ? XVI, 4-XX.

Generatio petens signum a Domino, qualis fuerit ? XII, 39-XX.

Genitalia membra quare erunt in resurrectione ? XXII, 30-XXI.

Gentes immundæ sunt, et significantur per canes. X, 5-XX.

Genu quare curvatur Deo ? XVII, 14-XX.

Genuflexio est proprie ad humanitatem, prostratio ad deitatem. Ibid.

Germen, herba, frutex, olus, arbor differunt etiam in eadem specie plantæ. XIII, 32-XX.

Gladii duo quos habet Ecclesia. X, 10-XX.

Glossa Augustini de resurrectione et apparitionibus Christi commendatur. XXVIII, 15-XXI.

Granum sinapis minimum est. XIII, 32-XX.

Gratiam nullam conferebat Baptismus Joannis, cujus tres ponuntur causæ. III, 6-XX.

Gratia omnis cur vocatur eleemosyna ? VI, 3-XX

Gratias debemus agere in passionibus. VI, 3-XX.

Gratiæ Christi plenitudo dicitur quadrupliciter. XXVI, 27-XXI.

Gratiarum actio quid sit ? XI, 25-XX.

Gratiam remissionis peccatorum significant et continent Sacramenta. XIV, 20-XX.

Gratis *accepistis, gratis date*, intelligitur tripliciter. X, 8-XX.

Gubernatio officiorum cœlestium in Ecclesia dicitur regnum cœlorum. XI, 2-XX.

Gutta aquæ in calice vino mixta sufficit. XXVI, 27-XXI.

H

Habetur vir a muliere, et mulier a viro. I, 18-XX.

Hæmorrhoissa unde dicatur ? IX, 20-XX.

Hæreditas Christi duplex. XXI, 38-XXI.

Hæresis nova confunditur, quæ dicit aliquos repelli posse ab auditu sacræ doctrinæ. V, 15-XX.

Hæresis significatur per leprosum. X, 8-XX.

Hæresis Pharisæorum, qualis fuerit? XVI, 6-XX.
Hæresis Sadducæorum, qualis fuerit? Ibid.
Hæreses sunt portæ inferi. XVI, 18-XX.
Hæretici Helvidiani dicentes Spiritum sanctum Patrem Christi, secundum temporalem generationem, mentiuntur. I, 18-XX.
Hæretici quidam nolentes petere nisi terræ-nascentia. VI, 11-XX.
Hæretici quomodo dicuntur *lupi rapaces?* VII, 15-XX.
Hereticos quomodo Christus curet? VIII, 17-XX.
Hæreticum quomodo leprosus significet? Ibidem, et X, 8-XX.
Hæreticus Porphyrius arguit Matthæum de levitate. IX, 10-XX.

Helvidius hæreticus dicit virginem plures filios concepisse. I, 18-XX.

Her et Onan frater suus quare non commemorantur in genealogia Christi? I, 3-XX.

Herba, olus, germen, arbor, frutex, quomodo differant etiam in eadem specie plantæ? XIII, 32-XX.
Herbæ quæ creverunt sub fimbriis figuræ Christi, eamdem habuerunt virtutem quam fimbriæ Christi: narratur. IX, 22-XX.

Herodes quare plurimos libros combussit? I, 13 et seq.-XX.
Herodes sub quo natus est Christus, non fuit tetrarcha, sed totam tenebat regni monarchiam. II, 1-XX.
Herodis dierum mentionem quare facit Matthæus, non autem Augusti Cæsaris? Ibid.
Herodes quare turbatus fuit ex adventu Magorum? II, 3-XX.
Herodis dolosa de inquirendo puero simulatio. II, 7 et 8-XX.
Herodes quare et quando interfecit pueros, et quare se putavit illusum? II, 16-XX.
Herodis crudelitas comparatur crudelitati Pharaonis. Ibid.
Herode defuncto quare Angelus dixit, *Defuncti sunt qui quærebant*, etc.? II, 20-XX.
Herodes reliquit quatuor filios. II, 22-XX.
Herodes quis fuit qui tenuit Joannem, et occidit Jacobum? XVI, 1-XX.
Herodes seipsum accusat. XIV, 2-XX.
Herodi quomodo dicere potuit Joannes, *Non licet tibi habere uxorem*, cum tamen fuit alienigena? XIV, 4-XX.
Herodes fuit turpis in causa jurandi, stultus in jurando, et impius in reddendo. XIV, 7-XX.
In juramento Herodis tria considerantur. Ibidem.
Herodis corruptio est occulte insidiari Christo. XVI, 6-XX.
Herodi persuaserunt Judæi ut occideret Joannem. XVII, 12-XX.

Herodiani quare dicantur qui missi fuerunt a Judæis ad Christum tentandum? XXII, 16-XXI.

Herodias erat filia Arethæ. XIV, 3-XX.

Historia nulla authentica invenitur de Abiud usque ad Joseph. I, 13 et seq.-XX.
Historia de interfectis pueris ab Herode narratur. II, 16-XX.
Historiam non ordinat Matthæus secundum quod gesta est. XII, 1-XX.
Historia destructionis Judææ et Jerusalem ponitur. XXIV, 15-XXI.

Hoc, quid demonstret in forma consecrationis corporis Christi ? XXVI, 26-XXI.

Homo liberatur a malo tribus modis et per tria adjutoria. VI, 13-XX.
Homo se exercens, dignus est cibo et veste. VI, 30-XX.
Homo malus est pejor omni animali in duobus, et nocivior in uno, diabolo. X, 17-XX.
Homo numquam potest esse perfectus nisi capiat Deum. XI, 28-XX.
Homo tria habet tempora. XIII, 3-XX.
Homo *inimicus* quare dicitur diabolus ? XIII, 28-XX.
Homo non potest facere doctrinam ex se. XV, 9-XX.
Homo rex, qui fecit nuptias filio, qualis fuerit ? XXII, 2-XXI.
Homini cum debilissimus sit, quare fortissima imperantur? VII, 7-XX.
Homini nihil melius fieri potest quam quod divinus sit. XXII, 2-XXI.
Homines qui mirati sunt, quando Christus imperavit ventis et mari, an fuerint in navi ? VIII, 27-XX.
Hominum duo genera quibus non est prædicandum. X, 5-XX.
Hominum tribus generibus exprobrat Dominus. XI, 22-XX.
Hominum tria genera in quibus continetur tota hominum universitas. XXIV, 40-XXI.

Horæ diei et noctis duodecim, et quomodo horæ noctis vocentur? XIV, 25-XXI.
Horæ quibus paterfamilias exit conducere operarios, quæ sint, et quid significent? XX, 1 et seq.-XX.
Hora tertia stantes otiosi quare a patrefamilias non reprehenduntur ? Ibid.
Hora mortis Christi, et de hoc concordia Evangelistarum. XXVII, 45-XXI.

Horreum unum commune est in cœlo, quamvis mansiones multæ sint. XIII, 30-XX.

Hortus *conclusus* quare dicitur Virgo Maria ? I, 23-XX.

Hosanna, hoc est, obsecro, salva : compositum ex integro et corrupto. XXI, 9-XXI.

Hospes dignus tria habet in se. I, 11-XX.

Hostia quare frangitur in tres partes? XXVI, 26-XXI.

Humanis omnibus veritas Evangelica est anteponenda. XV, 3-XX.
Humanum est fluere pietate in proximum. XXV, 35-XXI.

Humiliari debemus corde, opere et ore. XXIII, 12-XXI.
Humilitas in imo stans, firmo stat pede. XVIII, 2-XX.
Humilitatem tria custodiunt. XXIII, 12-XXI.
Humilis innocentiæ doctrina quæ decet humilem doctorem. XVIII, 3-XX.

Hur occiderunt stupis. XXI, 35-XXI.

Hypocrisis semper mendax est. VI, 16-XX.
Hypocrisis perversitas triplex. XXIII, 13-XXI.
Hypocrita quasi subresponsor. VI, 2-XX.
Hypocrita unde dicitur ? Ibid.

MPERANTUR homini fortissima licet debilissimus sit. VII, 7-XX.

I

IMPETUM naturæ prævenit Spiritus sanctus in Christo. IV, 1-XX.

IMPŒNITENTIA finalis quomodo sit peccatum in Spiritum sanctum? XII, 31-XX.

DEÆ omnium factorum splendent in verbo Dei. IV, 4-XX.

IMPŒGNATIO agnitæ veritatis vocatur hoc peccatum. Ibid.

IDOLOLATRIAM quare diabolus introduxit ? IV, 9-XX.

IDOLUM non fuit in templo, quod non corrueret dum Jesus puer intravit Ægyptum. II, 13-XX.

INCITATIVA tentationum quædam extra nos, quædam in nobis. IV, 1-XX.

IDOLUM abominatur omnis humana ratio. XXIV, 15-XXI.

INCONTINENTIA *fatuitas* dicitur. XXV, 2-XXI.

IGNIS unde habebit actionem purgationis mundi innovandi? V, 18-XX.

INCREDULITAS dicitur dupliciter, et quomodo Apostoli fuerunt increduli? XVII, 19-XX.

IGNIS quomodo possit agere in animam et Spiritum? Ibid.

IGNIS cur semper incendit existentes in inferno? VII, 23-XX.

INDIFFERENS et otiosum differunt. XII, 36-XX.

ILLUMINATIONIS Deus causa est, sed non excæcationis. XI, 26-XX.

INDIVIDUITAS inter virum et mulierem quomodo causetur? I, 18-XX.

ILLUMINATIO quatuor facit. XVI, 8-XX.

ILLUMINARI incipiunt discipuli. Ibid.

ILLUSISSE quare Magi Herodi dicuntur, et quare Herodes sic putavit? II, 16-XX.

INDUCATNE Deus aliquem in tentationem ? VI, 13-XX.

ILLUDERE alicui, bonorum virorum non est. Ibidem.

INDUCI in tentationem quid sit? Ibid.

ILLUSIO Christi conficiebatur ex tribus. XXVI, 67-XXI.

INDULGENTIA quid sit, et quot requirantur ad indulgentias conferendas? XVI, 19-XX.

INDULGENTIAS consequendo quantum oporteat dare? XVI, 19-XX.
INDULGENTIIS stantibus omnibus causis totum remittitur. Ibid.

INFANTES quomodo laudare possunt? XXI, 16-XXI.

INFELIX, infelicior, infelicissimus quis sit? V, 3-XX.

INFIRMUS quis dicatur? V, 40-XX.
INFIRMITATIBUS tribus adjutoria tria componuntur. VI, 13-XX.
INFIRMITATEM triplicem incurrit homo per malum seu peccatum. Ibid.
INFIRMITATES et tentationes contingunt quinque modis. IX, 2-XX.
INFIRMITAS et languor quomodo differant? IX, 35 et X, 1-XX.
INFIRMITAS impediens, a bono retrahens quotuplex? X, 8-XX.

INFLICTIO pœnæ duplex. VII, 23-XX.

INFLUENTIA primi parentis excedit infinitatem maris. VI, 9-XX.

INIMICIS benefacere præcipit lex, V, 43-XX.
INIMICOS diligere præcipitur. V, 44-XX.
INIMICUS *homo* quomodo dicitur diabolus? XIII, 28-XX.

INIQUITAS abundat dupliciter. XXIV, 9-XXI.
INIQUI judices minus experiuntur de misericordia relaxante quam alii peccatores. VII, 1-XX.

IN INJURIA nostra decet nos esse patientes, sed nullo modo in divina. IV, 10-XX.
INJURIA potest repelli pluribus modis. VI, 12-XX.

INNOCENTIA, simplicitas, mansuetudo, in ove et homine differenter. XII, 12-XX.

INNOVANDUS quod sit mundus, et quomodo, et ad quam speciem, et an totus, etc.? V, 18-XX.

INSIGNIA regalia quibus Christum deriserunt. XXVII, 28-XXI.

INSTITUTIO Sacramenti Eucharistiæ perficitur octo. XXVI, 26-XXI.

INSTRUMENTA ultionis et ira judicis. XXII, 7-XXI.

INTELLECTUS bonos et memorias quæ faciant? V, 1-XX.
INTELLECTUS est locus specierum. VI, 9-XX.
INTELLECTUS in anima et verbum ejus habent se sicut pater et filius in divinis. XI, 27-XX.
INTELLIGERE divina non possumus nisi sensibilibus coaptata. XIII, 1-XX.
INTELLIGIBILIBUS studens quare facilius fit intelligens? XI, 28-XX.

INTEMPESTUM quæ hora noctis vocetur? XIV, 25-XX.

INTENTA quatuor in Evangelio Matthæi. In argumento S. Hieronymi.
INTENTIO legislatoris duplex. V, 22-XX.
INTENTIO dicitur *oculus dexter*, quare? VI, 22-XX.
INTENTIO est voluntas cum fine secundum Augustinum. Ibid.
INTENTIONIS usus est sicut usus lucernæ. Ibidem.

NTERROGASSE Pharisæos Christum an liceat Sabbato curare, dicitur Matthæi, XII, 10 : et Lucæ, VI, 6, dicitur Christus eos interrogasse. XII, 10-XX.
Quare INTERROGAVIT Dominus non ignorans? XVI, 13-XX.

INTITULAT Evangelista Matthæus librum suum, quod sit de generatione Jesu Christi. I, 1-XX.

INTRARE regnum cœlorum vel non, et esse in regno cœlorum, vel non, differunt. V, 20-XX.
INTRARE in tentationem quid sit? VI, 3-XX.
INTRARE oportet nos ad vitam *per angustam portam*. VII, 13-XX.
Non INTRATUR in regnum cœlorum nisi per observationem justitiæ et legum. VII, 21-XX.
INTRARE in regnum cœlorum est continuis profectibus proficisci. V, 20-XX.

INTROITUS ad vitam redemptionis Ecclesiæ ad vitam gratiæ, ad vitam gloriæ. VIII 13-XX.
INTROITUS ad perditionem duplex. Ibid.

INVENTA *est in utero habens de Spiritus sancto* : hæc locutio potest esse composita vel divisa. I, 18-XX.

INVIDENTIA fraternæ gratiæ quomodo sit peccatum in Spiritum sanctum? XII, 32-XX.

Christus a nullo INVITATUS. XXI, 17-XXI.

INVOCATIO perfecta perficitur ex tribus. VII, 21-XX.

IOTA quare Dominus nominavit, et non *iod*? quid significet *iota*? V, 18-XX.

IRA quid sit? et dicuntur tria in gradibus iræ, et tria in pœnis iræ. V, 22-XX.
IRA duplex, passio et propassio. Ibid.
IRA quædam est per zelum, quædam per vitium, et quomodo ita per zelum sit magistra disciplinæ? Ibid.
IRA judicis et instrumenta ultionis. XXII, 7-XXI.

IRASCITUR fratri suo qui sine causa irascitur: et qui eum corrigit, non peccat. V, 22-XX.

ISAIAS Propheta occisus lignea serra. XXI, 35-XXI.

J

Jacobus devovit jejunium donec vidisset Christum resurrexisse. IX, 15-XX.

Jacobus et Joannes fuerunt consobrini Domini. X, 3-XX.

Jacobus minor quare *frater Domini* sit appellatus? Ibid.

Januam clausam fatuis virginibus quare sponsus non aperit? XXV, 12-XXI.

Jechonias de quo in genealogia, an fuerit unus vel duo? I, 11-XX.

Jejunant repleti, avari, hypocritæ, differenter. VI, 17-XX.

Jejunant justus, medicus, simulator, avarus. Ibid.

Jejunatur sabbato in honorem Virginis. XXVI, 15-XXI.

Quare jejunaverunt Moyses et Apostoli? IX, 15-XX.

Jejunavit Jacobus donec videret Christum surrexisse. Ibid.

Jejunando a quibus abstinendum est, et quare non a vino? VI, 16 et 17-XX.

Jejunantibus quare non prohibentur legumina? Ibid.

Jejunantes quomodo debeant ungere caput, et faciem lavare? Ibid.

Jejunii præceptum affirmativum, non obligat ad semper. Ibid.

Jejunii tempus. Ibid

Jejunium debet nobis esse voluntarium. Ibidem.

Jejunium cur non habuerunt discipuli Domini. IX, 14-XX.

Jejunium triplex: sanctificativum, contristativum, lætificativum. IX, 15-XX.

Jejunium quod fit in feria quarta, fit in honorem passionis, quia traditus et venditus est Christus. XXVI, 15-XXI.

Jeremiæ quare attribuitur testimonium, quod in eo non invenitur? Hieronymi, Augustini, et auctoris de hoc loco difficili sententia? XXVII, 9-XXI.

Jericho interpretatur *defectus*. XX, 29-XX.

Jerusalem quare dicitur civitas sancta? IV, 5-XX.

Jerusalem, *Jerusalem*: geminatio notat compassionis affectum. XXIII, 37-XXI.

Jerusalem et Judææ destructio. XXIV, 15-XXI.

Jerusalem fuit locus solemnis et sacerdotum et religionis. XVI, 21-XX.

Jesse cur non nominatur in genealogia Isai nomine proprio? I, 5-XX.

Jesus quomodo sit Salvator, et quomodo sit nomen naturæ? I, 1-XX.

Jesus quare non assumpsit nostram naturam in sexu fœmineo? I, 21-XX.

Jesus quomodo dicatur flos? II, 23-XX.

Jesus cum sit nomen naturæ, quare dicitur Matthæi, I, 21: *Vocabis*, etc. I, 21-XX.

Hoc nomen Jesus, tripliciter consideratur secundum tria quæ sunt in ipso. Ibid.

Jesus cum non nascatur Joseph, sed beatæ Virgini, quare non injungit nominis impositionem beatæ Virgini? Ibid.

Jesus quare fugere debuit in Ægyptum? II, 13-XX.
Jesus quando rediit ex Ægypto Nazareth, fuit septem annorum. III, 13-XX.
Jesus *ductus est in desertum a Spiritu* sancto. IV, 1-XX.

Jesus Nave quare non ponitur in titulo generationis Jesu Christi? I, 1-XX.

Joannes incepit prædicare, cum esset triginta annorum. III, 1-XX.
Joannis Baptistæ commendatio. III, 3-XX.
Joannes commendatur a vitæ perfectione. III, 4-XX.
Joannes quare dicitur *Baptista* a baptismo suo, non autem Petrus, vel Paulus? III, 6-XX.
Joannes reprehendit Pharisæos et Sadducæos. III, 7-XX.
Joannes Baptista quo tempore sit incarceratus, et quando decollatus? III, 13-XX.
Joannes in quo est gratia, significat ministrum Ecclesiæ, non hæreticum. Ibid.
Joannes baptizare Christum qualiter recusavit? III, 14-XX.
Joannes quomodo cognovit Christum? Ibidem.
Joannes quare dicit se debere baptizari, cum tamen sanctificatus fuerit in utero? Ibidem.
Joannes et Jacobus fuerunt consobrini Domini. X, 3-XX.
Joannes Baptista utrum dubitaverit de Christo? XI, 2-XX.
Joannes quomodo non fuit arundo, vel mollibus vestitus? XI, 7 et 8-XX.
Joannes commendatur auctoritate doctrinæ, et quod non est solum Propheta, sed plusquam Propheta. XI, 9-XX.
Joannes commendatur ab officio et perfectione virtutis. Ibid.
Joannis occisio describitur. XIV, 3 et seq.-XX.
Joannes Baptista ubi sepultus sit? XIV, 12-XX.
Joannis mortem persuaserunt Judæi Herodi. XVI, 12-XX.

Joanni quando Christus dixit, *Calicem meum bibetis.* XX, 23-XX.

Jonæ signum fuit signum mortis Christi: et quomodo intelligitur fuisse tribus diebus, et tribus noctibus in corde terræ. XII, 39-XX.

Joram qui nequam fuit, ponitur in catalogo Regum propter bonum patrem, quem habuit. I, 8-XX.

Joseph a Matthæo dicitur filius Jacob, et a Luca, Heli. I, 15-XX.
Joseph laus exprimitur in quatuor: in Dei familiaritate, in clarorum virorum educatione, in propositi sanctitate, et in virtutis commendatione. I, 18-XX.
Joseph vir Mariæ a fide sponsionis. I, 19-XX.
Joseph apparitio, an somnium fuerit? I, 20-XX.
Joseph quare Angelus non plene instruxit, antequam veniret in agoniam dubii? I, 21-XX.
Joseph accrescens significat Christum. I, 23-XX.
Joseph quare non commemoratur inventus a Magis? II, 11-XX.
Joseph quare debuit cum puero et matre fugere in Ægyptum potius quam in alium locum? II, 13-XX.
Joseph quare Angelus non determinavit tempus, quo maneret in Ægypto? Ibidem.

Joseph quare nocte, et non die secessit in Ægyptum? II, 14-XX.
Joseph quare potius timuit ire in Judæam, ubi Archelaus regnavit, quam in Galilæam, ubi Herodis filius regnavit? II, 22-XX.
Joseph quare dicitur admonitus in somnis? Ibidem.

Judas *et fratres ejus* quos significent? I, 2-XX.

Judas non credidit, quod deberent Judæi Jesum interficere. XXVII, 3-XXI.

Judææ et Jerusalem destructio. XXIV, 15-XXI.
Judæam Pompeius fecit tributariam. XVII, 23-XX.
Judæi inexcusabiles. II, 2-XX.
Judæos quare vocat Christus *oves*? X, 6-XX.
Judæi resurrectionem non credentes arguuntur. XIV, 2-XX.
Judæorum destructio. XXII, 7-XXI.
Judæi cur dicuntur *fæces*? XXII, 8-XXI.
Judæi tentaverunt Christum de veritate judicii et justitiæ. XXII, 16-XXI.
Item, de veritate fidei et religionis. XXII, 23-XXI.

Judex debet cogi ab allegatis, et quomodo debet esse sciens? VII, 1-XX.
Judicis nostri ira et instrumenta ultionis. XXII, 7-XXI.
Judicis crimen dicitur *majus* duobus modis. VII, 3-XX.
Judices iniqui minus experiuntur de misericordia relaxante quam alii peccatores. VII, 1-XX.
Judicare prohibemur ut non judicemur. Ibidem.

Judicialia legis præcepta quæ sint? V, 17-XX.
Judicio an liceat sua repetere? V, 40-XX.
Judicium fit multis modis, et sufficientia, et qualiter liceat et qualiter non, et plura alia de judiciis notantur? VII, 1-XX.
Judicium extremum quæ signa circumstent et sequantur? XXIV, 29 et seq.-XXI.
Judicium sanctorum et cordium illorum propalatio. XXV, 42-XXI.

Jugum vinculi charitatis tollere debemus. XI, 29-XX.

Junci significant pietatem ex notitia Scripturarum. XVI, 10-XX.

Juramentum quid sit, et ejus necessitas et finis, et quæ exigantur ad juramentum? V, 23-XX.
Juramenti tres comites secundum Hieronymum, et quæ exigantur ad juramentum licitum? Ibid.
Juramentum semper oportet intelligi in illam partem in quam accipit ille, propter quem fit, quacumque arte verborum jurans utatur. Ibid.
Juramentum quare a *jure* denominatur? Ibidem.
Juramentum reddere quid sit? Ibid.
Jurare periculosum est, et assuescens labitur in perjurium. Ibid.
Juratur duobus modis in genere. Ibid.
Jurare quomodo prohibeat quando dicit: *Ego dico vobis non jurare omnino*? V, 34-XX.
Jurabant homines per creaturas duobis modis. Ibid.
Jurare quare non debemus per cœlum? Ibidem.
Jurare quare non debemus per terram, per Jerosolyman, per caput? V, 35-XX.

Quare JURAT Ecclesia per Evangelia et reliquias Sanctorum ? V, 36-XX.

JURA et leges æquissimas, qui discunt propter cavillationes causarum, foveas astutiarum faciunt. VIII, 20-XX.
JUS naturale non contineri in his duobus mandatis ostenditur. VII, 12-XX.

JUSTITIA duplex : generalis, et specialis : et quid utraque ? V, 6-XX.
JUSTITIAM facere, et facere justitiam justitiæ modo, et appetere facere, et esurire justitiam et sitire differunt. Ibid.
JUSTITIAM quomodo quis esuriat et sitiat, et quid sit saturari justitia ? Ibid.
JUSTITIA Pharisæorum quæ fuerit, et quæ Scribarum ? V, 20-XX.
JUSTITIA dicit rectitudinem. VI, 1-XX.
JUSTITIAM facere coram hominibus monemur, sed non ut videamur ab eis. Ibid.
JUSTITIA Pauli et justitia Christi. Ibid.
JUSTITIÆ secunda pars, scilicet oratio, incipit determinari. VI, 5-XX.
JUSTITIÆ et castitati studens, facilius operatur justa. XI, 28-XX.
JUSTITIA dat lucem in merito, et ideo dat lucem in præmio. XIII, 43-XX.
JUSTITIAM rex negligere non potest. XXII, 7-XXI.
JUSTUS dicitur a justitia generali, et an Joseph fuerit justus? I, 19-XX.
JUSTIS semper adest consilium divinum, deficiente consilio humano. I, 20-XX.
JUSTI *fulgebunt sicut sol.* XIII, 43-XX.

L

LABOR spiritualis et corporalis, et quilibet duplex. VI, 26-XX.
LABOR causatur ex tribus. XI, 28-XX.
LABORARE quomodo tenetur homo? VI, 26-XX.
LABORANTES labore universali possunt accipere ab illis circa quos laborant. Ibid.

LAMPAS quid sit et quid significet? XXV, 1-XXI.
LAMPADES exstingui est conscientias ab interni boni lumine destitui. XXV, 8-XXI.

LANGUOR quid sit? IV, 24-XX.
LANGUOR et infirmitas quomodo differant? IX, 35-XX.

LANIS ovium induuntur omnes. VII, 15-XX.

LAPIDES duodecim quos Joannes demonstravit venientibus ad se, quid significent? III, 7-XX.
LAPIS significat cordis duritiam charitati contrariam. VII, 10-XX.
LAPIS *quem reprobaverunt ædificantes*, qualis fuerit? XXI, 44-XXI.

LARGUS est Pater cœlestis in filios. VI, 11 XX.

LATRONES duo quare crucifixi sunt cum Jesu ? XXVII, 38-XXI.

LAUDARE infantes quomodo possunt? XXI, 16-XXI.

LAUDABILIS sollicitudo est multiplex. VI, 26-XX.

LAUS Joseph conjugis Mariæ exprimitur in quatuor. I, 18-XX.

LAUDES de magnis factis contemnere docet Christus. XXIII, 7 et seq.-XXI.

LEGATIS missis ad capiendos malos sunt duo necessaria. X, 16-XX.

LEGET quilibet scripturam suorum meritorum in judicio. XXV, 42-XXI.

LEGISLATOR quid intendat et quomodo ejus intentio est duplex? V, 22-XX.

LEGISLATORES ad continendam multitudinem, oportet tribus modis se habere ad eam. V, 31-XX.

LEGUMINA ventosa sunt, quare non prohibentur jejunantibus? VI, 17-XX.

LEPRA corruptio est nutrimenti. VIII, 1-XX.

LEPRA est corruptio vasorum quæ corrumpunt nutrimentum. VIII, 3-XX.

LEPROSUM quare Christus non solo verbo curavit sicut Eliseus Naaman. Ibid.

LEPROSUS cur non obediverit præcepto, quando cœpit diffamare et prædicare? VIII, 4-XX.

LEPROSUS quare debeat se ostendere Sacerdotibus? Ibid.

LEPROSUS quomodo significet hæreticum? VIII, 16-XX.

LEPROSUS efficitur ciens statim cum una post leprosum. XXII, 24-XXI.

LEVI nomen dignitatis fuit. IX, 9-XX.

LEX concupiscentiæ cognavit ante Abraham. I, 2-XX.

LEX a ligando dicta, et quomodo lex vetus evacuetur? V, 17-XX.

LEX continet moralia, judicialia, cæremonialia, sacramentalia, et promissa. Ibid.

LEX talionis, inventa est pro pace. V, 43-XX.

LEX nusquam continebat de odio inimici, imo præcepit inimicis benefacere Ibid.

LEX est jus scriptum asciscens honestum, prohibensque contrarium. V, 10-XX.

LEX licet justo posita non sit, tamen a justa mente. Ibid.

LEX *et Prophetæ usque ad Joannem.* XI, 13-XX.

LEX terminata est dum in cruce dixit : *Consummatum est.* Ibid.

LEGEM quomodo Christus impleverit? Ibid.

LEGEM solvere est vincula legis non attendere. V, 19-XX.

LEGEM docens impere quare omittat aliqua mandata? Ibid.

LEGEM duplicem posuerunt Scribæ. Ibid.

LEGUM quatuor transgressiones. In argumento S. Hieronymi.

LEGES divinæ inscribuntur cordibus nostris inviolabiliter observandæ VI, 10-XX.

LEGEM si justus rea violat, exemplaris erit violatio et doctrinalis. XII, 3-XX.

LEGIS veteris difficultas, et novæ levitas. V, 17-XX.

LIBELLUS repudii quare permittebatur a Moyse? V, 31-XX.

LIBER vitæ scriptus justitia Dei aperietur omnibus in judicio. XXV, 42-XXI.
LIBER primus in Veteri Testamento est de generatione, similiter in Novo, sed differenter. I, 1-XX.
LIBRI in quibus scribitur consilium Apostolorum. V, 22-XX.

LIBER secundum Philosophum dicitur, qui sui causa est. VI, 10-XX.
LIBER est homo, quando in Deum libere et consulte et placite movetur. Ibid.
LIBERTAS triplex, naturæ, consilii, et complaciti. Ibid.
LIBERTAS voluntatis triplex, naturæ, gratiæ, et gloriæ. Ibid.
LIBERTAS consilii quæ sit, et quæ beneplaciti ? Ibid.
LIBERTAS naturæ est quando natura se nulli subdit servili. Ibid.
LIBERTAS gloriæ perfecte habetur in patria : hic tamen habentur primitiæ. Ibid.
Quæ sit LIBERTAS in qua debet fieri voluntas Patris ? Ibid.
LIBERTATIS nimia defensio ne fiat scandali occasio, instruit. XVII, 26-XX.

LIBERA *nos a malo :* contra hanc petitionem multipliciter arguitur : nota etiam de quo malo intelligitur, et plura alia. VI, 13-XX.
LIBERATUR homo a malo tribus modis, et per tria adjutoria. Ibid.
LIBERATIO Patriarcharum quatuor exigebat. I, 2-XX.

LIBERUM arbitrium vocatur arbor bona. VII, 18-XX.

LIBIDO quid sit ? IV, 1-XX.
LIBIDINEM faciunt tria. VI, 16-XX.
LIBIDO insatiabilis est. XXIV, 38-XXI.

LIGATIO Sacerdotis præcedit absolutionem. XVII, 19-XX.

Per LILIORUM agri similitudinem prohibet sollicitudinem. VI, 28-XX.

LOCUS orationis et exauditionis nostræ in cœlo est duplici de causa. VI, 10-XX.

LOCUSTÆ quales fuerint, quas Joannes comedit ? III, 4-XX.

LOQUI in parabolis quid sit ? XIII, 3-XX.
LOQUUNTUR omnia sapientiam Dei in mysterio verbi absconditam. XIII, 35-XX.
Quare LOQUEBATUR Jesus in parabolis ? XIII, 1-XX, et XXII, 1-XXI.

LUCAS non texit genealogiam Christi sicut Matthæus. I, 2-XX.

LUCERNA ardens est Prælatus, lucens scientia et ardens charitate. V, 15-XX.
LUCERNA corporis est oculus. VI, 22-XX.

LUCIFER tentavit Christum : quomodo relegatus sit in infernum ? IV, 11-XX.

LUCTUS duplex, et secundus habet gradus. V, 5-XX.

LUMEN triplex, gratiæ, revelationis divinæ, et theophaniæ. V, 8-XX.
LUMEN veritatis et bonum virtutis ducunt ad bonum increatum. VII, 7-XX.

LUMEN fidei absconditur a sapientibus. VI, 25-XX.

LUMINARIA cœli in judicio, et peracto judicio quomodo mutabuntur? XXIV, 29-XXI.

LUNÆ rubor quare est signum pluviæ? XVI, 3-XX.

LUNATICUS quem Dominus curavit, quomodo surdus et mutus factus sit? XVII, 14-XX.

LUPUS non solum habet dentes mordaces sed et venenatos. VII, 15-XX.

LUPI rapaces quomodo dicantur hæretici? Ibidem.

LUX ut nos illuminet, oportet obicem removere. XI, 25-XX.

LUCEAT *lux vestra*, exponitur. V, 16-XX.

M

MACULA qualis sit et cur dicatur *peccatum?* IV, 17-XX.

MAGISTER dicitur Christus Dominus et paterfamilias. X, 25-XX.

MAGISTERIUM non interdicit Christus, sed ne vacuum nomen appetamus. XXIII, 8-XXI.

MAGISTERIUM prælationis interdicit, non actum. Ibid.

MAGNIFICARE fimbrias quid sit? XXIII, 5-XXI.

MAGNUM esse in regno cœlorum bonum est, sed non magnum sibi videri. XVIII, 1-XX.

MAGNUM mandatum quod sit? XXII, 36-XXI.

MAGUS, maleficus, mathematicus, incantator, necromanticus, ariolus, aruspex, divinator, differunt. II, 2-XX.

MAGI evidenter et patenter inquisiverunt de Christo. Ibid.

MAGI quomodo venerint offerre, narratur. Ibidem.

MAGI in terras suas revertendo multos converterunt. Ibid.

MAGI grammatice magni sunt. Ibid.

MAGI unde venerunt, et quomodo fuerunt reges? Ibid.

MAGI quomodo fuerunt certi de nato rege? Ibidem.

MAGIS stella occultata erat propter tria Ibidem.

MAGI quanto tempore pervenerunt ad Christum? II, 2-XX.

MAGOS quare Herodes clam vocavit? II, 7-XX.

MAGI dicuntur invenisse matrem et puerum: et nihil dicitur de Joseph, quare? II, 11-XX.

MAGORUM munera oblata puero quid significent? Ibid.

MAJOR quomodo sit Joannes? XI, 11-XX.

MAJUS miraculum quod Christus fecit, quod fuerit? XXI, 12-XXI.

MALEDICTIO contra rectitudinem juramenti. XXIII, 16-XXI.

MALEDICTIO de erronea mandatorum comparatione causata ex avaritia. XXIII, 23-XXI.

MALEDICTIO contra vanitatem observantiarum. XXIII, 25-XXI.

MALEDICTIO contra sermonis jactantiam. XXIII, 29-XXI.

MALITIA *sua* quæ diei sufficere dicitur, qualis sit? VI, 34-XX.

MALI ortus. XIII, 27-XX.

MALUM a quo petimus liberari in oratione Dominica, quod sit? VI, 13-XX.

MALUM an sit amplioris divisionis, quam bonum, et quomodo in genere sint? Ibid.

MALUM est infirmitas modi commensurationis et harmoniæ. Ibid.

MALUM quomodo tribus infirmitatibus hominem destituat, et infirmum reddat? Ibidem.

MALA an aliquando sint facienda, ut inde eveniant bona? V, 31-XX.

MALO quomodo non debeamus resistere docet Christus. V, 39-XX.

A MALI contagione, causa, et defectu quomodo liberatur homo? V, 13-XX.

MALI in inferno an possint consumi? VIII, 12-XX.

MALUS minister regni cœlorum quomodo major est Moyse, Prophetis, et Joanne? XI, 11-XX.

MALUS accipitur pro diabolo. XIII, 19-XX.

MALUS semper morte subitanea præoccupatur. XXIV, 43-XXI.

MALI cur tolerantur? XIII, 29-XX.

MALI servi vel prælati stipendia. XXV, 15-XXI.

MAMMONA quid significet? VI, 24-XX.

MANDATUM minimum, magnum, et maximum, quod dicatur? V, 18-XX.

MANDATUM communicationis proximi. VII, 12-XX.

MANDATUM est signum voluntatis Dei. XXII, 36-XXI.

MANDATUM primum quod sit? XXII, 38-XXI.

MANDATUM secundum cur dicitur simile primo? XXII, 39-XXI,

MANDATORUM *via* quomodo sit paranda? III, 3-XX.

MANDATA quæ sint maximi meriti in observantibus, et minimi peccati in transgredientibus? V, 18-XX.

MANDATA aliqua de his quæ ponuntur Exod. XX, 2 et seq., quare Salvator docens legis impletionem, omittit? V, 21-XX.

MANSIONES quamvis multæ sint in cœlo, tamen est unum commune horreum. XIII, 30-XX.

MANUS organum est intellectus operativi. IV, 6-XX.

MANUS dextera et manus sinistra quæ sint? V, 30-XX.

MANUS est organum organorum, et significat virtutem divinam universalem. VIII, 3-XX.

MANUS Christi virtutem habet multiplicatricem. XIV, 19-XX.

MANUM aridam habens et curatus a Domino, fuit cæmentarius. XII, 10-XX.

MARGARITA quid sit, et quid significet? VII, 6-XX.

MARGARITÆ bonæ dicuntur colore, natura et effectu. XIII, 45 et 46-XX.

MARGARITARUM conchæ sunt odoriferæ. Ibidem.

MARGARITUM dicitur congregatio talium margaritarum.

MARIA, illuminatrix, stella maris, Domina, amarum mare. I, 18-XX.
MARIA commendatur ex hoc quod desponsata fuerit Joseph virgini. Ibid.
MARIA virgo quare dicitur *hortus conclusus*, et quare *fons*? I, 23-XX.
MARIAS tres genuit Anna, et qui sint earum filii? nota versus. X, 3-XX.
MARIA Magdalena virgo fuisse creditur. XXVI, 7-XXI.

MARIS motus dicitur *magnus*. VIII, 24-XX.
MARIS motus seu tempestas quomodo causetur? Ibid.

MARTHA secundum Ambrosium fuit quæ habuit profluvium sanguinis, et curata per Jesum. IX, 20-XX.

MARTYREM causa facit, non pœna. XX, 23-XX.

MATER Jesu, mater immaculata, mater intacta. I, 18-XX.
MATRIS dolores virgo Maria est inexperta. Ibidem.
MATER et pater tripliciter accipiuntur. XIX, 5-XX.
MATER occidit et comedit filium. XXIV, 19-XXI.

MATHEMATICUS, maleficus, magus, incantator, necromanticus, etc., differunt. II, 1-XX.
MATHEMATICUS duplex sicut mathesis. Ibidem.
MATHESIS dicitur dupliciter pront media est brevis vel longa. Ibid.

MATRIMONIUM verum fuit Virginis beatæ et Joseph. I, 18-XX.
MATRIMONIUM Virginis tribus suis bonis est perfectum. Ibid.
MATRIMONII actus, et quis finis? XIX, 5-XX.
MATRIMONIUM et fœcunditas sunt officia mortalium, non immortalium. XXII, 28-XXI.

MATTHÆUS nomen commune fuit. X, 9-XX.
MATTHÆUM arguit Porphyrius hæreticus de levitate. IX, 10-XX.
MATTHÆUS quando vocatus sit? Ibid.
MATTHÆUS non ordinat historiam secundum quod gesta est. XII, 1-XX.
MATTHÆUS donator consilii. In S. Hieronymi argumento.
MATTHÆUS in conversione quare sic dictus est, et ratio quare primus Evangelistarum ponitur? Ibid.
MATTHÆUS quare non facit mentionem circumcisionis, sed nominis Jesu? I, 21-XX.

MAXILLÆ percussionem quare potius tangit, quam alterius partis? V, 39-XX.
MAXILLAM alteram quomodo debeamus præbere percutienti? Ibid.

MAXIMUM mandatum quod sit? XXII, 36-XXI.

MEDI adæquantes et mensurantes. X, 9-XX.

MELCHISEDECH figura Christi Rex fuit et Sacerdos. I, 1-XX.
MELCHISEDECH filius quare non debuit Christus dici? Ibid.

MEMBRA genitalia erunt in resurrectione. XXII, 30-XXI.

MEMORIAS et intellectus bonos quæ faciunt? V, 1-20.

MENDACIUM prohibetur. V, 37-XX.
MENDACIA dicuntur miracula duobus modis. VII, 22-XX.

MENDICITATEM in prædicatoribus quidam condemnant. X, 9-XX.
MENDICUS et pauper differunt. V, 3-XX.

MENS unde dicatur, et quotuplex sit in nobis? IV, 1-XX.
Ad munditiam MENTIS nihil penitus confert ablutio corporis. XV, 20-XX.

MENSURA eadem qua mensi fuerimus, quomodo remetietur nobis? VII, 2-XX.

MERETRIX omnis est crudelis. XIV, 8-XX.
MERETRIX quomodo differat a fornicatrice? XXI, 31-XXI.

MERITUM efficiunt quinque, quorum duo sunt necessaria. XXV, 15-XXI.
MERITA Sanctorum sunt dispensatoribus credita. XVI, 18-XX.

MESSIS *quidem multa* dicitur, et non semina. IX, 37-XX.
MESSIS est consummatio sæculi. XIII, 39-XX.

MILITES non pe antur uxores videre. VI, 10-XX.
MILITUM duo officia. Ibid.

MINISTER legis gratiæ quomodo sit major Joanne? XI, 11-XX.
MINISTRI Ecclesiæ significantur per corvum, qui pabulum præbuit Eliæ. XIV, 19-XX.
MINISTRORUM Ecclesiæ duæ sunt vocationes formaliter distinctæ. IV, 18-XX.

MINIMUS *in regno cœlorum* quis dicatur? V, 19-XX.
MINOR *in regno cœlorum qui est, major est illo*: exponitur multipliciter. XI, 11-XX.

MIRABILIA quare dicitur Jesus fecisse potius quam miraculum? XXI, 15-XXI.

MIRACULUM quantum fuit, quod Jesus ambulavit super mare. XIV, 25-XX.
In expostulatione MIRACULI tria exiguntur. VII, 1-XX.
MIRACULA non eodem modo ordinant Evangelistæ. VIII, 14-XX.
MIRACULORUM effectus quare plus attribuitur fidei quam spei et charitati? IX, 22-XX.
MIRACULA quare Dominus fecerit aliquando absens, aliquando præsens? VIII, 28-XX.
MIRACULA omnia attribuuntur fidei. IX, 29-XX.

MIRUM omnium mirorum. I, 20-XX.

MISERABILIS sollicitudo est multiplex. VI, 25-XX.

Miseria duplex ex Prælatorum defectu IX, 36-XX.

Misericordia triplex, et quæ perfectissima? V, 7-XX.
Misericordia duplex relaxans et liberans. Ibidem.
Misericordia quæ debetur misericordiæ beatitudini. Ibid.
Misericordia relaxans si non remitteret, peccator in nihilum esset conterendus VII, 1-XX.
Misericordiæ opera Christus commendat. XXV, 35-XXI.
Misericordiæ opera enumerando quare non facit mentionem de sepultura mortuorum? Ibidem.
Misericordiæ operum sufficientia. Ibid.

Misit prædicare solum Judæis in prima missione propter tres causas. X, 5 et 6-XX.
Missio Apostolorum significata est. X, 16-XX.

Mitis est aliquis tripliciter. V, 4-XX.
Mitem oportet prius esse pauperem spiritu Ibidem.
Mitium magistrum se fecit Christus. Ibid.
Mititas quam quidam mansuetudinem vocant, est trium graduum. V, 4-XX.

Modius tria significat. V, 15-XX.

Modus prædicationis duplex. IV, 23-XX.

Mola asinaria significat hominem. XVIII, 6-XX.

Mollities duplex. XI, 8-XX.
Mollibus qui induantur moraliter? Ibid.

Monachi hypocritæ per struthiones significantur. XXIV, 25-XXI.
Monachi et moniales quales erunt tempore Antichristi? Ibid.

Monarchia quid sit? VI, 10-XX.

Moniales mortiferis cantibus animas decipientes, significantur per Sirenas. XXIV, 26-XXI.

Mons in quo diabolus Dominum tentavit, et qualis ille mons in nobis sit? IV, 8-XX.
Mons in quo civitas ponitur, quid sit? V, 1 et 14-XX.
Mons in quo Jesus transfiguratus est, fuit Thabor. XVII, 2-XX.
Montem se esse notat Christus. V, 1-XX.

Monstruosum animal dicitur porcus. VIII, 31-XX.

Monumenta in Christi passione aperta fuerunt, non tamen surrexerunt corpora ante tertium diem. XXVII, 52-XXI.

Moralia legis præcepta quæ sint? V, 17-XX.

Moriuntur boni morte amariori in quantum multis bonis privantur. XXVII, 50-XXI.
Mors Christi significatur per dies, et per illam destruxit duplicem mortem nostram. XII, 40-XX.

Morte subitanea semper malus præoccupatur. XXIV, 44-XXI.
Mortalium bona et officia sunt matrimonium et fœcunditas, non immortalium. XXII, 28-XXI.
Mortui in peccatis et mortui in Domino. VIII, 22-XX.

Motus primi divisio in primo primum et secundo primum non approbatur. IV, 3-XX.
Motus maris dicitur *magnus*, et quomodo causetur? VIII, 24-XX.

Mulier et vir quomodo se habent penes paritatem et suppositionem? I, 18-XX.
Mulier adulterans quatuor peccata committit. V, 32-XX.
Mulier quæ fuit in profluvio sanguinis, quomodo audebat tangere Christum? IX, 20-XX.
Mulier alia quare vocabatur *Chananæa*? XV, 22-XX.
Mulier quæ lavit pedes et quæ unxit caput, utrum eadem fuerit? XXVI, 7-XXI.
Mulierem *qui viderit*, quare dicitur potius, quam qui odit, vel olfacit? V, 28-XX.
Mulieres formas prospectibus hominum objicientes vituperantur. V, 29-XX.
Mulieres factæ sunt Apostolæ Apostolorum. XXVIII, 7-XXI.

Multi primi novissimi, et novissimi primi. XX, 16-XX.

Multiloquium prohibendo, orationes longas non prohibuit. VI, 8-XX.

Multiplicavit panes Dominus in deserto propter duas causas. XV, 34-XX.

Munditia cordis ad plenum tribus perficitur. V, 8-XX.
Munditiæ corporis appetitus nimius, sordes inducit mentis. XV, 20-XX.

Mundus est innovandus. V, 18-XX.
Mundus in quo sit innovandus, et quomodo innovabitur? Ibid.
Mundus est ager. XIII, 24 et 38-XX.

Munerum quæ Magi obtulerunt puero Jesu, expositio. II, 11-XX.
Munus quod offers, debet esse tuum. V, 23-XX.

Musicis dulcibus milites post exercitum erant dediti. VI, 10-XX.

Mustum quare vaporosum est et bullit? IX, 17-XX.

Mutandum nihil est in sacro eloquio. II, 6-XX.

Mutuare præcipitur nobis. V, 42-XX.

Mutus ejecto dæmonio locutus est : hæc historia non est eadem quæ a Luca narratur. IX, 33-XX.
Muti frequenter sunt surdi. XV, 30-XX.

Myrrha quid significet, et quos effectus habeat? II, 11-XX.

Mysterium unde dicitur? XIII, 11-XX.

N

Nasci voluit Christus de virgine desponsata, cujus ponuntur octo causæ. I, 18-XX.
Nasci debuit Christus de Juda. II, 5-XX.
Nativitati Christi tres sunt in cœlo qui testimonium dant. II, 1-XX.

Natura vel spiritus noster nubere altius vel gloriosius non potest quam Filio Dei conjungatur. XXII, 2-XXI.
Naturæ impetum prævenit Spiritus sanctus in Christo. IV, 1-XX.
Naturale est homini in mari timere. VIII, 25-XX.

Navicula in quam ascendit Christus, significat crucem. VIII,23-XX.

Nazaræus vocatur Christus. II, 23-XX.

Necessaria Deus omnibus providet. VI, 28 et seq.-XX.
Necessaria duo sunt ad vitam. VII, 7-XX.
Necessitatis curam Dominum prohibere credendum non est. X, 9-XX.

Necromanticus, magus, mathematicus, maleficus, differunt. II, 1-XX.

Negavit Petrus Christum : nota concordiam Evangelistarum. XXVI, 35-XXI.

Negotia eorum agens quibus tenetur ille qui illicite accipit, potest ab eis accipere victum in stipendium necessitatis, si non habeat unde vivat. IX, 10-XX.

Nemo *potest duobus dominis sesvire.* VI, 24-XX.

Nihil nostrum est, si agitur inter nos et Deum. VI, 11- X.

Nix est rara, alba et mollis, quare, et quid significet? XVII, 2-XX.

Nobilitas regni cœlestis in quibus consistat? XXII, 2-XXI.

Nobiscum est Deus multis modis. XXVIII, 20-XXI.

Nocumentum, quando veritas non lucide docetur. XV, 14-XX.

Nolite *putare qnoniam veni solvere Legem*, multis modis exponitur. V, 17-XX.
Nolo in omnibus condecliniis relinquit voluntatem affirmatam, et negat volitum. Ibidem.

Nomen *Jesus*, et nomen *Christus* quid [significent, et quomodo differant? I, 1-XX.
Nomen duplex, personæ et naturæ. VI, 9-XX.
Nominis hujus octo effectus proprii. Ibid.
Nomen declarat rem, cui datur? Ibid.
Nomen declarans rem est super rem, cui datur? Ibid.

NOMEN quod imponitur, sæpius sine nominis causa imponitur : quod autem datur, semper cum causa datur. VI, 9-XX.
NOMEN Dei, quod sanctum est, sanctificatur adhuc quadruplici sanctificatione. Ibid.
NOMEN Domini quatuor polluunt. Ibid.
NOMEN Patris quare potius sanctificatur in nobis quam alia nomina? Ibid.
NOMINIBUS quomodo possumus genealogiam Christi conjicere? I, 2 et seq.-XX.
NOMINIS *Jesus* ratio ponitur. I, 21-XX.
NOMINIBUS divinis quibus possit addi *noster*, vel *meus*. VI, 9-XX.
NOMEN Patris cum dicitur *Pater noster*, supponit pro tota Trinitate. Ibid.

NOSCIT Filius Dei Patrem : nota quæ notitia. XI, 27-XX.

NOSTER Pater, *qui es in cœlis* : nota quid significet ibi *noster*? VI, 9-XX.
NOSTER Pater per communicationem inhabitantis gratiæ. Ibid.
NOSTER Pater est per eam, qua in nobis invicem obligamur, fraternitatem. Ibid.
NOSTER Pater quare debemus dicere, et non Pater meus. Ibid.
NOSTER Pater dicitur ad usum et ad fructum. Ibid.
NOSTRUM est aliquid secundum rem et legem, et aliquid secundum rem et non legem, et aliquid non secundum rem sed legem. VI, 11-XX.
NOSTRUM panem quare petimus, et non dicendo *meum*. Ibid.

NOVISSIMUS *quadrans* quis sit? V, 26-XX.
NOVIUS omni novo. I, 18-XX.
NOVUM quid dicatur? V, 21-XX.
NOVUM vinum habet tres calores : nota quare rumpit vasa. IX, 17-XX.

NOX mortis Christi non omnino fuit nox. XII, 40-XX.
NOCTE quare Joseph fugit, cum tamen Angelus non dixit? II, 14-XX.
NOCTIS horæ sex sunt, et quomoda vocantur? XIV, 25-XX.

NUBERE natura vel spiritus noster altius non potest, quam ut Filio Dei conjungatur. XXII, 2-XXI.

NUBES, in qua Dominus ad judicium veniet, qualis erit? XXIV, 30-XXI.

NUMERUS beatitudinum. V, 10-XX.

NUMISMA vocatur impressio figuræ in denarium. XII, 19-XXI.

NUPTIALIS vestis est vestimentum charitatis et honestæ conversationis. XXII, 11-XXI.
NUPTIAS triplices fecit Christus. XXII, 2-XXI.
In illis NUPTIIS quomodo omnia parata sint? XXII, 4-

NUTRIMENTUM quod accipitur de pane, magis adhæret membris. VI, 11-XX.
NUTRIENTIA bona sunt quatuor. Ibid.

O

Obduratio quomodo sit peccatum in Spiritum sanctum? XII, 32-XX.
Obdurationis hujus effectus tres. XIII, 15-XX.

Obedientia mandatorum plus dat intellectu in divinis quam labor studiorum. XVI, 16-XX.

Obicem oportet removere, si lux illa nos illuminare debeat. XI, 25-XX.

Oblatio debet esse voluntaria. V, 23-XX.
Oblationem placabilem facit odii depositio. V, 24-XX.

Obligatum ad opera ostendit se Doctor verbis propriis. IX, 37-XX.

Obsecratio, oratio, postulatio, petitio, deprecatio, gratiarum actio, quomodo differant? VI, 9-XX.

Observatio septimi diei alia est, et alia sanctificatio sabbati. XII, 5-XX.

Obsessus a diabolo utrum aliquis possit esse? VIII, 16-XX.
Obsessi qui sint, et obsidendi potestas unde tradita sit dæmoni? Ibid.
In homine obsesso raro unus, sed semper plures dæmones sunt. VIII, 28-XX.
Obsidentur multi secundum animam et corpus a dæmone. VIII, 16-XX.
Obsidio regni Dei duobus perficitur. I, 8-XX.

Obstinatorum excæcationis meritum unde veniat? XIII, 15-XX.

Occisus Isaias lignea serra. XXI, 35-XXI.
Occisus Hur sputis. Ibid.
Occidens et oriens est duplex. VIII, 11-XX.

Occultum et opertum quomodo differant? X, 26-XX.

Oculus *dexter* si scandalizet, quare dicitur potius quam si sinister? V, 29-XX.
Oculus an eruendus sit? Ibid.
Oculus eruitur dupliciter. Ibid.
Oculus ex quibus componitur, et quæ proprietates, et quomodo attribuuntur intentioni? VI, 22-XX.
Oculi bonitas est simplicitas, et ejus malitia est duplicitas. Ibid.

Odit aliquis Deum. VI, 24-XX.
Odii depositio facit oblationem placabilem. V, 24-XX.
Odio *habebis inimicum*, an fuerit contentum in lege? V, 43-XX.
Odio semper sunt boni malis. XXIV, 9-XXI.

Offer *munus tuum in testimonium illis*, exponitur dupliciter. VIII, 4-XX.
Offerendum quid, et ubi, quia non in omni loco? V, 23-XX.
Offerre debes munus tuum. Ibid.

Officium seminandi recipit, qui habet causam, vel professionem prædicandi. XIII, 3-XX.

Oleum cujus naturæ est? et quare ivit Christus ante Passionem in montem Oliveti? XXI, 1-XX.
Oleum non sumpserunt fatuæ virgines, quomodo intelligitur? XXV, 3-XXI.
Oleum est laus humani favoris demulcens. XXV, 9-XXI.

Olus, herba, germen, frutex, arbor, differunt etiam in eadem specie plantæ. XIII, 32-XX.

Omnis justitia quæ dicatur? III, 15-XX.
Omnes aliquid magni præsumebant de Christo. XVI, 14-XX.

Onager est asinus agrestis, et dicitur ab ὄνος. XXI, 2-XXI.

Operandum est in donis bonis. XXV, 16-XXI.
Operatur Deus ea quæ sunt in nobis nobiscum. I, 22-XX.
Operarius dicitur prædicator duplici de causa. X, 10-XX.
Operarius dignus est cibo, non voluptatis, sed necessariæ sustentationis. Ibid.
Operarii conducuntur in vineam. XX, 1-XX.
Operarios vocat Christus, quos prius vocat pastores. X, 10-XX.
Operarii pauci, tales sunt doctores, Ibid.

Opertum et occultum quomodo differant? X, 26-XX.
Opertum revelabitur tripliciter. Ibid.

Opes quomodo necessariæ sint Ecclesiæ? XXV, 20-XXI.

Opinari, postulare, dubitare, quomodo differant? V, 17-XX.

Opinionis bonæ debet esse prædicator. IV, 24-XX.
Opinionem bonam omnes homines habebant de Christo. XVI, 14-XX.

Opus virtutis oportet accipere ex nobis. VII, 12-XX.
Opus Prælati quomodo erit perfectum? XX, 20-XX.
Opus et operatio differunt. XXV, 16-XXI.
Opera magna ad tria reducta. VII, 22-XX.
Opera misericordiæ commendat Christus. XXV, 35-XXI.
Operum misericordiæ sufficientia. Ibid.

Orans gemit, flectit, vel totum se prosternit in humilitate coram Deo. VI, 5-XX.
Orante seu oratione cum jejunio et eleemosyna nihil est validius. XVII, 20-XX.
Orantes *nolite multum loqui*. VI, 7-XX.
Orare an semper oporteat? VI, 5-XX.
Orare multum, assidue, diu et multum loqui in oratione quomodo differant? VI, 7-XX.
Orare et post magna ad Deum confugere docet Christus. XIV, 23-XX.
Orare debemus in loco secreto. VI, 6-XX, et XXVI, 39-XXI.

ORAT sine intermissione, qui contrarium orationi nihil interponit. VI, 5-XX.
ORATIO an sit pars justitiæ ? Ibid.
ORATIO quid sit secundum Damascenum et secundum Augustinum cum definitionum declaratione ? VI, 5-XX.
ORATIO, petitio suplex. VI, 9-XX.
ORATIO, postulatio, obsecratio, petitio, deprecatio, gratiarum actio, quomodo differant ? Ibid.
ORATIO ut proficiat ad salutem, oportet quod a nobis et in nobis impleatur voluntas Dei. VI, 10-XX.
ORATIO ut exaudiatur, quatuor exigit. VI, 13-XX.
ORATIO debet esse humilis. XXVI, 39-XXI.
ORATIONIS effectus. XIV, 23-XX.
ORATIONI Dominicæ quare additur *Amen* ? VI, 13-XX.
ORATIONEM quare gentiles putabant consistere in multiloquio ? VI, 7-XX.
ORATIONES longæ non prohibentur, sed multiloquium. VI, 8-XX.
ORATIONIBUS juvatur prædestinatio. Ibid.

ORDINANT Evangelistæ Apostolos diversimode enumerando. X, 2-XX.
ORDINANT hominem communitates, maxime misericordia, judicium et fides. XXIII, 23-XXI.
ORDO divinæ providentiæ non imponit rebus necessitatem. II, 13-XX.
ORDO tentationum Christi non idem apud Matthæum, et Lucam. IV, 5-XX.
ORDINEM gestorum Salvatoris qualem servavaverit Matthæus ? VIII, 18-XX.
ORDO institutorum Prælatorum. X, 5-XX.

ORIENS et Occidens in cœlo est duplex. VIII, 11-XX.

ORIGENES castitatis amore dicitur seipsum emutilasse. V, 29-XX.

Os capitur pro corde. XV, 11-XX.

OVA nutriunt et sunt convertibilia ad omne quod inveniunt, sive bonum, sive malum. VI, 11-XX.

OVIS, substantia manente, mutuat lanam. VII, 15-XX.
OVIS errans non est perdita, sed in via perditionis. XVIII, 12-XX.
OVES vocat Christus Judæos. X, 6-XX.
OVES in judicio separabuntur ab hœdis. XXV, 32 et 33-XXI.
OVIBUS comparantur Prælati missi. X, 16-XX.

P

PALEÆ quid sint, et quid significent ? III, 12-XX.
PALEA dicitur peccatum. XIII, 3-XX.

PALLIUM est vestis exterior. V, 40-XX.

PANIS plus aliis nutrit. V, 40-XX.
PANIS spiritualis duplex, secundum affectum, et secundum intellectum. Ibid.
PANIS dicitur verbum Dei propter tres proprietates panis. Ibid.

PANIS gratiæ quomodo fiat, ostenditur per auctoritatem Isaiæ ? V, 40-XX.
PANIS Eucharistiæ quis sit ? Ibid.
PANIS Eucharistiæ origine cœlestis, substantialiter deificus, causaliter vivificus, sacramentaliter unitivus, effectu viaticus, specie tenus est æternæ fruitionis signativus. Ibid.
PANIS Eucharistiæ est effectivus quadruplicis gratiæ. Ibid.
PANEM *nostrum supersubstantialem da nobis* : cur dicatur *supersubtantialis*, et quare *quotidianus* secundum diversas translationes ? Ibid.
PANEM *nostrum quotidianum*, etc. : ista petitio continet sex. Ibid.
PANEM petere docet Christus, quare non etiam potum ? Ibid.
PANE petito in oratione intelligitur omne esculentum necessarium. Ibid.
PANIS quare plus expresse pertitur præ cæteris necessariis, assignantur tres causæ. Ibidem.
PANIS petitus debet esse *noster*. Ibid.
PANIS ut sit noster, duo exiguntur. Ibid.
PANEM *nostrum* quare dicit, et non panem meum ? Ibid.
PANIS dicitur dupliciter quotidianus. Ibid.
PANIS est charitas quæ confortat. VII, 10-XX.
PANES quinque et duo pisces, quibus saturavit quinque millia, quid significent ? XIV, 17-XX.
PANES non dat Dominus ad servandum : et quare Christus commendavit manibus ministrorum ? XIV, 19-XX.
PANIS *filiorum* quem sumere non est bonum, etc., quis dicatur ? XV, 26-XX.
PANES multiplicavit in deserto propter duas causas. XV, 34-XX.
PANES septem significant septem partes pœnitentiæ. Ibid.
PANES accipere obliti sunt discipuli propter quatuor causas. XVI, 5-XX.
PANIS tritici, quare sit materia Eucharistiæ Sacramenti, et quam convenientiam habeat ad corpus Christi mysticum ? XXVI, 26-XXI.

PARABOLA de effectu verbi Dei. XIII, 24 et seq.-XX.
PARABOLA prima, quæ docet profectum virtutis. XIII, 33-XX.
PARABOLA de duobus filiis missis in vineam. XXI, 28 et seq.-XXI.
PARABOLA de plantatione vineæ. XXI, 33 et seq.-XXI.
PARABOLIS locutus est Christus multa, et quid sit loqui in parabolis ? XIII, 3-XX.
PARABOLIS locutus est Jesus propter duas causas. XXII, 1-XXI.

PARALYSIS quomodo impediat viam sensus, et inducat virtutis motivæ detrimentum ? VIII, 5-XX.
PARALYTICUS significat inconstantem ex longa peccati consuetudine. VIII, 16 XX.
PARALYTICUS utrum habuerit etiam fidem propriam ? IX, 2-XX.

PAROPSIS est vas de æqualibus tabulis factum. XXIII, 25-XXI.
PAROPSIS vas magnum a paribus absidibus dictum. Ibid. et XXVI, 23-XXI.

PARARE *viam in deserto* quomodo debeamus ? III, 3-XX.
PARANDA est via mandatorum. Ibid.
PARATA *omnia* in nuptiis. XXII, 4-XXI.
PARATUM quid dicatur ? Ibid.

PARENTES quando possunt relinqui a filiis ? IV, 22-XX.

PARTES pœnitentiæ quomodo se contineant? IV, 17-XX.

PARTES pœnitentiæ septem significantur per septem panes. XV, 34-XX.

PARTUS Virginis ut diabolo occultaretur, desponsata est Maria viro. I, 18-XX.

PARVULUS quis sit? XVIII, 2-XX.

PASCE quare Petro ter dixit Dominus? XXIV, 45-XXI.

PASSER in Jerusalem vendebatur, ad quid? X, 29-XX.

PASSIO quare dicitur calix? XX, 23-XX.

PASSIO Domini omnibus passionibus erat major, tribus de causis. XXVII, 50-XXI.

PASSIONEM suam prædicit Christus, ut semper sit in cordibus nostris sanguis patientis. XVII, 21 et 22-XX.

PASSIONEM suam Christus priusquam fieret, quare revelavit? XX, 18 et 19-XX.

PASSUS est Christus pro multis efficienter, pro omnibus sufficienter. XX, 28-XX.

PASTORUM defectus dupliciter intelligitur. IX, 36-XX.

PASTORES quos prius vocavit, vocat operarios. IX, 37-XX.

PASTORIBUS malis improperat. XVIII, 12-XX.

PATER quomodo supponit pro Trinitate tota, cum dicitur : *Pater noster, qui es*, etc.? VI, 9-XX.

PATER *noster, qui es in cœlis*, quare dicimus potius quam Filius noster, et Spiritus sancte noster. VI, 9-XX.

PATER *noster*, nota quare dicitur *noster*, et quare non dicitur, pater misericordiarum, pater benignitatis? Ibid.

PATER *noster* dicitur per communicationem inhabitantis gratiæ. Ibid.

PATER *noster* est per eam, quam in eo habemus, communitatem. Ibid

PATER *noster* est per eam, qua nobis invicem obligamur, fraternitatem. Ibid.

PATER *noster*, quare dicere debemus, non, Pater meus, qui es in cœlis? Ibid.

PATER *noster* dicitur ad usum et fructum. Ibidem.

PATER sic influens merito est orandus. Ibidem.

PATRIS primi influentia excedit infinitatem maris. Ibid.

PATRIS semen semper simile sibi in sexu et aliis generaret, nisi, etc. In argumento S. Hieronymi.

PATRIS actus sunt sex, quibus filium facit, et tres quibus perficit ipsum. Ibid.

PATER trahit per charitatem. Ibid.

PATRIS tam corporalis quam spiritualis semen fermento comparatur. VI, 9-XX.

PATRI in quantum genuit nos, tria conveniunt, notitia patris, unio ejus ad natum, et consequens affectus in filium. Ibid.

PATER sine gradu conjungitur filio, et sibi proximior est quam filius patri. Ibid.

PATER *noster, qui*, etc. : quare *Pater* dicitur, non Dominus, non Deus, non magister? Ibidem.

PATRIS nomine quomodo fiducia impetrandi causetur? Ibid.

PATER *noster, qui es in cœlis*, quare dicitur, et non in cœlo? Ibid.

PATER cœlestis largus est in filios. VI, 11-XX.

PATRIS nomen quare in nobis sanctificatur potius quam alia nomina? VI, 9-XX.

PATER impotens generare, adoptare non potest. XVI, 16-XX.

PATER et mater tripliciter accipiuntur. XIX, 5-XX.
PATREM vocare in terra interdicit Christus. XXIII, 9-XXI.

PATERFAMILIAS quid significet, et quid ejus exitus ad conducendum operarios ? XX, 1 et seq.-XX.

PATI licet sit miserum, tamen pati propter justitiam est gloriosum. V, 10-XX.
PATI Christum in Jerusalem congruit, quia per passionem itur in visionem æternæ pacis. XXI, 1-XXI.
PATITUR quis facile, cum in gaudio et charitate patitur. XX, 23-XX.
PATIUNTUR *propter justitiam*, cur dicitur, non propter paupertatem, vel mansuetudinem, vel aliquid aliud. V, 10-XX.
PATIENTES decet nos esse in injuria nostra, sed nullo modo in divina. IV, 10-XX.
PATIENTES propter justitiam, tribus regnum constituentibus destituuntur. V, 10-XX.

PATRIARCHA est princeps pater. I, 2-XX.
PATRIARCHARUM seminis dilatatio, ad quam tria exiguntur. I, 4-XX.
PATRIARCHARUM seminis exaltatio, ad quam duo exiguntur. I, 5-XX.

PAUCOS *pisciculos* dicit, ut notetur virtus multiplicantis. XV, 34-XX.

PAUPEREM persequentes maledicti. XXV, 42 et seq.-XXI.
PAUPERES Spiritu quot modis dici possint ? V, 3-XX.
PAUPERES voluntarii quomodo habebunt præmium idem cum martyribus ? V, 10-XX.
PAUPERIBUS veris conferuntur tria ad regni sufficientiam requisita. V, 3-XX.
PAUPERUM rex et præmiator est Christus. Ibidem.

PAX multiplex. V, 9-XX.
PAX in affectibus carnalibus, et pax Christi differunt. X, 34-XX.
PAX quam promulgant prædicatores in hospitiis, permanebit. X, 12-XX.

PECCAT Prælatus mortaliter si non prædicat. X, 5-XX.
PECCAT aliquis in hominem multipliciter. XVIII, 15-XX.
PECCANT graviter non recipientes prædicatores et verbum Dei. X, 14-XX.
PECCATUM David non præjudicavit veritati promissionis. I, 6-XX.
PECCATUM quomodo dicatur *culpa*, quomodo *vitium*, et quomodo *peccatum ?* IV, 17-XX.
PECCATUM quomodo deleatur, et ea quæ se habent ad peccatum ? Ibid.
Ad PECCATI remissionem quatuor exiguntur. VI, 12-XX.
PECCATUM non recipientium verbum Dei, peccato Sodomorum comparatur. X, 15-XX.
PECCATUM veniale dicitur venia dignum tribus modis, genere, eventu et circumstantia. XII, 32-XX.
PECCATUM dicitur irremissibile, quia congruitatem remissionis non habet. Ibid.
PECCATUM ut sit in Spiritum sanctum, exiguntur tria : et quot sint peccata in Spiritum sanctum in genere. Ibid.
PECCATUM dicitur *palea*. XIII, 3-XX.
PECCATUM in Spiritum sanctum est invidentia gratiæ. XXI, 37-XXI.
PECCATI detestatio, cujus virtutis sit actus? III, 2-XX.
PECCATI tres effectus. Ibid.

PECCATI servus quamvis sit homo, tamen diabolus non est Dominus. VI, 24-XX.
PECCATA mortalia et hæresis sunt portæ inferi. XVI, 18-XX.
PECCATA semel dimissa utrum redeant post lapsum? XVIII, 32 et seq.-XX.
PECCATORUM radices, non tentationum, quæ sint? IX, 1-XX.
PECCATORUM reliquiæ in genere sunt tres. V, 8-XX.

PECUNIAM in usus pauperum oblatam Christus noluit in usum proprium convertere. XVII, 26-XX.

PERA ponitur pro instrumentis quibus esculentum vel poculentum in futurum præparatum deportatur. X, 10-XX.

PERCUTIENTI maxillam dexteram quomodo debeamus præbere alteram? V, 39-XX.

PERDERE quomodo debeamus animam ut salvemus eam? XVI, 25-XX.
PERDITUR omne quod in terra thesaurizatur. VI, 19-XX.

PERFECTUS numquam potest esse homo nisi capiat Deum. XI, 28-XX.
PERFICIUNTUR tribus veri discipuli Christi. XVI, 16-XX.

PERICULUM est remanere in religione, ubi non est Christus, sed tantum vestis. XXVIII, 7-XXI.

PERJURIUM quid sit, et quomodo dicatur analogice de perjuriis? V, 33-XX.
PERJURIO enormius crimen est blasphemia. XII, 31-XX.

PERNICIOSUM quid sit? XII, 36-XX.

PERSECUTIO magna erit tempore Antichristi. XXIV, 20 et 21-XXI.
PERSECUTIONIS Christi causæ fuerunt, inanis gloria, invidia et superstitio. XII, 14-XX.

PERSEVERANDUM est in veritatis cognitione, in fide et charitas affectione. XXIV, 13-XXI.
PERSEVERANTIA usque ad finem significata per thau. X, 22-XX.

PERSONAM hominis respicere, seu recipere quid sit? XXII, 16-XXI.

PERVERSITAS est hypocrisis triplex. XXIII, 13-XXI.

Quis in PESTILENTIÆ cathedra sedeat? XXIII, 2-XXI.

An liceat aliquid PETERE? VI, 11-XX.
PETERE panem docetur, quare non etiam potum? Ibid.
Non esse PETENDA nisi terrænascentia quidam hæretici voluerunt. Ibid.
PETERE habet homo non sibi soli, sed aliis multis. Ibid.
PETERE non debemus panem annuum, vel mensurnum, etc. Ibid.
PETITE *et dabitur vobis:* tria sunt necessaria ad implenda ista. VII, 7-XX.
PETENTIUM fiducia. VII, 8-XX.

PATENTI cui dandum sit? V, 42-XX.
PETITIO, postulatio, oratio, obsecratio, deprecatio, gratiarum actio differunt. VI, 9-XX.
PETITIO illa, *Panem nostrum quotidianum*, sex continet. VI, 11-XX.
PETITIO omnis debet fieri in fraternitatis charitate. VI, 11-XX.
PETITIO, *Et ne nos inducas in tentationem*, videtur frustra. VI, 13-XX.
PETITIONES septem in oratione Dominica, et harum sufficientia : et quomodo regantur donis Spiritus sancti? VI, 9-XX.
PETITIONI huic, *Fiat voluntas tua*, non aliis, quare additur, *sicut in cœlo, et in terra*? VI, 10-XX.
PETITIONES de amotione mali quare non sint plures? VI, 13-XX.

PETRUS et Andreas a Domino ter vocati sunt. IV, 20-XX.
PETRI dilectio. XIV, 28 XX.
PETRUS quare sic dicitur, quare Simon, quare Cephas, quare vertex Apostolorum, etc.? XVI, 16-XX.
PETRUS præ omnibus et pro omnibus respondet. Ibid.
PETRUS Prælatos, Jacobus activos, Joannes contemplativos significat. XVII, 1-XX.
PETRUS præcipitur piscari pretium ad necessitatem hamo, animas autem sagena. XVII, 26-XX.
PETRUS et Philippus missi creduntur ad adducendam asinam alligatam. XXI, 2-XXI.
PETRO dixit ter Dominus, *Pasce*. XXIV, 45-XXI.
PETRUS utrum necessario negaverit Christum ex hoc quod ipse prædixerat? XXVI, 34-XXI.
PETRUS quomodo sequebatur JESUM, et quare non timuit illum, cujus amputavit auriculam? XXVI, 58-XXI.
PETRI negationes. XXVI, 69 et seq.-XXI.
PETRUM quomodo respexerit Christus, an interius, vel exterius? XXVI, 75-XXI.

PHARISÆI reprehenduntur a Joanne. III, 7-XX.
PHARISÆI et Sadducæi quare dicuntur *viperæ*? Ibid.
PHARISÆORUM justitia quæ fuerit? V, 20-XX.
PHARISÆI quid fecerint, ut justi apparerent? Ibid. et XXIII, 28-XXI.

PHILOSOPHI qui sint? XI, 25-XX.
PHILOSOPHIÆ quare significantur per ranas? XXIV, 26-XXI.

PIETAS est benevolentia in homines, et maxime in parentes. I, 19 et IV, 21-XX.
PIETAS mirabilis in Christo Domino. IX, 1-XX.

PILATUS Pontius Præses dicebatur diversis rationibus. XXVII, 2-XXI.

PINNACULUM templi quid fuerit? IV, 5-XX.

PISCIS quare significat fidem? VII, 10-XX.
PISCIS præbet frigidum dulcoramentum, et non fovet libidinem. XIV, 17-XX.
PISCES duo et quinque panes quibus saturavit quinque millia, quid significent? Ibidem.
PISCICULOS *paucos* dicit, ut notetur virtus multiplicantis. XV, 34-XX.

PLANTATIO *quam non plantavit Pater cœlestis, eradicabitur.* XV, 13-XX.
PLANTAVIT *quidam homo vineam.* XXI, 33-XXI.

PLENITUDO gratiæ Christi dicitur quadrupliciter. XII, 18-XX.

PLORATUS et ululatus differunt. II, 18-XX.

PLUIT *super justos et injustos.* V, 45-XX.
PLUVIA quomodo significetur per colorem cœli? XVI, 3-XX.

PŒNA et peccatum multipliciter comparantur. X, 15-XX.
PŒNA scandalizantis in Palæstina fuit· XVIII, 6-XX.
PŒNÆ inflictionem quomodo Deus operatur in nobis? I, 22-XX.
PŒNÆ inflictio duplex. VII, 23-XX.
PŒNÆ vinculum multiplex. XVI, 19-XX.

PŒNITENTIA quid sit, et quomodo est prima virtus? III, 2-XX.
PŒNITENTIA in quo genere, et quando sit virtus? Ibid.
PŒNITENTIA est correctio malæ voluntatis, et non malæ naturæ. IV, 17-XX.
PŒNITENTIA consistit in tribus partibus, quæ se continent. Ibid·
PŒNITENTIÆ effectus tangitur, cum dicitur : *Appropinquavit enim regnum cœlorum.* Ibidem.
PŒNITENTIÆ partes septem significantur per septem panes. XV, 34-XX.
PŒNITENTIAM *agite*, est prædicabile. IV, 17-XX.

POLLUUNT nomen Domini quatuor. VI, 9-XX.

POMPEIUS Judæam primo fecit sibi tributariam. XVII, 23-XX.

PONTIUS Pilatus Præses dicebatur diversis rationibus. XXVII, 2-XXI.

PORCI proprietates pessimæ quid significent? VII, 6-XX.
PORCUS quare dicitur monstruosum animal? VIII, 31-XX.
PORCUS nisi quis efficiatur per malos actus, dæmon non accipit potestatem in eum. Ibidem.

PORPHYRIUS hæreticus arguit Matthæum de levitate. IX, 10-XX.

Per angustam PORTAM oportet nos intrare ad vitam. VII, 13-XX.
PORTA quæ est introitus ad vitam redemptionis, Ecclesiæ, gratiæ, et gloriæ. Ibidem.
PORTA quæ est introitus ad perditionem, est duplex. Ibid.
PORTÆ *inferi* sunt hæreses et peccata mortalia. XVI, 18-XX.

POSSESSIO in jure quid sit, et quid jure possideatur? V, 4-XX.
POSSESSIO et possidere quid dicatur? X, 9-XX.
POSSIDERE aurum interdicitur Doctoribus Christianæ religionis, conceditur tamen ad usum. Ibid.

POSTULATIO, petitio, oratio, obsecratio, deprecatio, gratiarum actio differunt. VI, 9-XX.

POTESTATEM diminutam tentandi nos habet diabolus postquam est victus a Christo. IV, 11-XX.

POTESTAS dominatus debet esse animata justitia secundum Ambrosium. VI, 10-XX.

POTESTATEM hanc oportet esse ordinatam legibus. Ibid.

POTESTAS regni duo habet genera potestatum. Ibid.

POTESTAS regni debet strenuitate armorum et juventutis esse roborata. Ibid.

POTESTAS tentatoris admonet nos de quatuor. VI, 13-XX.

POTESTAS docentis quadruplex. VII, 28-XX.

POTESTAS Christi hominis et Centurionis comparantur. VIII, 9-XX.

POTESTAS obsidendi unde sit tradita dæmoni? VIII, 16-XX.

An majoris POTESTATIS sit curare animam, vel corpus? IX, 5-XX.

POTESTAS curandi animas quare non est communicata sanctis sicut curandi corpus? Ibid.

POTESTAS humana triplex. XII, 25-XX.

POTESTATEM sibi traditam dicit Dominus post resurrectionem, quare non bonitatem, vel sapientiam? XXVIII, 18-XXI.

POTATUS fuit Christus bis : nota quando et quare? XXVII, 34-XXI.

PRÆCEPTUM eleemosynæ. V, 42-XX.

PRÆCEPTUM jejunii affirmativum est, et non ad semper obligat. VI, 17-XX.

PRÆCEPTUM primum, scilicet, *Diliges Dominum Deum*, etc. exponitur. XXII, 36-XXI.

PRÆCEPTUM secundum cur dicitur *simile* primo? XXII, 39-XXI.

PRÆCEPTA tria dat Christus leproso sanato ad sanitatem conservandam. VIII, 4-XX.

PRÆCIPITUR Petrus piscari pretium ad necessitatem hamo, animas autem sagena. XVII, 26-XX.

PRÆDESTINATIO juvatur orationibus. VI, 8 et IX, 2-XX.

PRÆDICARE incipit Christus in Galilæa in civitate Capharnaum. IV, 12 et 13-XX.

PRÆDICARE, dicere, docere, quomodo differant? IV, 17-XX.

PRÆDICARE prohibuit Gentibus in prima missione, sed post resurrectionem misit prædicare omnibus, et hoc tribus de causis. X, 15-XX.

PRÆDICARE pertinet ad ea quæ sunt super naturam. XXVIII, 20-XXI.

PRÆDICANDI auctoritas est ex missione. Ibidem.

PRÆDICANDUM quibus non est, sunt duo genera hominum. X, 5-XX.

PRÆDICANDUM est sapientibus et insipientibus multis et paucis. X, 11-XX.

PRÆDICANTUR quæ fidei sunt : et quomodo Christus prædicavit? IX, 35-XX.

PRÆDICAVIT Dominus his quos novit præscitos et non devotis, quare? IX, 21-XX.

PRÆDICAVIT Deus solum Judæis, non gentibus, cur? Ibid.

PRÆDICATIONIS officium per metaphoram est rete. IV, 18-XX.

PRÆDICATIONIS retia reficiuntur studiis Scripturarum et litteratorum virorum promotione. IV, 21-XX.

Prædicationis officio nullus se ingerat, nec prece, etc. IV, 21-XX.
Prædicationis ponuntur duo modi differentes. IV, 23-XX.
Prædicator sit bonæ opinionis et curam habeat de bono nomine. IV, 24-XX.
Prædicator videns aulas plenas populorum incitatur ad prædicandum. V, 1-XX.
Prædicator dicitur *operarius* duplici de causa. X, 10-XX.
Prædicator dignus est cibo non voluptatis, sed necessariæ sustentationis. Ibid.
Prædicator quando fugere debeat, et quando non? X, 23-XX.
Prædicatores aliquando prædicant se quodam ornatu. XIII, 3-XX.
Prædicatores de officio prædicationis quærentes implere peras, significantur per Gabaonitas. X, 10-XX.
Prædicatores quale hospitium intrare debeant? X, 11-XX.
Prædicatores prohibentur discurrere per domos. Ibid.
Prædicatoribus primis interdixit Dominus sollicitudinem necessariorum, sed posteriores ad talia non obligantur. X, 9-XX.

Prædicit passionem suam Christus, ut semper sit in cordibus nostris sanguis patientis. XVII, 21 et 22-XX.

Prælationis magisterium interdicit Dominus, non actum. XXIII, 8-XXI.
Prælaturas desiderantes quomodo dicantur *aves*? Ibid.
Prælatus quando carnali concupiscentiæ subjicitur, sal evanescit. V, 13-XX.
Prælatus lucens scientia et ardens charitate dicitur *lucerna*. V, 15-XX.
Prælatus quomodo corrigat? V, 22-XX.
Prælatus dicitur *trabs*. VII, 3-XX.
Prælatus peccat mortaliter si non prædicet. X, 5-XX.
Prælatus debet quærere quæ sit opinio de eo, et in plebe, et inter alios Prælatos. XVI, 15-XX.
Prælatus quando visitat, tunc rex intrat ad discumbentes. XXII, 11-XXI.
Prælatus malus est abominatio desolationis in templo. XXIV, 15-XXI.
Prælati prædicare debent per seipsos. X, 5-XX.
Prælati deberent per seipsos facere ea quæ sunt Christi. X, 16-XX.
Prælati mittuntur sicut oves. Ibid.
Prælati opus quomodo et quando erit perfectum? XX, 20-XX.
Prælati audiant verba Christi cum dicit, *Non est meum dare vobis*. XX, 23-XX.
Prælati mali et avari latronibus comparantur. XXI, 13-XXI.
Prælati attendant vineam sibi locatam, non datam esse. XXI, 41-XXI.
Prælati dissoluti de subditis non quærunt nisi voluptatem. XXIV, 48 et 49-XXI.
Ex prælatorum defectu miseria. IX, 36-XX.
Prælatorum institutorum ordo. X, 5-XX.
Prælatorum potestas, qua ordinantur ad subditos. XVI, 1-XX.
Prælatis missis ad capiendos malos, sunt duo necessaria. X, 16-XX.
Prælatis quæretur: quomodo intrasti, quomodo vixisti, quomodo existi? XXII, 15-XXI.
Prælatis munditia necessaria. XXV, 2-XXI.
Prælatis dantur quinque talenta. XXV, 15-XXI.
Prælatos Ecclesiæ ad instantiam operis invitat. XX, 1 et seq.-XX.
Prælatos invitat ad illuminationem subditorum per doctrinam. XX, 29-XX.
Prælatos quos dicamus? XXIII, 8-XXI.

Præmium quod datur persecutionem patientibus propter justitiam? V, 10-XX.

PRÆMIUM aureolæ quod debetur officio Christi. XXIV, 47-XXI.

PRÆPARAT Deus aliqua in nobis dupliciter. I, 22-XX.

PRÆSCIENTIA Dei non imponit rebus necessitatem. XI, 25-XX.

PRÆSES Pontius Pilatus dicebatur diversis rationibus. XXVII, 2-XXI.

PRÆSUMENS de se inclinatur per tentationes. VI, 13-XX.

PRÆSUMPTIO quomodo sit peccatum in Spiritum Sanctum? XII, 32-XX.

PRIMA virtus quæ sit? III, 2-XX.

PRIMATUS triplex, magisterii, dignitatis, potestatis. XXIII, 8-XXI.

PRIMOGENITUM dicitur tribus modis. I, 25-XX.

PRINCIPES *gentium dominantur eorum*, etc. exponitur. XX, 25-XX.

PRINCIPATUS appetitum interdicit, et suadet actum humilitatis, et utilitatis. XXIII, 8-XXI.

PROCESSUS Verbi a Patre primo rerum seminatore. XIII, 24-XX.

PRODIGIUM et signum differunt. XXIV, 24-XXI.

PROFICIMUS per tres gradus, ut januam regni pulsemus. VII, 7-XX.

PROFICISCI quomodo Deus dicatur? XXI, 33-XXI.

PROHIBETUR magis visus mulieris quam auditus, vel olfactus, quare? V, 28-XX.

PROHIBETUR omnis libido innaturalis. Ibid.

PROHIBITIO mœchiæ. V, 27-XX.

PROMISSIO in tribus perfecta de semine nascituro. VIII, 11-XX.

PROMISSIONES legis quæ sint? V, 17-XX.

Non PROMOVEATUR ad officium prædicationis, nisi quem vocat Deus. IV, 22-XX.

PROPHETA quare nemo acceptus est in patria sua? XIII, 52-XX.

PROPHETA quis sit? et quod Joannes est plus quam Propheta. XI, 11-XX.

PROPHETÆ *et lex usque ad Joannem*: exponitur. XI, 13-XX.

PROPHETÆ non sunt aliqui qui futura prædixerunt et adhuc prædicunt. Ibid.

PROPHETÆ falsi, Simon magus de Samaria, Theodas, Judas Galilæus, et alii quamplures. XXIV, 5-XXI.

PROPHETIA quomodo est signum futuri, et non causa? I, 22-XX.

PROPHETIA triplex, præscientiæ, prædestinationis, et comminationis. Ibid.

PROPHETIA capitur large et stricte. V, 17-XX.

PROPHETIA quomodo fuit finita usque ad Joannem? VIII, 15-XX.

PROPRIA sapientiæ sunt quatuor. XVIII, 23-XX.

PROPRIETATES canis malæ quæ et quid significent? VII, 6-XX.
PROPRIETATES porci pessimæ quid significent? VII, 6 et VIII, 31-XX.
PROPRIETATES columbæ exponuntur plures mystice. X, 16-XX.
PROPRIETATES asini. XXI, 2-XXI.

PROSTRATIO toto corpore facta, quid significet? II, 11-XX.

PROVIDENTIA Dei quomodo se habeat ad futura? II, 13-XX.

PROXIMUS quare sit diligendus, et quis sit proximus? V, 43 et 44-XX.
PROXIMUS hominis quis, et quot modis dicatur aliquis proximus? XXII, 39-XXI.
PROXIMI compassio describitur. X, 28-XX.

PRUDENTES qui sint, et quomodo differant a sapientibus? XI, 25-XX.
PRUDENTIA quid sit secundum Aristotelem. Ibidem.
PRUDENTIA mundi et sapientia an sit mala? Ibidem.
PRUDENTIA serpentina quæ sit? X, 16-XX.

PUBLICANUS dicitur a publico, et non a publio. In argumento S. Hieronymi.
PUBLICANUS et peccator quomodo differant? IX, 10-XX.

PUERI laudantur a multis. XI, 16-XX.

PULLUS asinæ et asina alligata quid significent? XXI, 2-XXI.

PULVIS in pedibus signum est itineris : nota multiplicem expositionem itineris. X, 14-XX.

PURGATUR quis a peccatorum tenebris, et a peccatorum reliquiis. V, 8-XX.

PUSILLUS est parvus in fide. XVIII, 6-XX.

PUTARE, dubitare, ambigere, opinari, credere, scire, existimare, conjicere, differunt. V, 17-XX.

Q

QUADRANS *novissimus* quis sit? V, 26-XX.

QUÆRERE debet Prælatus quæ sit opinio de eo in plebe, et inter alios Prælatos? XVI, 15-XX.
QUÆRETUR a Prælatis: quomodo intrasti, quomodo vixisti, quomodo existi? XXII, 12-XXI.
QUÆRITE *primum regnum Dei*, est locutio duplex. VI, 33-XX.
QUÆRITE consilium ab expertis, a Scriptura, in vobis ipsis. VII, 7-XX.
QUÆRITUR, quare Christus de desponsata Virgine nasci voluit? et assignantur octo causæ. I, 18-XX.
QUÆRITUR, quare dicitur, *Futurum est ut Herodes quærat puerum?* II, 13-XX.
QUÆRITUR, quare Joannes dicitur Baptista a baptismo suo, non autem Petrus, vel Paulus? III, 6-XX.

QUÆRITUR, si aquæ haberent vim regenerativam ex contactu Christi, ad quid invocatio Trinitatis? I, 13-XX.

QUÆRITUR, quare Matthæus, cap. IV, non adducit totam prophetiam, *Terra Zabulon, et terra Nephthalim*, etc. IV, 15-XX.

QUÆRITUR de mandatis, quæ Salvator omittit in enumeratione impletionis legis. V, 21-XX.

QUÆRITUR, quare potius loquitur de viris, dicendo, *Qui viderit mulierem*, quam de mulieribus, dicendo : quæ viderit virum? V, 28-XX.

QUÆRITUR, quare dicitur, *Si oculus dexter scandalizaverit te*, et non sinister? V, 29-XX.

QUÆRITUR, quare exclusa ira præcipitur reconciliatio, et in secundo præcepto solum excluditur concupiscentia? V, 30-XX.

QUÆRITUR, utrum Moyses permiserit libellum repudii sine peccato? Ibid.

QUÆRITUR, an non resistere malo sit præceptum, vel consilium? V, 39-XX.

QUÆRITUR, quare in læsione corporum potius tangit percussionem maxillæ? Ibid.

QUÆRITUR, an aliquis possit sua repetere coram judice? V, 40-XX.

QUÆRITUR, ex quo Deus scit, antequam petamus, quare tunc rogamus eum? VI, 8-XX.

QUÆRITUR, pro quo supponit Pater, cum dicitur, *Pater noster, qui es in cœlis?* VI, 9-XX.

QUÆRITUR, utrum pronomen, *noster*, cum dicitur, *Pater noster*, Filius et Pater significetur communis nobis et Christo? Ibidem.

QUÆRITUR, quare dicitur *Pater noster*, et non Pater misericordiæ, vel benignitatis, etc? Ibidem.

QUÆRITUR, quare dicitur, *Pater noster, qui es in cœlis*, et non dicitur, in cœlo? Ibid.

QUÆRITUR, quare dicitur in oratione Dominica, *Sanctificetur nomen tuum*, et non dicitur, sanctifica nomen tuum? Ibid.

QUÆRITUR cum nomen Patris sanctificatur, quid de aliis nominibus? Ibid.

QUÆRITUR, quare in oratione Dominica aliis petitionibus etiam non additur illa clausula, *sicut in cœlo et in terra*. VI, 10-XX.

QUÆRITUR, quare in oratione Dominica non docuit etiam petere potum sicut panem? VI, 11-XX.

QUÆRITUR, quare non docet plura petere quam panem? Ibid.

QUÆRITUR, quare dicitur, *Panem nostrum*, et non meum? Ibid.

QUÆRITUR, an non dimittens debitoribus suis possit dicere orationem Dominicam? VI, 12-XX.

QUÆRITUR, utrum Deus inducat aliquem in tentationem? Ibid.

QUÆRITUR, quid sit tentare, quid in tentationem induci, quid intrare in tentationem, et quid esse in tentatione? Ibid.

QUÆRITUR, quare quatuor sunt petitiones de boni adeptione in oratione Dominica, et tantum una de mali amotione? VI, 13-XX.

QUÆRITUR de quo malo intelligitur petitio quæ dicitur, *Libera nos a malo?* Ibidem.

QUÆRITUR, utrum Deus aliquem odio habeat? VI, 24-XX.

QUÆRITUR, quare magis nominat dæmonem qui præest divitiis quam alium, quando dicit, *Non potestis servire Deo, et mammonæ?* Ibid.

QUÆRITUR, utrum diabolus possit dici Dominus alicujus hominis? Ibid.

QUÆRITUR, de qua sollicitudine intelligitur, quando dicit, *Ne sitis solliciti animæ vestræ*, etc.? VI, 25-XX.

QUÆRITUR, quare Dominus dictis suis addit rationem? Ibid.

QUÆRITUR, quare Dominus potius sumit similitudinem a volatilibus cœli, quam a natatilibus, vel gressibilibus, vel reptibilibus? VI, 26-XX.

QUÆRITUR, quare addit Prophetas, dicendo : *Lex et prophetæ*, etc. ? VII, 12-XX.

QUÆRITUR, quomodo Christus possit dicere, *Numquam novi vos*, et quomodo a Deo quis potest dicere ? VII, 23-XX.

QUÆRITUR, quare Christus leprosum non solo verbo curavit, sicut Eliseus Naaman ? VIII, 3-XX.

QUÆRITUR, quare Dominus laudavit Centurionem apud discipulos tantum, et non apud omnes ? VIII, 10-XX.

QUÆRITUR, quare nominat solum duas plagas dicens, *Multi ab Oriente et Occidente veniunt* ? VIII, 10-XX.

QUÆRITUR, quare effectus miraculorum non ita attribuitur spei, vel charitati sicut fidei ? VIII, 13-XX.

QUÆRITUR, utrum aliquis possit esse obsessus a diabolo ? VIII, 16-XX.

QUÆRITUR, unde tradita sit dæmoni potestas obsidendi hominem ? Ibid.

QUÆRITUR, qui homines fuerint in navi, quando Dominus imperavit ventis ? VIII, 27-XX.

QUÆRITUR, utrum tam multi dæmones sicut legio possint esse in uno corpore ? VIII, 28-XX.

QUÆRITUR, unde venerunt porci, in quos Christus permisit intrare dæmones ? VIII, 30-XX.

QUÆRITUR, quare Dominus permisit intrare in porcos, et non in aliud animal, et quare tantum damnum permisit fieri hominibus in porcis ? VIII, 31-XX.

QUÆRITUR, quæ civitas dicatur Christi civitas ? IX, 1-XX.

QUÆRITUR, utrum fidem propriam habuerit paralyticus, an aliena fide curatus ? IX, 2-XX.

QUÆRITUR, quare Christus vocavit Matthæum obligatum ratiociniis de susceptis vectigalibus, et qualiter comedit illicite acquisita ? IX, 10-XX.

QUÆRITUR, quare non reprehendit Archisynagogum sicut regulum ? IX, 19-XX.

QUÆRITUR de muliere quæ fuit in profluvio sanguinis, quomodo audebat tangere Christum ? IX, 20-XX.

QUÆRITUR, cum multoties Christus fecerit miracula coram turba, quare modo non facit similiter ? IX, 23 et 24-XX.

QUÆRITUR, quare dicitur, *In civitates Samaritanorum ne intraveritis*, et non dicit viam ? X, 5-XX.

QUÆRITUR, utrum Joannes Baptista dubitaverit de Christo ? XI, 2 et 3-XX.

QUÆRITUR, quare prædicavit Dominus non his, quos novit devotos, sed præscitis ? XI, 21-XX.

QUÆRITUR, qua notitia Pater novit Filium, an creata vel increata ? XI, 27-XX.

QUÆRITUR, quare Christus non fecerit mentionem suarum dignitatum ? XII, 3-XX.

QUÆRITUR, quare Christus prohibuit Apostolis ire ad gentes, et tamen ipse in propria persona ivit ? XV, 21-XX.

QUÆRITUR, quare Christus dicitur secessisse in partes Tyri et Sidonis, et non in totum ? Ibidem.

QUÆRITUR, quare Matthæus dicit pullum fuisse cum asina, cum tamen Marcus dicit eum stetisse ante januam ? XXI, 2-XXI.

QUARE quæsivit Christus, quis eum tetigisset, cum tamen sciret ? IX, 22-XX.

QUÆSTIO mota circa titulum libri Matthæi. I, 1-XX.

QUÆSTIO, quare Matthæus non induxit patrem aliquem in genealogia significantem unum nomen Salvatoris, sicut inducit significantes aliud ? Ibid.

QUÆSTIO de hoc, quod allegatur ex Jeremia, et ibi non invenitur. XXVII, 9-XXI.

QUÆSTIONEM *an liceat sabbato curare*, aliter formant Judæi, aliter Christus. XII, 10-XX.

QUÆSTIONES plures moventur. I, 21-XX.

QUI *es in cœlis* : ibi quinque notantur. VI, 9-XX.

QUOTIDIANUS panis dicitur dupliciter. VI, 11-XX.

QUOTIDIANA necessitas comedendi unde proveniat? Ibid.

R

RACA Hebræum est interjectio indignantis. V, 22-XX.

RACHEL quomodo dicatur plorare filios suos? II, 18-XX.

REÆDIFICATIO templi in sex perfici videbatur. I, 12-XX.

RATIO quæ et qualiter reddetur de verbo otioso? XII, 36-XX.

RATIONEM dictis suis Dominus quare addit? VI, 25-XX.

RADIX charitatis est ab bonum sugendum, radix timoris contra malum. XIII, 5-XX.

RADICES peccatorum non tentationum quæ sint? IV, 1-XX.

RAMA est civitas Saul in sorte Benjamin. II, 18-XX.

RAMA verius dicitur esse appellativum, cum dicitur : *Vox in Rama audita est.* Ibidem.

RANÆ significant Philosophias hærentes ad phantasias. XXIV, 26-XXI.

RAPTUS violentiam sonat. XIII, 19-XX.

NON RECIPIENTI se quid debet prædicator facere? X, 14-XX.

RECOGNITIO debiti sine spe veniæ nihil valet. VI, 12-XX.

RECONCILIARI quomodo debeamus adversario? V, 24-XX.

REDDERE juramentum Domino quid sit? X, 33-XX.

De REDEMPTIONIS nostræ Sacramento quæ dicuntur, omnia certissima sunt. I, 20-XX.

REDIRE quomodo dici possint peccata post relapsum? XVIII, 32 et seq.-XX.

REFICERE retia quid sit? IV, 21-XX.

REFICERE est reparare deperditum ex labore, vel oneris gravitate. XI, 28-XX.

REGALIA insignia tria sunt, quibus Christus deriserunt. XXVII, 28-XXI.

REGENERAT nos Christus sua generatione, causans nostram spiritualem generationem. III, 1-XX.

Regenerativa vis quomodo sit in aquis ex contactu Christi ? III, 13-XX.

Regimen triplex notatur. XII, 23-XX.

Regina *Austri surget in judicio.* XII, 41-XX.

Regnantis est sedere. XX, 21-XX.

Regnum quid sit, in quibus consistat, et quid ad ipsum requiratur ? VI, 10 XX.

Regnum quare debet esse abundans ? Ibidem.

Regnum quid sit secundum Dionysium ? Ibidem.

Regnum quare dicitur Patris ? VI, 10-XX.

Regnun *tuum adveniat :* quare non dicit, veniamus nos ad regnum tuum ? Ibid.

Regnum Dei quando adveniat ? Ibid.

Regnum Dei dicitur retributio æterna. VI, 33-XX.

Regnum quid sit, et quomodo regnum cœlorum vim patiatur ? XI, 12-XX.

Regnum *in se divisum desolabitur.* XII, 25-XX.

Regnum hoc erat distribuendum ex corde Christi in omnes Ecclesiæ Dei ministros. XII, 28-XX.

Regnum quare sit simile grano sinapis ? XIII, 31-XX.

Regnum cœlorum comparatur sagenæ missæ in mare. XIII, 47-XX.

Regnum cœlorum accipitur pro congregatione justorum, vel pro completa potestate in officiis et legibus, vel pro gloria. XVIII, 1-XX.

Regnum cœlorum quare dicitur gubernatio cœlestium officiorum ? XX, 1 et seq.-XX.

Regnum cœlorum quid sit, et quomodo sit factum simile homini regi ? XXII, 2-XXI.

Regnum cœlorum quomodo clauditur, quando ? XXIII, 13-XXI.

Regnum cœlorum non aliud intelligitur quam studium pulchritudinis. XXV, 1-XXI.

Regni nomine importantur divitiæ, et potestates. IV, 8-XX.

Regni potestas debet esse determinata urbanitatibus, et habet duo genera potestatis. VI, 10-XX.

Regni dominatum in spiritualibus quæ faciant. Ibid.

Regula in mandatis et votis. XII, 3-XX.

Regulam Canonicam religiosis qui ingeminant, imitatores sunt Pharisæorum. XXIII, 4-XXI.

Religionem cito debemus exire, ubi non est Christus, sed tantum vestis. XXVIII, 8-XXI.

Religiosi Monachi hypocritæ significantur per struthiones. XXIV, 26-XXI.

Reliquiæ peccatorum triplices, et quomodo ab eis purgamur ? V, 8-XX.

Reliquiæ istæ sunt squamæ, quæ ab oculis Pauli ceciderunt. Ibid.

Reliquiæ peccatorum dicuntur progenies peccatorum. VI, 9-XX.

Repellere violentiam et resistere malo differunt. V, 39-XX.

Repetere an aliquis possit sua coram judice ? V, 40-XX.

Reprehendit Joannes Pharisæos et Sadducæos. III, 7-XX.

Repudium quando datur ? XIX, 6-XX.

Requies animarum est in visione veritatis, in amore bonitatis et in sinceritate æternitatis. XI, 29-XX.

Requiem non invenit cor hominis nisi in Deo. Ibid.

Reseratio subtilium tria exigit necessaria. V, 2-XX.

Resistere malo quomodo non debeamus ? V, 39-XX.

Respicere *personam hominis* quid sit ? XXII, 16-XXI.

Respondentis prima virtus est interrogantium mentes cognoscere. XXII, 18-XXI.

Resurgens Jesus apparuit Apostolis in Galilæa. XXVIII, 10-XXI.

Resurget caro et alia membra. XV, 17-XX. Item, XXII, 30-XXI.

Resurgent homines integre. XXIII, 31-XXI.

Resurrectio generalis tribus procurabitur. Ibidem.

Resurrectionem celerem, scilicet tertia die, quare permisit Christus? XII, 40-XX, et XX, 19-XX.

Resurrectio an fiet sine corpore ? XXII, 30-XXI.

Rete officium prædicationis. IV, 18-XX.

Rete Petri trahit bonos. XIII, 47 et 48-XX.

Retia reficere quid sit ? IV, 21-XX.

Revelatio in somnis fit multis modis et differenter ? I, 20-XX.

Revelatio fit per Filium Dei. XI, 27-XX.

Revelavit Dominus illa parvulis, non dicit stultis vel hebetibus, quare ? XI, 25-XX.

Rex dicitur solus David in genealogia Christi. I, 5, XX.

Rex licet sit supra legem, non tamen ei contrarius. VI, 10-XX.

Rex in hoc regno est Deus. Ibid.

Rex ferus et inhumanus degenerat in tyrannum. XXII, 2-XXI.

Rex ille fecit nuptias, in natura, in spiritu, in gloria. Ibid.

Rex justitiam negligere non potest. XXII, 7-XXI.

Reges sub quibus regnum Dei impugnari cœpit. Ibid.

Regibus cur dabatur fibula, sceptrum, diadema, etc. ? VI, 10-XX.

Rubedo serotina et matutina quid indicet ? XVI, 2 et 3-XX.

Rufa vitula enixa est agnam. XXIX, 6-XXI.

Ruinam facientia tria. VII, 27-XX.

SACRA Scriptura quomodo exponi debeat, docet Dominus. XV, 34-XX.
SACRA Scriptura non est contemplationis gratia, sed ut boni fiamus. XVI, 16-XX.

S

SABAIM conversi venient ad filium et sequentur eum. IV, 25-XX.

SABBATIZARE præcepit Deus, ut homines in quiete cordis epulis Dei interessent. XXII, 5-XX.
SABBATUM an violaretur per opera quæ erant ad cultum Dei? XII, 5-XX.
SABBATI solutio fiebat in lege tribus modis. Ibidem.
SABBATI sanctificatio alia est, et alia observatio septimi diei. Ibid.

SACERDOS quomodo et a quo absolvat? XVI, 19-XX.
SACERDOS tenetur diligenter cognoscere vultus pecoris sui. Ibid.
SACERDOTI tenetur subditus semel se ostendere in anno. Ibid.
SACERDOTIS ligatio præcedit absolutionem. Ibidem.
SACERDOTES mali non differunt a latronibus. XXI, 13-XXI.
SACERDOTES similes Pharisæis, quibus maledicit Christus. XXIII, 23-XXI.
SACERDOTES et Scribæ quos congregavit Herodes propter Regem natum, arguuntur ex tribus. II, 6-XX.
SACERDOTIBUS cur leprosus curatus debebat se ostendere? VIII, 4-XX.

SACRAMENTALIA legis veteris quæ sint? V, 17-XX.
SACRAMENTUM primum destruens peccatum actuale, est pœnitentia. IV, 17-XX.
SACRAMENTUM Eucharistiæ quomodo sumitur? VI, 11-XX.
SACRAMENTA non efficere sanitatem virtute propria, significavit Christus. VIII, 3-XX.
SACRAMENTA significantur per vasa piscatorum. XIII, 48-XX.
SACRAMENTA significant et continent gratiam remissionis peccatorum. Ibid.
SACRAMENTA vendentes significantur per vendentes columbas in templo. XXI, 12-XXI.
SACRAMENTUM nemo aliter celebret quam institutum est. XXVI, 19-XXI.
SACRAMENTUM Eucharistiæ quare cœna completa institutum? XXVI, 26-XXI.
SACRAMENTUM Eucharistiæ Christus instituendo octo facit. Ibid.
SACRAMENTUM sanguinis. XXVI, 27 et 28-XXI.
SACRAMENTUM Christi corpus et sanguis unum sunt. Ibid.
SACRAMENTI veteris terminatio. XXVI, 29-XXI.
SACRAMENTI Baptismi formam nulli licet mutare. XXVIII, 19-XXI.

SACRIFICIUM non vult Deus nisi per accidens. XII, 7-XX.

SADDUCÆI et Pharisæi quare dicuntur viperæ? III, 7-XX.
SADDUCÆI dicebantur Sadochæi a Sadoch. Ibidem.

SAGENA bona et mala. XIII, 47-XX.

SAL præcipitur offerri in omni sacrificio. V, 13-XX.

SALIS materia, ex qua generatur, est terra. Ibidem.

SALIS definitio, effectus et proprietates. Ibidem.

SALTUS filiæ Herodiadis, testimonium fuit scorti matris. XIV, 6-XX.

SALVARE potest nos Christus Jesus per hoc quod est Deus, et debet per hoc quod est homo. I, 20-XX.

SALUTIS antidota tria propter tres operationes dæmonum. XII, 22-XX.

SALVUM *faciet populum suum*, dicit Matthæus, et non, omnes gentes, quare? I, 21-XX.

SANCTI sicut obstupescunt in malis nostris, ita juvant ad bona nostra, et gaudent quando obtinemus ea. VI, 9-XX.

SANCTORUM et Christi merita sunt dispensatoribus clavium credita. XVI, 18-XX.

SANCTUM quid sit, cum dicitur, *Nolite dare sanctum canibus* : et differentia inter sanctum sacrans, et sacratum. VII, 6-XX.

SANCTIFICATIO quomodo sit destructio peccati in nobis? VI, 9-XX.

SANCTIFICATIO per emundationem est ex tribus. Ibid.

SANCTIFICATIO sabbati alia est, et alia observatio septimi diei. XII, 5-XX.

SANCTIFICETUR *nomen tuum*, an hoc sit nomen Patris. VI, 9-XX.

SANCTIFICETUR nomen Dei quod sanctum est, adhuc quadruplici sanctificatione. Ibidem.

SANCTIFICETUR quare dicitur, et non, sanctifica? VI, 9-XX.

SANCTITAS quid sit, et quot modis dicatur *sanctum?* Ibid.

SANGUINIS Sacramentum, XXVI, 27 et 28-XXI.

SANGUIS et corpus Christi Sacramentum unum sunt. Ibid.

SAPIENS ordinare debet familiam ad rectitudinem. XVIII, 23-XX.

SAPIENTES mundi qui sint, et quomodo differant a prudentibus? XI, 25-XX.

SAPIENTIA et prudentia mundi an sit mala? Ibidem.

SAPIENTIA divina rusticæ simplicitati in omnibus se coaptavit. XIII, 34-XX.

SAPIENTIAM Dei absconditam in mysterio verbi omnia loquuntur. XIII, 35-XX.

SAPIENTIÆ, virtuti, et cœlestibus studentem oportet amare solitudinem silentii. XIII, 44-XX.

SAPIENTIÆ quatuor sunt propria. XVIII, 23-XX.

SATA *tria* sunt tria quæ sunt in anima nobili. VI, 9-XX.

SATA *tria* farinæ quid significent? XIII, 33-XX.

SCANDALUM activum nullus debet facere pro quacunque causa. Quid sit activum, quid passivum? V, 40-XX.

SCANDALUM Joannis prævenit Christus. XI, 7-XX.

SCANDALUM erit impius. XIII, 41-XX.

SCANDALUM provenit ex duobus : et quomodo vitari scandalum activum unusquisque debeat? XVIII, 6-XX.

SCANDALUM infirmorum describitur tribus modis. XXIV, 10-XXI.
SCANDALUM passivum docet vitare. XVIII, 7-XX.
SCANDALA venire quomodo necesse sit ? Ibidem.
SCANDALIZANTIS pœna quæ fuerit in Palæstina. XVIII, 6-XX.

SCIA duplex fuit in Christo. VIII, 10-XX.
SCIA, providentia Dei, et cura, quomodo differant? X, 29-XX.

SCIENTIA est habitus bene conservandi. IX, 37-XX.
SCIENTIÆ liberales et virtutes sunt de perfectione naturæ humanæ, et etiam essent, si homo non peccasset. IV, 17-XX.
SCIENTIÆ excellentia est in tribus. XXIII, 34-XXI.
SCIRE, credere, existimare, opinari, et plura alia quomodo differant? V, 17-XX.
SCIVERUNT dæmones Christum fuisse Filium Dei. VIII, 29-XX.

SCORPIO significat retro adspicere, quod est causa deceptionis. VII, 10-XX.

SCRIBÆ dicebantur magistri approbati, et quorum sermones scribebantur. II, 4-XX.
SCRIBÆ et Sacerdotes quos congregavit Herodes propter Regem natum, arguuntur ex tribus. II, 6-XX.
SCRIBÆ legis erant periti. VIII, 19-XX.
SCRIBARUM justitia quæ fuerit? V, 20-XX.

SCRIPTURÆ sacræ munitio. V, 14-XX.
SCRIPTURÆ sacræ librorum ordo. V, 17-XX.
SCRIPTURARUM studia significantur per aquam. X, 16-XX.

SCURRILE verbum quod dicatur? XII, 36-XX.

SECESSISSE dicitur Christus in partes Tyri et Sidonis, et non in totum. XV, 21-XX.
SECESSUS vocatur omnis porus per totum corpus. XV, 17-XX.

SECRETO quare assumpsit discipulos in montem? XX, 17-XX.

SECURI comparat Joannes Baptista sententiam divini judicii. III, 10-XX.

SEDERE in tenebris et in umbra mortis, quid sit? IV, 16-XX.
SEDERE debet docens et studens. XXIV, 3-XXI.
SEDERE regnantis est. XX, 21-XX.
Quis dicitur SEDERE in cathedra pestilentiæ? XXIII, 2-XXI.

SEMEN quod per patres descendit usque ad Christum, quinque continet in genere notanda. I, 2-XX.
SEMEN patris tam spiritualis quam corporalis comparatur fermento. VI, 9 XX.
SEMEN cum sit verbum Dei, in se habet naturam generantis. XIII, 3-XX.
SEMEN seminatum exponitur de homine. XIII, 19-XX.
SEMEN suscitare primi viri, quomodo secundus possit? XXII, 24-XXI.

Seminis patriarcharum liberatio. I, 3-XX.

Seminis diversitas ex parte suscipientis. XIII, 4-XX.

Seniorum traditio propter quam irritum fecerunt mandatum Dei. XV, 7-XX.

Sensus communis, qui in corde est, unus est. VI, 6-XX.

De sensuum custodia interiorum et exteriorum. XXV, 1-XXI.

Sententia Ecclesiæ timenda est valde. XVIII, 19-XX.

Separabit in judicio oves ab hædis. XXV, 32-XXI.

Sepelire mortuos pium est. VIII, 21-XX.

Septem mulieres apprehendentes virum unum, sunt septem virtutes. VI, 10-XX.

Septem spicæ pullulantes in Christo sicut in culmo uno. XV, 34-XX.

Septem panes significant septem pœnitentiæ partes. Ibid.

Septem sportæ sunt septem abundantiæ Scripturæ. XV, 37-XX.

Sepulcrum custodiverunt Judæi instinctu Spiritus sancti. XXVIII, 64-XXI.

Sepulturæ Christi modus. XXVII, 66-XXI.

Sequebantur *multi* Christum, cujus tanguntur causæ, et quare Evangelista dicit, *multi*, et non omnes. IV, 25 et VIII, 1-XX.

Sequere *me*, quare dicit Dominus, et non imitare? IX, 9-XX.

Sequi volens Dominum debet abnegare seipsum. XVI, 24-XX.

Sequendus est Dominus propter tres rationes. Ibid.

Secutus est Matthæus Dominum imitando profectum virtutis. IX, 9-XX.

Serenitatis signum quare et quomodo sit serotina rubedo? XVI, 2 et 3-XX.

Sermo *vester sit : Est, est*, quare dicitur, *Est, est*. V, 37-XX.

Sero an comedendum sit, et quid? VI, 11-XX.

Serpens significat perfidiam erroris, contrariam fidei. VII, 10-XX.

Serpens columbinus quis? X, 16-XX.

Servilia opera violant sabbatum. XII, 5-XX.

Servire *nemo potest duobus dominis*. VI, 24-XX.

Servire divitiis quid sit? VI, 25-XX.

Servitia coacta Deo non placent. VI, 10-XX.

Servitutis modus optimus quis? XI, 29-XX.

Servus *peccati* quamvis sit homo, non tamen diabolus est Dominus. VI, 24-XX.

Servi isti fuerunt viri zelum Dei habentes. XXI, 34-XXI.

SERVI missi vocare ad nuptias regis, qui fuerint? XXII, 3-XXI.
SERVI mali stipendia. XXIV, 48 et seq.-XXI.

SIDON, *venatio*. XV, 21 et XI, 21-XX.

SIGNUM quale Judæi a Christo petiverint? XII, 38-XX.
SIGNUM *Jonæ* fuit signum mortis Christi. XII, 39-XX.
SIGNUM consummationis sæculi. XXIV, 14-XXI.
SIGNUM et prodigium quomodo differant? XXIV, 24-XXI.
SIGNA quædam sunt, et non causæ, et quædam causæ. I, 12-XX.
SIGNA quæ circumstant judicium extremum. XXIV, 29 et seq.-XXI.

SIMILIA duo pulcherrima in naturalibus de revelatione quæ fit a Patre per Filium. XI, 27-XX.

SIMPLICITAS columbæ conjungitur serpentinæ prudentiæ. X, 16-XX.
SIMPLICITAS, mansuetudo, innocentia differenter sunt in homine et ove. XII, 12-XX.

SINAPIS proprietates. XIII, 31-XX.
SINAPIS granum est minimum, XIII, 32-XX.

SODOMIA quare non prohibetur a Domino expresse? V, 29-XX.
SODOMORUM peccatum quomodo fuit pessimum, et quomodo non? X, 15-XX.

SOL et lumen ejus inducuntur pro simili, quomodo Pater omnia revelat per Filium. XI, 27-XX.
SOL quomodo obscurabitur in adventu Christi in judicio, et quomodo cadet cum stellis aliis de cœlo? XXIV, 29-XXI.
SOLEM *suum oriri facit super bonos et malos*. V, 45-XX.

SOLLICITUDO duplex : et quæ non interdicitur? VI, 25-XX.
SOLLICITUDO charitatis deprehenditur in quatuor. VI, 13-XX.
SOLLICITUDO laudabilis multiplex. VI, 25-XX.
SOLLICITUDO laudabilis, vituperabilis, tolerabilis. Ibid.
SOLLICITUDO futurorum primis Prædicatoribus fuit interdicta : ad hoc posteriores non obligantur. X, 9-XX.
SOLLICITUDINEM prohibendo quare potius sumit similitudinem a volatilibus quam ab aliis animalibus? VI, 29-XX.

SOLVERE *legem* est vinculum legis non attendere. V, 17-XX.
SOLVI *sabbatum* dicit Dominus, ad quid? XII, 5-XX.
SOLUTIO sabbati fiebat in lege tribus modis. Ibidem.

SOLUS Christus in monte. XIV, 23-XX.

SOMNIUM an fuerit apparitio Joseph? I, 20-XX.
SOMNIIS quomodo contingat videre et prædicere futura? Ibid.
SOMNUS est ligamentum sensuum : et unde proveniat? Ibid.
SOMNUS qualis fuerit Sancti Joseph? Ibid.
SOMNI diversitas inducit diversitatem apparitionum. Ibid.

SPINA nigra et magna significat hæreticos. VII, 16-XX.

SPINA alba sive tribulus, quid significet? Ibidem.

SPIRITUS quomodo æquivoce accipiatur, cum dicitur, *Beati pauperes spiritu?* V, 3-XX.

SPIRITUS immundos Christus ejecit verbo. VIII, 16-XX.

SPIRITUS blasphemiæ differt a blasphemia. XII, 31-XX.

SPIRITUS novus quem innovat Deus in visceribus nostris, duo operatur in nobis. IX, 16-XX.

SPIRITUS non quiescunt in stante, vel ambulante, et in jacente non sunt puri, sed in sedente sunt puri, et quiescunt. XXIV, 3-XXI.

SPIRITUS sanctus quare non dicatur pater Christi? In argumento S. Hieronymi.

SPIRITUS sanctus prævenit naturæ impetum. IV, 1-XX.

SPIRITUM sanctum esse patrem Christi secundum generationem temporalem affirmant Helvidiani hæretici. I, 18-XX.

SPIRITUS sancte noster, cur non dicimus in oratione Dominica, sed *Pater noster?* VI, 9-XX.

SPONSUS quis dicatur, et quæ sponsa? XXV, 1-XX.

STAGNUM Genesareth fluiditatem mundi significat. IV, 18-XX

STATUS altissimus est beatitudo quæ in abdicatione rerum consistit. V, 3-XX.

STELLA occultavit se a Magis propter tria. II, 1-XX.

STELLA quæ magos perduxit, differt ab aliis in quinque, natura scilicet, situ, motu, claritate et significatione. II, 2-XX.

STELLA quæ perduxit Magos, dicitur *ejus*, hoc est, pueri nati quadrupliciter. Ibid.

STELLÆ perducentis Magos quis effectus mysticus, et quæ significatio? Ibid.

STELLÆ quæ Magos perduxit, iterata reductio, quid significabat? II, 9-XX.

STELLÆ quomodo cadent de cœlo tempore judicii? XXIV, 29-XXI.

STRIDOR dentium ex frigore provenit, et quomodo differt a tremore? VIII, 12-XX.

STRUTHIONES significant monachos hypocritas. XXIV, 26-XXI.

STUDENTEM virtuti, sapientiæ et cœlestibus oportet amare solitudinem silentii. XIII, 44-XX.

STUDIUM virtutis est thesaurus. Ibid.

STUDII Evangelii modus et duplex fructus. In argumento S. Hieronymi.

STUDIA Scripturarum significantur per aquam. X, 16-XX.

STULTUS dicitur quasi stans in alto. VII, 26-XX.

SUBTILITAS prout est dos electorum, non fit per rarefactionem. XIII, 43-XX.

SUBTILIUM ad reserationem tria sunt necessaria. V, 2-XX.

SUFFICIENTIA solum ex summo bono est. V, 3-XX.

SUFFICIENTIA regni ex tribus accipitur. Ibid.

Suffocare quid significet, et quomodo suffocemur spiritu? VI, 25-XX.

Suscitare semen primi viri quomodo secundus possit? XXII, 24-XXI.

Quomodo suscitatur spiritualiter Dominus? VIII, 25-XX.

Synagogam exstirpandam esse dicit Joannes Baptista. III, 10-XX.

T

Tabernaculum unum est Legis, Prophetiæ, et Evangelii, tricameratum tamen. XVII, 4-XX.

Tabernalula tria, admirationis, delectationis, et quietis. VII, 7-XX.

Talentum unum est naturale bonum. XXV, 24-XXI.

Talenta quinque dantur Prælatis, sed aliis non dantur omnia. XXV, 15-XXI.

Talenta quare non dantur tria? Ibid.

Talenta cui duo dantur, plus recipit pondere : licet ille cui quinque, plus numero. Ibidem.

Telonium unde dicatur? In argumento S. Hieronymi, et IX, 9-XX.

Templum unde dicatur? VI, 9-XX.

Templi reædificatio in sex videtur perfici. I, 12-XX.

Tempus quod exquisierat Herodes a Magis, quod fuerit? II, 16-XX.

Tempus jejunii. VI, 17-XX.

Tempus vitæ hominis est in ultimæ horæ adjectione. XXVI, 18-XXI.

Tempora tria habet homo. XIII, 3-XX.

Tentari Christus quare voluit, duplex ratio. IV, 1-XX.

Tentari a Deo aliud est, et aliud a Diabolo. Tentatio quid est, et quot tentationis incitamenta, quædam extra nos, quædam in nobis? Ibid.

Tentandi nos diabolus diminutam potestatem habet. IV, 11-XX.

Tentat diabolus : et an tentatio sit peccatum vel cum peccato? et quod tentatio qua Christus tentatus fuit, non fuit nisi extrinsecus. IV, 1-XX.

Tentat Deus. Ibid.

Tentatio secunda a Matthæo posita, ponitur tertia a Luca. IV, 5-XX.

Tentationum victoria quid in nobis efficiat?

Tentationis modi. IV, 11-XX.

Tentationi locus congruus, est desertus. Ibidem.

In tentationem induci quid? VI, 13-XX.

Tentationum occasiones non debemus nobis facere. IV, 1-XX.

Tentationes et infirmitates contingunt quinque modis. IX, 2-XX.

Tentationum victoria Christus nobis meruit Angelorum conjunctionem. IV, 11-XX.

Tentatur Christus de veritate vitæ. XXII, 35-XXI.

Tentaverunt Judæi Christum de veritate judicii et justitiæ. XXII, 16-XXI.

Tentaverunt Christum de veritate fidei et religionis. XXII, 23-XXI.

Tentatis condolendum est. VI, 13-XX.

Tentatoris potestas admonet nos de quauor. Ibid.

TENEBRÆ quare dicitur corporeus actus noster? VI, 23-XX.

TENEBRÆ interiores et exteriores quæ sint? IV, 16-XX.

TERRA triplex secundum quamdam Glossam. V, 4-XX.

TERRA quomodo habeat cor? XII, 40-XX.

TERRÆ bonæ conditiones. XIII, 8-XX.

TERRÆ diversitas in bona voluntate et malitia quomodo diversificet fructum? Ibidem.

TERRÆNASCENTIA sola quidam hæretici petenda voluerunt. VI, 11-XX.

TESTAMENTI Veteris Sacramenti terminatio. XXVI, 29-XXI.

TESTIMONIUM nativitati Christi tres dant in cœlo. II, 1-XX.

THABOR est mons, in quo transfiguratus est Christus. XVII, 1-XX.

THEATRUM unde dicitur? XI, 16-XX.

THEOPHANIA est lumen a Deo descendens in animam : et quare sic dicatur? V, 8-XX.

THESAURIZARE possumus nobis et Sanctis. VI, 19-XX.

THESAURUS sapientiæ. VI, 20-XX.

THUS quid significet? II, 11-XX.

TIMOCRATIA quid sit, et unde dicatur? VI, 10-XX.

TIMOCRATIAM spiritualem quomodo habeamus? Ibid.

TIBICINES fuerunt tibiis canentes carmina lugubria. IX, 23-XX.

TIMOR Dei corripit culpam. XIV, 5-XX.

TITULUS libri Matthæi. I, 1-XX.

TOLERABILIS sollicitudo est multiplex. VI, 25-XX.

TOLLITE *jugum meum super vos :* servitutis modus hic est optimus. XI, 29-XX.

TRABS quis vocetur? VII, 3-XX.

TRADITIO *seniorum* propter quam irritum fecerunt mandatum Dei. XV, 8 et 9-XX.

TRADITIONIS Christi pactum cum operis perfectione. XXVI, 14 et 15-XXI.

TRADITUS est Christus a Patre, a se, a Juda, a Judæis. XVII, 21-XX.

TRANSFIGURATUS est Christus in monte Thabor. XVII, 1 et seq.-XX.

TRANSGRESSIONES quatuor legum. In argumento S. Hieronymi.

Transitus ille quo dicuntur cœlum et terra transire, quid sit ? V, 18-XX.

Tremor in membris quomodo causetur ? VIII, 12-XX.

Tribulatio quæ veniet tempore Antichristi, erit magna propter tria. XXIV, 21-XXI.

Tribus terræ quæ dicantur ? XXIV, 30-XXI.

Tridcum quo turbæ sustinent Dominum, est compunctionis, confessionis, et satisfactionis. XV, 32-XX.

Tributum et census qualiter dabantur a Judæis ? XVII, 23-XX.

Tristes fieri et tristes esse differunt. VI, 16-XX.

Tristitia jejunii prohibetur nobis. Ibid.

Tristitia quædam est passio, quædam propassio, et quomodo Christus fuerit tristis ? XXVI, 38-XXI.

Triticeus panis, materia Sacramenti Eucharistiæ. XXVI, 26-XXI.

Triticum significat electos. III, 12-XX.

Triticum degenerat in siliginem et e contra. XXVI, 26-XXI.

Tuba vocatur quæ ex intentione propalat opus. VI, 2-XX.

Tumor mentis est obstaculum veritatis. XI, 25-XX.

Tunica est vestis interior corpori tegendo necessaria. V, 40-XX.

Turba secuta est Jesum propter quatuor causas. VIII, 1-XX.

Turba a turbando dicitur. VIII, 18-XX.

Turba tumultuantium cogitationum. XX, 31-XX.

Turbæ quæ præcedebant et sequebantur Dominum equitantem, quid significent ? XXI, 9-XXI.

Turbatio civitatis Jerusalem valde irrationabilis : cujus ponuntur tres causæ. II, 3 XX.

Turbatus est Rex Herodes et omnis Hierosolyma in adventu Regum. Ibid.

Turpe lucrum condemnatur. VI, 11-XX.

Tyrus est civitas metropolis Phœnicis. XI, 21-XX.

Tyrus, *angustia*. XV, 21-XX.

U

Ululatus et ploratus differunt. II, 18-XX.

Umbram quomodo habeat virtus Altissimi? I, 18-XX.

Urbanitates tres, Monarchia, Aristocratia, et Timocratia. VI, 10-XX.
Urbanitates spirituales quomodo efficiantur in nobis? Ibid.
Urbanitatibus regni potestas debet esse determinata. Ibid.

Usura est venenum aspidis quod latenter omnes facultates domus, quam intrat, ad se trahit. V, 42-XX.

Usus cœli ad splendorem contemplationis in gloria. VI, 9-XX.
Usus Sacramenti Eucharistiæ. XXVI, 26-XXI.

Ut et similes conjunctiones, quid notent? I, 22-XX.

Utres veteres et novi qui dicantur? IX, 17-XX.

Uxor non est nisi legitime conjuncta. V, 32-XX.

V

Væ septem propter septem corruptiones. XXIII, 13 et seq.-XXI.
Væ illis qui persequuntur pauperem. XXV, 37-XXI.

Vasa quare rumpit vinum novum? IX. 17-XX.
Vasa dicuntur corda dæmoniacis operationibus plena. XII, 29-XX.

Vendentes Sacramenta significantur per vendentes columbas in templo. XXI, 12-XXI.

Vendere *universa quæ habentur*, quid sit? XIII, 44-XX.

Velum *templi scissum est*, exponitur mystice. XXVII, 51-XXI.

Venam habet vita in Filio Dei. XVI, 16-XX.

Venatio duplex, bona, et mala. XIV, 21-XX.

Veniale peccatum dicitur venia dignum tribus modis. XII, 32-XX.

Ventus periculosus in mari quis sit? XIV, 30-XX.
Venti habent de natura sua quatuor. In argumento S. Hieronymi.

Ventilabrum unde dicitur, et quare Judæi sic dicti sunt? III, 12-XX.

Verbum Dei cum sit semen, generantis in se habet naturam. XIII, 3-XX.
Verbum Dei quomodo tractivum sit? Ibid.
Verbum Dei non recipit in profundum cor

tritum consuetudine peccati et delectationum. XIII, 4-XX.

VERBUM Dei suscipiendum est primo potius cum gemitu quam cum gaudio. XIII, 20-XX.

VERBUM Dei quantum in se est, non pullulat nisi in divinum aliquid. XIII, 24-XX.

VERBUM fidei habet sinapis proprietates. XIII, 31-XX.

VERBUM *abbreviatum fecit Dominus super terram*, quomodo intelligitur? I, 18-XX.

VERBUM a quo vita dependet, quod sit? IV, 4-XX.

VERBUM triplex. Ibid.

VERBUM Dei dicitur *panis* propter tres proprietates. VI, 11-XX.

VERBUM et ipse intellectus in anima habent se sicut Pater et Filius in divinis. XI, 27-XX.

VERBUM otiosum differt ab indifferenti, sterili et pernicioso. XII, 36-XX.

VERBI processus a Patre primo seminatore. Ibidem.

VERBO *genuit*, non utitur Lucas, sed *qui fuit*. I, 2-XX.

VERBO ejecit Christus spiritus immundos. VIII, 16-XX.

VERERI est timere cum reverentia. XXI, 37-XXI.

VERITAS per templum et omnem ejus ritum figuratur. XII, 5-XX.

VERITATIS omnis inquisitio incipit ab admiratione. VII, 28-XX.

VERITAS Evangelica omnibus humanis anteponenda. XV, 3-XX.

VESPERAM Scriptura computat pro nocte. XXVIII, 1-XXI.

VESTIMENTA quinque habuit Christus, et quomodo divisa? XXVII, 35-XXI.

VESTIS alba in transfiguratione significat Sanctos. XVII, 2-XX.

VESTIS nuptialis est vestimentum charitatis et honestæ conversationis. XXII, 11-XXI.

VETERIS Testamenti Sacramenti terminatio. XXVI, 29-XXI.

VEXATIO triplex. IX, 36-XX.

VIA mandatorum paranda est. III, 3-XX.

VIA et vestimenta et alia quæ fiebant, Domino equitante, moraliter exponuntur. XXI, 7 et seq.-XXI.

VIAM regenerationis præparavit Joannes. XI, 10-XX.

VICTORIA tentationum in nobis quid efficiat? IV, 11-XX.

VICTORIA tentationum Christus nobis meruit conjunctionem Angelorum. Ibid.

VICTUS diabolus ab aliquo, non audet ulterius tentare. Ibid.

VIDEBUNT Deum qui sunt mundi. V, 8-XX.

VIDERI ab hominibus vanum est. VI, 18-XX.

VIGILANTIS servi meritum. XXIV, 45 et seq.-XXI.

VIGILARE monemur. XXIV, 42-XXI.

VILLA intelligitur omnis occupatio human

laboris a vocatione æternorum retinens. XXII, 5-XXI.

VIM quomodo patiatur regnum cœlorum, et quid sit vis ? XI, 12-XX.

VINCULUM pœnæ et culpæ. XVI, 19-XX.

VINEAM *plantavit homo quidam.* XXI, 33-XXI.

VINEAM sibi locatam non datam attendant Prælati. XXI, 41-XXI.

VINUM quare non interdicitur jejunantibus ? VI, 16-XX.

VINUM spiritus dirigit sursum, lætificat mentem, etc. VII, 16-XX.

VINUM novum tres habet calores. IX, 17-XX.

VIOLABATUR sabbatum in lege tribus modis. XII, 5-XX.

VIOLENTUM quid sit, et quid violentia ? et quod violenti rapiunt cœlum. XI, 12-XX.

VIPERA dicitur quasi vi patiens. III, 7-XX.

VIR dicitur Joseph a vigore et virore. I, 16-XX.

VIR Mariæ quare dicitur Joseph ? Ibid.

VIR et mulier quomodo se habeant penes paritatem, vel superpositionem ? I, 18-XX.

VIRGA duplex. I, 18-XX.

VIRGINEA sinceritas quid sit, et quomodo consistat in quinque ? I, 18-XX.

VIRGINITAS grata est Angelis. Ibid.

VIRGINITAS est in carne corruptibili incorruptionis divinæ æterna meditatio. XIII, 23-XX.

VIRGINITATIS custodia et periclitatio. XXV. 1-XXI.

VIRGINITATEM conservant quinque. Ibid.

VIRGO quæ fornicata fuit, quando lapidabatur et quando non ? I, 18-XX.

VIRGO continue meditatur divinam munditiam. Ibid.

VIRGINIS partus occultatus diabolo. Ibid.

VIRGINES quomodo faciant fructum centesimum ? XIII, 8-XX.

VIRGINES *decem*, quare dicitur in parabola ? XXV, 1-XXI.

VIRGINES quæ dicantur *fatuæ*, et quæ *prudentes ?* XXV, 2-XXI.

VIRGINIBUS fatuis januam clausam sponsus non aperit. XXV, 12-XXI.

VIRTUS, felicitas, beatitudo differunt, et circa quæ consistant cardinales, et quid sit virtus secundum Tullium ? V, 3-XX.

VIRTUS quælibet quando dicatur *virtus*, et quando *justitia ?* I, 19-XX.

VIRTUS multis modis dicitur *prima.* III, 2-XX.

VIRTUTIS cujus actus sit detestatio peccati. Ibidem.

VIRTUTIS opus plus consistit in modo quam in factis. VI, 1-XX.

VIRTUTIS opus accipi oportet ex nobis. VII, 11-XX.

VIRTUTIS profectus in comparatione ad finem. XIII, 45 et 46-XX.

VIRTUTIS tres sunt profectus, et quomodo tria virtutum genera significantur per tria sata ? XIII, 33-XX.

VIRTUTIS studium est thesaurus. XIII, 44-XX.

VIRTUTES multas non poterat facere Christus in patria sua, quomodo intelligitur. XIII, 57 et 58-XX.

VIRTUTES *cœlorum movebuntur*, exponitur diversimode. XXIV, 29-XXI.

VIRTUTES inopes sunt sine charitate. VII, 10-XX.

VIRTUTES et scientiæ liberales sunt de perfectione naturæ humanæ, et essent si homo non peccasset. IV, 17-XX.

VIRTUTIBUS, sapientiæ, et cœlestibus studentem oportet amare solitudinem silentii. XIII, 44-XX.

VISIO duplex, rei, et videntis. VI, 5-XX.

VISITARE primo debemus templum in omni loco. XXI, 12-XX.

VITA individua viri et mulieris triplicatur. I, 18-XX.

VITA Joannis Baptistæ commendatur. III, 4-XX.

VITA dependet a verbo, non a pane, nisi secundum quod virtus verbi est in ipso. IV, 4-XX.

VITA Ecclesiastica est cruci conformata. VIII, 23-XX.

VITA quomodo est a Patre, Filio, et Spiritu sancto ? XVI, 16-XX.

VITÆ austeritas Apostolorum et Domini. XIV, 17-XX.

VITAM contemplativam et activam quomodo dextra et sinistra significent ? V, 30-XX.

VITIS proprietate sua quid significet ? VII, 16-XX.

VITIBUS primitivi patres comparati. XXI, 33-XXI.

VITULA rufa quæ in sacrificium offerebatur, enixa est agnam. XXIV, 6-XXI.

VITUPERABILIS sollicitudo multiplex. VI, 25-XX.

VITUPERANTUR mulieres, formas prospectibus hominum objicientes. V, 29-XX.

VOCARE venit Deus non justos, sed peccatores. IX, 13-XX.

VOCAT generaliter omnes Deus. XI, 28-XX.

VOCAT Deus omnes homines, sed differenter. XXV, 14-XXI.

VOCATIO duplex, interior et exterior, quomodo fiat ? IV, 21-XX.

VOCATIONES ministrorum Ecclesiæ duæ sunt formaliter, licet plures materialiter. IV, 18-XX.

VOCATIONES Apostolorum quomodo figuratæ sint ? IV, 21-XX.

VOCATUS quando sit Matthæus ? IX, 9-XX.

VOCATI sunt ter a Domino Petrus et Andræas. IV, 20-XX.

VOCATORUM Apostolorum idoneitas. IV, 21-XX.

VOLUCRES cœli quos significent ? VIII, 20-XX.

VOLUCRES significant dæmones. XIII,

VOLUNTAS Dei ordinata quomodo imponat necessitatem rebus ? II, 13-XX.

VOLUNTAS non negatur per verbum, *nolo*, sed solum volitum. V, 17-XX.

VOLUNTAS est in ratione. VI, 10-XX.

VOLUNTAS est universalis in animæ regno. Ibidem.

VOLUNTAS facit impetum ad opus. VI, 10-XX.
VOLUNTAS *tua*, scilicet Patris cœlestis, dicitur quinque modis. Ibid.
VOLUNTAS auctoritatis, voluntas Dei antecedens, voluntas consequens, quæ dicatur ? Ibidem.
VOLUNTAS est appetitus cum ratione. Ibid.
VOLUNTITAS tres sunt libertates. Ibid.
VOLUNTAS Dei est semper bonum nostrum. VIII, 3-XX.
VOLUNTAS Dei bona, placens, et perfecta, quæ sit ? XXII, 37-XXI.
VOLUNTATEM Dei nullus hominum effugere potest. VI, 10-XX.

VOTORUM et mandatorum regula. XII, 5-XX.
VOVERE voluntatis est, et reddere necessitatis. V, 23 et 24-XX.
VOVERE et non solvere, augmentum iniquitatis. XXI, 30-XXI.

VOX tria habet in se. III, 3-XX.

VULPES quasi volvipes. VIII, 20-XX.

Z

ZEBEDÆUS non fuit dives, nec pauper. IV, 22-XX.
ZEBEDÆI filii an reliquerint patrem ? Ibid.

ZELUS salutis nostræ in Christo mirandus. IV, 5-XX.

ZIZANIA quid ? XIII, 25.
ZIZANIA quomodo superseminavit diabolus ? Ibidem.

INDEX

Locorum sacræ Scripturæ, qui in Commentariis in Matthæum explicantur.

N.-B. — Numerus primus romanus designat caput, secundus arabicus, versiculum capitis, tertius autem tomum hujusce editionis.

GENESIS.

Cap.		
II, 18.	*Faciamus ei adjutorium simile sibi.*	I, 18-XX.
IV, 10.	*Vox sanguinis fratris tui* Abel *clamat ad me de terra.*	XXVII, 4-XXI.
XXI, 10.	*Ejice ancillam hanc, et filium ejus.*	XXVI, 71-XXI.
XXII, 5.	*Exspectate hic cum asino : ego et puer illuc usque properantes*, etc.	VI, 3-XX.
XXIV, 47.	*Suspendi inaures ad ornandam faciem ejus, et armillas posui in manibus ejus.*	I, 18-XX.
XXXVII, 14.	*Missus de valle Hebron venit in Sichem.*	XXI, 37-XXI.
XXXVII, 33.	*Fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.*	XXVII, 18-XXI.
XLII, 15.	Joseph juravit *per salutem Pharaonis.*	V, 33-XX.
XLIX, 20.	*Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.*	II, 1-XX.
XLIX, 27.	*Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia.*	X, 16-XX.

EXODI.

III, 14. *Qui est, misit me ad vos.* VI, 9-XX.

LEVITICI.

XIX, 12. *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui.* V, 33-XX.

DEUTERONOMII.

XXXII, 10. *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, et vastæ solitudinis.* XVIII, 13-XX.
XXXII, 20. *Generatio perversa est, et infideles filii.* XI, 16-XX.
XXXIII, 19. *Inundationem maris quasi lac sugent, et thesauros absconditos arenarum.* XIII, 45-XX.

JOSUE.

VII, 21. *Vidi inter spolia pallium coccineum valde bonum, et ducentos siclos argenti, regulamque auream... : et concupiscens abstuli, et abscondi in terra.* XXV, 18-XXI.

I REGUM.

XXII, 2. *Convenerunt ad David omnes qui erant in angustia constituti et oppressi ære alieno.* XI, 28-XX.

III REGUM.

XI, 30, 31. *Ahias pallium suum novum,... quo coopertus erat, scidit in duodecim partes : et ait ad Jeroboam : Tolle tibi decem scissuras.* XIII, 26-XX.

II PARALIPOMENON.

Orat. Manassæ : *Incurvatus sum multo vinculo ferreo..., et non est respiratio mihi.* XVI, 19-XX.

JOB.

I, 3. *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales.* I, 19-XX.

VIII, 11. *Numquid vivere potest scirpus absque humore? aut crescere caractum sine aqua?* XXIII, 23-XXI.

XIX, 20. *Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum.* XXVII, 55-XXI.

XIX, 23. *Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei?* etc. I, 1-XX.

XXIV, 19. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* VIII, 12-XX.

XXXVII, 17. *Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro?* X, 16-XX.

XLI, 4, 5. *Quis revelabit faciem indumenti ejus? et in medium oris ejus quis intrabit? Portas vultus ejus quis aperiet?* VI, 13-XX.

PSALMORUM.

I, 1. *In cathedra pestilentiæ non sedit.* XXIII, 2-XXI.

IV, 8. *A fructu frumenti, vini, et olei sui, multiplicati sunt.* XXV, 16-XXI.

XI, 2.	*Diminutæ sunt veritates a filiis hominum.*	XXVIII, 15-XXI.
XVII, 46.	*Filii alieni inveterati sunt,... et claudicaverunt a semitis suis.*	In arg. S. Hieronymi.
XVIII, 6.	*In sole posuit tabernaculum suum.*	I, 18-XX.
XXII, 5.	*Calix meus inebrians quam præclarus est !*	XXVI, 27-XXI.
XXXII, 2.	*In psalterio decem chordarum psallite illi.*	XXV, 1-XXI.
XXXVII, 11.	*Dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meoram.*	XXVI, 56-XXI.
XLIV, 9.	*Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis.*	II, 11-XX.
XLV, 5.	*Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.*	VI, 9-XX.
XLVII, 2.	*Magnus Dominus et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.*	XXI, 10-XXI.
XLIX, 5.	*Congregate illi sanctos ejus.*	XXIV, 31-XXI.
XLIX, 11.	*Pulchritudo agri mecum est.*	XIII, 24-XX.
L, 6.	*Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.*	I, 6-XX.
LIV, 7.	*Quis dabit mihi pennas sicut columbæ ?*	IV, 1-XX.
LXIV, 5, 6.	*Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.*	VI, 10-XX.
LXVII, 5.	*Dominus nomen illi.*	XXI, 40-XXI.
LXVII, 7.	*Inhabitare facit unius moris in domo.*	VI, 9-XX.
LXVII, 26.	*Prævenerunt principes conjuncti psallentibus*, etc.	I, 18-XX.
LXVIII, 22.	*Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.*	XXVII, 34-XXI.
LXXV, 6.	*Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*	XXV, 8-XXI.
LXXXIII, 4.	*Passer invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.*	V, 23-XX.
LXXXV, 17.	*Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur.*	XVI, 4-XX.
CIII, 28.	*Aperiente te manum tuum, omnia implebuntur bonitate.*	VI, 9-XX.
CIV, 30.	*Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum.*	XXIV, 26-XXI.
CIX, 3.	*In splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.*	VI, 9-XX.

CX, 2. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* XXII, 36-XXI.
CXVIII, 37. *Averte oculos meos,ne videant vanitatem.* V, 28-XX.
CXIX, 4. *Sagittæ potentis acutæ.* IV, 4-XX.
CXXV, 6. *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua.* VI, 3-XX.
CXLVI, 4. *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat.* In arg. S. Hieronymi.

PROVERBIORUM.

I, 4. *Ut detur parvulis astutia, adolescenti scientia et intellectus.* X, 16-XX.
V, 19. *Cerva carissima, et gratissimus hinnulus.* In arg. S. Hieronymi.
IX, 12. *Illusor solus portabit malum.* II, 16-XX.
XVI, 32. *Qui dominatur animo suo, melior est expugnatore urbium.* V, 4-XX.
XVIII, 3. *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* VI, 12-XX.
XXIV, 16. *Septies cadet justus, et resurget.* I, 17-XX.
XXX, 15. *Tria sunt insaturabilia, et quartum quod numquam dicit: Sufficit.* XXIV, 38-XXI.
XXX, 17. *Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus!* XV, 4-XX, et V, 29-XX.
XXXI, 10. *Mulierem fortem quis inveniet? Procul, et de ultimis finibus pretium ejus.* I, 18-XX.
XXXI, 13. *Quæsivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum.* XXVII, 59-XXI.
XXXI, 15. *De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, et cibaria ancillis suis.* XXVIII, 1-XX.

CANTICORUM.

I, 1. *Osculetur me osculo oris sui.* — I, 1-XX.

I, 6. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* — XXVI, 20-XXI.

I, 7. *Pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum.* — XXVI, 40-XXI.

II, 8. *Ecce iste venit, saliens in montibus, transiliens colles.* — XVIII, 12-XX.

II, 11 et 12. *Jam hiems transiit : imber abiit, et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra.* — XXIV, 20-XXI.

II, 14. *Columba mea, in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* — X, 16-XX.

II, 15. *Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas.* — II, 3-XX.

III, 11. *Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem*, etc. — XXVII, 29-XXI.

IV, 9. *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* — VI, 22-XX.

IV, 13. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus.* — I, 23-XX.

V, 1. *Messui myrrham meam cum aromatibus meis :... bibi vinum meum cum lacte meo.* — IX, 17-XX.

V, 10. *Dilectus meus candidus et rubicundus.* — XVI, 2-XX.

V, 14. *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* — VII, 11-XX, et XXVI, 26-XXI.

VII, 1. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis !* — X, 17-XX.

VII, 4. *Collum tuum sicut turris eburnea.* — XXVIII, 8-XXI.

VIII, 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* — VI, 10-XX.

ECCLESIASTICI.

I, 26. *In thesauris sapientiæ intellectus et scientiæ religiositas.* — VI, 20-XX.

VII, 6. *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* VII, 1-XX.
XX, 21. *Homo acharis quasi fabula vana.* V, 13-XX.
XXXI, 8. *Beatus dives... qui post aurum non abiit.* VI, 2-XX.
XXXIV, 23. *Dona iniquorum non probat Altissimus.* V, 23-XX.

ISAIÆ.

VIII, 1. *Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis.* In arg. S. Hieronymi.
VIII, 4. *Antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci.* I, 18-XX.
X, 23. *Abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* I, 18-XX.
XI, 1. *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.* II, 23-XX.
XI, 1. *Egredietur virga de radice Jesse.* I, 5-XX.
XIII, 17. *Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint.* X, 9-XX.
XIII, 21, 22. *Habitabunt ibi,* scilicet in deserto, *struthiones, et pilosi saltabunt ibi: et respondebunt ibi, ululæ in ædibus ejus.* XXIV, 26-XXI.
XIV, 22. *Perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem.* VI, 9-XX.
XVI, 5. *Præparabitur in misericordia solium, et sedebit super illud.* VI, 10-XX.
XXI, 14. *Qui habitatis terram austri, cum panibus occurrite fugienti.* XVI, 11-XX.
XXIV, 19. *Contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra.* XXVII, 31-XXI.
XXVI, 1. *Urbs fortitudinis nostræ Sion: salvator ponetur in ea murus et antemurale.* V, 14-XX.
XXVI, 12. *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine.* I, 22-XX.
XXVI, 19. *Terram gigantum detrahes in ruinam.* XXVII, 33-XXI.
XXX, 24. *Tauri tui, et pulli asinorum... commistum migma comedent.* XXIV, 2-XXI.

XXXVII, 3. *Dies tribulationis, et correptionis, et blasphemiæ, dies hæc.* VI, 13-XX.
XL, 9. *Exalta in fortitudine vocem tuam.* V, 1-XX.
LIV, 11, 12. *Fundabo te in sapphiris : et ponam jaspidem propugnacula tua.* VII, 25- XX.
LXI, 1. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me.* I, 1-XX.

JEREMIÆ.

IV, 2. *Jurabis : Vivit Dominus ! in veritate, et in judicio, et in justitia.* V, 33-XX.
VII, 11. *Numquid spelunca latronum facta est domus ista in qua invocatum est nomen meum ?* XXI, 13-XXI.
XXIII, 14. *In Prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, et iter mendacii.* VII, 15-XX.
XLVI, 12. *Fortis impegit in fortem, et ambo pariter conciderunt.* XII, 29-XX.

THRENORUM.

IV, 1. *Quomodum obscuratum est aurum, mutatus est color optimus !* VI, 9-XX.
IV, 4. *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* VI, 12-XX.

BARUCH.

II 23. *Filii Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, negotiatores Merrhæ*, etc. In arg. S. Hieronymi.

EZECHIELIS.

IX, 4.	*Signa thau super frontes virorum gementium et dolentium.*	X, 22-XX.
XXXII, 27.	*Descenderunt ad infernum cum armis suis, et posuerunt gladios suos sub capitibus suis.*	VII, 23-XX.
XXXIV, 8.	*Factæ sunt oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor.*	IX, 36-XX.
XLII, 1 et seq.	Exedræ fuerunt in templo.	IV, 5-XX.

DANIELIS.

VII, 2.	*Quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.*	In arg. S. Hieronymi.

OSEE.

IV, 19.	*Ligavit eum spiritus in alis suis.*	V, 28-XX.
XI, 1.	*Puer Israel, et dilexi eum : et ex Ægypto vocavi filium meum.*	VI, 12-XX.
XII, 1.	*Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum.*	VI, 2-XX.
XII, 3 et 4.	*In fortitudine sua directus est cum Angelo. Et invaluit ad Angelum, et confortatus est.*	VI, 13-XX.
XIV, 1.	*Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum !*	VII, 13-XX.

JOEL.

I, 4. *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit bru-*

chus, et residuum bruchi comedit rubigo. In arg. S. Hieronymi.
II, 10. *Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum.* XXVII, 45-XXI.
II, 32. *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* VII, 21-XX.
III, 18. *Fons de domo Domini egredietur, et irrigabit torrentem spinarum.* V, 45-XX.

AMOS.

VI, 4. *Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris.* XXII, 12-XXI.

HABACUC.

I, 8. *Leviores pardis equi ejus, et velociores lupis vespertinis.* VII, 15-XX.
III, 2. *In medio annorum notum facies.* XXVII, 38-XXI.

ZACHARIÆ.

VIII, 19. *Jejunium quarti, et jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi erit domui Juda in gaudium.* VI, 16-XX.

I MACHABÆORUM.

X, 89. *Misit* Jonathæ Alexander *fibulam auream, sicut consuetudo est dari cognatis regum.* VI, 10-XX.

MARCI.

IX, 22. *Omnia possibilia sunt credenti.* In arg. S. Hieronymi.

LUCÆ.

IV, 30. *Jesus autem transiens per medium illorum, ibat.* XI, 1-XX.
XII, 6. *Nonne quinque passeres veneunt dipondio?* X, 29-XX.
XV, 32. *Frater tuus mortuus erat, et revixit: perierat, et inventus est.* VII, 13-XX.
XVI, 19. *Induebatur purpura, et bysso.* XI, 8-XX.
XIX, 12. *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti.* XXI, 33-XXI.
XXI, 9. *Cum audieritis prœlia et seditiones, nolite terreri,* XXIV, 6-XXI.
XXII, 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* XXVI, 26-XXI.

JOANNIS.

I, 25. *Quid ergo baptizas, si tu non es Chistus, neque Elias, neque Propheta?* XI, 18-XX.
I, 48. *Cum esses sub ficu, vidi te.* XXI, 19-XXI.
X, 30. *Ego, et Pater unum sumus.* In arg. S. Hieronymi.
XIII, 34. *Mandatum novum do vobis.* V, 44-XX.
XIII, 36. *Quo ego vado, non potes me modo sequi.* XXVI, 58-XXI.
XIV, 27. *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* XXIV, 6-XXI.
XVI, 24. *Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* XXV, 21-XXI.

XVII, 17. *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.* VI, 9-XX.
XVIII, 13. *Adduxerunt eum ad Annam primum.* XXVI, 37-XXI.
XIX, 7. *Nos legem habemus, et secundum legem debet mori.* XXVII, 24-XXI.
XIX, 21. *Noli scribere : Rex Judæorum.* XXVII, 37-XXI.
XX, 19. *Cum sero esset,... et fores essent clausæ.* XXVIII, 17-XXI.

ACTUUM.

V, 29. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* XV, 6-XX.
XVII, 28. *In ipso vivimus, et movemur, et sumus.* VII, 7-XX.

AD ROMANOS.

VIII, 22. *Omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc.* V, 18-XX.
XII, 2. *Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.* VI, 10-XX.
XIV, 4. *Tu quis es qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit.* VII, 1-XX.

I AD CORINTHIOS.

II, 8. *Si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* VIII, 29-XX.
II, 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* XXIV, 36-XXI.
IV, 5. *Veniet Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* X, 26-XX.
VII, 6. *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* V, 31-XX.
VII, 33. *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori : et divisus est.* VI, 25-XX.
IX, 9. *Numquid de bobus cura est Deo ?* X, 29-XX.

XI, 29. *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit.* XXVI, 19-XXI.
XIII, 2. *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam*, etc. XXI, 21-XXI.
XV, 50. *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt.* XXII, 32-XXI.

II AD CORINTHIOS.

IV, 7. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis.* XIII, 44-XX.

AD EPHESIOS.

II, 14. *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* X, 34-XX.
II, 15. *Legem mandatorum decretis evacuans.* V, 17-XX.

AD PHILIPPENSES.

III, 9. *Et inveniar in illo, non habens meam justitiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est.* VI, 1-XX.
IV, 7. *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras.* V, 9-XX.

AD COLOSSENSES.

II, 8. *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum.* XXIV, 4-XXI.

I AD THESSALONICENSES.

IV, 15. *Ipse Dominus in jussu, et in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cælo.* XXIV, 31-XXI.

I AD TIMOTHEUM.

V, 20. *Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant.* XVIII, 17-XX.

JACOBI.

II, 1. *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ.* XX, 23-XX.

III, 1. *Nolite plures magistri fieri, fratres mei.* VII, 1-XX.

APOCALYPSIS.

II, 17. *Vincenti dabo manna absconditum, ...et nomen novum.* VI, 9-XX.

III, 20. *Si quis ...aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* XXVI, 18-XXI.

IV, 5. *De throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua.* XXIII, 3-XXI.

V, 9. *Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus.* In arg. S. Hieronymi.

XII, 1. *In capite ejus corona stellarum duodecim.* XIX, 28-XX.

XVIII, 2. *Cecidit, cecidit Babylon magna, et facta est habitatio dæmoniorum.* VII, 27-XX.

D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI,

ORDINIS PRÆDICATORUM,

IN SACROSANCTA EVANGELIA

LUCULENTA EXPOSITIO.

INCIPIT EVANGELIUM

Secundum Marcum.

CAPUT I.

Joannes in austeritate vitæ prædicat, ac baptizat aqua : Christus vero Spiritu sancto : qui a Joanne baptizatus, cum bestiis agens in deserto, post jejunium quadraginta dierum a Satana tentatur : et Joanne tradito, prædicare incipit in Galilæa : vocatisque Simone et Andrea, Jacobo et Joanne Zebedæi, accedit Capharnaum, et reliqua Galilææ loca, ibique prædicans curat socrum Simonis, et leprosum, quem misit ad sacerdotes, plurimosque dæmoniacos ac male habentes cum magna omnium admiratione.

1. Initium Evangelii Jesu Christi, Filii Dei.
2. Sicut scriptum est in Isaia propheta : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te [1].
3. Vox clamantis in deserto : Parate

[1] Malach. III, 1.

viam Domini, rectas facite semitas ejus.

4. Fuit Joannes in deserto baptizans, et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

5. Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio [2], et Jerosolymitæ universi, et baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua.

6. Et erat Joannes vestitus pilis cameli [3], et zona pellicea circa lumbos ejus, et locustas et mel silvestre edebat [4]. Et prædicabat, dicens :

7. Venit fortior me post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus [5].

8. Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto [6].

9. Et factum est : in diebus illis venit Jesus a Nazareth Galilææ, et baptizatus est a Joanne in Jordane.

10. Et statim ascendens de aqua vidit cœlos apertos, et Spiritum tamquam columbam descendentem, et manentem in ipso [7].

11. Et vox facta est de cœlis : Tu es Filius meus dilectus, in te complacui.

12. Et statim Spiritus expulit eum in desertum [8].

13. Et erat in deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et tentabatur a Satana : eratque cum bestiis, et angeli ministrabant illi.

14. Postquam autem traditus est Joannes [9], venit Jesus in Galilæam, prædicans evangelium regni Dei,

15. Et dicens : Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei : pœnitemini, et credite evangelio.

16. Et præteriens secus mare Galilææ [10], vidit Simonem, et Andream fratrem ejus mittentes retia in mare : erant enim piscatores.

17. Et dixit eis Jesus : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.

18. Et protinus, relictis retibus, secuti sunt eum.

19. Et progressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedæi et Joannem fratrem ejus, et ipsos componentes retia in navi :

20. Et statim vocavit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis, secuti sunt eum.

21. Et ingrediuntur Capharnaum [11] : et statim sabbatis ingressus in synagogam, docebat eos.

22. Et stupebant super doctrina ejus : erat enim docens eos quasi potestatem habens, et non sicut Scribæ.

23. Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, et exclamavit,

24. Dicens : Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? scio qui sis, Sanctus Dei.

25. Et comminatus est ei Jesus, dicens : Obmutesce, et exi de homine.

26. Et discerpens eum spiritus im-

[1] Isa. XL, 3; Matth. III, 3; Luc. III, 4; Joan. I, 23.
[2] Matth. III, 5.
[3] Matth. III, 4.
[4] Le vit. XI, 22.
[5] Matth. III, 11; Luc. III, 16; Joan. I, 27.
[6] Act. I, 5 et II, 4, et XI, 16, et XIX, 4.
[7] Luc. III, 22; Joan. I, 32.
[8] Matth. IV, 1; Luc. IV, 1.
[9] Matth. IV, 12; Luc. IV, 14; Joan. IV. 43.
[10] Matth. IV, 18; Luc. V, 2.
[11] Matth. IV, 13; Luc. IV, 31.
[12] Matth. VII, 28; Luc. IV, 32.
[13] Luc. IV, 33.

mundus, et exclamans voce magna exiit ab eo.

27. Et mirāti sunt omnes, ita ut conquirerent inter se, dicentes : Quidnam est hoc ? quænam doctrina hæc nova ? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei.

28. Et processit rumor ejus statim in omnem regionem Galilææ.

29. Et protinus egredientes de synagoga [1], venerunt in domum Simonis et Andreæ, cum Jacobo et Joanne.

30. Decumbebat autem socrus Simonis febricitans : et statim dicunt ei de illa.

31. Et accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus : et continuo dimisit eam febris, et ministrabat eis.

32. Vespere autem facto, cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes mala habentes et dæmonia habentes :

33. Et erat omnis civitas congregata ad januam.

34. Et curavit multos qui vexabantur variis languoribus : et dæmonia multa ejiciebat [2], et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.

35. Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.

36. Et prosecutus est eum Simon et qui cum illo erant.

37. Et cum invenissent eum, dixerunt ei : Quia omnes quærunt te.

38. Et ait illis : Eamus in proximos vicos, et civitates, ut et ibi prædicem : ad hoc enim veni.

39. Et erat prædicans in synagogis eorum et in omni Galilæa, et dæmonia ejiciens.

40. Et venit ad eum leprosus deprecans eum [3], et genu flexo dixit ei : Si vis, potes me mundare.

41. Jesus autem misertus ejus extendit manum suam, et tangens eum, ait illi : Volo, mundare.

42. Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, et mundatus est.

43. Et comminatus est ei, statimque ejecit illum,

44. Et dicit ei : Vide nemini dixeris : sed vade, ostende te principi sacerdotum, et offer pro emundatione tua quæ præcepit Moyses, in testimonium illis [4].

45. At ille egressus cœpit prædicare et diffamare sermonem, ita ut jam non posset manifeste introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset : et conveniebant ad eum undique.

[1] Matth. VIII, 14 ; Luc. IV, 38.
[2] Luc. IV, 41.
[3] Matth. VIII, 2 ; Luc. V, 12.
[4] Levit. XIV, 2.

IN CAPUT I MARCI

ENARRATIO.

« Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei.

Sicut scriptum est in Isaia Propheta. »

Sicut dictum est in præhabitis, septem sigilla per Leonem aperta, quæ secundum septem Leonis proprietates accipiuntur, sunt istius libri materia. Et primum quidem est in rugitu clamoris testimoniorum Prophetarum, et Joannis, quibus rugit de deserto. Et ideo quia hæc describit Marcus, in leonis transformatur figuram : sicut et omnis tractans aliqua divina, transformatur in imaginem eorum. Sicut Moyses, Exod. XXXIV, 29, ex consortio sermones Domini in eamdem imaginem mutatus, cornutus factus est, et splendidus. Et, II ad Corinth. III, 18, dicit Apostolus : *Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur.*

Præmittit igitur titulum in quo declarat libri sui partem primam de Leonis rugitu. Cujus sensus est, quod initium Evangelii est secundum testimonium prophetiæ Isaiæ. Quia sicut Isaias prædixit, quod primus rugitus prædicationis novæ gratiæ veniret de deserto, ita etiam in opere et impletione Christus exhibuit, novæ gratiæ præconium inducens per clamorem Joannis ex deserto.

Titulus autem iste duo continet. Unum quidem cujus sit titulus : quia non nisi primæ partis, et primi sigilli Leonis. Secundum autem continet rationem convenientiæ tituli, ubi inducit auctoritates convenientiam demonstrantes.

Dicit igitur :

« Initium. »

Est duplex initium : inducens videlicet, et inchoans. Inducens est non pars rei, sed præcedit causas. Et omne Evangelium non est nisi de factis Christi : et sic prædicatio Joannis non est de Evangelio, sed est medium Evangelii et legis : terminans legem, et inducens Evangelium. Et puto quod sic sumuntur hæc verba Matthæi, XI, 13, 12 : *Omnes Prophetæ, et Lex usque ad Joannem prophetaverunt... A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.*

Alio modo dicitur Evangelium, quæcumque continentur in codice Evangelii : et sic testimonium Joannis est de Evangelio : et tunc initium est inchoans, et rei pars prima. Ad Hebr. II, 3 : *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem ? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est.* Est igitur sensus : Istud est initium.

Sequitur autem cujus sit initium, et dicit duo : nomen videlicet libri, et rationem nominis.

Nomen, quando dicit :

« Evangelii. »

Singulariter dicit : quia licet scriptores plures sint, tamen secundum materiam unum est Evangelium. Et hoc notatur, Ezechiel. I, 6, ubi dicitur, quod *quatuor facies uni* erant : et ideo quilibet Evangelistarum describit humana, et ad Passionem et Resurrectionem et naturam divinam pertinentia : et ideo junctæ sunt pennæ alterius ad alterum[1]. In initiis ta-

[1] Ezechiel. I, 6, 9 : *Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni... Junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum*, etc.

men et finibus, non in materia, sed modo discrepant. Matthæus a generatione humana incipit[1]. Marcus autem hanc præterit, et incipit a Joannis prædicatione : Lucas autem a Joannis annuntiatione et nativitate : Joannes autem a coæterna cum Patre Verbi divinitate. Item, Matthæus in Resurrectionem terminat, et potestatem Ecclesiastici ordinis collatam. Post resurrectionem Marcus procedit usque ad Ascensionem : Lucas usque ad manifestationem et ad mittendi Spiritus promissionem : Joannes usque ad manifestationem, et ad eam (quæ Petro facta est) Ecclesiæ commissionem. In mediis etiam quædam habent propria. Et ideo quatuor esse dicuntur animalia spiritum sequentia ante thronum Dei stantia[1]. Hæc igitur est causa, quod singulariter dicit.

Dicitur autem Evangelium, *bonum nuntium,* eo quod habet illud, quod est solum bonificans (ut ita dicam) omne quod bonum efficitur, hoc est, bonum gratiæ et gloriæ. IV Reg. VII, 9 : *Hæc dies boni nuntii est.* Ea autem quæ gratiæ sunt, quatuor qualitatibus describuntur : præceptis, mandatis, testimoniis, et exemplis. Præceptum est operis : mandatum, formæ operis. Et ideo præceptum est justitiæ et obedientis (alias, obedientiæ), mandatum autem charitatis meritoriæ omnia implentis et præcipientis. Præceptum quidem sufficienter declinat malum, mandatum autem meritorie perficit bonum. Testimonium autem sunt fidei attestantia dicta et facta, de cœlo et Spiritu sancto confirmata. Exempla autem ad perfectionem vitæ proposita sunt ad imitandum. Fidei ergo ad veritatem deserviunt testimonia : vitæ autem ad formam et perfectionem manuducunt exempla. De præceptis quidem dicitur in Psalmo XVIII, 9 : *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Matth. V, 21 et seq. : *Audistis quia dictum est antiquis,* etc. Et multa hujusmodi, quæ timorem inducunt, a peccatis facientem recedere. De mandatis autem, Joan. XIII, 34 : *Mandatum novum do vobis : Ut diligatis invicem,* etc. Matth. XXII, 37 et 38 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum.* Psal. CXVIII, 96 : *Latum mandatum tuum nimis.* De testimoniis, sicut hic inducitur Malachias et Isaias. Joannes testimonium perhibuit dicens : *Ecce agnus Dei*[2]. Joan. V, 39 : *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere : et illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et ideo, Matth. II, 17, et alibi, sæpe dicitur : *Tunc adimpletum est quod dictum est per Prophetam.* Psal. XCII, 5 : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* De exemplis, Joan. XIII, 15 : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Sic enim dicitur, quod omnis Christi actio nostra est instructio. Sic igitur timor in præceptis, amor in mandatis, fides in testimoniis, spes in exemplis annuntiatur in hac Scriptura. Et ideo Evangelium (hoc est, bonum nuntium) vocatur. II Reg. XVIII, 27 : *Vir bonus est, et nuntium bonum portans venit.*

Sequitur :

« Jesu Christi. »

Ratio nominis omnium est prima, esse nuntium bonum, quod est de omnis boni bono. Et tangit tria : Naturam divinam in humana, in qua est boni auctoritas. Naturam humanam in divina, ex qua est boni affluens copiositas. Et personam, in qua est utraque natura, per quam est bona, perfecta, et perficiens nos operositas et officiositas.

Primum est quod dicit : « *Jesu* » qui *salvator* interpretatur Latine, Græce au-

[1] Apocal. IV, 6 et seq. : *In medio sedis, et in circuitu sedis, animalia plena oculis, ante et retro. Et animal primum simile leoni,* etc.

[2] Joan. I, 29.

tem σώτηρ dicitur. Et sicut dicit Damascenus: « Naturam divinam in humana di- « cit hoc nomen. » Luc. II, 21: *Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur.* Nec est vacuum nomen: quia sicut dicitur, Matth. I, 21: *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

« *Christi,* » uncti Latine, Messiæ Hebraice: unctione Spiritus qui in ipsum a Patre, et ab ipso fluit in membra. Psal. XLIV, 8, et ad Hebr. I, 9: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo exsultationis præ participibus tuis.* Isa. LXI, 1: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me ut mederer contritis corde.* Notat autem Christum unctum, unctione ipsa consecratum esse regem de genere David, et Sacerdotem Pontificem æternorum bonorum. Ad Hebr. IX, 11: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum.* De regno autem dicitur, Luc. I, 32, 33: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui: et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* Hæc unctio exhibita est in doloris lenimentum, profecit in saporis condimentum, et in totius Ecclesiæ illuminationis fomentum. De primo, Eccli. XXXVIII, 7: *Unguentarius unctiones conficiet sanitatis.* De secundo, Sapient. XVI, 20: *Omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.* De tertio, Joan. VIII, 12: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* I Joan. II, 27: *Unctio docet vos de omnibus.*

« Filii Dei. »

Tangit personam in utraque natura existentem.

Et dicit « *Filii Dei,* » cum Matthæus dixerit, *Filii David, filii Abraham*[1]: quia ille describens faciem hominis, per quos patres descendit, manifestat: iste autem describens faciem Leonis, terrorem rugitus ex Deo ostendit: et ideo totam nativitatem præteriit. Est autem Filius Dei ostensus in initio rugitus istius: quia iste incipit a baptismo Joannis, et in illo, cum baptizaretur Dominus, vox lapsa de cœlo dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*[2]. Cum ibi ergo ostendatur esse Filius Dei, et non David, neque Abraham, ideo dicit eum *Filium Dei.*

Sequitur:

« Sicut scriptum est in Isaia. » 2

Hic debet suppleri, *est,* vel, debet esse tale: « *Sicut scriptum est,* etc. »

Et tunc non habet locum objectio quam inducunt Glossæ de sequenti immediate auctoritate quæ non est Isaiæ, sed Malachiæ. Non enim inducitur hic Isaias nisi ut ostendatur quam congruenter exit Evangelium ex testimoniis Legis et Prophetarum. Et si quæritur, quare potius dicit, quod initium Evangelii sit, vel debeat esse secundum testimonium Isaiæ, quam alterius? Respondet Hieronymus in Proœmio Bibliæ *Galeato,* quod Isaias non tam prophetiam quam Evangelium videtur texere: quia lucidius omnibus prophetavit: et ideo magis est in initio Evangelii sumendum testimonium ab eo, quam ab alio. Eccli. XLVIII, 27: *Isaias Propheta spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes Sion.* Isa. IX, 1 et seq., hæc dixit Isaias quando vidit gloriam Dei. Sic enim sumpto initio, Christus apparet gloriosus inter Eliam et Moysen[3], testimonium habens Legis et Prophetarum. Sic rota in medio rotæ esse ostenditur[4]. Psalmita, Psal. CIII, 10, dicit, *quod inter medium montium* legislatoris et prophetarum *pertransibunt aquæ* Evangelii. Ad Roman. III, 21: *Nunc autem sine*

[1] Matth. I, 1.
[2] Matth. III, 17 et Luc. IX, 35.
[3] Matth. XVII, 3.
[4] Ezechiel. I, 16.

lege justitia Dei manifestata est : testificata a lege et Prophetis.

Dicit autem scriptum, et auctorem Scripturæ, et inspirationem. Scriptum quidem (ut dicit Maximus) ob posteritatis utilitatem. Ad Roman. xv, 4 : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Habacuc, II, 2 : *Scribe visum, et explana eum super tabulas : ut percurrat qui legerit eum.* Auctorem nominat magnum, eo quod *spiritu magno vidit ultima :* sicut dictum est, Eccli. XLVIII, 27.

Et dicit :

« Propheta, »

Innuens infallibilitatem. Est enim (ut dicit Cassiodorus) Prophetia divina inspiratio rerum eventus sub immobili veritate denuntians. Sapient. VII, 27 : *Per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et Prophetas constituit.*

Sic ergo terminatus est istius libri titulus.

« Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. »

Ex quo autem liber iste initiari debet secundum Isaiæ vaticinium, oportet quod ostendatur primum ipsum vaticinium : et postea inducatur secundum ipsum initium Evangelii. Et hoc facit, ibi, ℣. 4 : « *Fuit Joannes*, etc. »

Vaticinium autem induci non potest nisi primum ostendatur auctoritas ejus propter quem præmissum est vaticinium : et sic inducat vaticinium in persona illius cui collata est auctoritas. Et ut sciatur auctoritas, inducitur testimonium Malachiæ, III, 1 : *Ecce ego mitto Angelum meum, et præparabit viam ante faciem meam*, etc. In quo tria dicuntur de Joanne : auctoritas, officium, et utilitas. In auctoritate enim, missio divina : in officio, præcursio a Joanne celebrata : in utilitate autem, est ad Christum reductio nostra.

In auctoritate divina tria sunt notanda : missionis evidentia : mittendi significantia : et legatio injuncta.

De primo dicit :

« Ecce. »

Quod est demonstrandi adverbium. Quasi dicat : In evidenti est, et certum est. Tam evidens enim fuit, ut etiam Christus ipse esse putaretur. Propter hoc dicitur, Joan. v, 35 : *Ille erat lucerna ardens et lucens*, quæ per seipsam claret et evidens est : et ideo dicitur Lucifer, Job, XXXVIII, 32 : *Numquid producis Luciferum in tempore suo.*

« Ego. »

Significantiam notat : et ideo non a quoquam nisi a Deo auctoritatem habuit. Luc. III, 2 : *Factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto.* Joan. I, 6 et 7 : *Fuit homo missus a Deo..., ut testimonium perhiberet de lumine.*

« Mitto. »

Scilicet legatione injuncta. Abdiæ, ℣. 1 : *Legatum ad gentes misit.* Ezechiel. II, 3 : *Mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quæ recesserunta me.*

Deinde tangit officium. Et duo dicit : officium, et dignitatem officii.

De primo dicit :

« Angelum, »

Joannem : non natura Angelum, sed officio : quia sicut Angeli mittuntur ut ministri salutis, ita et Joannes. Ad Hebr. I, 14 : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi ?* Malachiæ, II, 7 : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem Dei requirent ex ore ejus : quia Angelus Domini exercituum est.* Exod. XXXII, 34 : *Angelus meus præcedet te.*

« Meum. »

Ecce officii dignitas : honor enim est, esse nuntium Dei. II ad Corinth. III, 6 : *Idoneos nos fecit ministros novi testamenti : non littera, sed Spiritu.*

« Ante faciem tuam. »

Tangitur præcursio, et præcursionis et utilitas.

Dicit igitur :

« Ante faciem tuam, »

Hoc est, ante præsentiam temporalem tuam, et ante præsentiæ ejusdem manifestationem. Hæc est facies de qua dicitur, Exod. XXXIII, 13, 19 : *Ostende mihi faciem tuam.... Respondit Dominus : Ego ostendam omne bonum tibi.* Luc. II, 30 : *Viderunt oculi mei salutare tuum.* Psal. LXXVII, 4 : *Ostende faciem tuam, et salvi erimus.* Ad hanc enim faciem contuendam non ducit nisi gratia Dei. I Joan. III, 2 : *Cum apparuerit, similes ei erimus :* similes enim non erimus nisi gratia nos ducente. Et tunc implebitur in nobis istud Job, XXXIII, 26 : *Videbit faciem ejus in jubilo.* Psal. XV, 10 : *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Si autem gratia Dei manu ducat (alias, non manu ducat) coram stantem non cognoscemus : unde, Joan. I, 26 : *Medius vestrum stetit quem vos nescitis.* Isa. LIII, 3 : *Quasi absconditus est vultus ejus, et despectus.*

Et ideo sequitur :

« Qui præparabit viam tuam. »

Tria dicit : præparationem illam, et illum cui præparatio fit, in ostensione et planationem viæ : viam autem, in exempli processione, et Christo paratur in intentionis directione : et hæc tria fecit Joannes.

De primo dicitur, Luc. I, 76 : *Tu, puer, propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Et, Luc. I, 17 : *Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ.* Isa. LXII, 10 : *Præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides.*

« *Viam* » autem fecit se Joannes per exemplum. Jerem. VI, 16 : *State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea* : optima enim via, doctor magni exempli est.

« *Tuam* » opere, o Christe fili, tua enim est, quia ad te dirigens. Proverb. III, 17 : *Viæ ejus viæ pulchræ, et omnes semitæ illius pacificæ.*

« Ante te. »

Ut plane et recte, relicto devio prisci erroris, tu ad corda accedas. Psal. CXXXI, 17 : *Paravi lucernam Christo meo.* Isa. XLV, 2 : *Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo.*

« Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. » 3

Inducto præcone, inducitur Isaiæ testimonium de voce præconis. Et duo dicuntur, titulus videlicet, et dictum.

Titulus est :

« Vox clamantis. »

Et vox respondet verbo quod vocem animat, quod manifestare venit Joannes : sicut vox verbum. Vox enim est via et vehiculum verbi quo cordibus audientium invehitur : et verbi manifestatio quæ dare præcipitur. Joan. I, 23 : *Ego vox clamantis in deserto.* Psal. XXVIII, 8 : *Vox Domini concutientis desertum.*

« *Clamantis* » autem vox dicitur, ut dicit Glossa, ad Judæos surdos, propter peccata longe positos, indignationis clamore dignos. De surdis, Isa. XLII, 18 : *Surdi, audite.* De longe positis propter

peccatum, Isa. LIX, 11 : *Exspectavimus salutem, et elongata est a nobis.* De inclamatione propter indignitatem, Isa. XLII, 14 : *Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar.* Isa. XXX, 27 : *Labia ejus, repleta sunt indignatione.*

Sequitur :

« In deserto. »

Duo tangit quæ clamat : unum pertinens ad omnes, quod necessarium est ad salutem, aliud pertinens ad perfectos, quod est expediens.

De primo dicit quatuor : præparationem, viam, et cui paretur, et ubi.

Ubi præmittit quidem dicens : « *In deserto,* » ad litteram : quia ibi incepit prædicare Joannes. Per locum designans quantum Judæorum synagoga jam deserta a cultu justitiæ, in proximo deserenda a cærimoniis. Luc. III, 2, 3 : *Factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto. Et venit in omnem regionem Jordanis,* etc. Psal. LXIV, 13 : *Pinguescent speciosa deserti : et exsultatione colles accingentur.*

« Parate. »

Hoc est, præparate. Paratur autem, offendicula devia (alias, de via) removendo. Præparatur etiam sternendo viam, ut suavis sit et pulchra : suavis, per conversationem exempli : et pulchra, per virorem fidei, et veritatis, et virtutis. Matth. XXI, 8 : *Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via : alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via.* Paratur etiam, humilia et suffossa elevando, quæ mundanus timor suffodit : et alta, quæ tumor erexit, ad æqualitatem deprimendo, et distorta vitiorum corrigendo. Et de his similiter dicitur, Isa. XL, 4 : *Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas.*

« Viam. »

Via est quæ trita est : et hæc est, vestigia præcedentium patrum qui iverunt ad Christum : quæ quidem deleta fuit, quia filii non sequebantur fidem in devotione patrum. Thren. I, 4 : *Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem.* Jerem. VI, 16 : *Interrogate de semitis antiquis quæ sit via bona, et ambulate in ea.* Hæc est via obedientiæ mandatorum, Psal. CXVIII, 32 : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Tob. IV, 20 : *Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant.*

« Domini. »

Et quoniam Dominus iturus est ad corda : et quoniam vos tenebitis munde per fidei devotionem ad Dominum Psal. XXIV, 4 : *Vias tuas, Domine, demonstra mihi : et semitas tuas edoce me.* Osee, XIV, 10 : *Rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis.*

« Rectas facite semitas ejus. »

Tangit id quod est perfectorum. Et dicit tria : rectitudinem, compendium, et opus quod est in nobis. Scias autem quod, ut dicit Plato, *recta* est brevissima linearum inter duos terminos : et hæc est via consiliorum. *Semita* autem dicitur a semis et iter, quasi dimidium iter : quia circuitus mundi sollicitudinum amputat : de quo dicitur in Psalmo XI, 9 : *In circuitu impii ambulant.* Et, Job, I, 7 : *Circuivi terram, et perambulavi eam.* Et hæc semitæ maxime Christi fuerunt, quia has verbo et facto exhibuit. Proverb. IV, 11 et 12 : *Ducam te per semitas æquitatis : quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui.* Isa. XXVI, 7 : *Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.*

4 « Fuit Joannes in deserto baptizans, et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. »

Postquam præmisit prophetiam probantem congruum esse initium Evangelii per prædicationem Joannis, consequenter hic ipsam inducit prædicationem, Joannis. Et inducit tria: prædicationem, vitæ qualitatem, et testimonium, quo ostendit Christi veritatem. Primum, de perfectione virtutum: secundum, dat formam operis: tertium autem, finem confirmat fidei, et veritatis. Hæc autem patent in littera.

Circa prædicationem duo inducit: qualitatem videlicet prædicationis ex parte prædicantis, et qualitatem ejusdem ex parte populi eum audientis.

Ex parte autem docentis inducit duo: opus, et doctrinam.

De opere dicit tria: nomen, locum, et formam operis.

De nomine dicit:

« Fuit Joannes, »

Qui *gratia Dei* interpretatur. Congruebat enim ut gratiam et veritatem quæ per Jesum Christum facta est [1], gratia Dei inchoaret. I ad Corinth. xv, 10: *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit.* Exod. xxxiii, 19, 17: *Ego ostendam omne bonum tibi... invenisti enim gratiam coram me.*

« In deserto, »

Judææ populo in proximo deserendo. Matth. xxiii, 38: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Osee, ii, 14: *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.*

« Baptizans. »

Ecce forma operis. Et dicitur ipse *baptizans*, quia non erat in baptismo Joannis, nisi opus Joannis: eo quod interius non conferebat gratiam. Unde, Joan. i, 26: *Ego baptizo in aqua.* Non dicit: In gratia. Act. xix, 2 et 3: *Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus.* Et interrogaverunt eos Paulus et Apollo: *In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis baptismate.* Ideo etiam solus inter baptizantes *Baptista* vocatur. Matth. xi, 11: *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista.* Alii enim omnes in Christi baptismate baptizati, a Christo baptizati sunt. Joan. i, 33: *Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat.* Dicitur autem *baptizans:* quia in materia, et in actu, in quadam forma per similitudinem Christi baptisma præostendit et induxit. Baptizabat enim in forma venturi. Act. xix, 4: *Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est, in Jesum.*

« Et prædicans. »

Ostendit qualis fuerit in verbo, modo, et materia, et intentione finis.

Modo quidem cum dicit: « *Prædicans.* » Dicit enim Chrysostomus, quod prædicatio est eorum quæ sunt supra intellectum, doctrina autem est intellectualium et rationabilium. II ad Timoth. iv, 2: *Prædica verbum: insta opportune, importune.* Talia enim quæ sunt fidei non possunt doceri, sed inspirari necesse est. Sed exterius possunt annuntiari: et hæc annuntiatio, prædicatio est. I Joan. i, 2: *Annuntiamus vobis vitam æternam.*

[1] Joan. i, 17: *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.*

« Baptismum. »

Ecce materia per quam assuescitur populus, et inducitur paulatim ad formam novi sacramenti. Sic enim præcursor baptismi Christi fuit : quia, sicut dicit Beda, « Baptismum Christi quo « peccata solvuntur suo baptismate (quo « peccata solvi non possunt) præcucur- « rit. » Mundationem tamen corporis exhibuit, et in Christo ostendit fore mundationem mentis. IV Reg. v, 10 : *Lavare septies in Jordane, et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.* Per corporale enim opus Joannis venitur ad munditiam mentis per Christi baptisma.

« Pœnitentiæ. »

Tangitur hic finis. Et intelligitur de pœnitentia interiori et exteriori. Et ideo dicitur, Luc. III, 8 : *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Et formam sanctificationis imposuit. Et, Matth. III, 8, dixit : *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Christi autem baptisma exteriorem pœnitentiam et lamentum non requirit, sed omnia peccata gratis dimittit : et si requirit interiorem, hoc est, ut sit non fictus qui baptizatur. Sapient. I, 5 : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.*

« In remissionem peccatorum. »

Meritò pœnitentiæ, non baptismatis : quia per pœnitentiam semper peccata soluta sunt. Ezechiel. XVIII, 21 et 22 : Quacumque hora peccator ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius [1]. Jerem. XXXI, 19 : *Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum..., et egi pœnitentiam. Confusus sum et erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* Matth. III, 2 : *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.*

« Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, et Jerosolymitæ universi, et baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. » 5

Hic tangitur doctrina ex parte auditorum. Et tanguntur quatuor : devotio scilicet, in egrediendo : generalitas, in affluendo : obedientia, in baptismo suscipiendo : compunctio, et pœnitentia quam prædicavit, in peccato confitendo. Et hæc patent in littera.

De primo dicit duo : egressum a propriis, et accessum in appropinquando sanctis.

Dicit igitur :

« Et egrediebantur, »

Ex propriis actibus, et rebus, et negotiis. Actus pertinent ad peccata, et peccatorum circumstantias et occasiones : res autem pertinent ad infirmitatis solatia : et negotium ad curas. Nihil enim habet homo proprium nisi peccatum : omnia alia accepit a Deo. I ad Corinth. IV, 7 : *Quid habes quod non accepisti ?* De hoc egressu, Genes. XII, 1, dicitur : *Egredere de terra tua, et de cognatione tua.* Numer. XVI, 26 : *Recedite a tabernaculis hominum impiorum.*

« Ad eum. »

Non enim sufficit egredi, nisi perveniatur usque ad illum per doctrinæ imbuitionem, et exempli informationem. Aliter enim dicetur nobis illud Job, VI,

[1] Ezechiel. XVIII, 21 et 22 : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet et non morietur : omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor : in justitia sua, quam operatus est, vivet.*

21 : *Nunc venistis, et modo videntes plagam meam timetis.* Deuter. XXXIII, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.*

« Omnis regio Judææ. »

In quibus notantur subditi. Prælati enim sacerdotum et regum erant Jerosolymitæ : et liberi erant respectu aliorum. Job, III, 19 : *Parvus et magnus ibi sunt, et servus liber a domino suo.* Psal. XLVIII, 3 : *Quique terrigenæ, et filii hominum, simul in unum dives et pauper.* Admiratio enim tantæ sanctitatis attraxit omnes.

« Et Jerosolymitæ universi. »

In quibus notantur Prælati.

« Et baptizabantur ab illo. »

Ecce obedientia : quia hoc suadebat Joannes. Egredi tantum ad Prophetam parvum est, nisi obediatur Prophetæ. Isa. I, 16 : *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Zachar. XIII, 1 : *Erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris, et menstruatæ.*

« In Jordanis flumine. »

Sicut per baptizationem tangit sacramenti modum, ita per Jordanem tangit figuratam præparationem ad baptismum. Jordanis enim interpretatur *aliena descensio*, sive *humilis descensus*. Et attende quod secundum Hieronymum, aquæ superiores affluunt super intrantem in Jordanem : aquæ autem inferiores separantur, et non attingunt intrantem. Unde, Josue, III, 16, cum intravit arca in Jordanem, superiores affluentes ad arcam, stabilitatem et altitudinem acceperunt : inferiores autem in deterius mutatæ sunt, quia defluxerunt in salsedinem maris. Sic Christo (arca deitatis) intrante in baptizatum [1], aquas per vias rationis humanæ quæ fluunt ad ipsum stabilit per mentis continentiam, et exaltat per justitiam. Quæ autem fluunt ab ipso inferiores sunt, quæ pertinent ad carnis concupiscentiam : et has in deterius mutat amaritudinis æternæ. Et sic corpus Christi talibus non proficit, sed in deterius mutat. I ad Corinth. XI, 29 : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit : non dijudicans corpus Domini.* Vel, oportet aliena quæ non sunt secundum naturam, humiliter abluere, sicut in figura docet Joannes : et in justitia exaltari, et inferioribus fluxibilibus in amaritudinem pœnitentiæ converti. Psal. CXIII, 3 : *Jordanis conversus est retrorsum.* Genes. VII, 17 : *Multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime.* Aquæ enim per naturam pervietatis, et fœcunditatis, et ablutivæ virtutis in bona sumuntur significatione : quæ confluentes exaltant hominem ad cœlestia. Per naturam autem fluxibilitatis, et frigiditatis, et instabilitatis, significant concupiscentiam : et hæ debent defluere (alias, mutari) in mare. Genes. I, 7 : *Deus divisit aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum.* Daniel. III, 60 : *Benedicite, aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Domino.*

« Flumine, »

Hoc est, affluentia donorum quæ præfigurantur in Christi baptismate futuro. Psal. XLV, 5 : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Ezechiel. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

[1] Codex alius habet : Sic Christus (arca deitatis) intrantes in baptizatum aquas per vias rationis, etc.

« Confitentes peccata sua. »

Præparando se ad baptisma. Prædicabat enim Joannes, Luc. III, 8 : *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* In pœnitentia autem præcedit compunctio, sequitur confessio, et perfectionem inducit satisfactio : et fructus hujus est plena peccati remissio. Jacob. V, 16 : *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini.* Josue, VII, 19 : *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas.* Dicit autem, « *peccata,* » contra eos qui in confessione narrant non peccata, sed maculant confessionem, aliorum actuum narratione interposita. Contra quod dicitur, Isa. XLIII, 25 : *Dic tu iniquitates tuas* [1] : quasi dicat, alia non dicas : cum detestatione enim eorum quæ narrantur fit confessio. Quæ autem non sunt peccata, non sunt detestanda. Psal. XXI, 5 : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino,* hoc est, iniquitatem narrans, quæ sola est adversum me.

Sequitur. « *Sua,* » non aliena. Et hoc est contra eos qui in confessione produnt alios plus quam seipsos : quod non est faciendum. Ad Roman. XIV, 12 : *Unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo, non pro alio.* Jerem. III, 2 : *Leva oculos tuos in directum, et vide ubi non prostrata sis.* De ista confessione dicitur, Eccli. XVII, 26 et 27 : *Ante mortem confitere : a mortuo, quasi nihil, perit confessio. Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis : et laudabis Deum,* etc. Isa. XXXVIII, 19 : *Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie.*

« Et erat Joannes vestitus pilis cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus, et locustas et mel silvestre edebat. »

Dicit hic qualitatem vitæ, quæ potius est in miraculum quam quod aliquis imitari possit. Et hoc etiam omnes trahebat ad auditionem (alias, audiendum), et vincebat ad credendum. Tangit autem qualis fuit in vestitu, et qualis in victu. De domo enim et familia nulla erat quæstio in eo qui eremi erat incola.

De vestitu notantur quatuor : asperitas, humilitas, paupertas, et hoc in vestimento protegente, et quarta notatur continentia in veste non protegente. Per pilos enim notatur asperitas : per camelorum pilos humilitas : per vestitum talem, in quo sola est verecundiæ protectio, notatur paupertas. De asperitate, Matth. XI, 8 : *Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt.* De humilitate, Eccli. XI, 4 : *In vestitu ne glorieris umquam.* De utroque horum dicitur, Job, XVI, 16 : *Saccum consui super cutem meam.* Ad Hebr. XI, 37 : *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti : quibus dignus non erat mundus.* De paupertate dicitur, Tob. IV, 23 : *Pauperem vitam gerimus, sed multa bona habebimus.* Psal. XXIX, 12 : *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.*

De quarto vestimento dicitur :

« Zona pellicea, »

In qua notatur cingulum continentiæ et castitatis, et memoria mortis, et castigatio concupiscentiæ carnalis. *Zona* enim continet et constringit : *pellicea,* memoriam mortis inducit : et *circa lumbos,* locus est concupiscentiæ carnalis, mortificationem significans. Isa. XI, 5 : *Erit justitia cingulum lumborum ejus, et*

[1] Vulg. habet, Isa. XLIII, 25 et 26 : *Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me... Narra si quid habes ut justificeris.*

fides cinctorium renum ejus. Hæc est enim justitia quæ debetur carni : et fides quæ debetur vero animæ viro, ne suscipiatur adulter. Luc. XII, 35 : *Sint lumbi vestri præcincti.* IV Reg. I, 8 : *Vir pilosus, et zona pellicea accinctus renibus.* In lumbis enim vigor concupiscentiæ est : ideo de diabolo dicit Deus, Job, XL, 11 : *Fortitudo ejus in lumbis ejus, et virtus illius in umbilico ventris ejus.*

Ecce qualis fuerit in vestitu.

Sequitur :

« Et locustas. »

Parva animalia, oleo esibilia.

« Et mel silvestre edebat. »

Mel enim ros viscosus et spissus calore aeris in dulcedinem digestus, qui ad radium solis exsiccatur ad furvedinem et albedinem granulosam. Idem continetur, Matth. III, 4.

Locustæ autem in quibus est volatus alacer, et cito deciduus, significant saltus gaudiorum cordis divinum bonum in contemplatione concipientis, mel autem significat dulcedinem spiritualis consolationis. Iste enim cibus est proprius eremitæ. De primo dicitur, Genes. XLIX, 21 : *Nepthali, cervus emissus.* Cantic. II, 8 : *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Salit enim in montibus gaudiorum, transiliens colles desideriorum. De melle dicitur, Cantic. IV, 11 : *Mel et lac sub lingua tua.* Eccli. XXIV, 27 : *Hæreditas mea super mel et favum.*

Aliter autem locusta plaga Ægypti significat eos qui licet verbis et fide de terra eleventur, tamen decidui sunt in opere, depascentes virorem virtutis dente concupiscentiæ et avaritiæ. Psal. CIV, 34 : *Venit locusta, et bruchus.* Hos autem Joannes sibi incorporavit verbo occidendo, et opere Christo capiti et Ecclesiæ incorporando. Poverb. XXX, 27 : *Regem locusta non habet, et egreditur universa per turmas suas.* Mel autem silvestre significat dulces naturalibus virtutibus, silvestres tamen per infidelitatem : eo quod non domitum per fidem habent intellectum. Et hos comedit incorporando fidei venturum, quando docuit in eum qui post eum venturus erat ut crederent. Simile, Act. X, 13, dicitur de Petro : *Occide, et manduca.* Abscissis enim vitiis a peccatoribus, quod remanet naturale et mundum est. I Reg. XIV, 25, comparavit super faciem agri mel fluens. Et, ibidem, ℣. 27 : *Jonathas... extendit summitatem virgæ.., et intinxit in favum mellis... : et illuminati sunt oculi ejus.* Et, infra, ℣. 43 : *Gustans gustavi... paululum mellis*, etc.

« Et prædicabat dicens :

Venit fortior me post me. »

Hic ponit testimonium. Et habet duo : testimonium virtutis et dignitatis, ex parte legislatoris : et testimonium diffundendæ gratiæ in sacramento baptismatis. In utroque autem horum quædam est comparatio Joannis ad Christum : minoritatis et baptismatis Joannis ad baptisma Christi : sicut exemplum similitudinis ad veram causam gratiæ et veritatis.

In primo ergo Christi tangit dignitatem in virtute in ordine adventus, dicens:

« Venit, »

Non in ludum (alias, luctum), sed ad prædicandum, et baptizandum, et redimendum. Malach. III, 1 : *Statim veniet Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis.* Ibidem, ℣℣. 1 et 2 : *Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus, et quis stabit ad videndum eum ?* Vincit enim omnem admirationem in altitudine, excellit omne desiderium in bonitatis consolatione, et omnem virtutem inimici vincit in fortitudine gratiæ redimentis.

« Fortior me. »

Quis fortior Joanne, qui in matris utero vincens naturam, in occursum salvatoris exsultavit ? Qui in diebus juventutis mundum fugiens, eremum habitavit ? Qui Spiritu Dei plenus ad baptismum venit ? Qui Dei ore vitium omne vicit ? Qui in spiritu et virtute Eliæ salvatorem suscepit ? Nullus prorsus præter eum qui sibi fortitudinem hanc ministravit. De quo dicitur, Job, IX, 19 : *Si fortitudo quæritur, robustissimus est.* Numer. XXIV, 8 : *Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis.*

Hic ergo tam fortis cum veniet fortior me

« Post me. »

Non dignitate, sed tempore. Matth. XX, 30 : *Sic erunt primi novissimi, et novissimi primi.* Sic, Matth. XI, 11 : *Qui minor est in regno cœlorum* (secundum opinionem hominum), *major est illo.*

« Cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus. »

Tangitur Joannis indignitas nomine humilitatis : signo, et ultimæ humilitatis obsequio. Dicit de primo :

« Cujus non sum dignus. »

Isa. XL, 17 : *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo.*

« Procumbens. »

Ecce humilitatis signum. Ad calceamentum enim non procumbit nisi jacens in pulvere. Ad Philip. II, 10 : *In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum.*

« Solvere corrigiam calceamentorum ejus. »

Notabile est quod dicit *calceamentorum* et *corrigiam* : quia secundum hoc ligatos calceos habuit. Nec ergo nudipes ivit, nec rostratos et superbos calceos habuit. Et est sensus : Minimi obsequii non sum dignus exhibere famulatum. Matth. VIII, 8, simile : *Non sum dignus ut intres sub tectum meum.* Vel mystice, pes est deitas : et calceamentum, humanitas mortalis : et corrigia, est unio utriusque naturæ : quam dissolvere, hoc est, Sacramentum intelligere et exponere non est Joannes idoneus. Unde Gregorius : « Venit ad nos calceata divinitas. » Psal. LIX, 10 : *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Vel, sicut dicitur, Deuter. XXV, 9, et Ruth, IV, 7, solvens calceamentum, accepit alii debitam uxorem et sponsam : et ideo Joannes cum sponsus Ecclesiæ credi potuisset, non usurpavit sibi nomen sponsi : et ideo Christum noluit discalceare.

Sequitur :

8

« Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto. »

Introductio est baptismatis Christi per comparationem inefficaciæ baptismatis sui.

Dicit ergo :

« Ego baptizavi vos aqua, »

Quasi similitudinem quamdam in materia et actum quemdam baptismatis exhibeo. Et dicitur : « *Ego* » discretive : non Deus, sicut supra diximus. Et oportuit quod in aqua : quia, Joan. III, 5 : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*, etc. In aqua enim primo fuit anima vivens [1]. Et etiam ideo competebat figuram baptismatis in aqua præcedere.

[1] Cf. Genes. I, 20.

« Ille vero, »

Qui fortior me veniet : et « *baptizabit vos,* » interius mundando, « *Spiritu sancto,* » adspirando virtutes ; et sanctificando, sive mundando a peccatis. Act. I, 5 : *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.* Joan. I, 33 : *Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat.*

9 « Et factum est : in diebus illis venit Jesus a Nazareth Galilææ, et baptizatus est a Joanne in Jordane. »

Hic incipit ponere secundam Leonis proprietatem, quæ est liberalitas in communicatione suorum. Communicatio autem Christi charismatum est per regenerationis sacramentum : per quod, Christi operatione, diffunduntur charismata in omnes regeneratos. Ad hoc autem quod hoc fieri possit, oportuit quod Sacramento gratia per sacramentum diffundenda infundatur. Et aquæ quidem infusa est vis regenerativa per contactum carnis Christi : in qua, sicut dicitur, ad Coloss. II, 9, habitat plenitudo divinitatis corporaliter[1].

Forma autem baptismi instituta est ex ipsa personarum præsentia : Pater enim in voce, Spiritus in columba, et Filius in carne demonstrati sunt. Effectus autem baptismi ostensus est apertione cœlorum. Præterit autem Marcus exhortationes et comminationes quas fecit Joannes : quia festinat ad Leonis proprietates, sciens illa per alios Evangelistas esse descripta vel describenda, et eorum vultibus illa magis congrua.

Dividitur autem pars ista in tres partes, scilicet significationem aquæ, quæ est baptismi materia : et demonstrationem effectus baptismi : et demonstrationem formæ operantis sanctitatem.

Circumstantia autem aquæ significationem sunt temporis oportunitas, sanctificantis benignitas, et ejusdem consummatoris et sanctificatoris perfecta humilitas, et ipsa perfectio sanctitatis.

Temporis autem congruitas (alias, opportunitas) importatur in duobus : ex præterito, et præsenti.

Ex præterito cum dicit :

« Et factum est. »

Videlicet cum Joannes verbo et facto præcurrens viam sanctificatori præparasset. Eccle. III, 1 : *Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa.*

Tempus autem ex præsenti significatur, cum dicitur :

« In diebus illis. »

Quando lux luci succederet in apertione veritatis. Hoc enim notat ipsa qualitas temporis. Psal. XVIII, 3 : *Dies diei eructat verbum.* Lux Joannis testificans soli. Isa. XXX, 26 : *Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum,* qui sunt septem sacramentorum, vel donorum illustrationes. Joan. V, 35 : *Erat Joannes lucerna ardens et lucens. Vos autem voluistis ad horam exsultare in luce ejus.*

« Venit Jesus, »

Propria largitate et benignitate inductus, ut suam in mundi elementum diffunderet sanctitatem : quo omnes a peccatis mundarentur. Joel, II, 13 : *Benignus et misericors.* Sapient. I, 6 : *Benignus est spiritus sapientiæ,* hoc est, Jesu qui est Patris sapientia. Nominat autem Jesum, quia ipsius est salutem diffundere. Matth. I, 21 : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

[1] Ad Coloss. II, 9 : *In ipso,* scilicet Christo, *habitat plenitudo divinitatis corporaliter.*

« A Nazareth. »

Hic tangitur consummatoris humilitas in duobus : in loco unde venit, et in eo ad quem venit.

Locus duplex : communis, et minus communis. Dicitur enim ; « *A Nazareth,* ubi conceptus et educatus fuit : et designatur per locum : quia flos virtutum excellens in omni honestate, sic se humilem præbuit ut non ad se Baptistam vocaret, sed ipse de longinquo, longo labore venit. Per quod docuit quod nos indigentes Ecclesiæ ministros debemus quærere. Joan. XIII, 15 : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Hic est flos de quo dicitur, Cantic. II, 1 : *Ego flos campi.* Et, Isa. XI, 1 : *Flos de radice Jesse ascendet.*

« Galilææ. »

Patria communis : quæ *transmigratio facta* interpretatur, eo quod ista sanctificatione migrandum est ab exsilio ad patriam paradisi, unde excidimus per primum peccatum. Act. II, 7 : *Omnes qui loquuntur, Galilæi sunt,* qui videlicet spiritum Christi acceperunt. Isa. IX, 1 et 2 : *Novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.*

« Et baptizatus est. »

Ecce perfectio sanctitatis et consummatio. Baptizatus enim tetigit aquam secundum quod est aqua baptismatis. Nec etiam aqua aliter habet vim regenerativam, nisi secundum quod est materia baptismatis. Et hoc notat verbum passivum *baptizatus est :* quod est suppletio verbi passivi. Patiens autem sic agit in id a quo patitur. Tactus enim ab aqua, infundit aquæ vim regenerationis. Unde, Isa. XII, 3 : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris.* IV Reg. II, 21 : *Sanavi aquas has, et non erit ultra in eis mors, neque sterilitas.*

« A Joanne. »

Homine, Deus : minore, major : ut nullus refutaret Ecclesiæ ministrum se inferiorem. Matth. III, 14 et 15 : *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me ? Respondens autem Jesus dixit ei : Sine modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Glossa ibidem : Hoc est, perfectam humilitatem.

« In Jordane, »

Qui *aliena descensio* interpretatur, vel *humilis descensus*, sicut superius diximus. Et sunt illæ aquæ propria materia per quas aliena, hoc est, peccata innaturalia in mare amaritudinis pœnitentiæ descendunt : et baptizatus humilis ab elemento propter Christum sanctificationem requirens descendit, aquæ reverentiam exhibens. Genes. XXXII, 10 : *In baculo meo transivi Jordanem istum,* hoc est, in crucis virtute omnes transvexi. IV Reg. III, 16 et 17 : *Facite alveum torrentis hujus fossas et fossas : hæc enim dicit Dominus : Non videbitis ventum neque pluviam, et alveus iste replebitur aquis.* Alveus est carnalis aquæ humilitas : fossa et fossa, corda timore Dei concita, non vento inanis doctrinæ circumagitata, nec pluvia tentationum quæ domum in arenam fundatam evertunt, subruta : et erunt plena aquis quæ sunt flumina gratiarum.

« Et statim ascendens de aqua vidit cœlos apertos. » 10

Hic tangitur virtus baptismi et effectus. Et quia duæ sunt res sacramenti istius : una contenta est, et significata : alia au-

tem significata, et non contenta : ideo duo hic dicuntur. Primo enim præsignat rem contentam et signatam in ascensu suo de aqua : rem autem signatam et non contentam præsignat in apertione cœlorum, in quibus notatur adeptio beatitudinis.

Dicit igitur :

« Et statim ascendens de aqua. »

Litteraliter quidem ascendit ad ripam. Et quia humiles sunt alvei aquarum, respectu illius dicitur ascendisse quando redivit ad terram : si autem præpositio, *de aqua*, notat causam ascensus, non in capite sed in membris, tunc notantur tria in verbo. Modus gratiæ baptismalis, et effectus, et causa.

Modus in hoc quod dicit : « *Statim :* » nescit enim tarda rerum molimina Spiritus sancti gratia. Non enim indiget experimento et tempore, sicut virtus intellectualis : nec in difficilibus indiget longa consuetudine, sicut in moralibus habitibus : sed statim infundit se gratia Spiritus sancti. Actuum, II, 2 : *Factus est repente de cælo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis.*

« *Ascendens.* » Ecce effectus ascensionis de virtute in virtutem, quem in se Christus demonstravit et in aliis effecit. Psal. LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem.* Isa. II, 3 : *Ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus.*

« De aqua, »

Quæ causa est sanctitatis in membris quam caput demonstravit. Ezech. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Et hoc signatur apertius, Luc. IV, 1, ubi dicitur : *Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane.*

« Vidit cœlos apertos, »

Beatitudinis viam homini reseratam. Et quoad hoc dicitur baptismus aperire januam. Cum enim Christi baptismus sit in aqua et Spiritu sancto : in Genesi autem, III, 24, dicatur quod Cherubim habentem et flammeum gladium collocavit Deus, ad custodiendam viam ligni vitæ : ignis flamma exstinguitur per sanctificationem aquæ, Cherubim autem removetur per Spiritum sanctum : et sic janua vitæ reseratur, et via facilis præbetur. Psal. CVI, 16 et 17 : *Contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit. Suscepit eos de via iniquitatis eorum.* Isa. XLV, 2 : *Portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam.* Portæ enim sunt maledictiones, et semen damnationis antiquæ in sono terribili pronuntiatæ, sicut sonus æris. Vectes ferrei sunt repagula peccati.

Quod autem dicit :

« Cœlos apertos, »

Ut dicit Hieronymus, non intelligitur factum esse reseratione elementorum, vel fractura : sed est visio occultorum (alias, cœlorum) quæ fit spiritualibus oculis. Et hoc est quando visus in lumine revelationis divinæ, jam non in cœlo speculi et ænigmatis (in quo celans est Deus), non in cœlo figurali (alias, figurarum) et in imaginaria vision (in qua Deus multis Prophetarum celatus, ostensus est), sed potius in tertio cœlo intellectualis et revelatæ veritatis ostenditur : et occulta quæ diligentibus se præparavit aperiuntur II ad Corinth. XII, 2, 4 : *Raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum..., et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Et ideo, dicitur pluraliter : *Cœlos apertos.* Apocal. XI, 19 : *Apertum est templum Dei in cælo : et visa est arca testamenti ejus in templo ejus.* Arca est rota (alias, nota) rerum divinarum quas Deus suis præparavit. Actuum, VII, 56 : *Ecce video cœlos*

apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei. Ezechiel, I, 1 : *Aperti sunt cœli, et vidi visiones Dei.*

« Et Spiritum tamquam columbam descendentem et manentem in ipso. »

Ecce personarum demonstratio per institutionem formæ sacramentalis. Et quia Spiritus sanctus per attributionem diffundit se et gratiam, ideo mittitur in nos sanctificandos. Pater autem non mittitur, ut dicit Augustinus. Et ideo Spiritus sanctus proximior nobis esse dicitur, ideo primo ponit Spiritus sancti manifestationem.

Et dicit tria : auctorem sanctitatis, cum dicit, *Spiritum sanctum* : figuram, cum dicit, *tamquam columbam* : missionem autem et manifestationem, cum dicit, *descendentem*, etc.

Dicit igitur :

« Et, »

Supple, vidit Joannes.

« Spiritum sanctum. »

Ideo baptismus Christi est in Spiritu sancto. Act. I, 5 : *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto.* Licet enim baptismus operetur gratiam ut dispositio disponens in subjecto (alias, subjectum) sicut etiam medicina operatur sanitatem, tamen efficienter homini operatur gratiam Spiritus sanctus.

« Tamquam columbam. »

Quia (alias, quæ) sine felle esse dicitur : quia fellis peccati amaritudo per baptismum purgatur. Ad Hebr. XII, 15 : *Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi.* Et ideo ei qui serpentinam habuit malitiam a Petro dictum est, Act. VIII, 23 : *In felle amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse.* Hæc est columba quæ cum signo misericordiæ Dei in ramo virentis olivæ reversa est ad arcam, hoc est, Ecclesiam [1]. Cantic. II, 14 : *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Petra est Christus : foramina, vulnera : caverna maceriæ, foramen lateris factum in jam macerato, et exsangui, et exanimi corpore : his enim passionibus operatur in baptismo per columbam.

« Descendentem et manentem in ipso. »

Tria dicit : benignitatem Spiritus, mansionem, et plenitudinem.

Benignitas notatur in descensu. Non enim descendit per naturæ et personæ inferioritatem, sed per bonitatem inclinans se nobis. Sapient. XII, 1 : *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus !* Ideo dicitur cadere, Act. X, 44 : *Cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum.*

Mansionem ad perseverandum, Isa. XI, 2 : *Et requiescet super eum spiritus Domini :* et hoc maxime competit Christo. In aliis enim inquietatur ad minus per venialia. Et licet maneat habitu in Sanctis, tamen in continuo actu, et omni modo non mansit nisi in Christo. Joan. I, 33 : *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat.* III Reg. II, 15 : *Requievit spiritus Eliæ super Eliseum.*

« In ipso. »

In hoc notatur plenitudo Spiritus, et demonstratio personæ Filii in forma baptismi. Plenitudo enim Spiritus est in fonte unde procedit. A Filio autem pro-

[1] Cf. Genes. VIII, 11.

cedit sicut a Patre. Unde in Evangelio Nazarenorum legitur in isto loco : « Descendit in eum fons omnis Spiritus. » Joan. III, 34 : *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum* ; ibi enim Filius Spiritum diffundit ad membra vivificanda. Genes. I, 2 : *Spiritus Dei ferebatur super aquas.*

11 « Et vox facta est de cœlis : Tu es Filius meus dilectus, in te complacui. »

Demonstratio est personæ Patris, ut verum sit quod dixit, Joan. XIV, 23 : *Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*

Tangit autem hic duo : originem vocis, et testimonium.

Origo importatur in hoc quod dicit :

« Vox de cœlo facta est. »

Vox quidem est verbi vehiculum. Et significatur processus Verbi a paterno corde, Psal. XLIV, 2 : *Eructavit cor meum verbum bonum.* Cantic. II, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis.* Psal. XXVIII, 3 : *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit.*

« *De cœlo* » summæ Trinitatis a Patre. Psal XVIII, 7 : *A summo cœlo egressio ejus.* Psal. XVIII, 14 : *Intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam.*

« *Facta est,* » quia corporalis fuit in qua Pater sonuit, ut a nobis esset audibilis. II Petr. I, 47 : *Voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria.*

« Tu es Filius meus. »

Testimonium est Patris. Et dicit duo : testimonium unius cum Patre divinitatis, et spirationis : et testimonium acceptabilis operis redemptionis.

In primo dicit : « *Tu,* » qui in carne videris esse humiliatus. Ad Philip. II, 7 : *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens.*

« *Es,* » quod est nomen Dei ineffabile. Exod. III, 14 : *Ego sum qui sum.* Et, ibidem : « *Qui est, misit me ad vos.* « *Filius meus.* » Ecce deitatis cum Patre connaturalitas. Ad Philip. II, 6 : *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Joan. XI, 27 : *Ego credidi quia tu es Christus, Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.*

« Dilectus. »

Spiratio communis Patri et Filio, qua spirant Spiritum sanctum. Cum enim dicit : « *Dilectus,* » notatur dilectio procedere a Patre in Filium : et a Filio in Patrem, et in nos. Ad Coloss. I, 13 : *Eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ.* Matth. III, 17 : *Hic est Filius meus dilectus.*

« In te complacui. »

Acceptando opus meriti redemptionis. *Tactus enim dolore cordis intrinsecus,* pœnituit me fecisse hominem [1] : sed nunc commotio quievit : ad complacitum veni in te, acceptando bonum tuum pro homine redimendo factum et faciendum : et in baptismo sanctifico et accepto redemptos. Ad Coloss. I, 19 et 20 : *In ipso complacuit omnem divinitatis plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia.* Proverb. III, 12 : *Quasi pater in filio complacet sibi.*

Sic ergo terminatur pars in qua Leo de tribu Juda communicativus est suorum.

[1] Genes. VI, 6.

« Et statim Spiritus expulit eum in desertum. »

Hic ostenditur proprietas Leonis, qua imperterritus est in occursu contrapugnantium. Proverb. xxx, 30 : *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum.* Demonstrat igitur vigorem in spiritu, et vigorem in corpore, et vigorem contra nequitias spirituales : et item super creaturas inferiores, et ad creaturam superiorem. Et hæc quinque per ordinem dicit in *Littera.* Primum est devotionis : secundum est abstinentiæ corporalis : tertium, virtutis et fortitudinis : quartum, innocentiæ et primæ institutionis, et dignitatis : quintum, reverentiæ et honoris. In his autem defecit primus homo. Primo enim, per elevationem (alias, elationem) quæ surrepsit menti, spiritus amisit vigorem : et secundo, per appetitum vetiti, corporalis concupiscentiæ sensit infirmitatem : tertio, per consensum succubuit tentatori : quarto, propter reatum, super ea quibus præpositus fuerat amisit dominium : et quinto, per exsilium ad quod damnatus fuit, Angelorum perdidit consortium.

De primo dicit :

« Et statim. »

Tangit autem spiritus in devotione impetum, et virtutem, et motum, et locum.

Impetum tangit cum dicit : « *Et statim.* » Ezechiel. i, 12 : *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Chrysostomus, super *Joannem* : « Magnum, « amor est, et igne vehementius : et « non est aliquid quod ejus proprium « impetum possit sustinere. » Job, xxxii, 19 : *En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit.*

« Spiritus »

Sanctus : qui est virtutis divinæ vector, et invector. Psal. xxxii, 6 : *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Judicum, vi, 34 : *Spiritus Domini induit Gedeon* : et in illa fortitudine confudit et prostravit castra Madian. Et significatur quod congressuri cum diabolo, primo Spiritu Dei in devotione sunt confirmandi.

« Expulit eum. »

Luc. iv, 1, dicitur quod *agebatur a Spiritu.* Matth. iv, 1, quod *ductus est* : hic autem, quod expulsus. Agitur autem, cujus omnis actionis Spiritus est motor et principium. Ad Roman. viii, 14 : *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.* Ducitur autem cujus omnem exitum et processum regit sapientiæ Spiritus. Psal. cxlii, 10 : *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Expellitur autem, cujus impetus devotionis hominem non sinit quiescere, nisi veniat ad Dominum. Psal. xv, 1, secundum translationem Hieronymi : « Serva me, Domine, quoniam in te speravi : et non mihi bene est sine te [1]. » Psal. cxxxi, 4 et 5 : *Si dedero somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem :... donec inveniam locum Domino.* Primum fit dono virtutis : secundum, gubernatione lucis : tertium autem, impetu charitatis. Cantic. viii, 6 : *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.*

« In desertum. »

Locus est quieti silentii, ubi tumultus mentem non evocat. Osee, ii, 14 : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.* Thren. iii, 28 : *Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit super se.*

[1] Vulg. habet. Psal. xv, 1 : *Conserva, me, Domine, quoniam speravi in te,* etc.

13 « Et erat in deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et tentabatur a Satana : eratque cum bestiis, et Angeli ministrabant illi. »

Tangitur abstinentia per quam restituitur vigor corpori membrorum, in primis parentibus per concupiscentiam perditus.

Circa hoc autem tangit duo : locum jejunii, et longitudinem.

Locum, cum dicit :

« Et erat in deserto, »

Ne putetur accessisse ad locum præparati cibi. Psal. LXIV, 13 : *Pinguescent speciosa deserti.* Hinc primi Religiosi acceperunt quod ad desertum se transtulerunt : quia ibi nec deliciæ proferuntur (alias, proponuntur), nec favor laudis, nec elatio tentare possunt. Jerem. II, 2 : *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, quando secuta es me in deserto.* Infra, VI, 31 : *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.*

« Quadraginta diebus. »

Et ne putetur noctibus comedisse addit : « *Et quadraginta noctibus.* » Numerus autem iste figuralis est pœnitentiæ, et effectus pœnitentiæ. Pœnitentiæ quidem, quia est decima anni : effectus autem pœnitentiæ, quia partibus suis surgit in quinquaginta, qui est accessus ad annum quinquagesimum Jubilæi, per quem signatur remissio perfecta. Hoc jejunium præfiguratum est in Moyse [1], et in Elia [2] : perfectum autem a Christo. Moysen illuminavit ad legem intelligendam : Eliam ad Dominum evexit. Dominus autem jejunans a tentatore triumphavit. Et hæc tria facit in nobis jejunium.

Sequitur :

« Et tentabatur a Satana. »

Tentatio prout hic sumitur, est propulsus ad illicitum, non quidem ab intra, sed ab extra : tentabatur autem, sed non movebatur. Nos autem quia interius tentat a motu corruptionis, sentimus, ideo etiam exteriore facta tentatione, interius moti ab illicito, tentamur. Unde, Jacob. I, 14 : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus.* De Christi autem tentatione dicitur, ad Hebr. IV, 15 : *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Luc. XXII, 28 : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Christi ergo tentatio ex parte tentatoris fuit tentantis malitia : et ex parte Christi fuit tentati exercitium, et victoria. Utrum autem per continuos quadraginta dies tentaretur, vel tantum semel, non hic describitur, sed Matth. IV, 1-11, et Luc. IV, 1-13, videtur innui, quod semel : et tunc per tria tentabatur, scilicet, superbiam, avaritiam, et gulam, sicut notatum est super Matthæum. Et quia omnia reducuntur ad hæc quæ concupiscuntur, ideo dicit Apostolus in præinducta auctoritate : *Tentatum autem per omnia.* I Joan. II, 16 : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* In his autem primus homo tentatus, nihil retinuit non corruptum : rationabilem quidem, per appetitum scientiæ boni et mali : irascibilem, per hoc quod voluit esse sicut dii : et concupiscibilem, per appetitum vetiti. Quæ Christus assumens vincendo restituit. Rationabilem quidem, per Scripturas tentatorem repellens : irascibilem, regna mundi, et altitudinem gloriæ contemnens : concupiscibilem etiam, in fame naturalia desideria continens, et totum hominem, non tentando Deum (alias, non ten-

[1] Exod. XXIV, 13.

[2] III Reg. XIX, 8.

tatori), sed Deo se humiliter subjiciens.

« Eratque cum bestiis. »

Hic tangitur restitutio innocentiæ, et honoris perditi in primis parentibus. Sicut enim dicitur, Genes, I, 28, ille sic factus fuit, ut præesset volatilibus cœli, et bestiis terræ, et piscibus maris : per peccatum autem, quia homo honorem Deo non exhibuit, amisit dominium et honorem, quo bestiis prælatus fuit : per Christum autem reparatur. Job, V, 23 : *Bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.* In signum hujus Daniel inter leones illæsus permansit [1]. Interius etiam in baptizatis mansuescunt bestiæ, quando mitigantur motus brutales, et animales. Unde animalia pacata fuerunt in arca Noe [2]. Job, XXX, 29 : *Frater fui draconum, et socius struthionum.*

« Et Angeli ministrabant illi. »

Qui enim ante viam, et reditum ad vitam prohibebant : et si aliquando apparuerunt, adorare se permittebant, sicut Genes. XVIII, 2, et XIX, 1 : et in multis aliis locis. Et, Josue, V, 15, ubi Josue pronus in terram adoravit Angelum : nunc per exaltationem naturæ ministrant. Non enim Christus in persona ministerio indigebat, sed Christus in membris. Ad Hebr. I, 14 : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capient salutis ?* Unde etiam adorari se postea non permiserunt. Apocal. XXII, 9 : *Vide ne feceris : conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum :... Deum adora.* Hoc signatum est, IV Reg. II, 11, ubi totus mons plenus equorum et curruum igneorum apparuit in circuitu Elisei.

[1] Cf. Daniel. VI, 23.

[2] Cf. Genes. VII, 8 et seq.

« Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilæam, prædicans Evangelium regni Dei. » 14

Leo dicitur esse rex bestiarum. Et hanc proprietatem ostendit hic Marcus. Hic enim ostendit qualiter leges vitæ per doctrinam posuit, et qualiter Senatus et Officiales Ecclesiæ (alias, ejus) instituit, quod proprium est regis.

Tangit autem hic duo, verbum videlicet communis vocationis ad regnum, et vocationes speciales ministrorum.

Verbum autem commune communis vocationis determinatur hic a tempore inceptionis, et a loco unde procedit, et a modo propositionis, et a materia.

Ab ipsa, vocatione tempus tangitur, cum dicit :

« Postquam autem traditus est Joannes. »

Non quod immediate post jejunium quadraginta dierum Joannes traditus sit, sed quia Marcus facta primi anni, quando Christus cum Joanne prædicavit, præteriit. Et propterea etiam præcipue Joannes scripsit suum Evangelium, ut illa facta poneret, quæ perpauca alii posuerunt Evangelistæ. Marcus autem in toto præteriit, quia hujusmodi ab alio ponenda prævidit. Et quia Christus hoc non adeo publice fecit sicut fecit postea, unde Joan. II, 11, dicitur, *Hoc fecit initium signorum Jesus* coram discipulis suis, *et manifestavit gloriam suam* : noluit Jesus manifeste prædicare quamdiu prædicavit Joannes, ne Joanni derogare videretur, et sic livorem discipulorum Joannis contra se suscitaret : quia, Joan. III, 25, continetur, quod *facta est quæstio ex discipulis Joannis cum Judæis de purificatione* baptismatis Christi et Joannis : ita quod oportuit ipsum Joannem livo-

[3] Ad Ephes. II, 14, 20 et seq.

rem pro se zelantium mitigare. Alia causa est : quia Joannis officium fuit præire et parare viam : et ideo currente officio Joannis, non debuit palam currere prædicatio Christi. Marcus igitur, cum non scribat nisi addendo diminuta circa manifesta facta Christi, non ponit aliquid eorum quæ facta sunt currente prædicatione Joannis. Hæc igitur est ratio ejus quod dicit : « *Postquam autem traditus est Joannes* » in manus Herodis qui decollavit eum, sicut dicitur, Matth. IV, 12, Tunc, inquam, opportuno tempore parata via, præeunte Angelo,

« Venit »

Dominator Dominus ad templum sanctum suum facere sibi Ecclesiam.

Et tangitur loci congruitas, unde sermo procederet Evangelicus, cum dicit : « *In Galilæam,* » eo quod ubi gentes simul et Judæi habitabant, ibi debuit fundari lapis angularis, qui fecit utrumque unum : duos parietes, gentium et Judæorum, in se concludens. Unde, Isa. IX, 1 et 2 : *Novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.*

Loco autem sic determinato tangit modum, cum dicit :

« Prædicans. »

Prædicatio est eorum quæ sunt super intellectum, sicut dicit Chrysostomus. Et est prædicare præ audientibus dicare, hoc est, sacrata et dicata ostendere ea quæ dicuntur : prædicator enim tenetur ex officio sacrata ostendere quæ dicit, quod non tenetur Doctor : quia prædicator non habet aliud argumentum suorum dictorum nisi vitam. Unde Apostolus ad Roman. XV, 18 : *Non audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus.* Sicut dicitur, Marc. XVI, 15 : *Prædicare Evangelium omni creaturæ.* Act. I, 1 : *Cœpit Jesus facere et docere.*

Et subjungit prædicationis materiam, cum dicit :

« Evangelium, »

Quod est bonum nuntium. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum. II ad Corinth, IV, 2 : *Non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum.* Ezechiel. II, 7 : *Loqueris verba mea ad eos, si forte audiant, et quiescant.* Jacob. I, 21 : *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Aliæ enim fabulæ non salvant, velut recitationes bufarum, quas quæstuarii inducunt, in majori parte mentientes. Job, XIII, 7 : *Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos ?* Hoc Evangelium non habet, cum sit boni gratiæ et gloriæ nuntium : cujus etiam effectus non est mentiri.

« Regni Dei. »

Regnum autem est distributio confirmatæ et perfectæ potestatis in sacris officiis, et exercitiis, et legibus Dei, sicut dicitur, Matth. VI, 33 : *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus :* sicut dicitur, Luc. I, 32, 33, quod *regnabit Christus in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.*

Sequitur modus vocationis, cum subdit :

« Et dicens : Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei : pœnitemini, et credite Evangelio. » 15

Tangit autem quatuor : quorum primum est præfinitionis impletio, ad exhibendum gratiam : secundum est exhi-

bitoris gratiæ præsentia : tertium est suasio remotionis impedimenti gratiæ ex parte nostra : quartum autem est in gratiam per fidem introitus.

De primo dicit :

« Quoniam impletum est tempus »

Quo pater promisit exhibere gratiam : et hoc est tempus ubertatis et plenum : de quo in Psalmo LXIV, 12, dicitur : *Benedices coronæ anni benignitatis*, etc. II ad Corinth. VI, 2 : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Ad Galat. IV, 4 : *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*, etc.

« Et appropinquavit regnum Dei, »

Per exhibitoris et regis præsentiam. Act. XVII, 27 : *Non longe enim est ab unoquoque nostrum.* Joan. I, 26 : *Medius vestrum stetit.* Luc, XVII, 21 : *Regnum Dei intra vos est.* Et ideo dixit latroni, Luc. XXIII, 43 : *Hodie mecum eris in paradiso.* Hoc regnum patres diu exspectaverunt. Habacuc, II, 3 : *Adhuc visus procul :... si moram fecerit, exspecta illum.* Nobis autem prope. Ad Ephes. II, 13 : *In Christo Jesu vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope.*

« Pœnitemini. »

Hoc est a pœna doloris (alias, pœnæ dolore) teneamini : et sic impedimenta regni removebitis a vobis. Luc. III, 8 : *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Matth. III, 2 : *Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum.* Sic enim per hoc quod pœniteamur, hoc est, puniamur pœna nos tenente continue, ad vomitum non redimus : per hoc quod pœnitentiam agimus, operibus satisfactionis per justitiam insistimus : per hoc autem quod dignos fructus pœnitentiæ facimus, dulcedinem virtutum quas per exercitium pœnitentiæ acquirimus, cum delectatione degustamus : et sic impedimenta regni a nobis removemus.

« Et credite Evangelio, »

Hoc est, intrate in gratiam nuntiatam. Credere enim Evangelio est consentire, et nos ei credendo committere ex toto corde. Et his promittitur salus. Marc. XVI, 16 : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Infra, IX, 22 : *Omnia possibilia sunt credenti.* Joan. III, 15 : *Ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

« Et præteriens secus mare Galilææ, vidit Simonem et Andream fratrem ejus mittentes retia in mare : erant enim piscatores. » 16

Præmissa vocatione generaliter, tangit hic vocationem ministrorum duplicem. Vocantur enim quidam in plenitudinis potestatis successionem, sicut Petrus : et adjungitur ei coadjuvans frater Andreas. Et vocantur alii in partem sollicitudinis, sicut Joannes cum fratre Jacobo : et ista duo hic dicuntur : et ideo per istam duplicem vocationem omnis vocatio discipulorum intelligitur.

In prima vocatione tria tanguntur : dispositio vocantis, actus et usus vocatorum, et ipsa vocatio.

Dispositio autem vocantis notatur in quatuor : in natura videlicet electionis, stabilimento suæ æternitatis, effectu suæ prædestinationis, et signo suæ bonæ voluntatis.

Modus electionis notatur, cum dicitur :

« Et præteriens. »

Omnis enim eligens quosdam ex multis præterit mentis consideratione, ponderatione meritorum : quia aliter sorte, non arte eligeret. Unde, I Reg. XVI, 6 et seq., cum ponerentur ante Samuelem

filii Isai, præteriens dixit : Non hunc elegit Dominus : et sic de omnibus usque ad David : unde, Psal. LXXVII, 70 et 71 : *Elegit* Dominus *David, servum suum, et sustulit eum de gregibus ovium : de post fœtantes accepit eum : pascere Jacob, servum suum,* etc. Joan. XV, 16 : *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Et sic docet nos eligere Prælatos.

Stabilimentum suæ æternitatis notatur, cum dicit :

« Secus mare Galilææ. »

Non in mari : quia mare tumultuosum : et Galilæa quæ interpretatur *transmigratio facta,* significabat inconstantem tumultum transeuntis hujus mundi. I ad Corinth. VII, 31 : *Præterit figura hujus mundi.* « *Secus,* » quia Christus ivit non transiens cum mundo : sed ad stabile æternitatis vocans suos. Psal. CIII, 25 : *Hoc mare magnum et spatiosum manibus : illic reptilia quorum non est numerus.* Daniel. VII, 2 : *Quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.* Joan. XXI, 4 : *Mane autem facto, stetit Jesus in littore.*

« Vidit. »

Effectum notat prædestinationis : quos enim ab æterno prædestinando prævidit, hos nunc videns per gratiæ appositionem vocavit. Ad Roman. VIII, 29, 30 : *Nam quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui... hos et vocavit.* Joan. I, 48 : *Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.* Videre enim est oculos misericordiæ in eos figere. Psal. XXXI, 8 : *In via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.* Sic videre est vivificare per gratiæ appositionem : unde, Genes. XVI, 14 : Vocavit locum videntis et viventis Abraham, quia ibi visus est a Domino. Sapient. IV, 15 : *Respectus ejus in electos illius.*

Signum autem suæ bonæ voluntatis notatur in convenientia nominum, cum dicit :

« Simonem, »

Qui *obediens* interpretatur :

« Et Andream fratrem ejus, »

Qui interpretatur *virilis.* Exod. XXXIII, 12 : *Novi te ex nomine, et invenisti gratiam coram me.* Isa. XLIX, 1 : *De ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Signum enim optimæ voluntatis est per nomen scribi in corde Filii Dei. Apocal. III, 5 : *Non delebo nomen ejus de Libro vitæ.*

Hic autem in nominibus ipsis notantur tria : quis sit vocandus in plenitudinem potestatis, quia obediens mandatis divinis : quis in adjutorem quasi cardinalem, quia virilis a vi mentis strenuus : et mutuum vinculum societatis notatur in fraternitate. Proverb. XVIII, 19 : *Frater qui adjuvatur a fratre quasi civitas firma.* Eccle. IV, 10 : *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.*

Attende quod secundum historiam tres fuerunt vocationes discipulorum : primo enim vocabantur ad notitiam gratiæ, quando Andreas testimonio Joannis secutus est : et Petrus adductus per Andream : et Philippus, per istos duos : et Nathanael, per Philippum [1] : secundo autem vocati sunt ad promissionem officii, Luc. V, 11, ubi dicitur quod cum vocarentur, *subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum* : in hoc enim quod dicitur : *Subductis ad terram navibus,* notatur quod propositum habebant revertendi ad res quas custodia commiserant, et necdum reliquerant : hic autem et Matth.

[1] Cf. Joa . I, 40 et seq.

IV, 20 et 22, tertio vocati sunt : et omnibus quæ habebant renuntiabant, et secuti sunt Jesum absque proposito revertendi ad sua.

« Mittentes retia in mare. »

Et tangit actum, et usum, et rationem usus. Notatur autem quod lucris intendebant : « *Mittentes retia in mare,* » sine quorum usu vitam agere non poterant. Psal. CXXVII, 2 : *Labores manuum tuarum quia manducabis : beatus es, et bene tibi erit.* Genes. III, 19 : *In sudore vultus tui vesceris pane.*

Et subjungit laboris istius rationem :

« Erant enim piscatores, »

Hoc est, usu piscationis viventes : patres enim Veteris Testamenti pastores fuerunt ovium, sicut dicitur, Genes. XLVII, 3 : Patres autem Novi Testamenti piscatores piscium fuerunt. Jerem. XVI, 16 : *Mittam eis piscatores multos, et piscabuntur eos.* Luc. V, 4 : *Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam.*

17 « Et dixit eis Jesus : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.

18 Et protinus, relictis retibus, secuti sunt eum. »

Hic tangitur vocatio : et subjungitur simplex obedientia discipulorum.

Vocatio autem ponitur et subjungitur ad quid vocantur : vocatio est ad veniendum, et modum dicit cum addit : « *Post me.* »

Dicit igitur :

« Venite. »

Relinquendo vestra et vestros. Daniel. III, 41 : *Nunc sequimur te in toto corde, et timemus te.* Jerem. LI, 50 : *Qui fugistis gladium, venite, nolite stare.* Matth. XI, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis,* etc.

« Post me. »

Neque ad dexteram neque ad sinistram declinando. I Petr. II, 21 : *Sequamini vestigia ejus.* Hoc enim perfectum est : et in hoc sequuntur idoneitatem, ut sint vicarii in potestate, si sint successores et suscitatores vitæ Christi.

« Faciam vos fieri piscatores hominum. »

Ecce ad quid vocantur. Homines enim submersi in concupiscentiis mundi, capiuntur et trahuntur ad littus stabilitatis sagena prædicationis. Habacuc, I, 14 : *Facies homines quasi pisces maris.* Matth. XIII, 47 : *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti.*

« Et protinus. »

Hic tangitur obedientia velox, et simplex, et perfecta : velox, in hoc quod dicit : « *Protinus :* » simplex, in hoc quod dicit : « *Relictis retibus :* » perfecta, in hoc quod dicit : « *Secuti sunt eum.* »

De primo, Proverb. XXII, 29 : *Vidisti virum velocem in opere suo ? coram regibus stabit.* Sed contra, I Petr. IV, 12 : *Nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit.* Respondeo quod non peregrinabantur in fervore, cum jam ante habuerint notitiam et experientiam per alias vocationes, sicut paulo ante diximus.

« Relictis retibus. »

Ut sine impedimento sequerentur. Non enim camelus transit per foramen acus, nisi deposito gibbo. Et licet census hic relictus parvus sit, tamen affe-

ctus attendendus est qui major est in paupere quam in divite : eo quod pluribus indigens plura concupiscit : unde, Math. XIX, 27, et Luc. XVIII, 28 : *Ecce nos reliquimus omnia.* Matth. XXIV, 18 et 17 : *Qui est in agro, non revertatur tollere aliquid de domo sua.*

« Secuti sunt eum. »

Hoc est perfectum, ut dicit Hieronymus, et quod fecit eos veros discipulos Christi. Job, XXIII, 11 : *Vestigia ejus secutus est pes meus.* Ad Philip. III, 12 : *Sequor autem, si quomodo comprehendam in quo et comprehensus sum.*

19 « Et progressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedæi et Joannem fratrem ejus, et ipsos componentes retia in navi :

20 Et statim vocavit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis, secuti sunt eum. »

Tangit hic vocationem secundam quæ est in partem sollicitudinis vocatorum. Et tangit quatuor, modum videlicet vocantis in vocando, actum vocatorum, et vocationem, et vocatorum obedientiam.

Modum vocantis sicut prius tangit in electione, et in eligendorum visione, et visorum nomine et genere.

Dicit ergo :

« Et progressus inde pusillum, »

Dimissis inutilibus ad officium gratiæ. Cantic. III, 4 : *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.*

« Vidit, »

Oculis beneplaciti. Genes. XVI, 13 : *Tu Deus qui vidisti me.* Et, ibidem, XLIV, 21 : *Ponam oculos meos super illum.*

« Jacobum Zebedæi. »

Luctatorem contra vitia : Filium fugitivi qui fugit mundum[1] : talis enim eligi debet. Malach. I, 2 : *Dilexi Jacob.* Zachar. II, 6 : *O, o fugite de terra Aquilonis.*

« Et Joannem fratrem ejus. »

In quo est gratia charitatis et scientiæ : hæc enim exiguntur in eligendis. I ad Corinth. XV, 10 : *Gratia Dei sum id quod sum : et gratia ejus in me vacua non fuit.* Eccli. XX, 21 : *Homo acharis quasi fabula vana :* ἄχαρις, est sine gratia : tales igitur vocandi sunt Episcopi.

Determinat autem et opus istorum, cum dicit :

« Et ipsos in navi, »

Negotiationis. « *Componentes,* » post piscationem, « *retia sua,* » tendiculas lucrorum suorum. Proverb. XXXI, 14 : *Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum :* hi sunt enim de quibus dicitur, Deuter. XXXIII, 19 : *Qui inundationem maris quasi lac sugent :* propter lucrum thesauros occultissimos venantes arenarum.

Subjungit autem vocationem istorum, subdens :

« Et statim vocavit illos, »

Sciens idoneos fore ministros. Actuum, IX, 15 : *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel.*

Et sequitur festinata, et simplex, et perfecta obedientia :

[1] *Jacobus*, luctatur. *Zebedæi*, scilicet filius, qui interpretatur *filius fugitivi.*

[2] *Joannes* seu Jehova fecit gratiam (יוחנן abbreviatio pro יהוה חנן).

« Et relicto patre suo Zebedæo, »

Viro tantæ honestatis et ætatis : et tam conjuncto per naturam, ut pater esset : tam proficuo, ut filiis collaboraret. Deuter. XXXIII, 9 : *Dixerunt patri suo, et matri suæ : Nescio vos : et fratribus suis : Ignoro vos.* Psal. XLIV, 11 et 12 : *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui. Et concupiscet rex decorem tuum.*

« In navi cum mercenariis. »

Mercenarius cujus non sunt pisces proprii, sed conductus est mercede ad trahenda retia et ad navigandum : et ostenditur hic relictio suorum bonorum. Ad Philip. III, 7 et 8 : *Quæ mihi fuerunt lucra... hæc arbitratus sum ut stercora ut Christum lucrifaciam.*

« Secuti sunt eum. »

Hoc est perfectionis. Matth. XIX, 21 : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus :... et veni, sequere me.*

21 « Et ingrediuntur Capharnaum : et statim sabbatis ingressus in synagogam, docebat eos.

22 Et stupebant super doctrina ejus : erat enim docens eos quasi potestatem habens, et non sicut Scribæ. »

Hic incipit ostendere Leonis quintam proprietatem : quæ est propriæ fortitudinis demonstratio. Propter quod etiam hoc animal sæpe extendit ungues : et movet eos, et crura, et ostendit ea, et respicit diligenter, propriæ fortitudinis exhibens et admirans signa. Hæc autem demonstratio in Leone de tribu Juda, sicut in prima istius libri glossa continetur, exhibetur per leonem quatuordecim modis. Primo quidem, in expulsione dæmonis in synagoga : secundo, in liberatione socrus Simonis Petri : tertio, in mundatione leprosi : quarto, in curatione paralytici : quinto, in restitutione manus aridæ in synagoga in sabbato : sexto, in liberatione dæmoniaci a legione dæmonum : septimo, in restrictione fluxus languinis tactu mulieris : octavo, in suscitatione filiæ Jairi in domo : nono, in satiando quinque millia hominum de quinque panibus : decimo, in expulsione dæmonis a filia Syrophœnissæ : undecimo, in apertione aurium et linguæ surdi et muti hominis : duodecimo, in illuminatione cæci extra vicum Bethsaidæ : tertio decimo, in saturando quatuor millia hominum de septem panibus : quartodecimo, in liberando hominem a surdo et muto spiritu, quem discipuli liberare non poterant : omnibus his modis demonstratur virtus Leonis istius. Sed quia in quolibet animali numquam est ita una facies quod aliam faciem non habeat, ideo dividitur pars ista in duas partes : in quarum prima virtus divina Christi super omnem naturam, ut dictum est, demonstratur. Quia autem ad hoc demonstratur ut fides prædicata accipiatur, idcirco in secunda parte quædam de facie hominis cujus est docere, quædam ad doctrinam vitæ et dispensationis Ecclesiæ subnectuntur : sicut patebit infra ante medium noni capituli [1].

Et si objicitur quod Matthæus qui faciem hominis gerit ista ponit. Dicendum quod hoc non est inconveniens, cum quodlibet animalium quatuor facies habuerit : sed Matthæus narrat illa, ut demonstret in homine esse virtutem divinam : unde narrat ea post sermonem qui proprie hominis fuit : iste autem ponit ista propter se : quia ostendit virtutem super omnem naturam, sicut leonis

[1] Cf. Marc. IX, 32 et seq.

virtus omnes excedit : sic igitur patet divisio istius partis.

Opera autem virtutum quæ hic inducuntur, ad specialem fortitudinem leonis indicandam ordinantur : unde prima quidem miracula conjunguntur secundum ea quæ exiguntur ad destructionem peccati originalis. Hoc enim tripliciter consideratur secundum tria quæ sunt in ipso. Est enim ibi originalis injustitia in mente, quæ dæmoni dat potestatem in homine : est etiam secundum fomitem ignis concupiscentiæ in corpore : et secundum infectionem corruptionis in propagine. Restaurator ergo naturæ curam ejus, quoad vim dæmonis in mente, præsignat in curatione dæmoniaci corrumpentis hominem : cura autem ejus secundum restrictionem et temperamentum ignis concupiscentiæ, præsignatur in curatione mulieris a febre : cura autem ipsius, secundum quod est infectio propaginis, præsignatur in leprosi curatione : sic igitur inducuntur ista tria miracula capituli istius. Exponamus igitur ista tria : postea procedemus ulterius dividendo.

In primo ergo miraculo duo sunt notanda : quorum primum est excitatio ad miraculum, et secundum est perfetio istius miraculi.

De excitantibus autem ad miraculum, dicit Evangelista virtutis manifestationem, et virtutis admirationem, postquam ostensa est.

Ad virtutis ostensionem exiguntur tria : locus solemnis, communis, et proprius : et tempus solemne : et ipsa virtutis expressio.

De loco communi solemni dicit :

« Et ingrediuntur Capharnaum, »

Quæ fuit Galilææ metropolis : et ideo solemnis civitas, in qua etiam Jesus plurima fecit miracula. Matth. XI, 23 : *Tu, Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis.* Psal. LXXXVI, 4 : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei :* unde dixerunt Judæi : *Quanta audivimus facta in Capharnaum* [1] ! Unde etiam interpretatur *villa pulcherrima*, vel, *villa consolationis.*

Postea subjungit de solemni tempore, dicens :

« Et statim sabbatis, »

Quando voces Prophetarum legebantur et feriantibus Judæis plures convenerunt. Isa. LVIII, 13 : *Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo : et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum.* Congruum autem fuit tempus, ut in die quietis, in Deo solo quiescere doceret, per virtutis divinæ ostensionem. Isa. LXVI, 23 : *Erit sabbatum ex sabbato :* et ideo operibus ab institutione mundi perfectis, sanctificavit sabbatum.

« Ingressus Synagogam. »

Locus solemnis privatus ubi erat conventus populorum. Sicut enim Ecclesia dicitur apud nos congregatio fidelium, et ipsa aula in qua congregantur etiam dicitur Ecclesia : ita apud Judæos, et populus Judæorum dicebatur Synagoga tunc, et etiam aula in qua congregabantur. Psal. XXXIV, 18 : *Confitebor tibi in ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.* Psal. VII, 8 : *Synagoga populorum circumdabit te.*

Deinde ponitur veritatis et virtutis ostensio, cum dicit :

« Docebat eos. »

Sapient. VIII, 7 : *Sobrietatem et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Isa. XLVIII, 17 : *Ego Dominus Deus*

[1] Luc. IV, 23.

tuus docens te utilia. Matth. v, 2 et seq. : *Aperiens os suum docebat eos, dicens : Beati,* etc.

« Et stupebant. »

Hæc est admiratio virtutis ostensæ : stupor enim motus est cordis per systolen in magno apparente.

« Super doctrina ejus. »

Necesse enim fuit quod Verbum increatum, vehens se in verbo creato, in aures efficacissime sonaret. Et hoc notatur in verbis Apostoli ad Hebr. IV, 12 : *Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis.*

Et subjungit rationem stuporis, cum dicit :

« Erat enim docens eos quasi potestatem habens. »

Tripliciter : quia virtute vitæ ostendebat, signis confirmabat, et virtute increata incorporata, in voce creata sonabat. Luc. IV, 32 : *In potestate erat sermo ipsius.* Matth. VII, 28 : *Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum, et Pharisæi.*

Et hoc est quod subjungit :

« Et non sicut Scribæ. »

Hi enim verecundia turpis vitæ repressi, et non de Dei virtute sibi conscii, quasi mortua dabant verba : unde de illis dicitur, Matth. XXIII, 3 : *Dicunt, et non faciunt.* Ad Roman. II, 21 : *Qui alium doces, teipsum non doces.* Contra quod, Eccli. XLVIII, 1, dicitur : *Surrexit Elias, propheta, quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat.* Luc. XXIV, 19 : *Fuit vir Propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo :* hac igitur potestate excitatio facta est ad miraculum faciendum.

« Et erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo. » 23

In tribus autem tangitur hic miraculi perfectio : primo enim ponit dæmonis coactam confessionem : secundo, virtutem Christi, ad dæmonis expulsionem : tertio, ponit miraculi perfectionem, adjungens ejusdem utilitatem.

Dicit igitur :

« Et erat in Synagoga eorum. »

Forte per se veniens, vel forte adductus fuit ad locum sanctum ut ibi liberaretur : sic, Genes. XXVIII, 16 : *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam :* frequentia enim virorum Sanctorum dat loco reverentiam.

« Homo in spiritu immundo. »

Virtute locutionis ostenditur quod in potestate erat præsidentis sibi, et immundi spiritus. Dicitur autem *spiritus immundus* ab affectu, quia immunda suadet et facit et loquitur : unde, Matth. XII, 43 : *Cum immundus spiritus exierit ab homine.* I Reg. XVI, 14 ; *Spiritus Domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam, a Domino.* Et sic spiritus immundus habitat in mente perversi hominis.

« Et exclamavit,

Dicens : Quid nobis, et tibi, Jesu Nazarene ? venisti perdere nos ? scio qui sis, Sanctus Dei. » 24

Ecce confessio coacta dæmonis. Et dicit tria. Primo enim confitetur nihil in Christo esse commune cum dæmone :

et hoc est testimonium liberrimæ innocentiæ Christi : secundo, confitetur virtutem damnandi dæmones habere Christum : tertio, confitetur Christum esse Deo acceptum. Primum, est perfectæ sanctitatis testimonium : secundum, magnæ potestatis præconium : tertium, est reconciliationis Dei et hominis signum veridicum.

Dicit igitur :

« Quid nobis, »

Dæmonibus, « *et tibi*, » supple, commune? Egressus es de radice Jesse, et educatus in flore virtutis.

« Jesu Nazarene. »

Quasi dicat : In omnibus ex conceptu viri et mulieris natis (quia ad Ephes. II, 3, dicitur : *Filii iræ* nascuntur) aliquid commune habuimus vel habemus. Psal. L, 7 : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea :* in te autem de virgine nato, nihil commune invenimus. II ad Corinth. VI, 15, 14 : *Quæ conventio Christi ad Belial ?... aut quæ societas luri ad tenebras ?* Sapient. VII, 30 : *Sapientiam non vincit malitia.* Ecce confitetur dæmon se nihil juris in Christo habere : et ideo cum inter mortuos omnes liber sit Christus alicui peccato non obnoxius, extendens in eum manum malignus, jus amisit proprium.

« Venisti ante tempus, perdere nos ? »

Ecce potestatis præconium. Tempus autem perditionis dæmonum triplex est. Perditus autem dæmon in miseria fuit in primo casu : perditus in carceris horrore erit in extremo judicio : perditus autem in diminuta potestate erat in Christi passione : et hoc tempus diminutæ potestatis nondum dæmon instare putabat : et ideo jam perdi suam potestatem ante tempus clamavit. II Petr. II, 4 : *Rudentibus inferni detractos..... in judicium reservari condemandos :* unde dicitur, ad Ephes. VI, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem : sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* De tempore autem dicitur, Apocal. XII, 12 : *Descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.*

« Scio qui sis, Sanctus Dei. »

Et sic Deus homini est ex parte reconciliandus. Isa. VI, 3 : *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth,* hoc est, execitum. Sanctus enim in natura, sanctus in opere, sanctus in oblatione, sive hostia. Joan. XVII, 19 : *Pro eis Ego sanctifico meipsum.* Sed objicitur quia secundum hoc dæmones sciebant Christum esse Filium Dei, contra quod dicit Apostolus, I ad Corinth. II, 8 : *Quam* scilicet Dei sapientiam, *nemo principum hujus sæculi cognovit : si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent,* hoc est, crucifigi persuasissent. Responsio. Non sciverunt, sed vehementer putaverunt ex sanctitate et testimonio Joannis, et operum potestate : et hoc hic vocatur *scire.*

« Et comminatus est ei Jesus, dicens : Obmutesce, et exi de homine. » 25

Hic notatur virtus in dæmonem : et

[1] Hæc verba *ante tempus* non inveniuntur in Marco nec in Luca (IV, 34) sed, ut sæpe accidit, miscet verba Evangelistarum B. Albertus, et hæc verba mutuat ex expulsione dæmoniorum in regione Gerasenorum, Matth. VIII, 29 : *Venisti huc ante tempus torquere nos ?* Cf. enarrationem in Matthæum, VIII 29. Tomo XX hujusce editionis novæ.

dicit duo, comminationem, et imperium.

Comminatio signat excedentem in Christo potestatem : comminatione autem utitur, quia efferata malitia non reprimitur, nisi timore pœnarum : unde, Jacob. II, 19 : *Dæmones credunt, et contremiscunt :* verbo enim tracti (alias, tacti) credunt : et judicium ejus contremiscunt. Psal. CXI, 10 : *Peccator videbit et irascetur : dentibus suis fremet et tabescet,* (hic enim peccator diabolus est).

« Dicens : Obmutesce. »

Duo dicit contra duo : quia enim clamavit, dicit : « *Obmutesce.* » Quia vexavit, dicit : « *Exi de homine.* » *Obmutesce* autem dicit, quia, Eccli. XV, 9, dicitur : *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Psal. XLIX, 16 : *Peccatori dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas,* etc. « *Exi,* » non tam loco quam vexatione : intus enim præsidens vexabat eum. Act. X, 38 : *Pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo.* Luc. IV, 41 : *Exibant dæmonia a multis.* Matth. XII, 28 : *In spiritu Dei ejicio dæmones.*

« Et discerpens eum spiritus immundus, et exclamans voce magna, exiit ab eo. »

Hic ponit miraculi effectum, et perfectionem.

Effectum autem notat in tribus : vexatione exeuntis, clamore fugientis, et exitu recedentis.

De primo dicit :

« Et discerpens eum. »

Alia littera habet : « Convexans, » et notatur in hoc malitia dæmonis. Sed videtur contrarium : quia, Luc. IV, 35, dicitur, quod *projecit illum dæmonium in medium,... nihilque illum nocuit.* Sed ad hoc dicendum quod *discerpendo,* sicut dicit Marcus, *projicit eum in medium,* sicut dicit Lucas : sed hoc quod dicitur, *nihil illi nocuisse,* refertur ad hoc quod nullum membrum amputavit. Innuitur etiam quod nullus liberatur a dæmone nisi discerpatur per compunctionem. Joel, II, 13 : *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.*

« Et exclamans, »

Molestia divinæ præsentiæ, « *voce magna,* » ab interioribus exeunte dæmone. Iste est rugitus de quo dicitur, I Petr. V, 8 et 9 : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide.* Luc. IV, 41 : *Exibant dæmonia a multis clamantia,* etc.

« Exiit ab eo, »

Notatur quod intus fuit in visceribus, et spiritibus, et sanguine manens, et conturbans comprehensiones ipsius : et notatur in hoc liberatio hominis. Isa. XIX, 20 : *Clamabunt Ægyptii ad Dominum a facie tribulantis : et mittet eis salvatorem, et propugnatorem qui liberet eos.*

« Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes : Quidnam est hoc ? Quænam doctrinam hæc nova ? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei.

Et processit rumor ejus statim in omnem regionem Galilææ. »

Fructus miraculi importatur hic duplex, particularis in præsentibus : et universalis, in his ad quos fama pervenit.

In præsentibus autem sunt quatuor : via videlicet de ignorantia ad fidem quæ est admiratio, et inquisitio potentiæ fa-

cti, et quæstio de doctrina, et causa trium istorum quæ dicta sunt.

Primum notatur cum dicitur :

« Et mirati sunt omnes. »

Job, IX, 10 : *Qui facit magna, et incomprehensibilia, et mirabilia, quorum non est numerus.* Isa. XXV, 1 : *Exaltabo te, et confitebor nomini tuo : quoniam fecisti mirabilia.*

« *Ita ut conquirerent inter se dicentes.* » Psal. CXXXVIII, 6 : *Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam.*

« *Quidnam est hoc?* » Quæstio est de potestate operis. Isa. XLIII, 19, 18 : *Ego facio nova... Ne memineritis priorum.* Apoçal. XXI, 5 : *Ecce nova facio omnia.*

« Quænam doctrina hæc nova? »

Quæstio est de doctrina. Act. XVII, 19 et 20, simile, ubi Athenienses dixerunt Paulo : *Possumus scire quæ est hæc nova, quæ a te dicitur, doctrina? Nova enim quædam infers auribus nostris.*

Et subjungunt causam tantæ admirationis et inquisitionis : « *Quia in potestate* » verbi solius quo dixit, et facta sunt omnia : et hoc est etiam : « *Spiritibus immundis imperat,* » qui sunt potentiores omni carne. Job, XLI, 24 : *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.*

« *Et obediunt ei :* » quia, sicut dicit Gregorius : « Illi militat etiam id quod « per malitiam voluntatis obstat : sic enim « inimicos suos ponit scabellum pedum « ejus. »

« Et processit rumor ejus statim in omnem regionem Galilææ. »

Generalis est utilitas in his ad quos fama facti pervenit. « *Rumor ejus,* » famæ, « *statim,* » audito miraculo, « *processit in omnem regionem Galilææ,* » quia in civitate metropoli undique de terris adjacentibus confluxerant qui famam facti disperserunt : hic est Christi bonus odor. II ad Corinth. II, 14 : *Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.* Cantic. IV, 10 : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Eccli. XLIX, 1 et 2 : *Memoria ejus in compositionem odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria.*

« Et protinus egredientes de Synagoga, venerunt in domum Simonis et Andreæ, cum Jacobo et Joanne. » 29

Tangit secundum miraculum, in quo declaratur potestas super incendium fomitis, et mollitiæ corporalis. Et dicuntur duo, perfectio videlicet miraculi particularis, et propagatio gratiæ universalis (alias, utilitatis aut universalitatis) in omnes.

Perfectio autem miraculi tangitur in tribus : in adventu Salvatoris, in indigentia salutis, et in adjutorio gratiæ : et hæc plana sunt in littera, nec oportet ulterius dividi de adventu Salvatoris.

Dicit ergo :

« Et protinus. »

Aviditate etiam alios juvandi. Psal. CXLVII, 15 : *Velociter currit sermo ejus.*

« *Egredientes de Synagoga,* » in qua virtus est ostensa super spiritum vexantem immundum.

« Venerunt in domum Simonis. »

Sed nonne Petrus erat de Bethsaida, sicut dicitur, Joan. I, 44? Qualiter ergo in Capharnaum habuit domum? RESPONDEO. Uxor ejus fuit in (alias, de) Capharnaum, et propter illam affinitatem domus matris uxoris suæ dicitur *domus Petri.* Dicit tamen Stephanus, quod domus Petri non dicitur possessive, sed ad quam declinare consuevit causa vendendi pisces. Et hac etiam familiaritate uxorem duxit

de domo illa. Hæc autem domus dicitur etiam « Andreæ, » propter inseparabilitatem eorum in lucris, et negotiatione (alias, negotiationem) piscium : quoniam et lucra et expensas communes agebant et habebant.

« Cum Jacobo et Joanne. »

Ecce ministri magni medici : obedientia præcepti, virilis virtus, lucta tentationis, et gratia devotionis : jam exemplo docuit fieri quod præcepturus erat per Apostolum, Jacob. v, 14, 15 : *Infirmatur quis in vobis ? Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum :... et oratio fidei salvabit infirmum.*

30 « Decumbebat autem socrus Simonis febricitans. »

Ecce indigentia salutis. Et tangit tria, virium destitutionem : quia « *decumbebat,* » magnitudine ægritudinis oppressa. Isa. xxxviii, 13 : *Quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.*

Tangit secundo cum bonis affinitatem, et quam idonea sit ad curationem, cum dicit :

« Socrus Simonis, »

Ut in ea attenderetur (alias, eo accenderetur) affectus discipuli. Simile, II Machab. iii, 33 : *Oniæ sacerdoti gratias age : nam propter eum Dominus tibi vitam donavit.*

Tertio, tangit speciem infirmitatis, cum dicitur :

« Febricitans. »

Luc. iv, 38 : *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, et rogaverunt illum pro ea.* Et significat incendium fomitis in natura humana. Osee, vii, 4 : *Quasi clibanus ipse succensus.*

« Et statim dicunt ei de illa. Et accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus. » 31

Hic ponitur curatio in quatuor : in intercessorum suffragio, in vicinante sibi remedio, quæ sequitur curatio, et ad pristinum vigorem restitutio.

Dicit igitur :

« Et statim dicunt ei de illa. »

Sed, Luc. iv, 38, dicunt intercedendo pro ea [1]. Jacob. v, 16 : *Orate pro invicem ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua.* Proverb. x, 24 : *Desiderium suum justis dabitur.*

« Et accedens, »

Vicinando ad salutem. Luc. x, 34 : *Approprians alligavit vulnera ejus.*

Accedit enim cum per præsentiam inclinatur. Deuter. iv, 7 : *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.*

« Elevavit eam. »

Curatio est. Et est elevatio corporis signans levationem ad cœlestia mentis : ut quæ prius æstu fomitis in carnis concupiscentia prostrata languerat, nunc ab æstu vitiorum temperata, cœlestia petat. Thren. iii, 41 : *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos.* Ad Coloss. iii, 2 : *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

« Apprehensa manu ejus. »

Ecce virtutis restitutio. Significat enim

[1] Luc. iv, 38 : *Socrus Simonis tenebatur magnis febribus, et rogaverunt illum pro ea.*

manus quam apprehendit, opus quod gratia Dei ad perfectum perducit. Isa. XLV, 1 : *Cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes.* Psal. LXXII, 24 : *Tenuisti manum dexteram meam : et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.*

« Et continuo dimisit eam febris, et ministrabat eis. »

Tangitur demonstratio sanitatis in purgatione febris, et devotione gratiarum actionis. In qua notatur indicium restitutæ virtutis.

Dicit igitur :

« Et continuo dimisit eam febris. »

Non enim est mora : quia velle suum, fecisse est. Psal. CXXXIV, 6 : *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, in cœlo, in terra,* etc. Esther, XIII, 9 : *Si decreveris sacvare nos,* continuo liberabimur.

« *Et ministrabat eis* » vires quas accepit : gratias agens, in obsequium sui salvatoris exercens. Psal. LVIII, 10 : *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Luc. X, 40, simile : *Martha satagebat circa frequens ministerium.*

32 « Vespere autem facto, cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes et dæmonia habentes :

33 Et erat omnis civitas congregata ad januam.

34 Et curavit multos qui vexabantur variis languoribus : et dæmonia multa ejiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum. »

Hic tangitur in omnes propagatio salutis. Et docemur hic tria : quorum primum est, in operibus beneficentiæ ad proximorum utilitatem communicatio : secundum autem est, aliquando extra tumultum propter quietem ad solitudinem contemplationis declinatio : tertium autem, cum nos proximorum necessitas requirit, ad intendendum instructioni proximorum, revocatio. Et hæc patent in littera.

In primo horum rursus tria continentur, scilicet, salutis et eruditionis indigentia, et aviditas : Domini exhibentis salutem gratuita benignitas : et in declinanda laudis gloria, in magnis quæ fecit, humilitas.

Dicit igitur circa aviditatem eruditionis et salutis, determinans temporis opportunitatem, et salutis exspectatæ aviditatem, et desiderantium instantiam, et multitudinem.

Tempus enim opportunum innuit cum dicit :

« Vespere autem facto. »

Mirabilis populi devotio quos nec instans nox retrahit ab aviditate salutis: « *Cum sol occidisset,* » et tenebræ essent : quando horrent homines ambulare. Congruit autem mysterio, quia vespera finis est mundi : occubitus solis, mors Christi quæ salutem in omnes profundit. Psal. CXXXVIII, 12 et 11 : *Nox sicut dies illuminabitur :... et nox illuminatio mea in deliciis meis.* Joan. VIII, 12 : *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Isa. LX, 3 : *Ambulabunt gentes in lumine tuo,* etc.

« Afferebant ad eum, »

Aviditate salutis, « *omnes* » qui habebant infirmos, ut dicitur, Marc. IX, 32. « *Omnes male habentes,* » in corpore, « *et dæmonia habentes,* » et ideo languentes in mente. Matth. IX, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*

« Et erat omnis civitas congregata. »

Nehemiæ seu II Esdræ, VIII, 1 : *Con-*

gregatus est omnis populus quasi vir unus : et steterunt ante Nehemiam.

« *Ad januam,* » hoc est, fidei introitum. Joan. x, 9 : *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur.*

« Et curavit multos, »

Gratuita benignitate. « *Multos* » autem curavit efficienter, qui omnes curare potuit sufficienter, si se ad curam præparassent. Jacob. I, 5 : *Dat omnibus affluenter, et non improperat.* Esther, II, 18 : *Dona largitus est juxta magnificentiam principalem.*

« *Qui vexabantur variis languoribus,* » in corpore.

« Et dæmonia multa ejiciebat, »

De eis qui vexabantur in mente, ut ostenderet se habere potestatem super spiritum et carnem, contra Manichæum : et curam salutis utrique impendere : unde, Marc. XVI, 17, 18, hæc duo etiam committit discipulis in potestate : *In nomine meo dæmonia ejicient* : et post pauca : *Super ægros manus imponent, et bene habebunt.*

« *Et non sinebat ea loqui.* » Declinatio inanis laudis per humilitatem. Et notatur quod laudem a malis nobis factam obmutescere faciamus, quamvis de veris et scitis sit aliquando : quia ad jactantiam prôfertur. Et hoc est quod dicit : « *Quoniam sciebant eum,* » præsumptione operum, non veritate perfecta, sicut supra diximus. Psal. CXL, 5 : *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Osee, XII, 1 : *Ephraim pascit ventum et sequitur æstum.* Non enim vadit emere oleum cum virginibus fatuis, sed potius accendit cum prudentibus lampades, ut videat viam salutis.

35 « Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.

Hic docet nos a tumultu aliquando segregatos, contemplationis petere secretum.

Et circa hoc dicit quinque : mentis desiderium, in hoc quod dicit : « *Diluculo valde.* » Isa. XXVI, 9 : *Spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Proverb. VIII, 17 : *Qui mane vigilant ad me, invenient me.*

Secundo, dicit mentis in Deum erectionem (alias, directionem) cum addit : « *Surgens.* » Psal. XXIV, 1 : *Ad te, Domine, levavi animam meam.* Cantic. III, 2 : *Surgam, et circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea.*

Tertio, subjungit a tumultu sequestrationem, cum dicit : « *Egressus,* » a suis, a se, et a turbis. Genes. XXII, 5 : *Expectate hic cum asino : ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.*

Quarto, addit desiderium in Deum perfectum, cum dicit :

« Abiit in desertum. »

Ezechiel. I, 14, 13 : *Ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.... Et erat in medio splendor ignis,* per ignitum cordis desiderium.

Quinto, subjungit locum et opus, cum dicit : « *In desertum locum,* » mundi occupationibus remotum, inquietudini sensuum non vicinum, ab instantia suorum sequestratum, hoc est desertum, ad cujus interiora minavit greges Moyses, cum videret Dei visionem magnam [1].

« Ibique orabat. »

Ecce opus. « Oratio autem, ut dicit Au- « gustinus est pius affectus mentis in « Deum directus. » Joan. IV, 23 : *Veri*

[1] Cf. Exod. III, 1 et seq.

adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit qui adorent eum.

36 « Et prosecutus est eum Simon et qui cum illo erant.

37 Et cum invenissent eum, dixerunt ei : Quia omnes quærunt te.

38 Et ait illis : Eamus in proximos vicos et civitates, ut et ibi prædicem : ad hoc enim veni. »

Ecce iterata revocatio (alias, vocatio) ad beneficentiæ opera. Et tanguntur tria : invitatio discipulorum, consensus Domini ad prædicandum et benefaciendum, et suæ benevolentiæ debitum.

De primo dicit primo invitantes, quia « *prosecutus est eum Simon,* » qui vertex futurus erat Apostolorum, « *et qui cum illo erant,* » qui attingere meruerunt ad suæ contemplationis secretum. Joan. XVII, 24 : *Volo, Pater, ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam.*

« Et cum invenissent eum, »

Ausu familiaritatis. « *Dixerunt ei,* » invitantes eum ad beneficentiæ opera : sicut et Moyses de deserto missus est ad persequentes [1]. Et Joannes de deserto, facta super eum manu Domini, missus est ad ignorantes [2]. Et Elias ad incredulos et errantes de deserto missus est [3].

« *Et cum invenissent eum, dixerunt ei,* » eum invitantes : « *Quia omnes quærunt te.* » Cantic. III, 2 : *Quæram quem diligit anima mea.* Isa. LV, 6 : *Quærite Dominum, dum inveniri potest : invocate eum, dum prope est.* Psal. CIV, 4 : *Quærite faciem ejus semper.*

« Et ait illis, »

Obediens ad benefaciendum : « *Eamus* » seminatum verbum bonum, scilicet Evangelium, « *in proximos vicos et civitates,* » ordinata charitate, quæ prius curat de proximis quam de longinquis : in vicis autem habitant rusticani pauperes. Sic igitur notantur in verbo quatuor : profectus verbi et operis, ordo charitatis, cura salutis generalis sine personarum acceptione, et doctrina pietatis.

De profectu verbi et operis, Joan. XV, 16 : *Elegi vos et posui vos ut eatis, et fructum afferatis.* Matth. X, 16 : *Ite : ecce ego mitto vos.* De ordine charitatis, Cantic. II, 4 : *Ordinavit in me charitatem.* I ad Timoth. V, 8 : *Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* De vicis et civitatibus, in quibus et parvi, in vicis : et magni, in civitatibus habitant. Cantic. III, 2 : *Circuibo civitatem : per vicos et plateas quæram.* Sapient. VI, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.* Jacob. II, 1 : *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ.* Ad Roman. III, 22 et 23 : *Non enim est distinctio : omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei.*

« Ut et ibi prædicem. »

Ecce doctrina pietatis : quia non inani prædicatione, sicut sæpe diximus. Proverb. I, 20 : *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam.* Proverb. V, 16 : *Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide.*

« Ad hoc enim veni. »

Recognoscit se hujus beneficentiæ debitorem ex fine adventus sui. Joan. XVIII, 37 : *Ego in hoc natus sum, et ad*

[1] Cf. Exod. III, 10.
[2] Cf. Luc. III, 2.
[3] Cf. III Reg. XIX, 15 et 16.

hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.

39 « Et erat prædicans in synagogis eorum et in omni Galilæa, et dæmonia ejiciens.

40 Et venit ad eum leprosus deprecans eum : et genu flexo, dixit ei : Si vis, potes me mundare. »

Hic incipit cura originalis ab infectione naturæ procedentis in membra : quæ infectio per leprosum designatur. Tanguntur autem duo : scilicet, leprosum ad inveniendum excitans, et leprosi curatio.

Excitans autem fuit fama mirabilium quæ in omnes operabatur Dominus : e hoc est quod dicit de doctrina publica et generali : et confirmatione doctrinæ per magnalia operum.

Doctrinam enim tangit cum dicit :

« Et erat prædicans. »

Et notat instantiam per hoc quod conjungit simul præsens et præteritum imperfectum. Hoc enim, ex præterito, dicit temporis differentiam quæ præcessit : ex præsenti, instantem : et ex imperfecto, futurum, continuatum autem præsentem actum. Erat enim fons sapientiæ numquam exsiccandus, Eccli. I, 5 : *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis.* Eccli. XXIV, 43 : *Factus est mihi trames abundans, et fluvius meus appropinquavit ad mare.*

Solemnitatem autem notat, cum dicit :

« In synagogis eorum. »

Et generalitatem, cum dicit : « *Et in omni Galilæa.* » Marc. XVI, 15 : *Ite in mundum universum.* Joan. XVIII, 20 : *Ego palam locutus sum mundo :... et in occulto locutus sum nihil.*

« Et dæmonia ejiciens. »

Confirmans verbum per magnalia operum. Ad Hebr. II, 4 : *Contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem.* Præcipue autem miras facit curas, ut homines a dæmonibus liberaret, ut vires dæmonum evacuaret. Matth. XII, 28 : *Si ego in spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei.*

His igitur excitatus,

« Venit ad eum leprosus. »

Dicit autem Matth. VIII, 1 et 2, quod descendente Jesu de monte in quo sermonem fecerat, venit leprosus. Et ideo intelligitur quod in prædicatione de qua mentionem fecimus, totum istum sermonem fecit, quem Marcus transit brevitatis causa : quia Matthæus scripserat eum.

De curatione autem leprosi hujus notantur tria : devotio leprosi in merito curationis : pietas Domini in promptitudine miserationis : et doctrina in causa ædificationis.

Devotio leprosi in quinque cognoscitur : in salutis inquisitione, in indigentiæ magnitudine, in petitionis devotione, in adorationis humilitate, et in fidei suæ professione.

De primo dicit : « *Venit ad eum,* » curam habens suæ salutis : non jussus venit, laborem viæ non abhorrens : nec venire dicitur usque ad Christum, qui non tangit eum imitationis affectu. Psal. XXXIII, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini : et facies vestræ non confundentur.*

« *Leprosus.* » Luc. V, 12, dicitur : *Vir plenus lepra.* Et sic tangitur magnitudo indigentiæ. Job, II, 7 : *Percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem ejus.* Isa. I, 6 : *A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas.*

« Deprecans eum. »

Deprecatio est petitio in amovendis malis : et notatur in hoc petitionis devotio. Jacob. v, 16 : *Multum valet deprecatio justi assidua.* Psal. LXIII, 2 : *Exaudi, Deus, orationem meam cum deprecor.*

« Et genu flexo, dixit ei. »

Humilitas tangitur adorantis. Eccli. XXXV, 21 : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Ad Ephes. III, 14, 15 : *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur.* Ad Philip. II, 10 : *In nomine Jesu omne genu flectatur*, etc.

« Si vis, potes. »

Professio est fidei omnipotentiæ : quæ in voluntate habet posse. Et hoc est quod dicit : « *Si vis, potes.* » Sapient. XII, 18 : *Subest tibi, cum volueris, posse.* Psal. CXIII, 3 : *Omnia quæcumque voluit* Dominus *fecit.*

« Potes me mundare. »

Quia ita præcessit in Eliseo qui erat servus, qui dixit, IV Reg. v, 10 : *Recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.* Et de lepra spirituali quæ est infectio originalis dixit, Ezechiel. XXXVI, 25 : *Mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Sciens ergo hunc esse Salvatorem, professus est in voluntate sua esse posse, ad consequendam salutem.

41 « Jesus autem misertus ejus extendit manum suam, et tangens eum, ait illi : Volo, mundare. »

Tangit Domini ad curam promptitudinem. Et tangit duo, causam videlicet, et effectum salutis.

Causam salutis tangit in quinque : in nomine Salvatoris, in compassione cordis, in protensione virtutis, in operatione potestatis, et in verbo plenæ curationis.

Nomen Salvatoris est

« Jesus. »

Fortis juxta nomen suum in salutem gentis.

« *Misertus ejus,* » compassione cordis. Jerem, XXXI, 20 : *Miserans miserebor ejus.* »

« Extendit manum suam, »

In protensione usque ad nos suæ virtutis. Psal. CXLIII, 7 : *Emitte manum tuam de alto : eripe me, et libera me de aquis multis.*

« *Et tangens eum,* » operatione potestatis. Sed contra : Levit. XIII, 1 et seq., præcipit non debere tangere leprosos : dixit autem Matth. v, 17 : *Non veni legem solvere, sed adimplere.* RESPONSIO. Est tactus ad inquinationem, et ille prohibetur : tactus autem ad emundationem non prohibetur : quia illud esset contra (alias, tactus ille est ad) misericordiam. De priori tactu, Eccli. XIII, 1 : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* De secundo, IV Reg. v, 11 : *Putabam quod egrederetur ad me, et stans invocaret nomen Domini sui, et tangeret manu sua locum lepræ, et curaret me.*

« Ait illi : Volo. »

Verbum est curationis.

Et sequitur : « *Mundare.* » Sapient. XVI, 12 : *Neque herba, neque malagma sanavit eos : sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.* Psal. CVI, 20 : *Misit verbum suum, et sanavit eos.*

42 « Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, et mundatus est. »

Ecce effectus : *Ipse dixit, et facta sunt*[1].

Tangit autem tria, velocitatem, purgationem, et mundationem.

Dicit enim : « *Statim.* » In hoc enim supra naturam est verbum Dei operans quod illud quod paulatim facit natura, statim operatur. Psal. CXLVII, 15 : *Velociter currit sermo ejus.*

Purgationem tangit, cum dicit :

« Discessit ab eo lepra. »

Psal. CII, 4 : *Qui redimit de interitu vitam tuam.*

Munditiam tangit, cum dicit : « *Et mundatus est.* » Psal. L, 12 : *Cor mundum crea in me, Deus.* Primum est in opere divinæ virtutis : secundum, in expulsione iniquitatis : tertium, in adventu formantis.

43 « Et comminatus est ei, statimque ejecit illum,

44 Et dicit ei : Vide nemini dixeris. »

Hic tangitur nostra instructio, tam in Salvatore, quam in salvato.

In Salvatore quidem in quatuor : in comminatione seriosæ humilitatis, in abjectione materiæ humanæ laudis, in prohibitione prædicandi honoris, et in doctrina præcavendæ infirmitatis.

De primo dicit :

« Et comminatus est ei. »

Hoc est contra quosdam qui audientes de se magna loqui, viriliter recusant : et tamen aurem præbent : unde, Supra, ℣. 25 : *Obmutesce.* Et, ibidem, ℣. 43 : *Comminatus est ei.*

De secundo dicit :

« Statimque ejecit illum, »

Nolens apud se habere materiam laudis : et non avertens detractionem et murmurationem Judæ proditoris. Psal. CI, 9 : *Qui laudabant me, adversum me jurabant.* II ad Corinth. III, 1 : *Numquid egemus commendatitiis epistolis ?* Epistola est commendatitia quædam, quando quis secum circumfert materiam suæ laudis et ostentationis.

Et dicit ei :

« Vide nemini dixeris. »

Perfecta enim humilitas est quando nec absens laudari desiderat. Psal. LII, 6 : *Qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Ad Galat. I, 10 : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*

« Sed vade, ostende te principi sacerdotum, et offer pro emundatione tua quæ præcepit Moyses, in testimonium illis. »

Doctrina est præcavendæ infirmitatis. Et præcipit quatuor : quod sacerdotes quærantur, quod morbus ostendatur, quod munus offeratur, quod munditia per sacerdotes testificetur : et hæc sunt necessaria pœnitenti.

Dicit igitur : « *Sed vade* : » piger enim exspectat donec eum sacerdos quærat. Sed tu, præveni sacerdotem, provide, discurre, festina, suscita amicum tuum[2].

« *Ostende te,* » per confessionem, « *principi sacerdotum,* » in se vel in vicariis eorum. Isa. XLIII, 25 et 26 : *Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me :... narra si quid habes ut justificeris.* Josue, VII, 19 : *Confitere, amicum tuum.*

[1] Psal. XXXII, 9.

[2] Proverb. VI, 3 : *Discurre, festina, suscita*

scilicet peccatum tuum, *atque indica mihi quid feceris.*

« Et offer »

Votum et constitutum « *pro emundatione tua* » testificanda et ostendenda, « *quæ præcepit Moyses*[2]. » Psal. L, 19 : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor,* etc. Mich. VI, 6 : *Quid dignum offeram Domino?* Ad Roman. XII, 1 : *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.*

« *In testimonium illis,* » scilicet leprosis mundatis. Vel, « *In testimonium offer illis,* » ut videntes per miraculum testificatam virtutem deitatis, si credant, sit eis testimonium virtutis et salutis : si non credant, sit eis testimonium condemnationis. Psal. XCII, 5 : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Job, X, 17 : *Instauras testes tuos contra me.* Joan. V, 36 : *Opera quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.*

45 « At ille egressus cœpit prædicare et diffamare sermonem. »

Doctrina hic accipitur ex parte ejus qui curatus est. Et tanguntur duo, præconium videlicet curati, et fructus præconii.

In præconio tanguntur tria, scilicet apud diversos miraculi ostensio, divina virtus testificata, et per alios in locis ad quæ venire non potuit virtus nuntiata.

De primo dicit :

« At ille egressus. »

Non enim in clanculo et subsilenter, sed ubique discurrens nuntiavit. Isa. XII, 5 : *Annuntiate hoc in universa terra.*

« *Cœpit prædicare* » ostensam in se omnibus virtutem divinam. Hæc enim prædicatur, Tob. XII, 20 : *Vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia ejus.*

« *Et diffamare,* » per nuntios in locis ad quæ ipse venire non potuit. Psal. LXVII, 32 : *Venient legati ex Ægypto : Æthiopia præveniet manus ejus Deo.*

Sed numquid inobediens fuit ? Dicendum quod est duplex et triplex præceptum : scilicet cautelæ, probationis, et obedientiæ. In præcepto cautelæ non interdicitur actus, qui optimus est, sed gloria quæ immiscet se bonis et honestis : et tale præceptum fuit hic (alias, hoc), et hoc intellexit iste præcipue ex doctrina Angeli Tobiæ[3]. In præcepto probationis non vult Deus actum, sed ostensionem virtutis quæ latet in eo cui datur præceptum : et est utilis sibi et aliis ostensio virtutis ejus : sicut, Genes. XXII, 12 : *Nunc cognovi quod times Deum.* In præcepto autem obedientiæ vult Deus actum[1].

« Ita ut jàm non posset manifeste introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset : et conveniebant ad eum undique. »

Tangit fructus præconii. Et tanguntur tria : scilicet excitatio devotionis, multitudo populi venientis, et diversitas.

De primo dicit :

« Ita ut jam non posset, »

Propter devotionem quærentis eum populi, « *manifeste introire in civitatem :* » omnibus eum trahentibus ubi erat manifestus. Luc. XXIV, 29 : *Coegerunt illum, dicentes : Mane nobiscum, Domine.*

[1] Cf. Levit. XIII, per totum.
[2] Cf. Tob. XII, 20.
[3] Cf. Exod. XX, per totum.

« *Sed foris in desertis locis esset,* » quia nulla platea vel aula capere multitudines posset. Isa. II, 2 : *Fluent ad eum omnes gentes.*

« *Et conveniebant ad eum undique,* » de diversis locis. Isa. LX, 5 : *Videbis, et affluues, et mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.*

CAPUT II.

Murmurantibus Scribis quod paralytico per tectum in grabato demisso, diceret remitti peccata, jubens ipsum ferre grabatum, sanat eum : apud Levi, quem ad se sequendum vocaverat, discumbens cum plurimus publicanis, rationem dicit, murmurantibus Pharisæis, quare cum peccatoribus conversetur, et cur ipsius discipuli non jejunent : quos etiam spicas sabbato vellentes excusat.

1. Et iterum intravit Capharnaum post dies [1]
2. Et auditum est quod in domo esset, et convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam : et loquebatur eis verbum.
3. Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui a quatuor portabatur [2].
4. Et cum non possent offerre eum illi præ turba, nudaverunt tectum ubi erat, et patefacientes submiserunt grabatum in quo paralyticus jacebat.
5. Cum autem vidisset Jesus fidem illorum, ait paralytico : Fili, dimittuntur tibi peccata tua.
6. Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, et cogitantes in cordibus suis :
7. Quid hic sic loquitur? blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus [3]?
8. Quo statim cognito Jesus spiritu suo quia sic cogitarent intra se, dicit illis : Quid ista cogitatis in cordibus vestris ?
9. Quid est facilius dicere paralytico : Dimittuntur tibi peccata : an dicere : Surge, tolle grabatum tuum, et ambula ?
10. Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico :
11. Tibi dico : Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam.
12. Et statim surrexit ille, et sublato grabato, abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes et honorificarent Deum, dicentes : Quia numquam sic vidimus.
13. Et egressus est rursus ad mare, omnisque turba veniebat ad eum, et docebat eos.
14. Et cum præteriret [4], vidit Levi Alphæi sedentem ad telonium, et ait illi : Sequere me. Et surgens secutus est eum.
15. Et factum est, cum accumberet

[1] Matth. IX, 1.
[2] Luc. V, 18.
[3] Job, XIV, 4 ; Isa. XLIII, 25.
[4] Matth. IX, 9 ; Luc. V, 27.

in domo illius, multi publicani et peccatores simul discumbebant cum Jesu et discipulis ejus : erant enim multi qui et sequebantur eum.

16. Et Scribæ et Pharisæi, videntes quia manducaret cum publicanis et peccatoribus, dicebant discipulis ejus : Quare cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit magister vester?

17. Hoc audito, Jesus ait illis : Non necesse habent sani medico, sed qui male habent : non enim veni vocare justos, sed peccatores [1].

18. Et erant discipuli Joannis et Pharisæi jejunantes : et veniunt, et dicunt illi : Quare discipuli Joannis et Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant?

19. Et ait illis Jesus : Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, jejunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare.

20. Venient autem dies cum auferetur ab ei sponsus [2] : et tunc jejunabunt in illis diebus.

21. Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri : alioquin aufert supplementum novum a veteri, et major scissura fit.

22. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres : alioquin dirumpet vinum utres, et vinum effundetur, et utres peribunt : sed vinum novum in utres novos mitti debet.

23. Et factum est iterum, cum Dominus sabbatis ambularet per sata [3], et discipuli ejus cœperunt progredi et vellere spicas.

24. Pharisæi autem dicebant ei : Ecce, quid faciunt sabbatis quod non licet ?

25. Et ait illis : Numquam legistis quid fecerit David quando necessitatem habuit [4], et esuriit ipse, et qui cum eo erant ?

26. Quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, et panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare nisi sacerdotibus [5], et dedit eis qui cum eo erant ?

27. Et dicebat eis : Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter sabbatum.

28. Itaque Dominus est Filius hominis etiam sabbati.

IN CAPUT II MARCI

ENARRATIO.

« Et iterum intravit Capharnaum post dies :

Et auditum est quod in domo esset. »

In præcedenti capitulo demonstrata est fortitudo Leonis super crimine originalis peccati. Sunt autem duo defectus originale peccatum consequentes : contra (alias, juxta) quos oportet fortitudinem demonstrare. Unus quidem est inordina-

[1] I ad Timoth. I, 15.
[2] Matth. IX, 15; Luc. V, 35.
[3] Matth. XII, 1 ; Luc. VI, 1.
[4] I Reg. XXI, 6.
[5] Levit. XXIV, 9.

tus motus, causatus ex inobedientia corporis ad spiritum : alter autem est impotentia bene et recte agendi ad meritum. Et primus significatur in paralytico, secundus autem in habente manu aridam. Et sic inducuntur hic duo capitula sequentia consequenter post primum quod jam est expositum. « Marcus enim, « ut dicit Hieronymus, flores carpit, et « ordinat eos ad demonstrationem virtutis « Leonis, super defectum causatum in no- « bis. »

Illud autem capitulum, quod est contra defectum dissolutionis, dividitur in quatuor partes : in quarum prima, in figura dissolutionis prædictæ, secundum virtutem divinam medicina exhibetur : in secunda, quibus sit necessaria, ostenditur, in vocatione infirmi telonarii, et subinfertur quod infirmis est parata, ibi, ℣. 13 : « *Et egressus est*, etc. » In tertia, non verus hujus infirmitatis curationis modus excluditur : quem quidam esse putabant in exercitio justitiæ corporalis, in factis exterioribus, sine fide et devotione perfecto, ibi, ℣. 18 : « *Et erant discipuli Joannis*, etc. » In quarta et ultima, vera medicina peccantium, non in lege, sed supra legem esse ostenditur, ibi, ℣. 23 : « *Et factum est iterum*, etc. » Et in hoc terminatur capitulum, in veræ medicinæ declaratione.

In prima harum quatuor continentur : in quorum primo, fama medici excitat ægrotum : in secundo, sollicite quærit medicum : in tertio, medicinæ hujus verus ordo probatur : in quarto et ultimo, perfectæ sanitatis effectum ægrotus a medico consequitur.

Tangit autem in prima harum tria : medici præsentiam videlicet, et medici famam, et adventantium undique multitudinem copiosam.

Præsentia autem describitur cum dicit :

« Et iterum. » 1

Et in hoc miranda est instantia Domini, quia iterum et iterum sæpissime se ingerens institit : sicut dicitur, II ad Timoth. IV, 2 : *Insta opportune, importune : argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.* Miranda est etiam benignitas : quia ipse non vocatus intravit. Genes. XXIV, 31 : *Ingredere, benedicte Domini : cur foris stas?* Miranda (alias, videnda) etiam sapientia : quia intravit locum solemnem ut multis prodesset.

« Intravit Capharnaum. »

Et ideo dixit, Act. IX, 15 : *Ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel*, quia per solemnia loca, et solemnes personas verbum apertius derivatur ad inferiora loca, et homines.

« *Post dies* [1], » visitans (alias, rigans) ea quæ ante seminaverat : egressus enim fuerat in montem ubi sermonem fecerat, et in cujus descensu leprosum curaverat : et octavo die regressus, rigavit ea quæ seminaverat. Eccli. XXIV, 42 : *Dixi : Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.*

« Et auditum est. » 2

Celebri enim sermone vulgatum est : sicut dicitur, Genes. XLV, 16 : *Auditumque est, et celebri sermone vulgatum est*, etc.

« *Quod in domo esset.* » Simile, Luc. VII, 37 : *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisæi*, etc. In transitu enim consequi eum non poterant, qui *exsultavit ut gigas ad currendam viam* [2] : unde mansio in domo signi-

[1] In edit. Lugdunensi additur, *post dies octo* : sed evidens est interpolatio ex quibusdam manuscriptis græcis et latinis, uti videre est in notis ad Evangelium S. Marci (D. Fillion, Not. in Marcum, p. 41).

[2] Psal. XVIII, 6.

ficat exspectationem per misericordiam (alias, ad pœnitentiam).

« Et convenerunt multi, ita ut non caperet (alias, caperentur) neque ad januam: et loquebatur eis verbum. »

Tertium est. Et tangit tria : conventum, et multitudinem, et auditum doctrinæ.

Multitudinem autem dupliciter : in se, et in modo : quia ad januam contendebant.

Dicit ergo: « *Et convenerunt*, » non tam loco quam cordis unitate. Nehemiæ, seu II Esdræ, VIII, 1, et I Esdræ, II, 64 : *Convenit omnis multitudo quasi vir unus*. Sic enim bonum et jucundum est habitare fratres in unum [1].

« *Multi*, » ex omni natione quæ sub cœlo est. Matth. IX, 11 : *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob, in regno cœlorum.*

Et tangit modum dicens :

« Ita ut non caperet. »

Locus sive domus eos : « *Neque ad januam*, » quia hi (alias, bene) intrare non poterant : steterunt extra, contra januam per quam viderent et audirent eum. Et notantur duo in verbo : audiendi videlicet aviditas, et inchoandi in veritatem sermonis intentio.

Audiendi aviditas notatur per hoc quod dicit : « *Ut non caperet*, » et est modus loquendi : sicut etiam nunc videmus in avidis ad audiendum, quod de domo in qua docet, anticipant capere loca apta, in quibus melius potest audiri docens.

Directio autem intentionis notatur per hoc quod dicit :

« Neque ad januam. »

Non enim per parietem venit liber sonus, sed per ostium. Et significat quod volentes audire, deposito pariete peccati, qui dividit inter eos et Deum suum, veniant ad veritatis ostium apertum, quod est Christus, dicens, Joan. X, 9 : *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur : et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.* Ezechiel. VIII, 8 : *Fode parietem : et cum fodissem parietem, apparuit ostium unum*, per quod cognovit veritatem. Eccli. LI, 31 : *Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ.*

« Et loquebatur eis verbum. »

Verbum loquitur, quia in verbo uno, omnis notitia verborum Dei formatur : et ideo dicit Augustinus, quod « verbum « est plena ratio omnium viventium. » Joan. I, 3 : *Omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil quod factum est.*

« Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui a quatuor portabatur.

Et cum non possent offerre eum illi præ turba, nudaverunt tectum ubi erat, et patefacientes submiserunt grabatum in quo paralyticus jacebat. »

Ecce excitati per famam ægroti, salutis petitio. Et tanguntur tria : infirmitatis magnitudo, conjunctorum sibi devotio, et præsentandi infirmum medico solers sollicitudo.

Dicit igitur :

« Et venerunt, »

Per se : non exspectantes donec ad eos veniret Dominus.

« *Ferentes*, » potius compassione misericordiæ, quam humeris corporis. Ad

[1] Psal. CXXXII, 1.

Galat. VI, 2 : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.*

« Ad eum. »

Usque *ad eum*, ita quod infirmus medico conjungebatur : hoc enim oportuit, quia medicus ipse medicina fuit. Conjungitur autem qui veritatem tangit, intellectum, fide : et charitate, affectum in amore : et opus, per exemplum in conversatione. Psal. XXXIII, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini : et facies vestræ non confundentur.*

« Paralyticum, »

Toto corpore dissolutum mollitie concupiscentiæ : cui frigidus humor membra resolvit : qui stillicidio humoris resistit spiritui moventi : et frigiditate caritatis, et motu tremoris conversationis honestati. Thren. I, 8 : *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est.* Jacob. I, 8 : *Inconstans est in omnibus viis suis.*

« *Qui a quatuor portabatur.* » Adéo enim fuit infirmus, et dissolutus, quod nulla pars aliam ferre potuit : et ideo æqualiter eum a quatuor portari oportuit : qui quatuor naturales virtutes signant, scilicet prudentiam, temperantiam, fortitudinem, et justitiam. Sapient. VIII, 7 : *Sobrietatem, et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Vel, quatuor sunt : recordatio præteriti, ad dolendum : spes futuri, ad veniam consequendam : ostensio delicti, ad confitendum : propositum emendæ, ad satisfaciendum. Proverb. XXX, 24 : *Quatuor sunt minima terræ, et ipsa sunt sapientiora sapientibus.*

« Et cum non possent. »

Ecce ostenditur ex conatu intra ferendi. « *Et cum non possent.* » Multum sunt attendenda verba ista : quia significatur in eis quod aliquis in conspectu turbæ non potest intra ferri ad Dominum per apertam suorum criminum coram turba detectionem : quia faceret scandalum. Unde, Isa. III, 9 : *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt.*

« Nudaverunt tectum. »

Tecta enim plana sunt in Palæstina : et ideo ascendere poterant. Nudare autem tectum est aperire tegulas : et tangitur solers cautela istorum aperte præsentandi infirmum Domino. Cum autem domus sit Scriptura, tectum domus est historia, et nudatio, est historiæ detectio usque ad Christum per mysterium attingere. Ad Roman. X, 4 : *Finis legis, Christus, ad justitiam omni credenti.*

Et hoc est quod sequitur :

« Submiserunt grabatum. »

Graba Syriace est caput, et grabatum est lectulus in quo est quies capitis [1] : sicut habent infirmi pauperes. Idem est autem, Matth. IX, 2.

« Cum autem vidisset Jesus fidem illorum, ait paralytico : Fili, dimittuntur tibi peccata tua. » 5

Hic tangitur medicinæ expositio (alias, medicina Christi). Et tanguntur tria : primo enim origo medicinæ ostenditur : secundo, murmuratio quorumdam contra

[1] *Grabatum :* græce κράβαττον, verbum quod S. Marcus e Romanis forte didicerat. « Les anciens appelaient *grabat* un lit petit et bas du genre le plus commun (Cic. Div. II, 63 ; Virg. Moret. 5), semblable à ceux dont se servait le pauvre peuple, n'ayant qu'un réseau de cordes étendu sur un chassis (Lucil. Sat. VI, 13 ; Petron. Satyr. 97) pour supporter le matelas. » Ant. Rich. Dictionn. des Antiquités rom. et grecq. s. v. *Grabatus.*

virtutem medici oritur : et tertio, murmuratio compescitur.

Dicit igitur : « *Cum vidisset,* » id est, videri a turbis fecisset « *Jesus fidem illorum* : » quia, sicut dicitur, Infra, IX, 22 : *Omnia possibilia sunt credenti.* « *Ait paralytico,* » benigne loquendo ne deterreret. Ezechiel. XXXIV, 16 : *Quod confractum fuerat alligabo.*

« Fili. »

Mira benignitas simul et utilitas, ut dicit Beda, quia filium nominat quem alii abjiciebant. Matth. IX, 2 : *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Et hoc est quod dicit :

« Dimittuntur tibi peccata tua. »

Luc. VII, 47 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Notatur autem ex modo loquendi quod paralysis hujus ortum habuit, quia peccavit : et ideo primum oportuit purgari peccatum in anima, quam curari posset dolor in corpore: unde Glossa dicit quod quinque modis infliguntur infirmitates : quæ notantur in versu :

Job probat : inclinat Paulum : sese manifestat In cæco : purgat Mariam : punit Herodem.

Job primo ostendit probatum per tribulationem. Paulum autem quem magnitudo revelationum poterat extollere, inclinat per colaphos Satanæ [1]. In cæco autem qui sicut dicitur, Joan. IX, 3 : *Neque hic peccavit neque parentes ejus,* manifestat gloriam suam per factum miraculum. Et similiter in suscitatione Lazari [2]. Mariam autem sororem Moysi quæ murmuraverat contra Moysen, per lepram purgat a peccato : et tunc sanat omnes [3]. Herodem autem punivit, ut ostenderet æternam ejus damnationem hic in corpore. Act. XII, 23, ubi dicitur quod *percussit Herodem Angelus Domini :... et consumptus a vermibus exspiravit.*

« Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, et cogitantes in cordibus suis :

Quid hic sic loquitur? blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus ? »

Hic tangitur murmuratio quorumdam. Et tangit tria : qui videlicet, et qualiter, et quid dicentes murmuraverunt.

Dicit igitur :

« Erant autem quidam de Scribis. »

Non omnes : quia nec Nicodemus, nec Gamaliel, neque alii devoti. « *Sedentes,* » inter alios in auditu verbi fingentes se quiescere, ut accusarent eum. « *Et cogitantes in cordibus suis,* » hoc est, qualiter murmuraverint, quia in corde : in ore autem non audebant : putantes latere, sed non profecit. Sapient. I, 10 : *Auris zeli audit omnia.* Et, ibid. ℣. 9 : *Cogitatio illius ad Deum veniet.*

« Quid hic sic loquitur? »

Ecce quid dicunt murmurantes. Et dicunt tria : despiciunt enim loquentem, crimen imponunt, et rationem subjungunt.

Quod enim dicunt : « *Quid hic sic loquitur ?* » despectivum est : sicut et illud Matth. XIII, 55 : *Nonne hic est fabri filius ? Nonne mater ejus dicitur Maria ?*

[1] Cf. II ad Corinth. XII, 7.
[2] Cf. Joan. XI, 4 et seq.
[3] Numer. XII, 10.

« Blasphemat. »

Ecce criminis impositio : sicut etiam, Joan. VIII, 48 : *Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes ?* Blasphemia autem sumitur hic in hoc, quod usurpare eis videtur divinam operationem, cum sit homo. Joan. X, 33 : *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia : et quia tu homo cum sis, facis temetipsum Deum.*

Et subjungunt rationem :

« Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus ? »

Verum dicunt, et non intelligunt. Beda in persona Ecclesiæ contra Arium : « Nemo potest dimittere peccata in ter-« ra nisi solus Deus : ergo ipse est Deus. » Ratio autem est, quia peccatum non remittit nisi ille in quem factum est : omne autem peccatum fit contra Deum, et ideo non dimittit nisi Deus. Ad Roman. VIII, 33 et 34 : *Quis accusabit adversus electos Dei ? Deus qui justificat. Quis est qui condemnet ? Christus Jesus,* etc.

8 « Quo statim cognito Jesus spiritu suo quia sic cogitarent intra se, dicit illis : Quid ista cogitatis in cordibus vestris ?

9 Quid est facilius dicere paralytico : Dimittuntur tibi peccata : an dicere : Surge, tolle grabatum tuum, et ambula ? »

Tangit murmuris repressionem. Et tangit tria : virtutem videlicet, qua corda cognoscit : et murmurantium reprehensionem : et falsitatis convictionem.

Dicit igitur : « *Quo statim,* » sine inquisitione.

« Cognito Jesus spiritu suo, »

Qui est divinus spiritus ab ipso procedens, qui novit omnia. I ad Corinth. II, 11 : *Quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.*

« *Quia sic cogitarent :* » et in hoc ostendit se esse Deum. Psal. XXXII, 15 : *Qui finxit sigillatim corda eorum : qui intelligit omnia opera eorum.*

« Quid ista cogitatis in cordibus vestris ? »

Matth. IX, 4 : *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris ?* Isa. I, 16 : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.*

« Quid est facilius dicere paralytico, etc. »

Quasi dicat : Quoad potentiam facientis, omnino ejusdem est facultatis curare in corpore supra naturam, et curare in mente : licet quoad potentiam ejus in quo fit, magis sit curare in mente quam in corpore. Luc. I, 37 : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

« Ut autem sciatis quia Filius homi- 10
nis potestatem habet in terra dimittendi peccata, ait paralytico :

Tibi dico : Surge, tolle grabatum 11
tuum, et vade in domum tuam. »

Verba sunt Evangelistæ. Et est argumentum a visibili effectu potestatis, ad invisibilem : ut demonstrata deitate in corporali effectu, intelligatur operari invisibiliter in mente. Et littera per se patet : notabile autem est quod dicit :

« Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam. »

Et dicit tria : quorum primum, cordis

in Deum notat elevationem : secundum, peccati in pondus transitionem : tertium, conscientiæ quietem. « *Surge* » enim est : sursum te age. Ad Ephes. v, 14 : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Ad Coloss. III, 1 et 2 : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Thren. III, 41 : *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos.*

« Tolle grabatum tuum. »

Ut pondus et onus sit, quod fuit delectatio resoluti. Psal. XXXVII, 5 : *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Joan. v, 11 : *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum, et ambula.*

« Et vade in domum tuam. »

Ire est proficere in merito : in domum ire, est per profectum in pacata conscientia quiescere : in domum suam ire, est in merito proprio, et non in alienis actibus curiosum esse. De primo horum, Ezechiel. I, 14 : *Ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Psal. CXXV, 6 : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua.* De secundo, Sapient. VIII, 16 : *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa : non enim habet amaritudinem conversatio illius.* Job, V, 24 : *Scies quod pacem habeat tabernaculum tuum.* De tertio, II ad Timoth. III, 6 et 7, ex his quæ penetrant domos otiosæ simul et verbosæ [2]. Psal. CIV, 30 : *Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum.*

« Et statim surrexit ille, et sublato grabato, abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes et honorificarent Deum, dicentes : Quia numquam sic vidimus. » 12

Duo tanguntur : salus, et salutis fructus. Salus autem est subita, integra, vigorosa, et aperta. Subita quidem, quia « *statim* : » integra, quia dissolutus per omnes artus consolidatus « *surrexit* : » vigorosa, quia « *sublato grabato* » suo « *abiit :* » aperta sive manifesta, quia « *coram omnibus.* »

Fructus autem triplex est : via enim ad fidem est admiratio : et hanc tangit, cum dicit :

« Ita ut mirarentur omnes. »

Gratiarum autem actio est secundum : « *Et honorificarent Deum.* » Laus autem est in hoc quod dicit : « *Quia numquam sic vidimus.* » Isa. LXVI, 8 : *Quis audivit umquam tale ? et quis vidit huic simile ?* Joan. XV, 24 : *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

« Et egressus est rursus ad mare, omnisque turba veniebat ad eum, et docebat eos. » 13

« *Et egressus est rursus ad mare,* » de domo in qua fuit.

Tangitur autem in hac secunda parte capituli propagatio hujus medicinæ ad spiritum secundum quod dictum est : « *Ut sciatis quia Filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata.* » Et tangitur verus hujus medicinæ situs et modus.

Dicuntur autem hic quatuor : primo

[1] II ad Timoth. 3 et seq. : *Et hos devita : ex his enim sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes.*

enim tangitur ægroti ad medicum vocatio : secundo, medici in profectu ægroti refectio : tertio, murmurantium de hoc reprehensio : quarto et ultimo, ostensio, et per opera hæc, sui adventus finalis intentio.

In prima autem harum partium duo sunt : vocatio generalis omnium, et vocatio specialis ejus cujus morbus malus apertus.

Vocatio generalis inducitur per hoc, quia

« Egressus est »

Extra domum murmurantium, « *rursus ad mare,* » quod inquietudinem significat peccatorum. Isa. LVII, 20 : *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.*

« *Omnisque turba,* » fama excitata, « *veniebat ad eum.* » Isa. II, 2 : *Fluent ad eum omnes gentes.* »

« Et docebat eos. »

Isa. XLVIII, 17 : *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia* : unde, Matth. XXVIII, 19 : *Docete omnes gentes.* Psal. CXVIII, 68 : *In bonitate tua doce me justificationes tuas.*

14 « Et cum præteriret, vidit Levi Alphæi sedentem ad telonium, et ait illi : Sequere me. Et surgens secutus est eum. »

Tria tangit : vocandum primo describit : secundo, vocat : tertio, vocatus vocanti obsequitur.

In descriptione autem vocandi quatuor dicit : misericordiæ respectum, nomen, genus, et studium lucrorum injustorum.

Misericordiæ respectum tangit cum dicit :

« Vidit. »

Sapient. IV, 15 : *Respectus ejus in electos illius.* Genes. XVI, 14 : *Propterea appellavit puteum illum, Puteum viventis et videntis me.*

« Levi. »

Alii nomen non proprium ponunt Evangelistæ, sed cognomen : ipse autem de se ponit nomen vulgatum, causa humilitatis [1].

Genus tangit cum dicit :

« Alphæi. »

Nec poneret nomen patris, nisi voce et prædicatione dignificatus fuisset. Tob. V, 19 : *Ex magno genere es tu.* Sapient. VIII, 3 : *Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei.* Et ideo *fugitivus* interpretatur, quia ejus qui fugit mundum filius : additus est electorum numero in *Ecclesia primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis* [2]. Genes. XXXI, 27 : *Cur ignorante me fugere voluisti ?*

« Sedentem ad telonium. »

Hoc est, secundum Chrysostomum, in lucris illicitis quiescentem, quia in teloniis plerumque illicita auferuntur.

« Et ait illi. »

Ecce vocatio.

« Sequere me. »

Relictis lucris terrenis. Ad Philip. III, 7 et 8 : *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta... Omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.*

[1] Matth. IX, 19 : *Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine.*

[2] Ad Hebr. XII, 23.

« Et surgens secutus est eum. »

Non prius dans rationem de illicite (alias, illicito) accepto, sed totum dimittens : et est argumentum, quod in illicite acceptis ministri non tenentur dominis ad ratiocinia. Matth. XIII, 46 : *Inventa una pretiosa margarita abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam.* Luc. V, 11 : *Relictis omnibus, secuti sunt eum.* III Reg. XIX, 20 : *Eliseus relictis bobus, cucurrit post Eliam.*

15 « Et factum est, cum accumberet in domo illius, multi publicani et peccatores simul discumbebant cum Jesu et discipulis ejus : erant enim multi qui et sequebantur eum. »

Tangitur hic refectio Christi in conversione pœnitentium. Tangit autem tria : Christi refectionem, peccatorum pœnitentium cum Christo et discipulis epulationem, et de eorumdem in sequendo perfectionem.

Dicit igitur :

« Et factum est, cum accumberet in domo illius. »

Quia sicut dicitur, Luc. V, 29 : *Fecit ei convivium magnum Levi in domo sua* : et sicut dicit Chrysostomus, de illicitis bonis : quæ quia communitatis erant, poterant converti ad usum eorum qui communitati deservierunt auctore Domino. Reficiebatur autem intus in pœnitentia publicani. Apocal. III, 20 : *Intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Luc. XV, 32 : *Epulari et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, et revixit : perierat, et inventus est.*

« Multi publicani, »

Illi citacapientes, « *et peccatores,* » in concupiscentia carnis. Matth. XXI, 31 : *Publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei.* « *Simul discumbebant,* » pœnitentes, « *cum Jesu,* » salvatore, « *et discipulis ejus,* » veris animarum medicis in Ecclesiæ refectione. Isa. XXV, 6 : *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, et vindemiæ defæcatæ.*

Et adjungit id quod perfectum est :

« Erant enim multi qui et sequebantur eum. »

Pœnitentes de actibus malis. Matth. XIX, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.*

« Et Scribæ et Pharisæi, videntes quia manducaret cum publicanis et peccatoribus, dicebant discipulis ejus : Quare cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit Magister vester ? » 10

Tangit murmuris repressionem. Et dicit duo, murmur, et repressionem.

Murmurantes in tribus reprehenduntur : in apparentia falsi nominis, scientiæ, et religionis.

Et hoc est quod dicit :

« Scribæ et Pharisæi, »

Invidiæ oculis « *videntes,* » et invidentes. Matth. XX, 15 : *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum ?*

« *Quia manducaret cum publicanis et peccatoribus.* » Occasionem autem acceperunt, quia Deuter. XVII, 15, prohibetur ne societatem habeant cum gentibus : ille autem, ut quidam dicunt, gentilis fuit : et ad minus, officium gentile exercuit, quia vectigalibus præfuit, in quibus officiis gentiles a gentili potestate

ponebantur. I ad Corinth. v, 11 : *Cum ejusmodi nec cibum sumere.* Sed non erat occasio sufficiens : quia isti sequebantur Christum jam imitantes, et pravis actibus renuntiantes. Act. x, 13 : *Accipe et manduca.* Et, sequitur, ℣. 15 : *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris.* I ad Corinth. vi, 11 : *Hæc quidam fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.*

Tertio, reprehenduntur de timiditate, quia non Christo, sed

« Dicebant discipulis. »

Confutati enim a Christo, non audent aggredi Christum : sed sicut serpens Adam aggressus in debilitate Evæ, ita et isti, probantes verum esse quod Joannes dixit de eis, Matth. iii, 7 : *Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira ?*

« Quare cum publicanis, etc ? »

Quasi dicant : Turpem sequimini magistratum. Matth. xxiii, 24 : *Excolantes culicem, camelum autem gluttientes.* Non attendentes quod attendens Apostolus dicit, I ad Corinth. ix, 19 : *Omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem* [1]. Et, Sapient. xviii, 24 : *In veste poderis quam habebat totus erat orbis terrarum.*

17 « Hoc audito, Jesus ait illis : Non necesse habent sani medico, sed qui male habent : non enim veni vocare justos, sed peccatores. »

Hic ponitur repressio (alias, reprehensio) murmuris uno verbo : « *Non necesse habent sani,* » vere sani, vel qui se sanos reputant : sani enim non indigent, qui autem se reputant sanos non requirunt. « *Medico,* » nisi forte quoad medicinam præservativam : sed hic loquitur de purgationibus.

« Sed qui male habent. »

Ideo dicitur, Eccli. xxxviii, 7, quod *unguentarius faciet pigmenta suavitatis, et unctiones conficiet sanitatis.* Luc. x, 34 : *Appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum : et imponens in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit.* Isa. lxi, 1 : *Misit me ut mederer contritis corde.*

« Non enim veni. »

Concludit hic omnia per sui adventus intentionem, dicens : « *Non enim veni vocare justos,* » quia non vocatur nisi qui longe est, qui adhuc massæ perditionis conjunctus est : et hic justus non est : « *sed peccatores,* » qui longe sunt. Proverb. ix, 3 : *Vocavit ad arcem, et ad mœnia civitatis.* Ad Roman. viii, 29 et 30 : *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui..., hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit.*

« Et erant discipuli Joannis et Pha- 18
risæi jejunantes : et veniunt, et dicunt illi : Quare discipuli Joannis et Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant ? »

Hic inducitur tertia historia, in qua non verus medicinæ spiritualis modus excluditur. Et tanguntur tria : primo enim, ponitur istius inquisitionis data occasio : secundo, de medicinæ modo,

[1] Cf. etiam, infra, I ad Corinth. ix, 22 : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.*

orta quæstio : tertio, veræ medicinæ per rationes probatio.

Dicit igitur :

« Et erant discipuli Joannis jejunantes, »

Uno speciali jejunio, quod in exteriori observantia consistebat sine Christo : hoc est, fine devotione fidei Christi : et hoc jejunium *habet quidem gloriam, sed non apud Deum* [1]. Isa. LVIII, 3 : *Quare jejunavimus, et non adspexisti : humiliavimus animas nostras, et nescisti ?*

« Et Pharisæi. »

Alio jejunio isti jejunabant, hypocritarum scilicet : qui cum hoc venabantur pecuniam ut marsupia implerent : sicut patet, Matth. VI, 16 : *Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes.* Isa. LVIII, 5 : *Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam ? Numquid contorquere quasi circulum caput suum,* etc. ?

« Et veniunt, et dicunt illi, »

De exteriori justitia præsumentes : « *Quare discipuli tui,* etc. » Quæstio est de purificatione : et patet in littera. Joan. III, 25 : *Facta est quæstio ex discipulis Joannis cum Judæis de purificatione.* Ac si dicant : Tu non purificas, neque sanas peccatores, quos concupiscentiæ carnis studere doces, ad Philip. III, 19 : *Quorum Deus venter est : et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt :* inducunt autem Joannem (quem Christus laudavit, Matth. XI, 11 : *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista*) et Pharisæos (qui in lege erant probatissimi) ut sic ex lege et ex Joannis fama ostenderent esse malum modum præsentiæ quem exhibuit.

« Et ait illis Jesus : Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est jejunare ? » 19

Repressio (alias, reprehensio) est murmuris : *Numquid possunt,* etc. Inducit hic tres similitudines, ex quibus ostendit veram medicinam esse in cordis interiori devotione, eo quod tria sunt in pœnitentia : conjunctio scilicet reconciliati cum Deo, et hæc habet gaudium : novitas conversationis, et hæc habet justitiæ decorem : et spiritus fervor, qui signatur per vinum.

In primo dicit quatuor : primo enim proponit in humanis acceptam similitudinem : secundo, accipit ex similitudine concessam veritatem : tertio, prædicit causæ positæ sublationem : et quarto inducit ex hoc jejunii Deo accepti dispositionem.

Dicit igitur :

« Numquid possunt, »

Ex congruitate lætitiæ, quam exigit festum, « *filii nuptiarum,* » hoc est, ad nuptias pertinentes, « *quamdiu cum illis est sponsus,* » ut sponsus : et in sponsi lætitia, et habitu. « *Jejunare.* » Jejunare autem est aliqua lugubria exercere : nuptiæ autem sunt conjunctio Dei cum homine, et cum fideli anima in corde. Joan. II, 1 : *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ :* filii autem nuptiarum sunt in gaudio illo nati. Joan. I, 12 : *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus :* sponsus autem Christus, Dominus in carne patiens (alias, adveniens). Psal. XVIII, 6 : *Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.* Cantic. III, 11 : *Videte regem Salomonem in diademate quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus :* et est hic ar-

[1] Ad Roman IV, 2.

gumentum, quod cum magna est solemnitas, non est jejunandum.

20 « Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare.

Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt in illis diebus. »

Hic accipit ex similitudine proposita veritatem ab omnibus concessam : et littera patet.

Intelligitur enim de potentia congruitatis quod dicit : « *Non possunt jejunare.* » Plus enim proficit sponsi præsentia ad curam morbi, quam omnis afflictio corporalis exercitii. I ad Timoth. IV, 8 : *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est : pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ.*

« Venient autem dies, etc. »

Tertium est, in quo prædicit causæ lætitiæ ablationem. Isti dies fuerunt dies passionis, cum ablatus est a vita : et dies ascensionis, cum ablata est corporalis præsentia : et de his dicitur, Joan. XVI, 20 : *Mundus gaudebit : vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.*

« Et tunc jejunabunt in illis diebus. »

Determinatio est boni jejunii quod est Ecclesiæ : et est tertium, ab inductis duobus superius. Et hoc est jejunium de quo, Matth. VI, 17 : *Cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava :* ut unctio spiritus sit in mente per devotionem, et ablutio faciei per pœnitentiam, et satisfactionem. Daniel. X, 2 et 3 : *Trium hebdomadarum diebus panem desiderabilem non comedi.*

« Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri : alioquin aufert supplementum novum a veteri, et major scissura fit. 21

« *Nemo assumentum,* » quod dicitur ab assuendo : et est secunda similitudo. Et dicit duo : similitudinem, et similitudinis rationem. Intendit autem quod in prima hominis conversione, adhuc remanent dispositiones veteris consuetudinis, sicut assumpta quædam vetera : et nisi illæ paulatim educantur, fortis et nova virtutis conversatio, non potest conjungi cum illis : et ideo dicit Apostolus, ad Coloss. III, 9 : *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis,* etc. Et non dicit quod novus assuendus sit veteri. Jerem. IV, 3 : *Nolite serere super spinas.*

« Alioquin. »

Ratio est similitudinis : quoniam novum ad se trahendo, pejus lacerat vetus quam primo fuerat : quia tales tristitia victi revertuntur : unde qui tales injungunt pœnitentias, non sunt medici, sed crudeles animarum interfectores : similes stultis, qui potionem ita fortem dant infirmo, quod cum morbo occidunt animam. Matth. XXIII, 4 : *Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum : digito autem suo nolunt ea movere.*

« Et nemo mittit vinum novum in utres veteres : alioquin dirumpet vinum utres, et vinum effundetur, et utres petribunt : sed vinum novum in utres novos mitti debet. » 22

Tertia est similitudo. Et dicit tria : similitudinem, et rationem, et veram et ordinatam præsentiam : vinum autem novum hic dicitur *mustum.* Job, XXXII, 19 : *En venter meus quasi mustum absque*

spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit: et hoc est verum de impetu spiritus in fervore caritatis qui in neophytis est temperandus. I Petr. IV, 12: *Nolite peregrinari in fervore qui ad tentationem vobis fit.*

« Alioquin, etc. »

Ratio est similitudinis inductæ : quia inspirando calorem, frangit vinum utrem debilem : sic novitius fervor rumpit vim naturæ nisi restringatur. III Esdræ, III, 24 : *O viri, num præcellit vinum* : et dicitur ibi quod fecit hominem per talenta loqui.

« Sed vinum novum. »

Tangit veram formam bonæ vitæ : quod vinum novum spiritus fervoris novi, mittitur in vas novitate spiritus confortatum. Hoc enim est vinum *quod lætificat Deum et homines* [1]. Cui lagunicula novi cordis præparatur à spiritu qui sedet in throno, et dicit : *Ecce nova facio omnia* [2].

23 « Et factum est iterum cum Dominus sabbatis ambularet per sata, et discipuli ejus cœperunt progredi et vellere spicas.

24 Pharisæi autem dicebant ei : Ecce, quid faciunt sabbatis quod non licet? »

In ista quarta historia, ostendit verum animæ medicinæ modum non esse in lege. Et tanguntur hic tria : primum est solutio legis in opere discipulorum, quoad unum quod præcipuum esse reputabatur legis mandatum : secundum est orta ex hac solutione disputatio : tertium autem est justitiæ quæ per fidem est supra legem ostensio.

Dicit igitur primo duo : tempus, et factum.

De tempore dicit :

« Et factum est iterum cum Dominus sabbatis ambularet per sata. »

De hoc tamen non est quæstio : quia iter sabbati quolibet in sabbato poterat ambulare (alias, ambulari) sicut dicitur, Luc. XXIV, 1.

Factum autem subjungit :

« Et discipuli ejus cœperunt progredi et vellere spicas. »

Idem autem continetur, Luc. VI, 1, et Matth. XII, 1. Hic autem dicitur quod « *vellebant* : » et hoc est quod radicitus extraxerunt. Alii autem dicunt quod fricabant, quia ad litteram tales primitiæ primo velluntur, et postea fricantur. Aliquando autem velluntur nisi testæ : in calidis enim terris cito apparent quædam præcoqua : nec fuit istud factum ex paupertate, cum multi ministraverint Domino de facultatibus suis, sed potius, sicut innuitur in sequenti capitulo, et sicut dicit Chrysostomus, « tanta fuit « turbarumfrequentia, quod tempus com- « edendi liberum non habebant : » et hoc innuitur, quia prægrediebantur ut Domino viam facerent propter (alias, per) turbas : sicut etiam Joannes viam fecerat ad corda. Luc. I, 76 : *Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.*

« Pharisæi autem dicebant ei : Ecce, quid faciunt sabbatis quod non licet? »

Orta est ex facto quæstio : et quia evidens est, dicunt : « *Ecce, qui faciunt* : » et reprehensionem addunt : « *Quod non licet* facere *sabbatis* : » de quo dictum est : *Omne opus non facietis in eo* [3]. Isa. LVIII, 13 : *Si averteris a sabbato pedem*

[1] Judicum, IX, 13.
[2] Apocal. XXI, 5.
[3] Exod. XX, 10; Levit. XXIII, 2.

tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo : et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum.

25 « Et ait illis : Numquam legistis quid fecerit David quando necessitatem habuit, et esuriit ipse, et qui cum eo erant :

26 Quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, et panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare nisi sacerdotibus, et dedit eis qui cum eo erant?

27 Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter sabbatum.

28 Itaque dominus est Filius hominis etiam sabbati. »

Hic tribus rationibus ostenditur justitia Christi esse supra legem, a causa videlicet, et ratione ordinis, et auctoritate novi legislatoris. A causa enim ostendit legem quandoque esse solubilem. A ratione ordinis vero, dicit legem homine esse inferiorem. Ab auctoritate legislatoris ostendit legem esse solutam.

In ratione autem quam sumit a causa, duo inducit : cæcitatis reprehensionem, et solubilitatis legis ostensionem.

Dicit igitur :

« Numquam legistis, etc. »

Ad intellectum. Quasi dicat : Non studiose legistis : quia sicut dicitur, II ad Corinth. III, 15 : *Cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.*

« *Quid fecerit David* [1], » qui propheta fuit et rex : habens auctoritatem et inspirationem. I Reg. XXII, 14 : *Quis in omnibus servis tuis, sicut David fidelis inventus est.* I Reg. XVI, 12, et Act. XIII, 22 : *Inveni virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas* : et ideo factum ejus non est calumniandum.

« Quando necessitatem habuit. »

Quæ est causa solubilitatis legis. « *Et esuriit ipse.* » Et ne dicatur quod ipse hoc potuit facere solus, et inspiratus fuit, subjungit : « *Et qui cum eo erant,* » qui non erant prophetæ : et ideo etiam sacerdos ibidem non quæsivit de dignitate David, sed de idoneitate puerorum, dicens : *Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus* [2], manducent. Quasi dicat : Mirum est quod hoc non ad intellectum legistis : et inducit scripturam historiæ ubi hoc legitur dicens :

« Quomodo introivit in domum Dei, »

Hoc est, in atrium interius ubi erant excubiæ sacerdotum ministrantium in tabernaculo : « *sub Abiathar principe sacerdotum.* » Alii Evangelistæ dicunt, *sub Abimelech :* ad quod dicit Chrysostomus, quod binomius fuit iste. Hieronymus autem dicit quod pater fuit Abimelech quem interfecit Saul : filius autem Abiathar, qui tunc in facto præsens fuit cum patre, et nominatior fuit quam pater in agendis : et exsulavit cum David expulso : et ideo meruit hic nominari, quia postea regnante David, ministravit : et ideo nomen ejus inducitur celebre, quod sciatur quod ille nil fieri permisisset illicitum.

Et inducit factum, dicens :

« Et panes propositionis manducavit. »

De quibus, Exod. XXV, 30. Et intelligitur hoc factum fuisse in die sabbati, quia die sabbati auferebantur propositi, et alii ponebantur. « *Quos,* » secundum

[1] Cf. I Reg. XXI, 3 et seq.

[2] Ibidem, XXI, 4.

legem, « *non licebat edere nisi sacerdotibus* » majoribus et Levitis.

Et ne putetur solus hoc fecisse, subjungit.

« Et dedit eis, etc. »

Prius expositum est. Innuit autem rationem talem : Si propter necessitatem lex solvitur, constat legem esse solubilem : et sic male reprehenditis. I Machab. II, 41, Fecit edictum Mathathias ut pugnarent in die sabbati.

« Et dicebat eis, etc. »

Secunda ratio est : quia ex quo sabbatum « *propter hominem factum est,* » et non e converso : ergo homo melior est sabbato : et sic conferens homini, præcipue in anima, propter sabbatum non est dimittendum. Et simile quid est de loco sancto, II Machab. v, 19 et 20 : *Non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit. Ideoque et ipse locus particeps factus est populi malorum, postea autem fiet socius bonorum.*

« Itaque dominus est, etc. »

Tertia ratio est. Et est sensus : Ex quo propter hominem factum est sabbatum, et homo melior est sabbato, tunc multo magis melior est homo Deus caput hominis sabbato : et sic est Dominus sabbati. Ad Galat. III, 19 : *Lex propter transgressiones posita est :... ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Ad Galat. IV, 25 : *Jam non sumus sub pædagogo,* hoc est, sub lege.

Sic igitur ostensum est quoniam justitia non est ex lege, sed per Christum, qui est Dominus legis. Et hoc est quod intendit.

CAPUT III.

Postquam manum aridam curaverat, Pharisæorum cedens machinationi secedit, turbis undique ad ipsum confluentibus, quarum infirmos curat : duodecim a se electos (qui hic recensentur) mittit ad prædicandum, data ipsis potestate super infirmitates ac dæmonia : Scribas blasphemantes ipsum in Beelzebub ejicere dæmonia convincit falsitatis, dicens blasphemiam in Spiritum sanctum irremissibilem, et quæ sint mater et fratres ejus.

1. Et introivit iterum in synagogam, et erat ibi homo habens manum aridam [1].
2. Et observabant eum si sabbatis curaret, ut accusarent illum.
3. Et ait homini habenti manum aridam : Surge in medium.
4. Et dicit eis : Licet sabbatis bene facere, an male? animam salvam facere, an perdere? At illi tacebant.
5. Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini : Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est manus illi.

[1] Matth. XII, 9 : Luc. VI, 6.

6. Exeuntes autem Pharisæi [1], statim cum Herodianis consilium faciebant adversus eum, quomodo eum perderent.
7. Jesus autem cum discipulis suis secessit ad mare, et multa turba a Galilæa et Judæa secuta est eum,
8. Et ab Jerosolymis, et ab Idumæa, et trans Jordanem : et qui circa Tyrum et Sidonem, multitudo magna audientes quæ faciebat, venerunt ad eum.
9. Et dixit discipulis suis ut navicula sibi deserviret propter turbam, ne comprimerent eum.
10. Multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent, quotquot habebant plagas.
11. Et spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei, et clamabant, dicentes :
12. Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum.
13. Et ascendens in montem [2], vocavit ad se quos voluit ipse, et venerunt ad eum.
14. Et fecit ut essent duodecim cum illo, et ut mitteret eos prædicare.
15. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, et ejiciendi dæmonia.
16. Et imposuit Simoni nomen Petrus :
17. Et Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem Jacobi, et imposuit eis nomina Boanerges, quod est, Filii tonitrui :
18. Et Andream, et Philippum, et Bartholomæum, et Matthæum, et Thomam, et Jacobum Alphæi, et Thaddæum, et Simonem Cananæum,
19. Et Judam Iscariotem, qui et tradidit illum.
20. Et veniunt ad domum, et convenit iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare.
21. Et cum audissent sui, exierunt tenere eum : dicebant enim : Quoniam in furorem versus est.
22. Et Scribæ qui ab Jerosolymis descenderant, dicebant : Quoniam Beelzebub habet [3], et quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia.
23. Et convocatis eis, in parabolis dicebat illis : Quomodo potest Satanas Satanam ejicere ?
24. Et si regnum in se dividatur, non potest regnum illud stare.
25. Et si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare.
26. Et si Satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est, et non poterit stare, sed finem habet.
27. Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget, et tunc domum ejus diripiet.
28. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata [4], et blasphemiæ quibus blasphemaverint :
29. Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.
30. Quoniam dicebant : Spiritum immundum habet.
31. Et veniunt mater ejus et fratres [5] : et foris stantes, miserunt ad eum vocantes eum.
32. Et sedebat circa eum turba, et

[1] Matth. XII, 14.
[2] Matth. X, 1 ; Luc. VI, 13.
[3] Matth. IX, 34.
[4] Matth. XII, 31 ; Luc. XII, 10 ; I Joan, V, 16.
[5] Matth. XII, 46 ; Luc. VIII, 19.

dicunt ei : Ecce mater tua et fratres tui foris quærunt te.
33. Et respondens eis, ait : Quæ est mater mea et fratres mei ?
34. Et circumspiciens eos qui in circuitu ejus sedebant, ait : Ecce mater mea et fratres mei.
35. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et soror mea, et mater est.

IN CAPUT III MARCI

ENARRATIO.

« Et introivit **iterum** in Synagogam : et erat ibi homo **habens** manum aridam.

Et observabant eum si sabbatis curaret, ut accusarent illum. »

Hic incipit agere de cura difficultatis bene operandi. Et tangit duo. Primo enim, ostendit hujus gratiæ in se esse potestatem : secundo autem, facit hujus gratiæ in alios propagationem, ubi elegit ministros.

Adhuc prima habet duas historias : in quarum prima, hanc gratiam in se ostendit esse expresse in figura unius : in secunda autem ostendit hoc generaliter in multis.

In prima dicuntur tria : scilicet, præsentia miseri : ostensio, per novam gratiam quæ supra legem est, beneficii : tertio, exhibitio ejusdem.

Dicit igitur :

1 « Et introivit iterum in Synagogam, etc. »

Ut in loco solemni doceret. Est autem hæc historia, Matth. XII, 9 et seq., et Luc. VI, 6 et seq.

« *Et erat ibi*, etc. » Ecce præsentia miseri. Dicit autem Hieronymus de isto, quod in Evangelio Nazaræorum legitur, quod iste fuerat cæmentarius furiosus : et querulas voces prius emisit ad Dominum, ut curaret eum, ne ignominiose cogeretur mendicare, sicut notavimus super Matthæum [1] : et ex istis vocibus Pharisæi non movebantur ad misericordiam, nam erant excæcati per invidiam. Significat autem genus humanum, cujus potentia operandi **aruerat**, eo quod extenderat ipsam ad **vetitum : sicut**, III Reg. XIII, 4, Manus Jeroboam **aruit, quam** contra virum Dei percutiendum **extendit.** Est etiam manus avaritiæ quam ad accipiendum extendit, contracta ad dandum. Eccli. IV, **36** : *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta.*

« Et observabant eum, etc. » 2

In pietate, non moti pietate in pauperem : jam obliti quod probaverat se esse super sabbatum, et sabbatum propter hominem esse factum.

Vide dicta in capitulo præcedenti.

« Et ait homini habenti manum aridam : Surge in medium. 3

Et dicit eis : Licet sabbatis bene facere, an male ? animam salvam facere, an perdere ? At illi tacebant. » 4

Beneficium hic exponit : et ostendit esse concedendum in sabbato. Tangit

[1] Cf. Enarrationem in Matthæum XII, 9. Tomo XX hujusce editionis.

autem tria, scilicet ostensionem miseriæ : veritatis judicium ex ratione : et non valentibus respondere, et cum invidia perdurantibus, Christi super cæcitatem cordis eorum compassionem. Et hæc facile est subdividere.

Dicit igitur :

« Surge, »

Ad cœlestia te extendens ut dignus sis salute.

« *In medium,* » ut omnium in te provoces compassionis affectum, ut pro te intercedant.

Et de illis quærit judicii veritatis rationem.

« Licet sabbatis bene facere? »

Beneficium enim non est servile, sed libertatis opus. Ad Hebr. XIII, 16: *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci*

« An male? »

Cum malum sit privatio, non bene facere cum possit, et opportunum sit, est malefacere. Proverb. III, 27 : *Noli prohibere benefacere eum qui potest : si vales, et ipse benefac.* Et est quæstio generalis.

Et subjungit specialem :

« Animam salvam facere? »

Proverb. XXIV, 11 : *Erue eos qui ducuntur ad mortem : et qui trahuntur ad interitum liberare non cesses.*

« *An perdere?* » Hoc ipso enim perdunt cum non juvant cum possint. Ezechiel. III, 18 et 20 : *Sanguinem ejus de manu tua requiram :* eo quod non salvavit cum potuit.

« At illi tacebant. »

I. Reg. II, 9 : *Impii in tenebris conticescent.*

« Et circumspieiens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini : Extende manum tuam. Extendit, et restituta est manus illi. » 5

Tangit compassionem cæcitatis. Et tangit tres affectus Dei : scilicet, providentiam per circumspectionem : iram, per zelum : et propassionem contristantium. Hæc enim secundum humanum affectum omnia in se habuit.

« Super cæcitate cordis eorum. »

Isa. XLII, 19 : *Quis cæcus, nisi servus Domini?* Isa. VI, 10 : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude.*

« Dicit homini, »

Impendendo beneficium. Et tanguntur tria : impensum beneficium, et livoris accensio in beneficium, et ejusdem cauta declinatio : ne per (alias, propter) beneficium pateretur maleficium.

Dicit igitur :

« Extende manum tuam. »

Ut sicut extensa aruit per inobedientiam, ita extensa per obedientiam restituatur. Proverb. XXXI, 20 : *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.* Et attende quod istum curat verbo, leprosum autem tetigit : quia *nullam occasionem vult dare adversario maledicti gratia*[1]. Quia non erat prohibitum quando in sabbato verba dicerentur. Psal. CXLVIII, 5 : *Ipse dixit et facta sunt.*

[1] I ad Timoth. v, 14.

« Et extendit, »

Laxatis nervis induratis et contractis. « *Et restituta est manus illi.* » Matth. XI, 5 : *Claudi ambulant, leprosi mundantur.*

6 « Exeuntes autem Pharisæi statim cum Herodianis consilium faciebant adversus eum, quomodo eum perderent. »

Ecce livor in Pharisæis excitatus ex incontradicibili miraculo. Et ideo Pharisæi hypocritæ conciliant sibi milites Herodis : eo quod Herodes Joannem persecutus fuit, et Joannes Christo testimonium perhibuit, ut ex illo odio etiam Herodiani Christum persequerentur. Consiliatur ergo hypocrisis apertæ violentiæ : et hoc est quod dicit historia.

Ex modo autem loquendi tanguntur quinque : a vero videlicet lumine recessus, cum dicit :

« Exeuntes. »

Joan. XIII, 30 : *Exivit continuo. Erat autem nox.*

Secundo, notatur impetus præceps in malum, cum dicit : « *Statim* : » non enim differebant usque ad animi mitigationem.

Tertio, notatur quod conciliabant sibi malos, cum dicit : « *Cum Herodianis.* » Psal. XLIX. 18 : *Si videbas furem, currebas cum eo : et cum adulteris portionem tuam ponebas.*

Quarto, notatur malignitatis studium, cum dicit : « *Consilium faciebant.* » Isa. VIII, 10 : *Inite consilium, et dissipabitur : loquimini verbum, et non fiet.*

Quinto, notatur nocumentum, cum dicit : « *Adversus eum,* » scilicet Dominum Jesum. Glossa : Magna insania ! qui salute indigent, de nece Salvatoris consiliantur. Matth. XXVI, 4 : *Consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, et occiderent.*

« Jesus autem cum discipulis suis 7
secessit ad mare. »

Hic ponitur qualiter Dominus subduxit se malis, ne haberent materiam malignandi. Et dicuntur duo : scilicet, quo abiit, et quo fructu.

Primum notat, cum dicit :

« Jesus autem cum discipulis suis, »

Sicut pastor cum grege. Joan. X, 4 : *Cum proprias oves emiserit, ante eas vadit : et oves illum sequuntur.*

« Secessit. »

Subduxit autem se Dominus quatuor de causis. Primo, ut scilicet discipulos se subducere doceret. Matth. X, 23 : *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Secundo, ut tempus passionis nondum impletum esse ostenderet. Joan. II, 4 : *Nondum venit hora mea.* Et, ibidem, VII, 6 : *Tempus meum nondum advenit.* Tertio, ut non ibi, sed in Jerusalem futuram suam passionem declararet. Luc. XIII, 33 : *Non capit prophetam perire extra Jerusalem.* Quarto, quia adhuc sacramenta prædicationis completa non fuerunt. Luc. XIII, 32 : *Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor.* Ezechiel. IV, 5 : *Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi* : hodie ergo et cras, hoc est, hoc anno et futuro, et tertio anno patiar.

Perrexit autem

« Ad mare. »

Quia hoc congruit inquietis, quos ut in ipso requiem invenirent, vocavit. Isa. LVII, 20 : *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* In Christo au-

tem est quies. Matth. XI, 29 : *Invenietis requiem animabus vestris.*

8 « Et multa turba a Galilæa et Judæa secuta est eum,

Et ab Jerosolymis, et ab Idumæa, et trans Jordanem : et qui circa Tyrum et Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum. »

Ecce fructus. Et tanguntur duo : primo enim, septem gentes sequentes : secundo autem, causa sequendi, ibi, « *Audientes quæ faciebat,* » sicut et regina Saba a finibus terræ venit audire sapientiam Salomonis [1].

Et littera est plana.

9 « Et dixit discipulis suis ut navicula sibi deserviret propter turbam, ne comprimerent eum.

10 Multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent. »

Hic tangitur propagatio sanitatis in multitudine : et demonstratur virtus redemptoris esse sufficiens ad omnes. Dicuntur autem tria : primo enim, petit usum naviculæ, ut ex illa ad littus loquens doceret : secundo, subjungit ostensionem virtutis, tam super spiritum quam super corpus : et hoc est quod dixit :

« Ut navicula sibi deserviret. »

Et in hoc veram ostendit humilitatem. Matthæi autem, VIII, 26, ubi mare calcavit, ostendit deitatis potestatem.

Et subjungit causam : « *Propter turbam, ne comprimerent eum.* Luc. VIII, 45 : *Turbæ te comprimunt.*

Et causæ compressionis iterum subdit causam :

« Multos enim sanabat. »

Indigentes enim salute irruerunt in Salvatorem : non sicut Pharisæi qui salute indigentes, Salvatorem quærebant interficere.

« Quotquot habebant plagas. 11

Et spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei : et clamabant dicentes :

Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum. » 12

Tangitur virtutis propagatio. Et tanguntur quatuor : scilicet, generalitas infirmorum, fides, cultus, et confessio. Et post hæc quatuor, ponitur doctrina humilitatis ex parte Domini.

Et hoc est :

« Quotquot enim habebant plagas, »

In corpore nocumenta. Isa. I, 6 : *Vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.*

« Et spiritus immundi. »

Matth. XII, 28 : *In spiritu Dei ejicio dæmones.*

« *Cum illum videbant,* » visu fidei. Numer. XXI, 8 : *Qui percussus adspexerit eum, vivet.* Luc. X, 23 : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis.* Non enim intelligitur de visu corporis simpliciter, sed de visu deitatis in carne Salvatoris. Joan. XII, 45 : *Qui videt me, videt eum qui misit me.*

[1] Cf. III Reg. X, 1 et seq.

« Procidebant ei. »

Ecce cultus qui Deo debetur. Exod. IV, 31 : *Audierunt quod visitasset Dominus filios Israel, et quod respexisset afflictionem illorum : et proni adoraverunt.*

« Et clamabant dicentes : Tu es Filius Dei. »

Ecce confessio invita per dæmones, et voluntaria per homines. Et notatur quod dæmones profecerunt experientia signorum : quem enim supra primo dixerunt Sanctum Dei, modo Filium Dei confitentur. Sed adhuc non perfecte noverunt : opinando enim dicunt, quod dicunt. Ad Philip. II, 11 : *Omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.*

« Et vehementer, etc. »

Doctrina est humilitatis. Causa enim comminationis est, quia dæmon non prædicat verum, nisi ut intermisceat falsum : et hoc non vult Dominus. Sed cum verum falso miscetur, totum efficitur falsum : quia in falsa significatione verum inducitur : sicut nullus ita leprosus est, quin in aliqua parte sanus videatur : et tamen totus leprosus judicatur, eo quod totum nutrimentum est corruptum.

13 « Et ascendens in montem, vocavit ad se quos voluit ipse, et venerunt ad eum. »

Hæc historia tangitur, Luc. VI, 13 et seq. : et, Matth. X, 1 et seq. Inducitur autem hic ut ostendatur potestas curationum spiritualium a capite descendere n membra, quæ sunt ministri : et ideo duo hic inducuntur. In primo enim, ostenditur potestatis propagatio : et secundo probatur quod est divina, tam in capite quam in membris. Et ideo infra [1] dicit : *Filii vestri in quo ejiciunt* : ut ostendat etiam Apostolos in digito Dei dæmonia ejicere.

In prima autem harum partium tangit duo : modum videlicet vocationis, et nomina vocatorum.

Modus autem vocationis exprimitur in tribus : in vocatione, et vocatorum obedientia, et vocatorum numero et officio. Hæc enim ad unum referuntur, quia numerus est propter officia.

Vocationis modus est in quatuor : est enim ad alta, et liber, et imitativus, et Deo acceptus.

Primum notatur, cum dicit :

« Et ascendens in montem »

Eminentis sanctitatis. Isa. XL, 9 : *Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion.*

Secundum notatur, cum dicit : « *Vocavit,* » libere, non pretio, non prece, nec violentia coactus, non sanguine inductus. Ad Hebr. V, 4 : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.*

Tertium notatur, cum dicit : « *Ad se.* » Joan. XVII, 24 : *Ut ubi sum ego, et illi sint mecum.* I ad Corinth. XI, 1 : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.*

Quartum notatur, cum dicit : « *Quos voluit ipse* : » in quibus videlicet fuit suum beneplacitum. Psal. CXLVI, 11 : *Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus.* Ad Roman. XII, 2 : *Probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.*

« Et venerunt ad eum. »

Obedientia est, quia, cum vocamur ad magna, licet inviti, tamen obedire tenemur : unde cum excusaret se Jeremias, dicens : *A a a, Domine Deus, ecce nescio*

[1] Luc. XI, 19 ; Matth. XII, 27.

loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dominus ad me : Noli dicere : Puer sum : quoniam ad omnia quæ mittam te ibis : et universa quæcumque mandavero tibi loqueris : et obedivit [1]. Et simile fecit Moyses [2], et Isaias [3].

14 « Et fecit ut essent duodecim cum illo, et ut mitteret eos prædicare.

15 Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, et ejiciendi dæmonia. »

Tangit officia : primo, secundum universalem numerum : secundo, secundum officii actum : tertio, secundum officiatorum potestatem.

Dicit ergo : « *Et fecit,* » statuendo, « *ut essent duodecim* : » quia patres Veteris Testamenti fuerunt duodecim : et boves sub mari æneo (quod Ecclesiam significat) duodecim [4] : et stellæ in corona sponsæ in cœlo duodecim [5] : et sedes judicantium duodecim [6] : et judicandorum numerus duodecim [7] : et portæ civitatis duodecim [8].

« Et ut mitteret eos prædicare. »

Ad Roman. x, 15 : *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur ?* Prædicare autem, est officium prælati : docere vero, est magistri. Et prædicatio est eorum quæ sunt supra intellectum humanum, sicut superius est notatum : est autem hoc officium non exercendum per alium. Actuum, vi, 2 : *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis.* II ad Timoth. iv, 1 et 2 : *Testificor coram Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius et regnum ejus, prædica verbum.*

« Et dedit illis potestatem. »

Ecce ministrorum potestatem ostendit a se in eos proffuere : et est super corpus, et super animam : et ideo dicit : « *Curandi infirmitates,* » præcipue illas quæ sunt ex incendio fomitis, et ex inobedientia carnis ad spiritum. Marc. xvi, 18 : *Super ægros manus imponent, et bene habebunt.*

« *Et ejiciendi dæmonia,* » a potestate quam habent super animam. Marc. xvi, 17 : *In nomine meo dæmonia ejicient.* Isa. xi, 9 : *Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo : quia repleta est terra scientia Domini.*

« Et imposuit Simoni nomen Petrus : 16

Et Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem Jacobi, et imposuit eis nomina Boanerges, quod est, Filii tonitrui. » 17

« *Et imposuit Simoni nomen Petrus,* » quia agnitionem illam habuit super quam fundatur Ecclesia. Matth. xvi, 17 : *Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.*

Et tangit hic nomina vocatorum, secundum suas vocationes eis congruentia. Nomina autem sunt duodecim : « quorum « primi tres, ut dicit Glossa Hieronymi, « propter sublime meritum ipsorum in « monte, quo audiverunt tonitruum Pa« tris de nube, unum nomen in commu« ni accipiunt, præter specialia nomina « quæ ante acceperunt. » Et primus quidem, non tam in Apostolum quam in vicarium Christi, et verticem Apostolorum : et hoc sua ostendit nominatio. Quia cum primo Simon, postea Petrus est vocatus : Simon *obediens*, vel *depo-*

[1] Jerem. i, 6 et 7.
[2] Exod. iii, 13.
[3] Isa. vi, 8.
[4] Cf. III Reg. vii, 44.
[5] Apocal. xii, 1.
[6] Matth. xix, 28.
[7] Apocal. vii, 4 et seq.
[8] Ezechiel. xlviii, 31 ; et Apocal. xxi, 12.

nens tristitiam interpretatur. per obedientiam mandatorum ad apicem venit Apostolicæ dignitatis. Exod. XXIV, 7 : *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, et erimus obedientes.* Ad Hebr. XII, 9 : *Obtemperabimus Patri spirituum, et vivemus.* Hic tristitiam sæculi quæ mortem operatur deponit, ut in lætitia cordis et devotione se totum referat ad Deum, dicens cum David, Psal. XXXVI, 4 : *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.* Item, Psal. LXXVI, 4 : *Memor fui Dei, et delectatus sum*, hoc est, per lætitiam interiorem, quæ est gaudium in Spiritu sancto : et per obedientiam mandatorum exteriorum (alias, exteriorem) : et hoc designat nomen Petrus. Unde, Beda : « Sicut a Christo lux mundi vocantur « Apostoli, sic a Christo petra, Simon « vocatus est Petrus. » Item, Beda : « Idem est Græce vel Latine *Petrus* « quod Syriace *Cephas* : et hoc est idem « quod rupes, vel caput. » Rupes quidem, propter fundamentum confessionis veritatis, Matth. XVI, 18 : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Caput autem, propter verticem Apostolicæ dignitatis : quia vicarius est Christi in terris. Unde, in Canticis, V, 2, dicit Ecclesia : *Caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.* Ros enim gratiæ Christi in hoc caput in plenitudine potestatis descendit : et guttæ lucentes, in nocte ignorantiæ hujus mundi in sacra doctrina distillant a cincinnis, hoc est, a Doctoribus et Prælatis, qui dependent ab hoc capite.

Duos autem suorum secretorum testes vocat et adjungit huic capiti, scilicet,

« Jacobum Zebedæi, »

Hoc est, Jacobum, filium Zebedæi, « *et Joannem fratrem* » ejusdem « *Jacobi*, » qui cum Petro ad omnia secreta deitatis Domini præ aliis, quasi testes idonei adhibebantur. Interpretatur autem Jacob *luctator*, quia semper fuit in lucta virtutis, et sapientiæ. Eccli. LI, 25 : *Colluctata est anima mea cum sapientia.* In Glossa dicit Hieronymus : « supplantata habet « desideria carnis. Esau sanguineus dicit « de ipso, Genes. XXVII, 36 : *Juste vocatum est nomen ejus Jacob : supplantavit enim me [en altera vice* : quia in lucta virtutis, supplantavit in passionibus : in lucta autem veritatis, supplantavit in erroribus quos conculcavit.

Joannes autem, *in quo est gratia*, interpretatur : quia dicit Hieronymus : « Hoc habuit per gratiam, quod alii per laborem. » Duo autem habuit per gratiam : scilicet, Christi dilectionem, et altissimæ veritatis agnitionem. Signum primi, quod sibi Christus præ aliis matrem commendavit : et *dilectus* discipulus specialiter est appellatus. Signum autem secundi, quod in pectore Domini recubuit [1]. Hi duo, *filii dicuntur Zebedæi*, hoc est, *donati* vel *dotati* : quia secundum spiritum sunt filii Christi speciales, cui omnia donata sunt, et qui præ omnibus est dotatus. Gnenes. XXIV, 36 : *Dedit filio suo omnia quæ habuerat.* Hi duo adjuncti sunt Petro, in quo est plenitudo potestatis : quia perfectio virtutis in opere, et perfectio veritatis in contemplatione, comitari debent plenitudinem potestatis. Hoc significatum est, Exod. XVII, 12 : *Aaron et Hur sustentabant manus ejus*, scilicet Moysis, *ex utraque parte.* Aaron enim *montanus* significabat perfectionem virtutis, Hur autem, *ignis*, significat perfectionem ignitæ veritatis.

« Et imposuit eis, »

Duobus illis fratribus, Jacobo et Joanni, « *nomina* » officiis eorum congruentia, « *Boanerges.* »

[1] Joan. XXI, 2.

Et hoc exponit Evangelista, dicens :

« Quod est, Filii tonitrui. »

Quia adjuncti sunt summæ potestati, ut fulgurent signis et exemplis in virtute, et prædicatione tonent doctrinam in veritate. Psal. LXXVI, 19 : *Vox tonitrui tui in rota,* hoc est, in Scriptura. Job, XXXVIII, 35 : *Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus ?* Isti ergo duo tamquam in arce, et primates vocati sunt ut assistant ei in quo est plenitudo potestatis : significati per duas columnas, quas Salomon posuit ante ostium templi [1] : quarum unam vocavit *firmitatem,* et alteram *fortitudinem.* Significantur etiam per duas tubas de quibus dicitur, Numer. x, 2 : *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem quando movenda sunt castra.*

18 « Et Andream, et Philippum, et Bartholomæum. »

Præinductis mutavit nomina tribus : Petro dans singulare, eo quod ipse singularis est dignitatis, ad quam vocatur : aliis autem duobus, communem dedit nominationem : significans quod dignitas eorum, quamvis sit major aliis, tamen est pluribus communicabilis.

Post hos autem notat eos qui ad inferiores gradus Archiepiscorum, et Episcoporum vocantur, in novem gradibus distribui : docens nos novem esse attendenda in electionibus talium Prælatorum. Quorum tres primi sumuntur secundum statum innocentiæ, in quibus peccati consideratur immunitas : qui sunt Andreas, Philippus, et Bartholomæus : hi enim tres vocantur ad Apostolatum secundum tria, quæ exiguntur ad officium prædicationis, sine omni impedimento contrariæ dispositionis. Sunt autem sex sic distributa, quod duo sunt in Andrea : duo, in Philippo : et duo, in Bartholomæo.

Duo in Andrea sunt secundum duas ejus interpretationes : interpretatur enim *virilis,* et *respondens pabulo.* Ex hoc enim quod *virilis* est, talis est quod audet resistere adversario. Ad Titum, I, 9 : *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* Ezechiel. XIII, 5, improperat quibusdam dicens : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis,* vos scilicet, *murum pro domo Israel.* In hoc autem quod *respondens pabulo* dicitur docemur quod non gratis debet comedere panem Ecclesiæ. II ad Thessal. III, 8 : *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo.* Psal. LXXX, 3 : *Sumite psalmum,* hoc est, spiritualia..., *et date tympanum,* hoc est, temporalia. I ad Corinth. IX, 14 : *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Et tales Andreas in Ecclesiis debemus eligere : qui et Ecclesiarum sint defensores, et de facultatibus Ecclesiæ non consumant, nisi ad necessitatem, ut Ecclesias in spiritualibus ædificent.

« Et Philippum, »

Qui *os lampadis* interpretatur. Per lampadem innuens ignitum lumen scientiæ divinæ, quod resplendet ab ipso : et per os, eloquentiam (alias, eloquentiæ) docens, qua (alias, qualiter) unicuique verbis congruentibus, et similitudinibus congruentibus, possit apto sermone respondere. De primo dicitur, Isa. LXII, 1 : *Propter Sion non tacebo, et propter Je-*

[1] III Reg. VII, 21 : *Et statuit,* scilicet Hiram jussu Salomonis, *duas columnas in porticu templi : cumque statuisset columnam dexteram, vocavit eam nomine Jachin : similiter erexit columnam secundum, et vocavit nomen ejus Booz.* De his nominibus Jachin et Booz vide commentatores, et præcipue *La Sainte Bible,* III Reg. pp. 223 et 224.

rusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, et salvator ejus ut lampas accendatur. Cantic. VIII, 6 : *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.* De secundo dicitur, in Psal. XLIV, 3 : *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Cantic. II, 14 : *Vox tua dulcis, et facies tua decora.* Hæc enim est vox dulcis, quæ de lampadibus omnem sordem vitiorum consumentibus, procedit. Aliter enim decepti, dicunt illud Genes. XXVII, 22 : *Vox quidem, vox Jacob est : sed manus, manus sunt Esau.*

« Et Bartholomæum, »

Qui *filius suspendentis aquas* interpretatur : et in hoc duo notantur. Aquæ enim suspensæ differunt ab aquis deorsum fluentibus in duobus : quorum unum est, quod sunt altæ : secundum autem, quod non sunt actu humidæ, sed perviæ, et luminosæ, cœli speciem præferentes. Aquæ autem sunt delectationes quæ in Prælato altæ esse debent, ut cœlestes et divinæ sint : et in nullo alio terrenò delectetur, dicens cum David, Psal. XXXVII, 10 : *Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus.* Et illud Psalmi LXXII, 25 : *Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram?* Et illud Psalmi XV, 10 : *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Hæ autem delectationes sunt puræ et luminosæ, nihil cum cæca concupiscentia commune habentes. Isa. LXVI, 11 : *Ut sugatis et repleamini ab ubere consolationis ejus, ut mulgeatis et delieiis affluatis ab omnimoda gloria ejus.*

Hæc igitur sunt consideranda in officio electi vel eligendi.

« Et Matthæum, et Thomam, et Jacobum Alphæi. »

Tangit hic tres alios : in quibus docemur ea quæ in eligendo aliquando sunt toleranda, dummodo de præterito sint purgata. Et ideo in quolibet illorum duo notantur : unum purgans, et alterum purgatum.

Duo enim notantur in Matthæo : quorum unum est purgans, quod donatus est per gratiam : alterum autem, quod illicitis lucris intendebat, et hoc est purgatum. Matth. IX, 9 : *Vidit Jesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine.* Hic enim ipso facto illicita relinquens, et gratiæ adhærens, dixit : *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam* [1]. Et ideo salva pace quorumdam, non est objiciendum electo, si aliquando illicita quæsivit, dummodo nunc gratiæ Dei se commiserit. Quamvis enim dicatur, Eccli. XXXI, 8 et 9 : *Beatus dives qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum ? fecit enim mirabilia in vita sua.* Et hic beatus est, qui quamvis aliquando maculam habuit, quando post aurum abiit, tamen ut sine macula esset, aurum reliquit : et unde abierat, ad gratiam redivit : et hic enim est laudandus, quia mirabilia fecit in vita sua, quam ille qui numquam abiit. Sic, Luc. XIX, 8, Zachæus princeps publicanorum et dives, redivit, et illicita non retinuit : sed reddidit, et reliqua, gratiæ Dei se totum committens, pauperibus erogavit. Hoc ergo est dissimulandum.

« Et Thomam, »

Qui ipso nomine duo importat : quia *geminus* sive *dubius* interpretatur, et *abyssus*. Et significat dubietas ignorantiam sive dubitationem in intellectu,

[1] Ad Philip III, 7 et 8.

circa veritatem credendorum, vel sciendorum, vel faciendorum, vel appetendorum. Abyssus autem, hujus ignorantiæ vel dubitationis causam : scilicet tenebras abyssi, quia videlicet non procedit dubitatio ex contemptu, vel ex affectu : sed ex eo solum quia non est illuminatus. Genes. I, 2 : *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Nec abyssus a se lumen habere poterit, nisi desuper sibi immittatur. Signum autem hujus abyssi est, quia oblatum lumen facile recipit, nec contra obnititur per dispositionem malam quæ in ipsa est. Sicut et Thomas, licet obscurus fuerit per dubitationem detentus aliquamdiu, tamen lumen facile recepit, et tunc in eadem solida confessione permansit. Hæretici autem lumini reluctantur : sicut dicitur, Job, XXIV, 13 : *Ipsi fuerunt rebelles lumini : nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus.* Et hoc fit per malam infidelitatis dispositionem, quæ est in ipsis. II ad Corinth. IV, 4 : *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi.* Sic autem Thomas non fuit abyssus, et dubius : sed potius ex solo illuminationis defectu, fuit dubius : et sine omni difficultate lumen paratus erat recipere. Taliter obscurus fuit Paulus qui, I ad Timoth. I, 13, dixit : *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Si quis igitur aliquando ex ignorantia hujusmodi dubitaverit, et tamen veritatem paratus recipere fuerit, non est excludendus a divina electione : sed est erudiendus, et eligendus, hoc non obstante quod aliquando dubitaverit : quia hoc ipsum magis eum cautum in aliis reddit. Sic, II ad Corinth. IV, 6, dicitur, quod *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu :* sicut dicitur, ad Ephes. V, 8 : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate.* Hac igitur dispensatione Dominus eligit Thomam.

« Et Jacobum Alphæi. »

Alphæus autem *doctus,* vel *fugitivus* interpretatur. Jacobus autem interpretatur *luctator* : et significat duo. Quorum primum est, doctum esse in lucta contra vitia : et hoc est, purgans. Secundum autem, fugitivum esse : quia peccatis perpetratis, aufugit per pœnitentiam : et hoc est, purgatum. Propter quod non est quod fecerit in præterito, dummodo nunc aufugerit. Ad Hebr. IV, 15 : *Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris : tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* I ad Corinth. VI, 9 et seq. : *Nolite errare : neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Et hæc quidam fuistis : sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.* Et ideo talia in eligendo, dummodo alias nunc bonus sit, sunt aliquando toleranda, et dissimulanda. Sic ergo per hos tres significatur quid in præteritis negotiis, ignorantiis, et peccatis aliquando sit dissimulandum in viris, qui alias utiles sunt ad regimen animarum.

Hic autem attendendum est (sicut dicit Hieronymus) de Matthæi Apostoli humilitate : quæ in duobus est. In uno quidem, quod cum Marcus hic, et Luc. VI, 15, in electione Apostolici gradus Matthæum Thomæ præponunt : ipse autem se Matthæus postponit eidem [1]. Eccli. III, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Secundum autem est, quod ipse se vocat *publicanum* a peccato quod in negotio habuit : alii

[1] Cf. Matth. X, 3.

autem simplicem ipsius exprimunt nominationem, quæ gratiam liberæ innuit electionis. Quia sicut dicitur, Proverb. XVIII, 17 : *Justus prior est accusator sui.*

Est etiam advertendum, quod Hieronymus dicit quod Jacobus *Alphæi*, qui et *frater Domini* dicitur propter similitudinem corporis et religionis, et vicinitatem sanguinis, quia consobrinus ejus fuit, quia Maria Alphæi soror matris Domini fuit, quam Joannes Mariam Cleophæ dicit [1] : fortasse quod idem Alphæus, et Cleophas binomius fuit : vel, quia defuncto Alphæo post natum Jacobum, Cleophæ nupsit : quia secundum legem, si frater sine hærede decessit, alius frater uxorem ejusdem ducere debuit, et suscitare semen defuncto fratri. Jacobus idem, post resurrectionem Domini, statim Jerosolymorum ordinatur Episcopus.

Tres igituristi in tertio ordine dictis de causis sunt vocati.

« Et Thaddæum, et Simonem Cananæum,

19 Et Judam Iscariotem, qui et tradidit illum. »

Tangit hic eos qui in quarto ordine sunt vocati : et in illis instruit quid in eligendis, secundum præsentem justitiam, sit considerandum. Significat autem sex : ita quod duo, in quolibet istorum.

Thaddæus enim *corculus*, hoc est, cordis custos interpretatur. Innuit autem quod in eligendo consideranda est bona conscientia. II ad Corinth. I, 12 : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Isa. XXXV, 2 : *Gloria Libani data est ei.* Libanus *canditatio* interpretatur : et gloria Libani est gloria candidatæ conscientiæ : et hæc provenit ex bona cordis custodia. Proverb. IV, 23 : *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.* Hic autem qui cognomine dicitur *corculus*, vero nomine Judas vocabatur : quod *confitens*, et *glorificans* interpretatur : et significat eligendum debere esse amicum veritatis, et divinæ laudis. Isa. LX, 21 : *Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.*

« Et Simonem Cananæum. »

Qui fuit natus a Cana civitate Galilææ. Interpretatur autem Simon, *ponens tristitiam :* eo quod in eligendo, secundum præsentem gratiam debet considerari, quod lingua sua placabili scire debeat deponere tristitiam a cordibus subjectorum. Isa. L, 4 : *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo.* Sic tristitiam deposuit Paulus, qui dixit, ad Philip. IV, 4 et 5 : *Gaudete in Domino semper : iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Cananæus autem *zelotes* interpretatur : quia in eligendo considerandum est, quod zelum legis habeat, et zelum animarum : ut dicat : *Zelus domus tuæ comedit me* [2]. I Machab. II, 54 : *Phinees pater noster zelando zelum Dei, accepit testamentum sacerdotii æterni.*

« Et Judam Iscariotem, qui et tradidit illum. »

In quo notantur duo : quorum unum fuit publicum, hoc est, *præsens justitia*, quæ in nomine Judæ importatur : et est id quod in eligendo est considerandum. Alterum autem est occultum, quod importatur per Scarioth, quod est vicus vnde ortus fuit Judas, et *memoria mortis* interpretatur. Et hoc in corde diu meditatus fuit, qualiter ad mortem Dominum traderet : et hoc tandem ad effectum perduxit, et ideo sequitur : « *Qui et tradidit illum.* ». Sed quia nos occulta cordium scire non possu-

[1] Joan. XI , 25

[2] Psal. LXVIII, 10.

mus, docuit nos Dominus quod nos occulta cordium in electionibus non discuteremus : sed sufficere quod eligamus talem, quem aperta probatum reddit justitia. Unde Hieronymus in Glossa : « Judas Scarioth, a vico in quo ortus est, de tribu Issachar, qui *merces* interpretatur, vel *pretium*, scilicet perditionis. Scarioth. id est, *memoria mortis*, quia non repente, sed præmeditatus, Dominum tradidit : hinc provide inter Apostolos eligitur : quia magna est veritas, quam nec adversarius minister infirmat. Voluit Dominus tradi a discipulo, ut tu a socio proditus, moleste non feras tuum errasse judicium, tuum perisse beneficium. » Sic electus est Saul, I Reg. IX, 2, de quo dicitur, *quod erat electus et bonus : et non erat vir de filiis Israel melior illo*. Et tamen postea fuit subversus : quam subversionem diu fuit præmeditatus. Psal. XXXV, 5 : *Iniquitatem meditatus est in cubili suo : adstitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.* Unde docens nos Dominus dicit, I Reg. XVI, 7 : *Non juxta intuitum hominis ego judico.* Non autem secundum faciem oportet judicare. Unde, ibid. XVI, 7 : *Homo videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Et ideo etiam Apostoli, Act. I, 23 et seq., videntes in Juda proditore humanum errasse judicium, in Mathia substituendo per sortes explorabant judicium divinum : quo eligendus permaneret in sorte Apostolica, ad quam Judæ succederet.

Hi ergo tres ultimi, sicut dictum est, secundum considerationem præsentis justitiæ sunt electi.

Primi ergo tres non tam ad gradum, quam ad sublimitatem regiminis divini sunt electi : sicut in veteri testamento Moyses, et Aaron et Hur : penes tria, quæ sunt in hierarchia divina : quæ sunt plenitudo potestatis, et plenitudo bonitatis, et plenitudo sapientiæ.

Secundi autem tres electi sunt penes tria quæ sunt in prima hierarchia angelica : quæ sunt fervor ignis divini, ad omnia ministrans virilitatem : quia, sicut dicitur, Cantic. VIII, 6 : *Fortis est ut mors dilectio* : et plenitudo scientiæ splendens in verbo : et receptio regalis in omni materialitate, sicut in throno in eo qui omnes appetitus, et aquas concupiscentiæ suspendit in altum.

Tertii autem tres vocati sunt penes tria quæ sunt in secunda hierarchia angelica : quæ sunt altitudo ostentationis, quam dignitas nobilitatis superponit : et divitiæ pulchrorum, et honorum in decore altitudinis exaltant : et non nutans (alias, non cadere valens) fortitudo tenet ne cadat, scabellaribus conculcandis appropinquando. Et hoc attribuitur Matthæo, qui, sicut dicit Hieronymus, et talentorum Domini factus est distributor, et dignitatem regalem Domini præ aliis descripsit. Virtutes autem (quarum est esse invincibiles ad omnem voluntatem Dei peragendum) attribuuntur Thomæ : quia confortatus in Domino, nihil impossibile sibi esse pro Domino faciendum proposuit. Jacobo autem attribuuntur Potestates, quæ sunt in eadem Hierarchia : quia Potestatum est arcere per limites divinos omne contrarium, et promovere bonum. Et hoc ipse primus fecit, secundum murmurationem quæ de conversione gentilium primum facta est, Actuum, XV, 1 et seq.

Quarti autem tres, sumuntur penes tertiam Angelorum hierarchiam, in qua Principum quidem est omnem actum referre ad legis congruentiam, quod corculo attribuitur : quia custos cordis, custos est legis. Archangelorum autem est, omnem actum ad consilium referre divinum : et hoc competit Simoni Cananæo, qui zelotes est, ut in omnibus consilium Dei perficiatur. Judas autem, in quo præsens tamen considerata est justitia, respondet Angelis, quorum officium est omnem actionem nostram informare forma justitiæ et virtutis.

Hæc igitur hic diligentius prosecuti sumus : quia istas Apostolorum voca-

tiones super Matthæum perfunctorie transivimus [1].

20 « Et veniunt ad domum, et convenit iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare.

21 Et cum audissent sui, exierunt tenere eum : dicebant enim, Quoniam in furorem versus est.

22 Et Scribæ qui ab Jerosolymis descenderant dicebant : Quoniam Beelzebub habet, et quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia. »

Hic incipit pars illa in qua probatur quod hæc potestas est divina, tam in capite quam in membris. Durat autem hæc pars, usque ad finem quarti capituli.

Dividitur autem in tres partes : in quarum prima ostenditur, quod est divina in capite : et nulli nisi Deo, potest attribui. In secunda ostenditur, quod est divina in opere, prædicatione, et effectu verbi : et hæc incipit in principio quarti capituli. In tertia ostenditur, quod est divina in membris, quæ sunt ministri capitis, et exsecutores officii prædicationis, ibi, IV, 21 : « *Et dicebat illis : Numquid venit lucerna*, etc. »

Prima harum partium dividitur in tres : in quarum prima, agitur de excessu potestatis, tam in sermone quam in opere. In secunda autem ostenditur, quod iste excessus est potestatis divinæ, ibi, ℣. 23 : « *Et convocatis eis, in parabolis dicebat*, etc. » In tertia ostenditur, ab opere hujusmodi potestatis non esse vacandum ex aliqua carnali affectione, ibi, ℣. 31 : « *Et veniunt mater ejus*, etc. »

In harum prima tria notantur : scilicet, instantia quærentium, sive frequentantium : simplicitas devota discipulorum : et malitia observantium Scribarum et Pharisæorum.

De instantia frequentantium dicit tria, et innuit quartum. Quorum primum est, quod ad locum quietis Dominus veniens, ab opere salutis nostræ non quiescebat : secundum est, quod propter hoc multi ad eum undique conveniebant : tertium est, quod etiam aviditate operandæ salutis, operibus necessitati naturæ debitis, non indulgebat. Quartum quod innuit est, quod tam in sermone quam in opere divinæ potestatis, excessum ostendebat.

Dicit igitur :

« Et veniunt, »

Et ipse Salvator et sui, « *ad domum*, » ad quiescendum post laborem actionis. Sapient. VIII, 16 : *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa*, scilicet sapientia :... *non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius*. Ezechiel. III, 24 : *Ingredere, et includere in medio domus tuæ*.

Sed nec ibi quievit Salvator ab opere salutis nostræ : et hoc est quod sequitur :

« Et convenit iterum, »

Sicut extra domum fecerat, « *turba* » frequentantium, et quærentium tam animæ quam corporis salutem. Isa. II, 3 : *Ibunt populi multi, et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob : et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus*.

« Ut non possent neque panem manducare. »

Quod tamen erat naturalis necessita-

[1] Vide, Matth. X, 2 et seq. enarrationem in nomina Apostolorum. Tom. XX hujusce editionis.

tis. Hoc autem factum est propter nimiam turbarum instantiam. Psal. CI, 5 : *Oblitus sum comedere panem meum.* Videns enim desiderium salutis in turbis, et utilitatem hominum (propter quos venerat), necessitatibus naturalibus præposuit : refectus interius salute, et fide devotorum. Joan. IV, 32 : *Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis.* Et, paulo post, ℣. 34 : *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Tob. XII, 19 : *Ego cibo invisibili utor.* Propter quod dicit : « *Ut non possent neque manducare panem* » discipuli, qui adhuc animales existentes, cibum corporalem attenderunt.

Quartum autem quod innuit est, quod excitatus devotione turbarum, adeo excessit in sermone et opere, quod ultra hominis facultatem tunc esse videbatur : et divinum quiddam micabat ab ipso. Sicut et Paulus dicebat, II ad Corinth. V, 13 : *Sive mente excedimus, Deo : sive sobrii sumus, vobis.* Intelligitur autem hic dixisse turbis ea quæ Joannes, VI, 54, de corpore suo dixit : *Nisi manducaveritis cărnem Filii hominis, et biberĭtis ejus sanguĭnem, non habebitis vitam in vobis.* Qui furoris sermo esse videbatur carnalibus et animalibus discipulis.

« Et cum audissent sui, »

Adhuc animales existéntes, et intellectum verborum capere non valentes, « *exierunt* » de domo ad turbas cum quibus stabat Dominus, « *tenere eum,* » ex compassione carnali quam habebant ad ipsum. Non autem ideo tenebant eum, ne sibi aliquod malum inferret : sed potius ideo, ne diutius cum turbis manens, se nimis prædicando affligeret : sicut referunt Marc. III, 21, et Matth. IX, 13, et Luc. VIII, 45 : *Turbæ te comprimunt et affligunt, et dicis : Quis me tetigit ?*

« Dicebant enim, »

Sui discipuli : « *Quoniam in furorem versus est.* » Furorem autem vocant, quia ex zelo contra peccata modum iræ cujusdam ostendit : et ex nimio desiderio salutis aliorum, corporalis suæ necessitatis videbatur oblitus. Sicut, Act. XXVI, 24, de Paulo dictum est : *Insanis, Paule: multæ te litteræ ad insaniam convertunt.* Sic, I Reg. XXI, 13 et seq., David, ut suos salvaret, *immutavit os suum* coram rege Achis, qui dixit : *Vidistis hominem insanum : Quare adduxistis eum ad me,* ut fureret coram nobis? Sic de Propheta Domini dicitur, IV Reg. IX, 11 : *Quid venit insanus iste ad te?* Sic de Domino dictum est, Joan. X, 20 : *Dæmonium habet, et insanit : quid eum auditis ?*

« Et Scribæ qui ab Jerosolymis descenderant, »

Ad observandum eum : et omnia quæ dicebat (alias, docebat) et faciebat pervertebant : « *dicebant,* » blasphemantes eum : « *Quoniam Beelzebub habet,* » quem ut diximus, Matth. XII, 24, principem esse putabant aliorum dæmonum : unde dicunt : « *Quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia :* » et sic blasphemantes, contrariæ virtuti, ea quæ divinæ erant, attribuerunt.

« Et convocatis eis, in parabolis dicebat illis : Quomodo potest Satanas Satanam ejicere? **23**

Et si regnum in se dividatur, non potest regnum illud stare. **24**

Et si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare. **25**

Et si Satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est, et non poterit stare, sed finem habet. **26**

27 Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget, et tunc domum ejus diripiet. »

Hic incipit ostendere hoc quod dixerunt Scribæ blasphemiam, et hoc quod ipse dicebat et faciebat, non posse esse nisi a virtute divina.

Habet autem hæc pars duas particulas : in quarum prima, rationibus et similitudinibus ostendit quod dictum est. In secunda autem, deterrens eos de peccato blasphemiæ, ostendit irremissibilitatem ipsius.

In primo horum duo sunt : in quorum primo, modum ostendit probationis : et in secundo, rationes persuasivas inducit.

Dicit igitur, et multa patientia et benignitate tolerans adversarios, et bonum contra malum opponens :

« Et convocatis eis, »

Qui per invidiam et iram dispertitum habentes cor, intelligere veritatem non poterant. Hos convocavit, ut convocati, uno corde intelligerent quæ dicebantur per rationem.

« *In parabolis dicebat illis.* » Hic autem vocat parabolas, sermones per similitudines rationabiles explanatos. Psal. LXXVII, 2 : *Aperiam in parabolis os meum : loquar propositiones ab initio.*

« Quomodo potest Satanas Satanam ejicere ? »

Tangit rationes similitudinarias tres : quarum prima sumitur ex similitudine regni in seipsum divisi : sic quod omne regnum in contrarias potestates, et voluntates, et operationes divisum, desolabitur : quia quod una potestatum præcipit, altera inhibet, et quod una ædificat, altera destruit. Et in hac ratione sub quæstione primo ponit conclusionem intentam, dicens : « *Quomodo potest Satanas,* » qui regnum suum intendit construere, « *Satanam ejicere ?* »

Deinde ponit medium istius rationis sub conditione, dicens :

« Et si regnum in se, »

Hoc est, contra se, « *dividatur,* » per contrarias voluntates et potestates et operationes, ita quod unus alium ejiciat, « *non potest regnum illud stare,* » sed destruetur a seipso.

Deinde, antequam inferat conclusionem, adducit secundam rationem, per domus similitudinem, dicens :

« Et si domus, »

Quantum ad familiam domus, « *super semetipsam,* » hoc est, contra semetipsam, « *dispertiatur* » hoc est, dividatur, « *non potest domus illa stare,* » sed dissolvetur : sicut et regnum. Osee, x, 2 : *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Omne enim unum construitur ex hoc, quod suæ partes ex quibus componitur, concorditer tendunt ad unum : et si illæ discordant, et in diversa tendunt : necesse est quod dissolvatur. Hæc igitur sunt causa naturalis omnis dissolutionis, ut in quarto de *Cœlo et Mundo* probatur.

His duabus inductis similitudinibus, inducit intentam conclusionem, dicens :

« Et si Satanas, »

In regno et domo sua, « *consurrexerit,* » ut contrarius, « *in semetipsum,* » hoc est adversus eum qui debet construere regnum et domum suam, quia sic « *in semetipsum* » dicitur, « *dispertitus est,* » hoc est, in contrarias voluntates, et potestates, et operationes divisus : « *et,* » sic per similitudines inductas, « *non poterit stare* » in regno et domo sua, « *sed finem habet* » per dissolutionem. Matth. XII, 25 : *Omne regnum divisum contra se, desolabitur : et omnis civitas vel domus*

divisa contra se, non stabit. Eccli. XXXIV, 28 : *Unus ædificans, et unus destruens : quid prodest illis nisi labor?* Ad Galat. II, 18 : *Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico, prævaricatorem me constituo.*

« Nemo potest, etc. »

Tertia ratio est, quæ supponit oppositum conclusionis antecedentium rationum. Supponitur enim ex antecedentibus, quod Satanas in Satanam non est divisus : et ideo non est virtus Satanæ quæ diripit regnum, et domum Satanæ : et oportet quod sit fortior virtus quam sit virtus Satanæ : et oportet quod sit, quia « *nemo potest,* » in naturalibus virtutibus et humanis, « *ingressus,* » violenter, « *in domum* » fortis, « *vasa fortis,* » quæ pacifice possedit, a possessione fortis, in contrarios usus « *diripere,* » contra voluntatem illius fortis, scilicet ea quæ possederat fortis sibi attrahere : « *nisi prius,* » sua fortitudine, « *fortem,* » qui domum et vasa possederat, « *alliget,* » privata vel diminuta potestate, quam prius in domo, et vasis habebat. « *Et tunc,* » illo sic alligato, « *domum ejus,* » hoc est, familiam, et vasa domus ejus, in quibus confidebat, « *diripiet* » ad suos usus.

Sic ergo nemo potest Satanam fortem de quo dicitur, Job, XLI, 24 : *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret :* hunc, inquam, fortem, nemo potest de domo sua, et vasis, hoc est, cordibus ejicere, nisi fortior illo sit : et alliget eum, prius ablata sibi potestate. Luc. XI, 21 et 22 : *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet* [1].

Et sic fecit Dominus fortior diabolo per divinam virtutem : intravit per gratiam in domum Satanæ, tam in mundo quam in inferno : et distribuit Sanctis, et Patri Deo omnia vasa quæ Satan possederat : et hoc non potuit fieri in virtute Satanæ, sed in virtute divina. Isa. XLIX, 24 : *Numquid tolletur a forti præda? aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit?* Sic ergo in Beelzebub quæ (alias, qui) est virtus Satanæ, non ejicio dæmonia, sed potius in fortiori virtute, et contraria Satanæ, quæ est demonstratio virtutis divinæ. Matth. XII, 28 : *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei.* Exod. VIII, 19 : *Digitus Dei est hic :* hoc est, demonstratio virtutis divinæ.

« Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiæ [quibus blasphemaverint : **28**

Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. **29**

Quoniam dicebant : Spiritum immundum habet. » **30**

Tangit hic hujus blasphemiæ (quam in eum faciebant) aggravationem. Fuit autem hæc, impugnatio veritatis agnitæ. Per rationem enim naturalem cognoverunt, quod virtus Christi, qui expulit dæmones, fuit virtus divina : et tamen hanc per solam invidiam gratiæ Christi impugnabant, et virtuti dæmonis attribuebant, et blasphemabant, quia diabolo, quod Dei erat, attribuebant : et ex invidentia gratiæ Christi, veritatem quam per rationem agnoverant, impugnabant. Et ideo peccatum illud gravissimum fuit : et ideo exaggerat hic gravitatem peccati illius.

[1] Cf. Matth. XII, 29.

Et hoc est quod dicit :

« Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, etc. »

Hæc enim sunt peccata filiorum hominum, quæ ab ignorantiis, vel infirmitatibus hominum oriuntur. Hæc enim ex humana proveniunt tentatione. I ad Corinth. x, 13 : *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.* Hoc autem peccatum, quia agnitum fuit humana ratione, ex ignorantia non processit. Et quia ex carne et sanguine non fuit, non potuit attribui carnis infirmitati : et ideo nullam habuit radicem humanam, sed ex certa malitia invidiæ procedens, radicem habuit diabolicam. Et ideo dicit : « *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata,* » quæ sunt per radicem filiorum hominum, « *et* » similiter dimittuntur filiis hominum, « *blasphemiæ,* » quæ sunt per radicem ignorantiæ vel infirmitatis in filiis hominum, « *quibus* » filii hominum, ut filii ignorantium, et infirmorum, « *blasphemaverint* : » sicut ex ignorantia dicentium Christum non esse Deum : vel Filium cum Patre non esse unum : vel aliquid tale. Et hæc vocantur apud Matthæum, xii, 32, peccata in Patrem et Filium [1], quia peccatum infirmitatis est contra attributum Patris, quod est potentia : et peccatum ignorantiæ est contra attributum Filii, quod est sapientia.

« Qui autem blasphemaverit, »

Falsum imponens divinæ virtuti, « *in Spiritum sanctum,* » hoc est, contra attributum Spiritus sancti, cui attribuitur bonitas. Et contra hoc blasphemat, qui ex certa blasphemat malitia, quia per rationem in conscientia sua scit suæ blasphemiæ oppositum : et nullam habet infirmitatem ad hanc blasphemiam inclinantem et tentantem : et ideo, « *non habebit remissionem,* » hoc est, ex parte sua remissionis causam, « *in æternum* : » quia nec hic, nec in futuro. Unde, Matth. xii, 32, dicitur : *Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

« *Sed reus erit,* » hoc est, reatu tenebitur obligatus, « *æterni delecti.* »

Reatus æterni delicti dicitur tripliciter : scilicet, quoad causam, et quoad actionem, et quoad impotentiam remittentis.

Causa æterni delicti non est nisi una : quæ est finalis impœnitentia, in qua aliquis decessit in peccato mortali. Ille enim, quia non est umquam susceptibilis gratiæ, reus erit semper æterni delicti : quia tunc non est susceptibilis gratiæ, quæ sola est causa remissionis delicti.

Quoad *actionem* autem, reus æterni delicti est, qui in se dum peccat, non habet occasionem propter quam congruat sibi peccatum hic, vel in futuro remitti : et sic peccans, ex sola et certa malitia in Spiritum sanctum reus est æterni delicti. Etiam peccans in Patrem ex infirmitate, non est reus æterni delicti : quia propter infirmitatem sibi congruit peccatum remitti. Et peccans in Filium ex ignorantia, non est reus æterni delicti : quia propter ignorantiam congruum est ei peccata dimitti. Psal. xxiv, 7 : *Delicta juventutis meæ,* quæ proveniunt ex infirmitate concupiscentiæ, *et ignorantias meas ne memineris, Domine.* Sed qui peccat ex certa malitia, absque infirmitatis tentatione, et ignorantiæ obtenebratione, quantum ad hujusmodi congruitatem, reus erit æterni delicti : quia in se non habet congruitatem, quare remittatur sibi peccatum in æternum.

Quoad *impotentiam* autem *remitten-*

[1] Matth. xii, 31 et 32 : *Ideo dico vobis : omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus : Spiritus vero blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei,* etc.

tis, nullus potest esse reus æterni delicti, quia nullum peccatum est quod non possit remittere Deus. Et ideo etiam istud peccatum in Spiritum sanctum multis remisit, quando per pœnitentiam conversi sunt ad ipsum. Et ideo, Act. III, 17 et seq., illi quibus grande peccatum crucifixionis remissum est, ignorantiæ peccatum dicuntur admisisse, dicente Petro : *Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri :... pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Secundo igitur modo dicitur hic : ex certa malitiæ blasphemans et veritatem impugnans, reus æterni delicti. Primo autem modo, soli jam in inferno damnati. Tertio autem modo, nemo.

« Quoniam dicebant, etc. »

Inducit causam istius exaggerationis. « *Quoniam dicebant,* » sic veritatem impugnando blasphemantes : « *Spiritum immundum habet,* » in quo ejicit dæmonia, et signa operatur.

Hæc autem peccata in Spiritum sanctum (sicut et alibi[1] diximus) quinque ab antiquis esse dicuntur : scilicet, obduratio, præsumptio, desperatio, invidentia fraternæ gratiæ, impugnatio veritatis agnitæ. Est autem opinio mea, quod nihil (alias, nullum) horum sit peccatum in Spiritum sanctum, nisi sit conjunctum impugnationi veritatis agnitæ. *Obduratio* enim, sive induratio est, quando aliquis actualem voluntatem habet non emolliendi cor ad amorem Dei, vel frangendi ad timorem. Et hoc non est peccatum in Spiritum sanctum, nisi in conscientia impugnet hoc quod agnoscit esse verum : quod scilicet amore Dei cor emollitur, et ex timore conteritur ad dimittendum peccatum. Similiter *præsumptio* est, quando aliquis sic misericordiam Dei extendit, quod peccata non ulciscatur, et ideo proponit manere in peccato. Et hoc iterum fit ideo, quia in conscientia impugnat hoc verum quod scit : quod scilicet justitia (quæ se negare non potest) peccata non dimittat impunita. Similiter *desperatio* (quæ sic severam facit justitiam, quod sibi emenda exhiberi non possit : et ideo remanet in peccatis) impugnat hoc verum, quod in omni ordinato judice, locum habet emenda delicti : quia naturæ (alias, natura) miseretur, dummodo cautela sufficiens emendationis pœnitentiæ possit exhiberi. Et hoc potest fieri Deo, per testimonium conscientiæ : quamvis hæc cautela apud hominem judicem qui interiora videre non potest, fieri non possit. Similiter *finalis impœnitentia*, quæ est propositum numquam pœnitendi, et in peccato permanendi, eo quod placeat peccatum, est cum impugnatione conscientiæ contra veritatem hanc, quod secundum omnem (alias, communem) veritatem, peccatum innaturale est, et placere secundum naturam non potest : quinimo displicere necesse est. Eodem modo *invidentia fraternæ gratiæ* est cum impugnatione hujus veritatis, quod scitur hæc gratia fratris a Deo esse, et data a liberalitate divina ad Ecclesiæ profectum : et tamen impugnatur ut inutilis et nociva. *Impugnatio* autem *veritatis agnitæ*, est scire (alias, scientiæ) et agnitæ veritatis impugnatio : ita ut cum negari non potest, contrariæ potestatis, et falsitatis, et mendacii auctori attribuatur : sicut hic.

Hoc igitur est quod dicit.

« Et veniunt mater ejus et fratres : **31**
et foris stantes, miserunt ad eum vocantes eum.

Et sedebat circa eum turba, et di- **32**

[1] Vide, si vis, Commentarios D. Alberti in II Sententiarum, Dist. XLIII, Tom. XXVII hujusce editionis, et Summam theol. ejusdem præclarissimi Doctoris.

cunt ei : Ecce mater tua et fratres tui foris quærunt te.

33 Et respondens eis, ait : Quæ est mater mea et fratres mei ?

34 Et circumspiciens eos qui in circuitu ejus sedebant, ait : Ecce mater mea et fratres mei.

35 Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et soror mea, et mater est. »

Tangitur hic ultima pars istius disputationis : in qua ostenditur, quod non oportet retrahi ab opere divino propter carnalem affectum.

Dicuntur autem in ea tria : scilicet, carnalium propinquorum adventus, eorumdem ad ipsum procuratum negotium, et Christi determinatio, quia a spiritualibus, propter carnales, non sit recedendum.

Dicit igitur :

« Et veniunt mater ejus, »

Carnalis, « *et fratres* » ejus, consobrini, non uterini : quia tales fratres non habuit. Causa autem adventus fuit, quia accurrunt quando turbæ ad improperia insurrexerunt : et quando sui, scilicet discipuli, in furorem raptum esse dixerunt : volentes eum a turbis abstrahere, ne contumeliam pateretur.

« *Et foris stantes*, » extra ambitum turbarum, quia propter pressuram appropinquare usque ad ipsum non poterant, « *miserunt ad eum* » nuntios qui se pressuræ immiserunt, « *vocantes eum*, » ut a turbis abstraheretur, ne forte contumeliam pateretur. Et hoc non erat faciendum. Luc. II, 49 : *Quid est quod me quærebatis ? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse ?* II ad Corinth. V, 16 : *Nos ex hoc neminem novimus secundum carnem.* Ad Galat. I, 16 : *Non acquievi carni et sanguini.*

« Et sedebat circa eum turba, »

Tunc quiescens, ut dicit Glossa, in spirituali intelligentia sermonum ejus. Unde Philosophus : « In sedendo et quie-« scendo, fit anima sciens et prudens. »

« Et dicunt ei. »

Illi qui missi ad eum fuerant, ut a turbis eum abstraherent : « *Ecce mater tua*, » quæ propinquissima tibi est. Tob. IV, 3 : *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus.* « *Et fratres tui*, » post matrem propinquiores. Et fuerunt consobrini Jacobus minor, et Judas Thaddæus, et Simon Cananæus, et Joseph Justus : hi enim *fratres Domini* dicuntur. « *Foris quærunt te*, » stantes extra ambitum turbarum, ut per hoc a turbis abstraheretur : quia in tanta nequitia circumdederant eum Scribæ et Pharisæi, quod propinqui Domini timorem habebant de ipso, nondum plenam fidem habentes de divinitate ipsius. Unde etiam postquam in hac disputatione de Pharisæis triumphaverat, beata Stella, ancilla beatæ Marthæ, alta voce præ gaudio clamavit illud, Luc. XI, 27 et 28 : *Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti.* Et Dominus, ut spiritualia corporalibus præponenda esse significaret, dixit : *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.*

« Et respondens eis, ait. »

Spiritualia corporalibus præponenda esse designans, et in retractione a spiritualibus, carnales non esse agnoscendos parentes.

« *Quæ est mater mea ?* » In talibus enim locum habet quod dixit, Joan. II, 4 : *Quid mihi et tibi est, mulier.* « *Et* » qui sunt « *fratres mei ?* » Deuter. XXXIII, 9 : *Qui dixit patri suo, et matri suæ : Nescio vos : et fratribus suis : Ignoro vos : et nescierunt filios suos.* Psal. XLIV, 11 et 12 : *Obliviscere populum tuum, et*

domum patris tui : et concupiscet rex decorem tuum.

Et hoc est quod sequitur :

« Et circumspiciens eos, »

Discipulos attentiores ad doctrinam, « *qui in circuitu ejus sedebant,* » in doctrina quiescentes. Psal. XXXIII, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini.* Matth. XII, 49 : *Extendens manum in discipulos suos, dixit : Ecce mater mea, et fratres mei.*

« *Ait : Ecce mater mea,* » in cujus cordis utero formor spiritualiter, sicut in matris utero corporaliter sum formatus. Ad Galat. IV, 19 : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Isa. XXVI, 18 : *A facie tua concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum.*

« *Et fratres mei,* » ex eodem patre cœlesti forma mea formati, quia ego verbum formatus sum ex (alias, a) Patre per æternam generationem, et in Verbi formam formantur audientes me discipuli, ex eodem Patre cœlesti. Ad Roman. VIII, 29 : *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

Et subdit generaliter :

« Qui enim fecerit, »

Corde, et ore, et opere, « *voluntatem Dei,* » et beneplaciti et signi in præceptis, et consiliis, et exemplis. I ad Thessal. IV, 3 : *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Ad Roman. XII, 2 : *Probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta.* Bona enim est in præceptis, beneplacens in consiliis, perfecta in exemplis.

« *Hic est frater meus,* » ex eodem Patre in formam imaginis meæ figuratus. Ad Galat. IV, 6 : *Quoniam estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, pater*[1]. Item, ad Roman. VIII, 16 et 17 : *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei. Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

« *Et soror.* » Dicitur propter fœcunditatem quam ab alio, hoc est, a Verbo recepit. Cantic. V, 1 : *Veni in hortum meum, soror mea sponsa.* Sponsa quidem in amore : soror autem in fœcunditatis castis amplexibus. Hæc venit in hortum : quando in ea oriuntur omnia aromata, quæ a verbo Dei in ea seminantur.

« *Et mater est,* » in cujus corde tamquam in utero formor in gratia. Eccli. XV, 2 : *Obviabit illi quasi mater honorificata.* Eccli. XXIV, 24 : *Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.* Hæc ergo cognatio est omni carnali cognationi præponenda : et hoc est quod dicere intendit. Non enim despiciens carnales propinquos, hæc dicit quæ hic inducuntur : sed ut instruat, quod spiritualia propter eos non sunt dimittenda. Et si aliquando a spiritualibus nos abstrahere nitantur, non esse talibus consentiendum.

Hoc igitur est quod intendit.

[1] Cf. Ad Roman. VIII, 15.

CAPUT IV.

Parabolam proponit seminatoris, quam discipulis declarat : lucernam dicit super candelabrum ponendam : addens parabolas de semine in terram jacto, quod excrescit dormiente eo qui seminavit, et de grano sinapis : discipulis autem seorsim omnia interpretatur : in navi a somno excitatus tempestatem maris sedat.

1. Et iterum cœpit docere ad mare : et congregata est ad eum turba multa [1], ita ut navim ascendens sederet in mari, et omnis turba circa mare super terram erat.
2. Et docebat eos in parabolis multa, et dicebat illis in doctrina sua :
3. Audite. Ecce exiit seminans ad seminandum.
4. Et dum seminat, aliud cecidit circa viam, et venerunt volucres cœli, et comederunt illud.
5. Aliud vero cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam, et statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ :
6. Et quando exortus est sol, exæstuavit, et eo quod non habebat radicem, exaruit.
7. Et aliud cecidit in spinas, et ascenderunt spinæ et suffocaverunt illud, et fructum non dedit.
8. Et aliud cecidit in terram bonam, et dabat fructum ascendentem et crescentem, et afferebat unum triginta, unum sexaginta, et unum centum.
9. Et dicebat : Qui habet aures audiendi audiat.
10. Et cum esset singularis, interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim, parabolam.
11. Et dicebat eis : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei : illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt :
12. Ut videntes videant [2] et non videant, et audientes audiant et non intelligant : nequando convertantur, et dimittantur eis peccata.
13. Et ait illis : Nescitis parabolam hanc ? et quomodo omnes parabolas cognoscetis ?
14. Qui seminat, verbum seminat.
15. Hi autem sunt qui circa viam, ubi seminatur verbum, et cum audierint, confestim venit Satanas, et aufert verbum quod seminatum est in cordibus eorum.
16. Et hi sunt similiter qui super petrosa seminantur, qui cum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud :
17. Et non habent radicem in se, sed temporales sunt : deinde orta tribulatione et persecutione propter verbum, confestim scandalizantur.

[1] Matth. XIII, 1 ; Luc. VIII, 4.
[2] Isa. VI, 9 ; Matth. XIII, 14 ; Joan. XII, 40 ; Act. XXVIII, 26 : ad Roman. XI, 8.

18. Et alii sunt qui in spinis seminantur : hi sunt qui verbum audiunt,
19. Et ærumnæ sæculi, et deceptio divitiarum [1], et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, et sine fructu efficitur.
20. Et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum et suscipiunt, et fructificant unum triginta, unum sexaginta, et unum centum.
21. Et dicebat illis : Numquid venit lucerna ut sub modio ponatur aut sub lecto ? Nonne ut super candelabrum ponatur [2] ?
22. Non est enim aliquid absconditum quod non manifestetur [3] : nec factum est occultum, sed ut in palam veniat.
23. Si quis habet aures audiendi, audiat.
24. Et dicebat illis : Videte quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis [4], remetietur vobis et adjicietur vobis.
25. Qui enim habet, dabitur illi [5] : et qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.
26. Et dicebat : Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram,
27. Et dormiat, et exsurgat nocte et die, et semen germinet, et increscat dum nescit ille.
28. Ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.
29. Et cum produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.
30. Et dicebat : Cui assimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud?
31. Sicut granum sinapis, quod cum seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus quæ sunt in terra [6] :
32. Et cum seminatum fuerit, ascendit et fit majus omnibus oleribus, et facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra ejus aves cœli habitare.
33. Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire :
34. Sine parabola autem non loquebatur eis, seorsum autem discipulis suis disserebat omnia.
35. Et ait illis in illa die, cum sero esset factum : Transeamus contra.
36. Et dimittentes turbam [7], assumunt eum ita ut erat in navi : et aliæ naves erant cum illo.
37. Et facta est procella magna venti, et fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis.
38. Et erat ipse in puppi super cervical dormiens : et excitant eum, et dicunt illi : Magister, non ad te pertinet quia perimus?
39. Et exsurgens comminatus est vento, et dixit mari : Tace, obmutesce. Et cessavit ventus, et facta est tranquillitas magna.
40. Et ait illis : Quid timidi estis? necdum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, et dicebant ad alterutrum : Quis, putas, est iste, quia et ventus et mare obediunt ei?

[1] I ad Timoth. VI, 17.
[2] Matth. V, 15 ; Luc. VIII, 16 et XI, 33.
[3] Matth. X, 26 ; Luc. VIII, 17.
[4] Matth. VII, 2 ; Luc. VI, 38.
[5] Matth. XIII, 12 et XXV, 29 ; Luc. VIII, 18 et XIX, 26.
[6] Matth. XIII, 31 ; Luc. XIII, 19.
[7] Matth. VIII, 23 ; Luc. VIII, 22.

IN CAPUT IV MARCI

ENARRATIO.

« Et iterum cœpit docere ad mare : et congregata est ad eum turba multa, ita ut navim ascendens sederet in mari, et omnis turba circa mare super terram erat.

Et docebat eos in parabolis multa. »

Hic ostenditur quod divina est potestas in officio prædicationis et officio verbi, et nulli alteri virtuti nisi divinæ attribuenda.

Dividitur autem hæc pars in duas partes. In quarum prima, hoc ostendit sub metaphora seminis. In secunda autem, ostendit idem sub ejusdem metaphoræ explanatione, ibi, ℣. 9 : « *Et dicebat : Qui habet aures audiendi audiat.* »

Adhuc autem in prima tria dicuntur. In quorum primo tangitur opportunitas ad parabolæ propositionem : in secundo, excitat attentionem : et in tertio, interponit parabolæ propositionem.

Opportunitatem autem hujus doctrinæ accipit a quinque : a loco scilicet, a multitudine audientium, a situ, ab attentione turbarum, et a modo doctrinæ.

De loco dicit :

« Et iterum, »

Post convictionem Scribarum et Pharisæorum : quia potestas sua divina est, et nulli alii poterit attribui, « *cœpit* » Jesus, ut jam in se demonstrans potestatem, « *docere* » sicut potestatem habens. Matth. VII, 28 : *Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi.*

« *Ad mare,* » ut opportunitate loci, ea quæ dixit demonstraret. Mare enim amarum est saporis qualitate : magnum, amplitudine : profundum, submersione : inquietum, tempestate : periculosum, belluarum marinarum atrocitate et fortitudine : incautum, Charybdis, et Scyllæ, et Acroceraunii scrupulositate et inæqualitate. Et in his qualitas mundi demonstratur. Mundus enim mare est amarum pœnalitatis labore, Thren. III, 15 : *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.* Hoc mare magnum est, quia amplitudine tentationis omnes involvit, Psal. CIII, 25 : *Hoc mare magnum, et spatiosum manibus :* quia omnes operantur in tentationibus ejus. Hoc profundum est submersione, quia in profundo iniquitatis ejus omnes submerguntur, Exod. XV, 10 : *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Hoc est inquietum tempestate, hoc est, diaboli tentatione et suggestione, Daniel. VII, 2 : *Quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.* Quia tentat diabolus, vel vano gaudio, vel spe vaniori in adipiscendis temporaliter desideratis, vel adeptis : aut dum inducit tristitiam sæculi de malis illatis : vel contrahit cor timore futurorum de bonis sæculi perdendis. His enim quatuor exsufflatum, *mare ibat, et intumescebat super eos*[1]. Hoc mare periculosum est belluarum marinarum atrocitate : quia tyranni contra luxuriosos, et avari contra prodigos, et hi contra iracundos, et simul isti contra gulosos pugnant. Psal. CIII, 25 et 26 : *Illic reptilia, quorum non est numerus... Draco iste,* carnalis concupiscentia, *quem formasti ad illudendum ei,* hoc est, ut illudatur ei ab amicis tuis, qui hoc mare transeunt, hoc est, incautum Charybdis absorptione, et Scyllarum impulsu, et Acroceraunii prominenti scrupulositate.

[1] Jonæ, I, 11.

Et Charybdis quidem est absorptio sæcularis tristitiæ. II ad Corinth. II, 7 : *Magis consolemini eum, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur.* Scylla autem quæ prominet, sicut caput caninum, est procacitas contumaciæ, in quam multi impelluntur, navi suæ mentis confracta. I Reg. XVII, 43 : *Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo ?* Hoc dixit verum Philistæus, quia quoties David, bonus Prælatus, venit cum baculo correctionis, procax ille Philistæus resistit procacitate, sicut caput canis latrans contra correctionem. Acroceraunia autem sunt cornua sub aqua, invisibiliter in altum sub aqua porrecta, in quæ impingunt naves et franguntur. Et significant erectiones (alias, correctiones) latentes ambitiosorum et superborum, sicut fuerunt Dathan et Abiron. Psal. LXXXIV, 6 : *Nolite extollere in altum cornu vestrum : nolite loqui adversus Deum iniquitatem.* Psal. XCIII, 3 : *Usquequo peccatores, Domine : usquequo peccatores gloriabuntur ?*

His igitur de causis docens accessit ad mare, ut ipsa maris qualitate, qualis sit mundus doceret,

« Et congregata est ad eum turba multa. »

Secundum est. « *Congregata est,* » omnibus sensibus vocatis in cor et intellectum, ut intellectum melius intelligeret. II Esdræ, VIII, 1 : *Congregatus est omnis populus quasi vir unus ad plateam quæ est ante portam Aquarum,* hoc est, in via doctrinarum Christi. Baruch, IV, 37 : *Quos dimisisti dispersos veniunt ad te.* Sic enim corde congregato audiendum est verbum Dei.

« Ita ut navim ascendens. »

Tertium est in quo demonstratur situs et positio docentis.

« *Sederet in navi :* » ne a turbis in littore comprimeretur. Navis autem est vita Ecclesiastica, per quam gubernamur in fluctibus. Sapient. XIV, 5 : *Transeuntes mare per ratem liberati sunt.* Et hæc fundata est in fide crucis Christi. Sapient. XIV, 7 : *Benedictum est lignum per quod fit justitia.* In hac autem doctor quiescere debet : et hæc est cathedra de qua docere debet. Iste est gradus ligneus de quo dicitur, Nehemiæ, seu II Esdræ, VIII, 4 [1]. Sedebat autem in mari in quietati sæculi, docens eos ut a mari ad stabilitatem littoris æternitatis transirent. Isa. LVII, 20 : *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest.*

« Et omnis turba. »

Quartum est in quo notatur devotio et attentio audientium : quia « *omnis turba,* » jam per fidem et appetitum, « *circa mare* » sæculi corporaliter stans, « *super terram* » stabilitatis æternæ « *erat.* » Eccle. I, 4 : *Generatio præterit, et generatio advenit : terra autem in æternum stat.*

« Et docebat eos in parabolis multa. » 2

Modum tangit doctrinæ idiotarum, et simplicium in parabolis : hoc est, per similitudines corporales eis notas, in quibus cœlestia capere aliqualiter possent. Quia, sicut dicit Dionysius, impossibile est nobis lucere divinum radium, nisi sacris velaminibus circumvelatum. Et Gregorius : « Cœlorum regnum, fratres « carissimi, idcirco terrenis rebus simile « dicitur, ut ex his quæ animus novit, « surgat ad incognita quæ non novit [2]. »

[1] Nehem. seu II Esdræ, VIII, 4 : *Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum quem fecerat ad loquendum.*

[2] S. GREGORIUS, Homilia XI in Evangelium.

« *In parabolis multa* » docuit, quæ tamen *multa* ad unum tendunt æternitatis et spiritus. Osee, XII, 10 : *Ego visionem multiplicavi, et in manu Prophetarum assimilatus sum.*

« Et dicebat illis in doctrina sua : Audite. »

Secundum est in quo attentos reddit. « *In doctrina* » enim « *sua* » per parabolas spiritualia docens, « *dicebat illis,* » attentos reddens : « *Audite* » aure interiori, quæ sit parabolarum significatio. Eccli. XXXIX, 3 : *Sapiens in absconditis parabolarum conversabitur.* Proverb. I, 6 : *Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientum, et ænigmata eorum.*

« Ecce exiit seminans ad seminandum. »

Hic tangitur parabolæ propositio. Et dicit duo : dispositionem seminantis, et diversitatem fructus seminis.

Dispositio seminantis est in quinque : scilicet, in evidenti manifestatione : et hæc tangitur per adverbii demonstrationem, « *ecce :* » quia qui occulte seminat, hæresim prædicat : et hic non est seminator, sed inimicus homo[1]. Dum dormiunt homines Prælati per inertiam, venit inimicus, et superseminat zizania. Oportet enim seminare manifeste : et hoc est quod dicit : « *Ecce.* »

Secundum autem est quod « *exiit,* » hoc est, foras a contemplatione processit. Qui autem nunquam intus fuit in consideratione sui, et verbi Dei studio et contemplatione, ille numquam exiit : et ideo non seminat, quia semen bonum et purum de domo cordis in agrum mundi non exportat. Genes. XXIV, 63 : *Egressus est Isaac ad meditandum in agro.* Cantic. VII, 11 : *Egrediamur in agrum, commoremur in villis.*

« *Seminans.* » Tertium est, in quo notatur instantia seminantis. Semper enim seminans est ex præsenti in futuro, et ex præterito : quia hoc notat præteritum imperfectum, ex quo formatur participium. Eccle. XI, 6 : *Mane semina semen tuum : et vespere ne cesset manus tua : quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud : et si utrumque simul, melius erit.*

Quartum autem est finis, quia exiit « *ad seminandum :* » non ad agrum destruendum, vel ad fructus alienos colligendos : multi enim non exeunt, nisi ut colligant fructus alienos, hoc est, temporalium : quos tamen colligere non habent potestatem, nisi seminent spiritualia semina. I ad Corinth. IX, 11 : *Si nos vobis spiritualia seminavimus magnum est si nos carnalia vestra metamus.* Quasi dicat : Non est magnum : sed certe, si spiritualium non essemus seminatores, damnabile esset si carnalia meteremus. Ad Roman. XV, 27 : *Si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent et in carnalibus ministrare illis.* Ad Galat. VI, 6 : *Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.* Ad seminandum ergo exeat, et non ad aliud.

« Et dum seminat. »

Quintum est, in quo notatur proprium officium et actus. Act. XVII, 2, Paulus prædicator gentium vocatus est *seminator verborum.* Isa. XXXVII, 30 et 31 : *In anno tertio seminate et metite... Et quod reliquum est, radicem deorsum, et faciet fructum sursum.* Tertius enim annus est annus gratiæ, ab anno legis naturæ, et ab anno legis Mosaicæ : tunc enim exiit Christus ad seminandum verbum, et suis præcepit ad exeundum. Tunc enim fructificavit in cœlum sursum per præmium, et radices misit deorsum, per

[1] Matth. XIII, 25.

congregationes fidelium. Psal. CXXV, 6 : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua.* Tunc viri Ecclesiastici fecerunt quod dicitur, Jerem. IV, 3 : *Novate vobis novale, et nolite serere super spinas,* quia novas ecclesias, non in curis sæculi, quæ per spinas significantur, sed in novitate spiritus fundaverunt.

Sic ergo tangitur dispositio seminantis.

« Aliud cecidit circa viam, et venerunt volucres, cœli, et comederunt illud. »

Tangitur hic diversitas fructus seminis, in quatuor differentiis : quarum tres sunt in malitia agri recipientis, et una in bonitate : quia, sicut dicit Dionysius : « Malum est omnifariam, bonum autem « est ex una sola et tota causa. » Nulla autem est ex malitia seminis : quia semen quod est verbum Domini, semper est bonum, et ad faciendum fructum.

Prima autem diversitas in malo est, quod « *aliud cecidit circa viam.* » Via autem est cor, quod se fecit viam tritam in vitiis. Isa. LI, 23 : *Posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam transeuntibus.* Malitiæ enim omnes viam faciunt per corpus, et animam talis hominis : et ideo conculcatur et durum efficitur : ita quod semen ad interiora non penetrat. Sed quod audit et suscipit in superficie projectum, habet avibus expositum. Job, XX, 25 : *Vadent et venient super eum horribiles.*

« *Et* » ideo venerunt per insidias tentationum, « *volucres cœli,* » hoc est, dæmones in hoc aere caliginoso celati : « *et comederunt illud,* » hoc est, sibi quidem verbum non incorporaverunt, sed abstulerunt, ne in fundo in quem cecidit, fructificaret. Judicum, VI, 3, 4 : *Cum sevisset Israel, ascendebat Madian et Amalec, cæterique orientalium nationum : et apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis cuncta vastabant.* Madiam *iniquitas,* Amalec autem *potus sanguinis interpretatur.* Et significat dæmones in spiritualibus et carnalibus peccatis. Cæteri autem orientalium nationum, sunt universitas dæmonum : qui a principio mundi orti, fructum seminis per invidiam impediunt. Et illi vastant fructum verbi in fundo : quem conculcant consuetudine vitiorum. Osee, VIII, 7 : *Culmus stans non est in eos, germen non faciet farinam : quod et si fecerit, alieni comedent eam.* Aggæi, I, 5 : *Ponite corda vestra super vias vestras.* Et sequitur, ℣. 6 : *Seminastis multum, et intulistis parum :... et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.*

Hæc est ergo diversitas seminis cadentis in via.

« Aliud vero cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam, et statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ : 5

Et quando exortus est sol, exæstuavit, et eo quod non habebat radicem, exaruit. » 6

Secunda diversitas seminis fructum non facientis. Sunt autem « *petrosa,* » corda dura, quæ nec timore ad pœnitentiam convertuntur, nec amore molliuntur, nec pluvia doctrinæ interius humectantur. De quibus dicitur, Eccli. III, 27 : *Cor durum habebit male in novissimo.* Job, XLI, 15 : *Cor ejus indurabitur tamquam lapis, et stringetur quasi malleatoris incus.* Quanto enim plus verberibus atteritur, tanto plus per obdurationem stringitur ad malum : sicut incus quæ stringitur ictibus malleorum.

Hæc igitur est terra petrosa, « *ubi non habuit terram multam.* » Ex littera ista videtur quod *petrosa* terra dicatur, cujus fundus est petra solida, et parvam et tenuem desuper habet terræ corticem. Et talis ad litteram terra male fructificat, quia calor qui pro tempore est ex radio solis, in petra confortatur, et incentivus,

et combustivus efficitur : et comburit illud modicum terræ quod est desuper, et incinerat : ita quod amarum ad modum salis efficitur : et ideo infructuosum. Psal. CVI, 34 : *Terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea.*

Adhuc autem algor hiemis etiam confortatur in lapide : et terram paucam prius incineratam et amaricatam calore, convertit in frigiditatem mortificativam, et hoc iterum mortificat radices plantarum : ita quod talis terra efficitur sterilis. Psal. CXLVII, 17 : *Ante faciem frigoris ejus, quis sustinebit ?*

Hoc est igitur quod dicit : « *Ubi non habuit* » semen projectum « *terram multam,* » hoc est, profundam, quæ defendi posset a qualitatibus lapidis incentivis, et congelativis. Hoc autem est cor, quod quasi nihil habet humanæ et terrenæ compassionis, et contemperationis ad virtutem : sed sua ignita libidine ad turpia incenditur : et algore ab omni charitate, timore mundano et humano congelatur. Psal. LXXIX, 17 : *Incensa igni et suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt.* Incensa quidem igne libidinis, et suffossa timore algoris (alias, timoris algore), quia omnis timor frigidus est. Ad litteram, et ideo pallor occupat timentes.

Sequitur :

« Et statim, »

Paucula et parvula radice, « *exortum est* » ad modicum viroris apparentis coram hominibus. II ad Timoth. III, 5 : *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.*

« *Quoniam non habebat altitudinem terræ,* » hoc est, profunditatem in qua dulcedo lætaminis incombusta, et non congelata, juxta radicem conservaretur.

« *Et* » ideo

« Quando exortus est sol »

Tribulationis in persecutione, vel laboribus pœnitentiæ, « *exæstuavit,* » combustiones (alias, combustionis) æstu extrahente ad exterius virtutem seminis. Jacob. I, 11 : *Exortus est sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit.*

« *Eo quod non habebat radicem* » profunde fixam, quæ (alias, in qua) dulcedinem succi sibi continue imbibitam herbæ exortæ subministraret.

« *Exaruit,* » et ariditate illa periit combustum et exsiccatum ab omni humore pietatis. Isa. XL, 7 : *Exsiccatum est fœnum, et cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo,* hoc est, ventus exsiccativus.

« Et aliud cecidit in spinas, et ascenderunt spinæ et suffocaverunt illud, et fructum non dedit. »

Tertia est diversitas perditi seminis. Spinæ autem nigræ, spissæ, pungentes, et falso quodam flore per modicum tempus florentes, et acutum valde fructum acaciarum ferentes, sunt hi qui nigri sunt affectus terrenitate. Jerem. XIII, 23 : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas : et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Terrennus enim per cupiditatem affectus, vix aut numquam mutatur : quia sicut dicit Philosophus : « Senescente homine, « juvenescit et invalescit in eo cupidi- « tas. »

Spissæ autem sunt, et ideo densissimæ umbræ, quam nulla vis solis poterit penetrare : et ideo, quia radix solis caret beneficio, non habet calorem cœlestem, qui elevet humorem de profundo in radicem. Et ideo etiam quod parvum oritur sub umbra talis, statim pallescit et putrescit cum fœtore. Sapient. XVII, 5 : *Ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.*

Puncturæ autem spinarum sunt, eo

quod acutis angulis surgunt, et manum secant tangentis : et sic cupidus, cum manu reprehensionis tangitur, statim pungentibus verbis improperiorum, et maledictionum, et contradictionum, repungit tangentem, nisi talis sit, cui talia inferre non audet. II Reg. XXIII, 6 et 7 : *Prævaricatores quasi spinæ evellentur universi : quæ non tolluntur manibus, et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro et ligno lanceato.*

Falsus autem flos quo ad tempus respergitur, gloria est divitiarum temporalium quoad tempus florens. Jerem. XLVIII, 9 : *Date florem Moab, quia florens egredietur.* Psal. CXXVIII, 6 : *Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit.*

Dicitur autem fructus acaciarum nigerrimus. Et est possessio divitiarum, quæ labore turpi, et difficili acquiruntur : et cum magno et angustioso timore retinentur : et cum dolore post modicum perduntur : et ideo etiam non vere fruuntur eis possessores earum, quia non fruitur aliquis (ut dicit Augustinus,) nisi cognitis, in quibus voluntas delectata conquiescit. Nec proprie utuntur : quia dicit Augustinus : « Frui est cum gaudio uti. » Eccle. V, 9 : *Avarus non implebitur pecunia : et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis* : quinimo amaritudinem accipiet. Eccle. V, 12 et 13 : *Est et alia infirmitas pessima quam vidi sub sole : divitiæ conservatæ in malum domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima.*

Hoc est ergo quod cecidit inter spinas, quas profert terrena cupiditas laboranti. Genes. III, 18 : *Spinas et tribulos germinabit tibi.*

« Et ascenderunt spinæ, »

Curæ divitiarum, quæ continue crescunt, « *et suffocaverunt illud,* » ita quod fœtore semen perit. Eccli. V, 10 : *Noli anxius esse in divitiis injustis : non enim proderunt tibi in die obductionis et vindictæ.*

« *Et* » ideo « *fructum non dedit.* » Genes. IV, 12 : *Cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos,* hoc est, cum opere cupiditatis colis terrenum affectum. Psal. LXI, 11 : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.*

« Et aliud cecidit in terram bonam, et dabat fructum ascendentem et crescentem, et afferebat unum triginta, et unum sexaginta, et unum centum. 8

Et dicebat : Qui habet aures audiendi, audiat. » 9

Quarta est differentia seminis, quæ fructum facit. Terra autem bona est cor bonum et optimum, naturalibus optime institutum, et virtute civili ordinatum, gratia stabilitum, verbo Dei seminatum, doctrinis sanctis complutum, consolatione sancti Spiritus emollitum, et omni pietate affectum. Luc. VIII, 15 : *Qui in corde bono et optimo audientes verbum,* Dei scilicet, *retinent, et fructum afferunt in patientia.*

Et hoc est quod sequitur : « *Et dabat fructum ascendentem et crescentem,* » per meritum et intentionem. Isa. XXXVII, 31 : *Quod reliquum est, radicem deorsum, et faciet fructum sursum.* Isa. IV, 21 : *Erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis.*

« Et afferebat unum »

Semen pro diversitate terræ in quam (alias, qua) seminatum est, « *triginta,* » in fide Trinitatis, et obedientia decem mandatorum fructificans : ter enim decem triginta efficiunt. Et hoc fit, dum totum nostrum posse, quod Patri attribuitur, per omnia decem mandata expenditur. Et totum nostrum nosse, quod Filio attribuitur, per eadem decem mandata ducitur : et totum nostrum velle, quod Spiritui sancto appropriatur, eisdem decem mandatis inseritur : ut sic Deum in

obedientia mandatorum suorum probaremur nos diligere ex toto posse, et ex toto nosse, et ex tota affectus voluntate. Deuter. VI, 5 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.* Sic enim cor ad affectum devotionis refertur, et mens ad notitiam, et vires ad potestatem.

« Et unum sexaginta. »

Et hoc fit in sex operibus misericordiæ multiplicatis in decem mandata. Sex autem opera misericordiæ sunt : cibare esurientem, potare sitientem, vestire nudum, hospitari peregrinum, consolari infirmum, visitare captivum. Hæc autem per mandata multiplicantur, dum quodlibet istorum proximo impendimus, in fide unius Dei, in reverentia nominis divini quod in vanum non accipimus, dum ipsum in misericordiæ operibus honoramus : et dum corde sabbatum, hoc est, quietem in his operibus agimus : et dum parentelæ bonum Patris cœlestis, quod in proximo relucet, in his operibus honoramus : et ideo subvenimus, ne proximus deficiat in natura, propter defectum necessariorum. Ideo enim dicitur : Pasce fame morientem, quod si non paveris, occidisti : et ne cogatur transgredi fidem thori propter inediam : nos sibi subveniendo beneficiis prævenimus. Adhuc autem benefaciendo, præcavemus ne furetur, vel fraudet : et ne mentiens falsum testimonium dicere cogatur : et similiter, ne cogatur aliena concupiscere. Adhuc autem, ne propter hoc aliquam concupiscentiam veneream cui subveniat habere compellatur. Sic enim serie accepta secundum eleemosynæ compassionem, decem mandata sexagesimum fructum perficiunt.

« Et unum centum. »

Hoc autem unum semen habet in se cœlestis ordinis decem virtutes. Quarum virtutum prima est divina, in Dei similitudine : aliæ novem sunt angelicæ : quod cordis amore totum in Deum ferveat, ut Seraphim : quod in eo veritatis splendor effulgeat, ut Cherubim : et quod ipsum in omni tranquillitate pacis Deum recipiat et ferat, ut Thronus : et quod nobilitas sua quæ est ex Deo in ipso, nulli vilitati appropinquet inclinata, ut Dominationum : quod virtus ejus et vigor invincibilis sit ad omnem Dei voluntatem peragendam, ut Virtutum : et quod potestas ejus ordinata sit ad omnis boni promotionem, et mali repressionem, ut Potestatum : et quod omne negotium ejus lege reguletur, ut Principum : et omne opus ejus ad consilium divinum referatur, ut Archangelorum : et omnis actus forma virtutis informetur, secundum custodiam Angelorum. Et quodlibet istorum ad impletionem cujuslibet mandati retorqueatur. Sic enim fert fructum centuplum. Genes. XXVI, 12 : *Sevit Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum.* Primum in Glossa attribuitur conjugatis, qui curam habent familiæ : secundum autem viduis, quæ curam domus dimiserunt, et ideo operibus misericordiæ libentius intendere possunt : tertium spectat ad virgines, quæ cælibatum professæ sunt : et ideo cœlestibus bonis intendere possunt. I ad Corinth. VII, 34 : *Mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.*

Sic igitur diversificatur semen in terra bona, et in terra mala. Ad Hebr. VI, 7 et 8 : *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo. Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima : cujus consummatio in combustionem*, scilicet ignis.

« Et dicebat. »

In fine excitans ad parabolæ spiritualem intellectum : « *Qui habet aures* » ex-

teriores (alias, interiores) ad intellectum spiritualem quem spiritus loquitur, « *audiendi* » spiritum in verbis sonantem. I ad Corinth. XIV, 2 : *Spiritu loquitur mysteria.*

« *Audiat* » intus ea quæ dicta sunt. Luc. VIII, 8 : *Hæc dicens clamabat : Qui habet aures audiendi, audiat.*

10 « Et cum esset singularis, interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim, parabolam.

11 Et dicebat eis : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei : illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt :

12 Ut videntes videant et non videant, et audientes audiant et non intelligant, ne quando convertantur, et dimittantur eis peccata. »

« *Et cum esset singularis,* » a turbis sequestratus, « *interrogaverunt eum* » plus ei familiares, « *hi qui cum eo erant,* » cæteris familiarius, « *duodecim* » Apostoli, de quibus dicitur, Luc. VIII, 10 : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis :* ut exponeret « *parabolam.* »

Hic agitur de parabolæ interpretatione. Dividitur autem in tres partes : in quarum prima causam dicit de parabolæ propositione : in secunda, dat increpationem de discipulorum cæcitate : in tertia, tangit de parabolæ compendiosa interpretatione.

De primo dicit :

« Et dicebat eis, »

Causam dans parabolicæ prædicationis : « *Vobis datum est* » per me (alias, mea) multa spiritualia documenta quæ feci vobis, « *nosse,* » per spiritum, « *mysterium,* » hoc est, secretum intellectum, « *regni Dei,* » hoc est, prædicationis justitiæ divinæ : per quam et in cœlo et in terra regnat Deus.

« *Illis autem,* » idiotis, « *qui foris sunt* » extra mysticum intellectum, et doctrinas spirituales non recipiunt quibus ad fidem sunt introducti, « *in parabolis* » datum est prædicari divina : quia spiritualia intelligere non possunt, nisi in corporalium rerum similitudinibus. I ad Corinth. III, 1 et 2 : *Ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus : tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis : sed nec nunc quidem potestis.*

« *Omnia fiunt,* » spiritualia, « *in parabolis :* » quia et tabernaculum, et templum, et omnia vasa, et festa, et gesta, et sacra legis parabolice proposita sunt, ut spiritualia intelligantur in ipsis.

« Ut videntes »

In figuris parabolarum, cœlestia « *videant* » involutá. Propter quod etiam velum expansum est ante sancta sanctorum [1]. « *Et non videant* » spiritualia nuda et exposita : quia sic ea intelligere non possunt. Et ideo, Numer. IV, 14, præcipitur, ut Levitæ portantes utensilia tabernaculi prius involvant ea, ne a rudi populo videantur : quia talis rudis populus quod non intelligit lacerat dente canino, et non ut sanctum veneratur. Matth. VII, 6 : *Nolite dare sanctum canibus : neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

« *Et audientes* » in parabolis involuta, « *audiant,* » et sicut magna venerentur : « *et non intelligant* » involuta, quia intelligere talia non possunt. Et melius est eis involuta ut magna venerari, quam evoluta despicere. Unde, III Reg. IX, 11 et seq., cum evoluta et expressa Hiram videret dona Salomonis magna quidem et præcipua, tamen non valens capere

[1] Cf. Exod. XXVI, 31 et seq.

doni pretiositatem, despexit, dicens : *Hæccine sunt civitates quas dedisti mihi, frater ? Et appellavit eas Terram Chabul :* et ea in quibus fideles habitabant amici Dei, fecit gentilis erroris habitationes : et ad gentilem transtulit ritum ea in quibus ipse fidem Dei discere potuisset, si paulatim parabolarum intellectum per spiritum investigasset. Hæc enim oppida sunt symbola in quibus fideles idiotæ habitant, sacra involuta venerantes, quæ dum incaute idiotis exposita proponuntur, non valentes capere virtutem eorum, hæretici efficiuntur.

« Nequando convertantur. »

Hoc de duris intelligitur, qui ex parabolis proficere nolunt : sicut Judæi, carnali sensui adhærentes.

« *Et dimittantur eis peccata* » cæcitatis. Et adducitur auctoritas de prophetia Isaiæ, VI, 10 : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude : ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum.*

13 « Et ait illis : Nescitis parabolam hanc? et quomodo omnes parabolas cognoscetis? »

Secundum est, in quo increpat ruditatem cordis eorum. « *Nescitis parabolam hanc ?* » Ac si dicat : Hoc est mirum post tot documenta suscepta, post tot miracula visa, post tot testimonia adhibita. Matth. XV, 16 : *Adhuc et vos sine intellectu estis ?* Ad Hebr. V, 12 : *Cum deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei : et facti estis quibus lacte opus sit, et non solido cibo.*

« *Et quomodo omnes parabolas cognoscetis ?* cum istam quæ facilior est inter alias, et seipsam offert ad interpretationem, non intelligitis. Vos enim magistri esse debetis aliorum : et ideo capaciori sensu, perfectiora intelligere deberetis. Joan. III, 10 : *Tu es magister in Israel, et hæc ignoras ?*

« Qui seminat, verbum seminat. » 11

Tangit expositionem parabolæ sub eisdem differentiis fructificationis, sub quibus proposuit eam (alias, eas.)

Et hoc est : « *Qui seminat,* » doctor, vel prædicator, « *verbum seminat.* » Isa. XXVII, 6 : *Qui ingrediuntur impetu ad Jacob, florebit et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine.* Et tangit ibi Propheta dignitatem doctorum Novi Testamenti, per hoc quod dicit : *Qui ingrediuntur impetu ad Jacob,* sicut Apostoli ex Judæis. Tangit fructuum, cum dicit : *Florebit,* in flore virtutis et honoris : *et germinabit,* germine operis Israel rectissimus per justitiam. Tangit etiam diligentiam, et latitudinem prædicationis, cum dicit : *Implebunt faciem orbis semine :* quia, *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* [1].

« Hi autem sunt qui circa viam, ubi seminatur verbum, et cum audierint, confestim venit Satanas, et aufert verbum quod seminatum est in cordibus eorum. » 15

« *Hi autem sunt qui circa viam.* » Tangit primam differentiam seminis non fructificantis. Luc. VIII, 5 : *Quod secus viam conculcatum est, et volucres cæli comederunt illud.*

« *Ubi,* » in via conculcationis, « *seminatur verbum,* » in corde : quod a sarculo disciplinæ non est fossum, nec

[1] Psal. XVIII, 5. Cf. etiam, ad Roman. X, 18.

aratro culturæ virtutis est aratum, sed strepitu vitiorum conculcatum : sicut cor, quod cum omnibus vitiorum delectationibus fornicatur semper, quasi in viis sedens, et exspectans fornicantes ut meretrix. Eccli. IX, 10 : *Omnis mulier quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.* Jerem. III, 2 : *In viis sedebas, exspectans eos quasi latro.* Ezechiel. XVI, 25 : *Divisisti pedes tuos omni transeunti.*

« Et cum audierint : »

Sed in corde non profundatur, sed in superficie recipiunt avibus expositum : « *confestim,* » per tentationes, « *venit Satanas,* » omnis boni adversarius, « *et aufert* » verbum a corde. Non quod sibi incorporet, quia hoc abhorret « *quod seminatum est,* » per auditum, « *in cordibus eorum.* » Deuter. XXXII, 24 : *Devorabunt eos aves morsu amarissimo.* Ezechiel. XXXIX, 4 : *Feris, avibus, omnique volatili et bestiis terræ, dedi te ad devorandum.*

16 « Et hi sunt similiter qui super petrosa seminantur, qui cum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud :

17 Et non habent radicem in se, sed temporales sunt : deinde orta tribulatione et persecutione propter verbum, confestim scandalizantur. »

Secunda differentia non fructificantis seminis. Ezechiel. XXXVI, 26 et 27 : *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri.* Psal. XCIV, 8 : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

« *Seminantur,* » per auditum prædicationis.

« *Qui cum audierint verbum,* » propter modicam humanæ pietatis terram, quam habent in ipsis, « *statim,* » sine magna deliberatione, ex inconstantia potius quam ex amore religionis, « *cum gaudio* » quodam instabilitatis, « *accipiunt,* » superficie tenus, « *illud,* » scilicet verbum.

« Et non habent radicem »

Pietatis fixam « *in se.* » Sapient. IV, 3 : *Spuria vitulamina non dabunt radices altas.* « *Sed temporales sunt.* » Luc. VIII, 13 : *Qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.*

« *Deinde orta tribulatione,* » quæ per solis exæstuationem significatur. Jonæ, IV, 8 : *Percussit sol super caput Jonæ, et æstuabat,* Jonas scilicet æstu vehementi.

« *Et persecutione propter verbum,* » quod auferre quærit diabolus, « *confestim scandalizantur,* » hoc est, offendunt et cadunt. Apocal. XVI, 9 : *Æstuaverunt homines æstu magno, et blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas.*

« Et alii sunt qui in spinis seminantur : hi sunt qui verbum audiunt, 18

Et ærumnæ sæculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, et sine fructu efficitur. » 19

Tertia est differentia non fructificantis seminis. « *Et alii sunt qui in spinis seminantur.* » Isa. VII, 24 : *Vepres erunt et spinæ.* Proverb. XXIV, 30 et 31 : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant uticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ*

« *Hi sunt qui verbum audiunt,* » auditu exteriori.

« Et ærumnæ sæculi, »

Hoc est, sollicitudines, et curæ sæculares. Luc. VIII, 14 : *A sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ, euntes, suffocantur.*

« *Et deceptio divitiarum,* » quæ, sicut dicit Augustinus, sufficientiam promittunt, et non solvunt. Psal. IV, 1 : *Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium ?* Osee, XII, 3 : *Ephraim pascit ventum, et sequitur æstum : tota die mendacium et vastitatem multiplicat.*

« *Et circa reliqua concupiscentiæ.* » I ad Timoth. VI, 10 : *Radix omnium malorum est cupiditas.*

« *Introeuntes,* » in cor audientis, « *verbum suffocant,* » hoc est, exstinguunt, « *et* » ideo « *sine fructu efficitur.* » I ad Timoth. VI, 17 : *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum.* Et, in eodem, ỳ. 9 : *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.*

20 « Et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum et suscipiunt, et fructificant, unum triginta, unum sexaginta, et unum centum. »

Tangitur hic quarta differentia, quæ est seminis fructificantis in terra bona, in naturalibus melioribus impinguati (alias, impinguata) virtutibus, et exculta (alias, exsecuta) gratuitis, et infusa sancti Spiritus consolatione, evocata calore devotionis, expurgata a malis stirpibus per confessionem et pœnitentiam, fossa sarculo disciplinæ, seminata verbo, adæquata cordis pace, perflata visitatione sancti Spiritus : de qua dicitur in Psalmo LXXXIV, 13 : *Dominus dabit benignitatem : et terra nostra dabit fructum suum.* Isa. XLV, 8 : *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum : aperiatur terra, et germinet Salvatorem.* Hæc est de qua dicitur in Psalmo XXIII, 1 : *Domini est terra, et plenitudo ejus.*

Super hanc ergo terram « *seminati sunt qui audiunt verbum,* » auditu devotissimo. Cantic. II, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis.* Et, ibidem, IV, 11 : *Mel et lac sub lingua tua.* Psal. CXVIII, 103 : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo !*

« *Et suscipiunt,* » in corde per meditationis conservationem, et implendi desiderium. Jacob. I, 21 : *In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.*

« *Et fructificant,* » per opus, et per exemplum, et prædicationem in alio. Joan. XV, 16 : *Posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.*

« *Unum triginta,* » in conjugatis : « *et unum sexaginta,* » in viduis, et misericordiæ operibus deditis : « *et unum centum,* » in virginibus cœlibatui intendentibus. Jerem. XVII, 8 : *In tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.* Ezechiel. XLVII, 12 : *Per singulos menses afferet primitiva.*

Sic ergo in ministerio prædicationis ostenditur esse potestas divina : quæ tamen ad tantum et talem fructum pertingere poterit.

Hoc igitur est quod dicit secundum litteram.

Et dicebat illis : Numquid venit lu- 21
cerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto ? nonne ut super candelabrum ponatur ? »

Hic ostendit quod hæc potestas etiam in minitris est divina. Et bahet tres

partes : in quarum prima, docet qualis debet esse potestas ministrorum : in secunda, ostendit qualiter in fructu continuum accipit incrementum, ibi, ℣. 26 : « *Et dicebat : Sic est regnum Dei*, etc. » In tertia, ostendit esse ipsam potestatem fluentem a capite, ad confortationem et consolationem ministrorum, ibi, ℣. 35 : « *Et ait illis in illa die, cum sero esset factum.* »

In prima harum tria sunt : in quorum primo, sub metaphora ostenditur qualis debet esse actus divinæ potestatis ministrorum : in secundo, dicit explanationem metaphoræ in communi : et in tertio, determinat in particulari, ut perfecta sit doctrina.

In prima duo dicit per metaphoram : scilicet, qualis non debet esse actus divinæ potestatis ministrorum : et qualis esse debet, ut perfecta sit doctrina per affirmationem et negationem certificata.

Dicit igitur : « *Et dicebat illis,* » per similitudinem lucernæ, actum potestatis ministrorum explanans :

« Numquid venit lucerna ? »

Lucerna est Prælatus in potestate ecclesiastica, quinque de causis. Prima est, quia super candelabrum ecclesiasticæ dignitatis est exaltatus. Luc. VIII, 16 : *Nemo lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit : sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen* [1]. Hoc (alias, hæc) significatur per candelabrum aureum quod fieri fecit Dominus [2]. Hinc est quod Apocal. I, 13, Dominus ambulare dicitur in medio candelabrorum aureorum. Secunda causa est, quia igne divino debet esse succensus, hoc est, igne charitatis. Isa. LXII, 1 : *Salvator ejus ut lampas accendatur.* Cantic. VIII, 6 : *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.* Hinc est quod, Apocal. I, 14, ejus qui ambulat in medio candelabrorum, oculi dicuntur esse sicut lampades ignis. Tertia causa est, quia lucere verbo et exemplo debet, sicut lumen ignis. Matth. V, 16 : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Ad Philip. II, 15 : *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Quarta causa est, quia plenus esse debet oleo pietatis ad Deum, et divinum cultum : et oleo misericordiæ ad proximum, ita ut semper abundet oleum. Eccle. IX, 8 : *Oleum de capite tuo non deficiat.* Proverb. XXI, 20 : *Thesaurus desiderabilis, et oleum in habitaculo justi : et imprudens homo dissipabit illud.* Quinta causa est, quod castitate corporis debet pollere, adeo quod splendidus et perlucidus sit ut vitrum. Job, XXVIII, 17 : *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum.*

His lampadibus et luminaribus virgines sapientes Christo procedunt obviam [3]. His lampadibus Gedeon dux fortissimus Israel expugnat hostes [4].

Hoc igitur est quod dicit : « *Numquid venit* » a Deo in mundum, ad totius mundi illuminationem, « *lucerna,* » quæ est vas, et ministra luminis per verbum Dei et exemplum. Joan. V, 35 : *Ille erat lucerna ardens et lucens.* Psal. CXVIII, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* Psal. CXXXI, 17 : *Paravi lucernam Christo meo.* Per hanc enim lucernam, in tenebris hujus mundi Christo via paratur. Job, XXIX, 3 : *Splendebat lucerna ejus super caput meum, et ad lumen ejus ambulabam in tenebris.* Si autem sic instructa fuerit lucerna sicut diximus, tunc non exstinguetur. Proverb. XXXI, 18 : *Non exstinguetur in nocte lucerna ejus.* Aliorum autem lucernæ, heu ! exstincta sunt, quia nec habent oleum pietatis et misericordiæ, nec perspicui sunt corporis castitate, nec ardent charitate, nec lu-

[1] Cf. Matth. V, 15.
[2] Cf. Exod. XXV, 37 et seq.
[3] Cf. Matth. XXV, 1 et seq.
[4] Cf. Judicum, VII, 20.

cent veritate : sed tantum in confusionem sui et Ecclesiæ stant exaltati super candelabrum ecclesiasticæ dignitatis. Proverb. XXIV, 20 : *Lucerna impiorum exstinguetur.* Proverb. XXI, 4 : *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis : lucerna impiorum peccatum.*

« Ut sub modio ponatur. »

Hoc dupliciter exponitur. Sub modio enim ponitur, quando sub mensura pretii vel mercedis, vel census alicujus coarctatur. Item, sub modio ponitur, quando intra terminos unius gentis, vel parochiæ, vel conventus cohibetur.

De primo modio dicitur, Act. VIII, 20 : *Pecunia tua tecum sit in perditionem : quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Matth. X, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.* Isa. LV, 1 : *Venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac.* Vinum cœlestium gaudiorum, et lac nutrimenti gratiæ Christi, quæ emuntur sola commutatione mentis, quod seipsum det, et non commutatione pretii. II ad Corinth. XII, 14 : *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos.*

De secundo modio dicitur, Isa. XLIX, 6 : *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et fæces Israel convertendas : ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Ad Roman. III, 29 : *An Judæorum Deus tantum ? nonne et Gentium ?* Malach. I, 11 : *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus : et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.*

« *Numquid* » ergo « *venit lucerna* » gratiæ in ecclesiastica potestate, « *ut ponatur sub modio ?* » Quasi dicat : Non ad hoc venit.

« *Aut* » venit ad hoc ut ponatur « *sub lecto ?* » Turpius est abscondere sub lecto, quam sub modio. Lectus enim est in quo homo corporaliter quiescit : et significat ea, in quibus homo commodum per libidinem quærit corporalem : et est lectus libido carnis, in qua dilectus non invenitur. Cantic. III, 1 : *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea : quæsivi illum, et non inveni.* Prælati autem multi in lecto lucernam abscondunt : qui per libidinem, quæ in lecto significatur et exercetur, gratiam obtenebrant. Apocal. II, 22 : *Ecce mittam eam in lectum : et qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt.* Amos, VI, 4 : *Dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris.* Ebur castitatem significat. Domine ergo in lecto eburneo, libidinem est quærere in statu, cui annexum est votum castitatis. Et hic est sacer ordo, vel religio. Et lascivire in hoc strato (alias, in stratis) est venereis intendere in statu tali : et sic, lucernam prædicationis et prælationis offuscare. Sic ergo sub lecto lucerna non est abscondenda.

« Nonne ut super candelabrum ponatur ? »

Describit per affectationem. Jam autem dictum est quid vocatur candelabrum : labrum scilicet candelæ, hoc est, candentis lucernæ : hoc est, labrum super quod ponitur lucerna candens (alias, ardens) et lucens. Labium autem hoc eminens aliis vita est Apostolica, super quam exaltanda est lucerna Ecclesiæ, hoc est, Prælatus qui est lumen et oculus Ecclesiæ, sicut dicitur, Matth. V, 15, et Luc. VIII, 16 : *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Quia oculus Ecclesiæ est Prælatus : exaltatus, ut omnibus luceat. Est autem candelabrum hoc aureum, in fulgore sapientiæ divinæ, habens in quatuor partibus scyphos in nucis modum : quia de quatuor partibus potum sui luminis effundit : hoc est, de scientia historiæ, allegoriæ, tropologiæ et anagogiæ. Habet etiam sphærulas in quolibet scypho, quæ rotundæ sunt, totum ambientes : quia in quolibet illorum consi-

derat æternitatem deitatis. Habet lilia per quodlibet istorum, in flore liliosæ castitatis, et honestatis. Habet hastilia tria : quia per naturam juvatur in speculo et imagine, per legem veterem juvatur in figuris et exemplis patrum, per revelationem novæ gratiæ juvatur per gratiam et veritatem. Habet etiam septem lucernas : quia lucent in eo septem illuminationes, scilicet fidei, sapientiæ, intellectus, consilii et scientiæ, donorum Spiritus Sancti, industriæ naturalis et studii Scripturarum. Hoc igitur est candelabrum sanctum quod describitur, Exod. xxv, 31 et seq. Zachar. iv, 2 : *Vidi, et ecce candelabrum aureum totum, et lampas ejus super caput ipsius, et septem lucernæ ejus super illud.* Super hoc ergo candelabrum stat Prælatus : et anima cujuslibet boni clerici, et doctoris : et forte cujuslibet fidelis secundum suam possibilitatem.

Et hoc est quod dicit : « *Nonne ut super candelabrum ponatur ?* » Quasi dicat : Sic.

22 « Non est enim aliquid absconditum quod non manifestetur : nec factum est occultum, sed ut in palam veniat.

23 Si quis habet aures audiendi, audiat. »

Hic tangit expositionem metaphoræ in universali, dicens : « *Non est enim aliquid,* » in doctrinis et sacramentis Ecclesiæ, « *absconditum,* » quod lucem timeat, et ad lucem venire non audeat : quia, Joan. iii, 20, dicitur : *Qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* II ad Corinth. iv, 3 : *Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt est opertum.*

« *Quod non manifestetur,* » hoc est, quod non sit tempore suo omnibus revelandum. Matth. x, 26 : *Nihil est opertum quod non revelabitur.* Isa. xl, 5 : *Revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro salutare Dei nostri.*

« *Nec factum est occultum,* » in allegoriis Scripturarum, « *sed ut in palam,* » hoc est, in publicum, « *veniat,* » per veritatis manifestationem. I ad Corinth. iv, 5 : *Veniet Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo.* Matth. x, 27 : *Quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Veritas enim non quærit angulum, nec latebras tenebrarum : mendacium autem hæreticorum opertum est angulo. Lucerna enim in alto posita, per seipsam manifestat se omnibus : mendacium, quo magis ostenditur, tanto turpius apparet, et tenebras desiderat.

« Si quis habet aures audiendi, audiat. »

Quia metaphorica dixerat, et non nisi in universali exposuerat, ideo ad attentionem invitat, ut spiritualiter audiantur. Apocal. ii, 7 : *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis.*

24 « Et dicebat illis : Videte quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, et adjicietur vobis.

25 Qui enim habet, dabitur illi : et qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. »

« *Et dicebat illis* : » excitans ad attentionem in particulari, ut res perfecte cognoscatur : quia non est scientia perfecta, nisi quod ex universali perficitur in particulari.

Et hoc est : « *Videte,* » consideratione diligenti, universale ad particulare coaptando, « *quid audiatis,* » ut intellectum divinorum secundum quod res quælibet habet, capiatis. Sicut enim dicit Boetius in libro de *Trinitate* :

« Sapientis est de qualibet re, ita ut se « habet, reddere rationem. »

« In qua mensura. »

Tangit hic duo, scilicet mensuram, et rationem mensuræ. Primum tangit in hoc quod dicit : « *In qua mensura,* » doctrinæ, et exempli, et laboris, et studii ad profectum proximi, « *mensi fueritis,* » proximo commisso vobis, « *remetietur vobis.* » Unde, Matth. xxv, 21 et seq., Qui fidelis fuit in decem sibi commissis, constituitur super decem civitates : et qui fidelis fuit in quinque, constituitur super quinque. Luc. vi, 38 : *Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Et in bono, et in malo.

« *Et adjicietur vobis,* » ex benignitate, et liberalitate divina in bonis : quamvis nihil adjiciatur in malis : quinimo, citra condignum punitur, qui punitur. Unde, Luc. vi, 38 : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superefluentem dabunt in sinum vestrum.* Supereffluenter enim bona nostra remunerat largitas divina. Esther, ii, 18 : *Dona largitus est juxta magnificentiam principalem.* Jacob. i, 5 : *Dat omnibus affluenter, et non improperat.*

« Qui enim habet, dabitur illi. »

Tangit rationem, et causam eorum quæ dixerat. « *Qui enim habet* » meritum ex studio charitatis, et virtutis, « *dabitur illi,* » et incrementum gratiæ hic, et magnitudo præmii in futuro. Luc. xix, 26, et Matth. xxv, 29 : *Omni habenti dabitur.* Unde etiam rex Assuerus non est largitus munera, nisi principibus, et optimatibus regni sui. Sapient. iii, 14 : *Dabitur enim illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima,* hoc est, donum quod tantæ fidelitati (alias, fidei) debetur.

« *Et qui non habet* » studium virtutis et meritum laboris, « *etiam quod habet,* » in bonis naturalibus, et habitibus acquisitis, et bonis fortunæ extrinsecus possessis, « *auferetur,* » per condemnationem, « *ab eo.* » Non tantum in futuro, sed etiam hic continue perdit in bonis naturæ, et acquisitis habitibus quod acceperat : quamvis forte in majorem suam condemnationem retineat bona fortunæ, quæ extrinsecus, ad tempus videtur possidere. Luc. xix, 24 : *Auferte ab illo mnam, et date illi qui decem mnas habet*[1].

« Et dicebat : Sic est regnum Dei, **26**
quemadmodum si homo jaciat semen-
tem in terram,

Et dormiat, et exsurgat nocte et die, **27**
et semen germinet, et increscat dum
nescit ille.

Ultro enim terra fructificat, pri- **28**
mum herbam, deinde spicam, deinde
plenum frumentum in spica.

Et cum produxerit fructus, statim **29**
mittit falcem, quoniam adest mes-
sis. »

Hic est secundum quod est de incremento profectus operationis ministrorum in divinis. Tangit autem hic duo, scilicet incrementi modum, et incrementi principium et consummationem. Incrementi principium et consummatio ibi tanguntur, ℣. 30 : « *Et dicebat : Cui assimilabimus ?* »

In primo tanguntur sex. Primum scilicet, quid, cui comparatur : secundum est, in quo incremento imperceptibili : tertium est, virtute cujus : quartum est, in gradibus profectus : quintum, in consummatione : sextum, in temporis opportunitate, quæ exspectatur ad maturandum. Et hæc omnia plana sunt in littera.

[1] Cf. Matth. xxv, 28.

Dicit igitur : « *Et dicebat,* » iterum rudes docens in similitudine parabolarum : « *Sic est regnum Dei,* » comparatum terrenis. Job, XXXVIII, 33 : *Numquid nosti ordinem cæli, et pones rationem ejus in terra ?*

« *Quemadmodum si homo,* » quia in humanis melius cognoscitur, quia homo per rationem operatur, « *jaciat sementem* » in agrum excultum, sicut jam ante dictum est. Semen autem est verbum Dei. Jerem. IV, 3 : *Novate vobis novale, et nolite serere super spinas.* « *In terram* » bonam excultam : quia sicut dicit Philosophus, rusticus juvat terram aratione, et seminatione.

« Et dormiat, »

A labore quiescendo : et ideo fructum in futurum committendo. I ad Corinth. III, 7 : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.* Dormiens hic in sanctis agricolis : cum vel somnus imminet mortis, vel forte contemplationis, et orationis : in quo cum Deo requiescunt Psal, CXXVI. 2 et 3 : *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii : merces, fructus ventris.*

« *Et exsurgat,* » hoc est, semen continuis profectibus, « *nocte ac die,* » semper seipso melius et majus effectum. II Reg. III, 1 : *David proficiscens, et semper seipso robustior.*

« *Et,* » ad quantitatem debitam virtutis deductum, « *semen germinet* » in altum. Isa. LXVI, 14 : *Ossa vestra quasi herba germinabunt,* hoc est, fortiores virtutes. Psal. XCI, 13 et 14 : *Justus germinabit sicut lilium : et florebit in æternum ante Dominum.*

« *Et increscat* » etiam in germine illo in profectu proximorum. Genes. IX, 1, 7 : *Crescite et multiplicamini, et replete terram.*

« *Dum nescit ille,* » seminator : quia in hac vita prædicator incrementa sui fructus deprehendere non poterit : et ideo non tantum de Deo in se, sed etiam in suis dicitur, Isa. XLV, 15 : *Vere tu es Deus absconditus.*

Et hujus reddit rationem et causam, dicens :

« Ultro enim, »

Sine operatione rationis seminalis per virtutem cœlestem, « *terra,* » quæ benedictionem cœli accepit, « *fructificat* » virtute divina. Genes. XXVII, 28 : *Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine terræ abundantiam frumenti et vini.* Et non dicit de labore tuo : quia ros cœli in gratia Dei, et pinguedo terræ in consolatione sancti Spiritus, terram faciunt fructificare frumentum in solido cibo virtutis, et vinum in gaudiis spiritualibus, et oleum in infusione pietatis, sola virtute divina.

Fructificat autem per gradus, « *primum herbam,* » in virore fidei. Jerem. XVII, 8 : *Erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas :* tamen Glossa dicit, quod herba est in timore, qui facit recedere a malo : quoniam, sicut dicitur in Psalmo CX, 10 : *Initium sapientiæ timor Domini.*

« *Deinde,* » post herbam, « *facit spicam,* » quæ est locus fructus : ita post virorem fidei, facit folliculos virtutum : vel post timorem, facit pœnitentiam. Genes. XLI, 5 : *Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque formosæ.* Hæ sunt septem virtutes : tres theologicæ, fides, spes et charitas : et quatuor cardinales, prudentia, justitia, fortitudo, et temperantia. Vel septem partes pœnitentiæ : compunctio cordis, confessio oris, et satisfactio operis, quæ fit per tria, scilicet orationem, jejunium, et eleemosynam : septimum autem est, quod fundamentum hujus est, propositum ad peccatum non redeundi. Sic ergo facit spicam post fidei vel timoris virorem.

« *Deinde plenum frumentum,* » in opere meritorio quod fit per charitatem.

Jacob. v, 7 : *Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum, et serotinum.*

Et habet fructum « *in spica,* » hoc est, in virtute, vel pœnitentia.

« Et cum produxerit fructus. »

Et sufficienter : et tangit tempus collectionis agricolæ seminantis, « *statim* » ergo « *mittit,* » hoc est, hunc fructum in horrea cœli Deo congregat. Joan. IV, 36 : *Qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam.* Sua autem diligentia Prædicator, et Prælatus debent Deo tales fructus congregare, et non sibi lucra quærere ex ipsis. Matth. XIII, 30 : *Triticum congregate in horreum meum.* Luc. III, 17 : *Congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inexstinguibili.*

Mittit igitur « *falcem,* » quia præcidit fructum a laude et lucro hominis, et reponit Deo in horreum. Sic enim fecit Filius incrementa sancto Patri assignans. I ad Corinth. XV, 24 : *Cum tradiderit regnum Deo et Patri.*

« *Quoniam,* » tunc tempore maturi fructus, « *adest messis,* » ut totum Deo attribuatur et reservetur : et hoc fit, vel in fine mundi, vel in fine mortis cujuslibet hominis. Apocal. XIV, 15 : *Mitte falcem tuam, et mete : quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ.*

30 « Et dicebat : Cui assimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud ? »

Tangit hic demonstrationem hujus profectus quem dixit in particulari, secundum initium, et consummationem. Tangit autem hic tria, scilicet diligentiam investigationis doctrinæ parabolicæ, parabolam hujus profectus et fructus, et utilitatem talis doctrinæ quæ fit per parabolas.

De primo dicit : « *Et dicebat,* » excitans ad diligentiam doctrinæ parabolicæ. Proverb. I, 6 : *Animadvertet parabolam et interpretationem, verba sapientium et ænigmata eorum.*

« *Cui assimilabimus,* » humano operi, « *regnum Dei,* » qui in terra cognoscitur ? « *Aut cui parabolæ comparabimus illud?* » quia humanus et rudis intellectus ad cœlestia non elevatur, nisi parabolicis sit adjutus similitudinibus. Omnis enim cognitio intellectiva fit ex his quæ nota sunt nobis, et aliter doceri non possumus. I ad Corinth. XIII, 12 : *Videmus nunc per speculum in ænigmate.*

« Sicut granum sinapis, quod cum **31** seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus quæ sunt in terra :

Et cum seminatum fuerit, ascendit **32** et fit majus omnibus oleribus, et facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra ejus aves cœli habitare.

Et talibus multis parabolis loquebatur **33** eis verbum, prout poterant audire :

Sine parabola autem non loquebatur **34** eis, seorsum autem discipulis suis disserebat omnia. »

Hoc est secundum, in quo tangit parabolam. Et tangit tria, scilicet quid, cui comparatur, in quo quantum ad initium humilitatis, et in quo quantum ad consummationem perfectæ magnitudinis.

Dicit igitur : « *Sicut granum sinapis,* » supple, sic comparatum est regnum cœlorum : hoc enim acutum est in sapore, subtile in substantia, vaporosum per calorem, repletivum per dilatationem sui, purgativum capitis per virtutem, malarum stirpium exstinctivum per plantationem.

Acutum quidem per fidei fervorem, Luc. XVII, 6 : *Si habueritis fidem sicut*

granum sinapis, dicetis huic arbori moro : Eradicare, et transplantare in mare : et obediet vobis.

Subtile autem est in substantia : et hoc habet fides ad intellectum verbi Dei, de quo dicitur, ad Hebr. IV, 12, quod *sermo Dei penetrabilior est omni gladio ancipiti :... et discretor cogitationum et intentionum cordis.* Sapient. VII, 22, Spiritus sapientiæ dicitur esse subtilis.

Vaporosum autem est per charitatem. Sapient. VII, 25 : *Vapor quidem virtutis Dei, et emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera.*

Repletivum autem est per consolationem Spiritus, quæ nihil aliud admittit. Psal. LXXXIX, 14 : *Repleti sumus mane misericordia tua : et exsultavimus, et delectati sumus.*

Purgativum autem capitis per gratiam quam habet contra peccatum, quod est in ratione mentis. Act. XV, 9 : *Fide purificans corda eorum.*

Sed suffocativum est malarum stirpium per plantationem : quia ubi in hortis plantatur, aliæ stirpes non convalescunt : et sic est fides exstirpans hæreses, et malas doctrinas. Jerem. I, 10 : *Constitui te ut evellas et destruas, et disperdas et dissipes, et ædifices et plantes.*

Sic igitur est sicut granum sinapis, « *quod cum* » primum « *seminatum fuerit in terra,* » per prædicatores Novi Testamenti, « *minus est,* » quantum ad humilitatem seminum et seminantium, « *omnibus seminibus* » verborum, et Legum, et Doctorum : duo enim semina ante jacta sunt in terram vel tria, scilicet, lex naturalis per Patriarchas, et lex scripta per Moysem, et eos qui cum eo erant : et si tertium addere volumus, semen legum humanarum per plebiscita, et reges et imperatores : et hæc semina magna fuerunt potestate humana et sapientia et coactione pœnarum. Verbum autem Evangelii nihil horum habuit : sed minus inter omnia fuit sapientia humana, quia stultitia reputabatur per crucem habere vitam : et minus fuit potestate, quia hoc idem reputabatur infirmitas. I ad Corinth. I, 23 : *Nos prædicamus Christum crucifixum : Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Similiter prædicatores ejus nullius fuerunt eminentiæ mundanæ respectu eorum qui seminaverunt legem naturalem et Mosaicam et humanas leges. I ad Corinth. I, 26 et seq. : *Videte vocationem vestram, fratres : quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles. Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes : et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia : et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret : ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* Et sic humilitate incepit, et in humilitate profecit. Jacob. IV, 6 : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Luc. I, 52 : *Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.*

Sic ergo non veritate sed humilitate omnibus seminibus minûs est « *in terra* » seminantis, hoc est, in agro humani cordis.

« Et cum seminatum fuerit, »

In cordibus fidelium, « *ascendit,* » profectu virtutis, et potestatis, et dignitatis. Virtute autem mira operatur : potestatem habet claudere et aperire cœlum et infernum : dignitate sibi flectunt genua omnia regna : et hoc est quod dicit Glossa.

« *Ascendit,* » scilicet in arborem quæ altitudine, amplitudine, annositate, herbarum transcendit naturam : alta est, quia ad cœlestia sustollit : ampla, quia totum mundum occupavit : annosa, quia finiri non potuit.

Hoc est ergo quod dicit : « *Ascendit,* » crescens in arborem multorum ramorum. Psal. LXXIX, 12, 11 : *Extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus. Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei.*

« *Et fit majus,* » virtute et amplitudine et utilitate « *omnibus oleribus,* » in horto Dei plantatis, hoc est, doctrinis et legibus humanis.

« *Et facit ramos magnos,* » hoc est, provinciales Ecclesias et distinctiones episcopatuum. Ezechiel. XXXVI, 8 : *Vos autem, montes Israel, ramos vestros germinetis, et fructum vestrum afferatis populo meo Israel.*

« *Ita ut possint sub umbra ejus,* » protectionis scilicet ecclesiasticæ, « *aves cœli,* » contemplativi, vel fideles pennati pennis virtutum, et volantes ad cœlum, « *habitare* » in casis et nidis Ecclesiarum. Daniel. IV, 7 et seq. : *Ecce arbor in medio terræ, et altitudo ejus nimia. Magna arbor et fortis, et proceritas ejus contingens cœlum : adspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ. Folia ejus pulcherrima, et fructus ejus nimius, et esca universorum in ea. Subter eam habitabant animalia et bestiæ, et in ramis ejus conversabantur volucres cœli, et ex ea vescebatur omnis caro.*

« Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum. »

Tertium est, in quo tangitur hujus doctrinæ utilitas.

« *Prout poterant,* » humano modo, qui lacte indigent, non solido cibo, « *audire,* » hoc est, auditu per humanas similitudines percipere. Isa. VIII, 1 : *Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis,* hoc est, ita ut humanus intellectus intelligat.

« Siue parabola autem, »

Hoc est, sine humanis similitudinibus, « *non loquebatur,* » quia divina simplicitas, et pura spiritualia ab animalibus hominibus non possunt sine humanis similitudinibus intelligi. Isa. XXIX, 11 : *Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent : Lege istum : et respondebit : Non possum, signatus est enim.*

« Seorsum autem, »

Sequestratus a turbis, « *discipulis suis,* » qui capaciores erant, « *disserebat omnia,* » aperte cœlestia ostendens : sicut et Numer. III, 38, Levitæ nude videbant, quæ cæteri videre non poterant nisi involuta. Luc. XXIV, 27 : *Interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant.* Ex hoc autem patet, quod parva pars evangelicæ sapientiæ descripta est : quia de interpretationibus parabolarum non est scripta nisi una, cum tamen hic expresse dicatur, quod Dominus omnia dicta parabolica per seipsum disseruit.

« Et ait illis in illa die, cum sero esset factum : Transeamus contra. **35**

Et dimittentes turbam, assumunt eum ita ut erat in navi : et aliæ naves erant cum illo. **36**

Et facta est procella magna venti, et fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis. **37**

Et erat ipse in puppi super cervical dormiens : et excitant eum, et dicunt illi : Magister, non ad te pertinet quia perimus ? **38**

Et exsurgens comminatus est vento, et dixit mari : Tace, obmutesce. Et cessavit ventus, et facta est tranquillitas magna. **39**

Et ait illis : Quid timidi estis ? necdum habetis fidem ? Et timuerunt timore magno, et dicebant ad alterutrum : Quis, putas. est iste, quia et ventus et mare obediunt ei ? » **40**

« *Et ait illis in illa* » eadem « *die.* »

Et tangitur hic pars in qua ostenditur, quod omnis potestas tam ministrorum

quam mysteriorum a capite Christo descendit.

Tanguntur autem hic sex, scilicet, factum quod est illius miraculi occasio : periculi in mari causatio : Salvatoris dispensativa dissimulatio : periclitatorum apud Salvatorem interpellatio : tempestatis ex parte divina sedatio : timidorum in præsentia tanti Salvatoris increpatio : et omnia hæc videntium admiratio et laudatio. Et hæc per ordinem in littera continentur.

Dicit igitur : « *Cum sero esset factum*, » quando die tota de navicula prædicavit turbis stantibus in littore : in sero autem dixit discipulis : « *Transeamus* » et ad aliud littus maris, quod *mare Galilææ* vocatur : « *contra*, » hoc est, ad aliud littus, ut ibi homines illuminaret : vel, quia ibi desertum fuit, ut ubi in oratione pernoctaret. Psal. XLI, 9 : *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus :* quia ex misericordia in die hominum intendit saluti, et in nocte spiritu libere cantavit Domino.

Et discipuli ad præceptum Domini,

« Dimittentes turbam, assumunt eum, »

Christum secum ad navigandum, « *ita ut erat in navi*, » quia ad locum non descendit a navi in qua docuerat : « *et aliæ naves*, » diversorum secum navigantium, « *erant cum illo*, » in quibus erant testes miraculi. Sapient. XIV, 5 : *Ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera, propter hoc etiam et exiguo ligno credunt homines animas suas, et transeuntes mare per ratem liberati sunt.* Istæ enim naves beneficia crucis et pœnitentiæ, per quam crucem tollimus, significant : et ideo de Ecclesia dicitur, Proverb. XXXI, 14 : *Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.* Genes. XLIX, 13 : *Zabulon* (qui *habitaculum fortitudinis* interpretatur) *in littore maris habitabit, et in statione navium pertingens usque ad Sidonem.* Statio autem navium est statio in crucis communicantia, in pœnitentiæ tenentia, et in religionis perseverantia : his enim tribus navibus sine periculo transitur mare hujus sæculi, et ad littus æternæ stabilitatis pervenitur : et pertingitur in his tribus usque ad Sidonem : quia Sidon *venatio* interpretatur : quia in his tribus homines, qui in bestias silvestres conversi sunt, capiuntur et ligantur, per crucem quidem ligamentis fidei secundum intellectum, per pœnitentiam autem ligamentis justitiæ ad satisfactionis effectum, per religionem autem ligamentis honestatis ad ordinandum affectum : hoc significatum est, Joan. XXI, 8, ubi dicitur, quod *Discipuli Jesu ad ipsum navigio venerunt.*

« Et facta est procella magna venti. »

Secundum est, in quo tangitur periculum. Et dicitur : « *Procella magna venti*, » quæ ex vento exsurgit : quæ fit in mari sæculi, vel cordis per suasionem et tentationem diaboli. Daniel. VII, 2 : *Quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.* Hoc est, pompa mundi, carnis concupiscentia, inquietudo spiritus, et incentivum diaboli.

« *Et fluctus*, » exsurgens, « *mittebat* » aquam « *in navim*, » ad submergendum, hoc est, in regimen mentis, ad mergendum hominem in peccatis. Psal. LXVIII, 2 : *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.*

« *Ita ut impleretur navis*, » ad mergendum. Exod. XV, 10 : *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Sicut multos submersos esse videmus in aquis concupiscentiæ.

« Et erat ipse »

Christus, « *in puppi*, » hoc est, in ultima parte navis juxta gubernaculum, « *super cervical*, » hoc est, super humanæ necessitatis infirmitatem, qua caput

propter nos reclinaverat, « *dormiens*, » hoc est, tentationem istam dissimulans : et hoc est tertium de superius dictis. Psal. III, 6 : *Ego dormivi, et soporatus sum.* Secundum providentiam tamen Deitatis, semper suos custodiens vigilavit. Psal. CXX, 4 : *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel.*

« Et excitant eum. »

Quartum est, scilicet interpellatio ad adjuvandum : quia ad hoc dormivit, ut ad pulsandum excitaretur. Psal. LXXVII, 65 : *Excitatus est tamquam dormiens Dominus.* Matth. VIII, 25 : *Suscitaverunt eum discipuli ejus.*

« *Et dicunt illi*, » interpellando eum : « *Magister*, » cujus doctrina et imperio aggressi sumus navigium. Joan. III, 2 : *Scimus quia a Deo venisti Magister.*

« *Non*, » hoc est, nonne « *ad te pertinet*, » qui curam nostram suscepisti, et juxta gubernaculum jaces et dormis, « *quia perimus.* » Quasi dicerent : Sic, ad te hoc pertinet. Matth. VIII, 25 : *Domine, salva nos, perimus.* I Petr. V, 7 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.*

« Et exsurgens, »

Actum protectionis ad exteriora extendens. Psal. XLIII, 23 : *Exsurge, quare obdormis, Domine? Exsurge, et ne repellas in finem.*

« *Comminatus est vento*, » diaboli persuasionibus. Nahum, I, 3 et 4 : *Dominus in tempestate et turbine viæ ejus, et nebulæ pulvis pedum ejus. Increpans mare, et exsiccans illud.*

« *Et dixit mari*, » cordis inquietudini, vel sæculi tentationibus : « *Tace*, » et « *obmutesce* » a tempestate. Tob. III, 22 : *Post tempestatem tranquillum facis : et post lacrymationem et fletum, exsultationem infundis.*

« *Et cessavit ventus*, » a fundo maris exsurgens, « *et facta est tranquillitas magna*, » sedata tempestate. Matth. VIII, 26 : *Surgens Jesus, imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.*

« Et ait illis, »

Increpans eos de timiditate, quæ de modicitate fidei proveniebat : « *Quid timidi estis*, » vobiscum habentes Salvatorem? « *Necdum habetis fidem?* » hoc est, fidei perfectionem. Matth. XIV, 31 : *Modicæ fidei, quare dubitasti?*

« *Et timuerunt timore magno*, » non timore pœnæ, sed timore reverentiæ ad magnitudinem potestatis Christi. Daniel. III, 41 : *Nunc sequimur te in toto corde, et timemus te.* Jerem. X, 7 : *Quis non timebit te, o rex Gentium?*

« *Et dicebant*, » factum magna laude extollentes, « *ad alterutrum*, » scilicet ad omnes qui simul navigabant. Psal. CVI, 23 et 24 : *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo.*

« Quis putas est iste? »

Hoc est, quantæ dignitatis et potestatis est iste, qui in humana carne videtur latere? Psal. XXIII, 8 : *Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis et potens.* Exod. XV, 11 : *Quis similis tui in fortibus, Domine?... terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?*

« *Quia et ventus et mare*, » quæ insensibilia sunt : clam « *obediunt ei*, » ad nutum obsequendo. Matth. VIII, 27 : *Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?*

Sic ergo suam ostendit divinam potestatem.

CAPUT V.

In regione Gerasenorum dæmoniacum curat ferocissimum a legione ~~dæmonum~~ : quibus permittit ut in porcos ingrediantur, nec sinit ut ipsum sequatur is qui liberatus erat : curata muliere a profluvio sanguinis, venit ad domum Jairi, ejusque filiam resuscitat.

1. Et venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum[1].
2. Et exeunti ei de navi, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo,
3. Qui domicilium habebat in monumentis : et neque catenis jam quisquam poterat eum ligare,
4. Quoniam sæpe compedibus et catenis vinctus dirupisset catenas, et compedes comminuisset, et nemo poterat eum domare.
5. Et semper die ac nocte in monumentis et in montibus erat, clamans et concidens se lapidibus.
6. Videns autem Jesum a longe, cucurrit et adoravit eum :
7. Et clamans voce magna, dixit : Quid mihi et tibi, Jesu, Fili Dei Altissimi ? adjuro te per Deum, ne me torqueas.
8. Dicebat enim illi : Exi, spiritus immunde, ab homine.
9. Et interrogabat eum : Quod tibi nomen est? Et dicit ei : Legio mihi nomen est, quia multi sumus.
10. Et deprecabatur eum multum ne se expelleret extra regionem.
11. Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus pascens.
12. Et deprecabantur eum spiritus, dicentes : Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus.
13. Et concessit eis statim Jesus. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos : et magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia, et suffocati sunt in mari.
14. Qui autem pascebant eos fugerunt, et nuntiaverunt in civitatem et in agros. Et egressi sunt videre quid esset factum.
15. Et veniunt ad Jesum, et vident illum qui a dæmonio vexabatur sedentem, vestitum, et sanæ mentis : et timuerunt.
16. Et narraverunt illis qui viderant, qualiter factum esset ei qui dæmonium habuerat, et de porcis.
17. Et rogare cœperunt eum ut discederet de finibus eorum.
18. Cumque ascenderet navim, cœpit illum deprecari qui a dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo.
19. Et non admisit eum, sed ait illi : Vade in domum tuam ad tuos, et annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, et misertus sit tui.
20. Et abiit, et cœpit prædicare in

[1] Matth. VIII, 28 ; Luc. VIII, 26.

Decapoli quanta sibi fecisset Jesus : et omnes mirabantur.

21. Et cum transcendisset Jesus in navi rursum trans fretum, convenit turba multa ad eum, et erat circa mare.

22. Et venit quidam de archisynagogis, nomine Jairus [1] : et videns eum, procidit ad pedes ejus,

23. Et deprecabatur eum multum, dicens : Quoniam filia mea in extremis est, veni, impone manum super eam, ut salva sit et vivat.

24. Et abiit cum illo, et sequebatur eum turba multa, et comprimebant eum.

25. Et mulier quæ erat in profluvio sanguinis annis duodecim,

26. Et fuerat multa perpessa a compluribus medicis, et erogaverat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat,

27. Cum audisset de Jesu, venit in turba retro, et tetigit vestimentum ejus.

28. Dicebat enim : Quia si vel vestimentum ejus tetigero, salva ero.

29. Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus : et sensit corpore quia sanata esset a plaga.

30. Et statim Jesus in semetipso cognoscens virtutem quæ exierat de illo, conversus ad turbam, aiebat : Quis tetigit vestimenta mea ?

31. Et dicebant ei discipuli sui : Vides turbam comprimentem te, et dicis : Quis me tetigit ?

32. Et circumspiciebat videre eam quæ hoc fecerat.

33. Mulier vero timens et tremens, sciens quod factum esset in se, venit et procidit ante eum, et dixit ei omnem veritatem.

34. Ille autem dixit ei : Filia, fides tua te salvam fecit [2] : vade in pace, et esto sana a plaga tua.

35. Adhuc eo loquente, veniunt ab archisynagogo, dicentes : Quia filia tua mortua est : quid ultra vexas magistrum ?

36. Jesus autem, audito verbo quod dicebatur, ait archisynagogo : Nolo timere : tantummodo crede.

37. Et non admisit quemquam se sequi, nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem Jacobi.

38. Et veniunt in domum archisynagogi, et videt tumultum, et flentes, et ejulantes multum.

39. Et ingressus, ait illis : Quid turbamini et ploratis ? puella non est mortua, sed dormit.

40. Et irridebant eum. Ipse vero, ejectis omnibus, assumit patrem et matrem puellæ, et qui secum erant, et ingreditur ubi puella erat jacens.

41. Et tenens manum puellæ, ait illi : Talitha, cumi : quod est interpretatum : Puella (tibi dico), surge.

42. Et confestim surrexit puella, et ambulabat : erat autem annorum duodecim : et obstupuerunt stupore magno.

43. Et præcepit illis vehementer ut nemo id sciret, et dixit dari illi manducare.

[1] Matth. IX, 18 ; Luc. VIII, 41.

[2] Luc. VII, 50 et VIII, 48.

IN CAPUT V MARCI

ENARRATIO.

« Et venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum.

Et exeunti ei de navi, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo. »

Hic adhuc quintam Leonis proprietatem prosequitur, quæ sicut dicitur, est propriæ fortitudinis demonstratio. Sed in isto sexto miraculo, incipit ostendere fortitudinem contra peccatum actuale destruendum.

Hoc autem tripliciter consideratur, scilicet, in his quæ tentant de peccato illo ; et in his quæ sunt in ipso peccato : et in his quæ sunt consequentia peccatum in peccante. Et ideo dividitur in tres partes : in quarum prima fortitudinem exercet contra tentantia de peccato ipso, quæ sunt dæmon, et caro, et mundus : in tribus miraculis quæ fiunt, expulsio dæmonum, et restrictio sanguinis, et suscitatio filiæ principis. Et hæc in hoc quinto capitulo dicemus. De reliqua parte istius divisionis infra in sexto dicetur.

Constat autem quod istud capitulum in tres partes dividitur secundum tria tentantia de actuali peccato, quæ inducta sunt. Et quia dæmon principale tentans est inter ista, ideo primo ponitur.

Historia autem hæc dividitur in quinque partes : ita quod in prima exponit dæmonis in tentando, et possidendo tentatum, ferocitatem : in secunda, describit qualiter dæmon ad Leonem de tribu Juda amittit suæ ferocitatis fortitudinem, ibi, ℣. 6 : « *Videns autem Jesum a longe.* » Tertio, ostendit in quos accipit licentiam exercendi suæ ferocitatis tyrannidem, ibi, ℣. 11 : « *Erat autem ibi circa montem*, etc. » In quarta, describit qualiter ex hoc facto circumstantes acceperunt instructionem, ibi, ℣. 14 : « *Qui autem pascebant eos*, etc. » In quinta et ultima parte, ostenditur qualiter is qui liberatus fuerat contra talem tentationem, accepit cautionem, ibi, ℣. 18 : » *Cumque ascenderet navim*, etc. »

In prima harum partium dicuntur tria : scilicet, ubi factum, et in quo, et contra quam ferocitatem factum est miraculum.

De primo dicit :

« Et venerunt, »

Jesus et discipuli ejus, « *trans fretum*, » stagni Genesareth, ad ripam ad quam navigabant, « *in regionem Gerasenorum*, » quæ a stagno Genesareth, cui adjacet, regio Gerasenorum vocatur. Venerunt autem, ut et ibi prædicarent, et diaboli regnum exstirparent. I ad Corinth. IX, 22 : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.*

« Et exeunti ei de navi. »

Secundum est, in quo ostenditur in quo factum est miraculum. Exitus autem iste significat exitum de consideratione salutis propriæ, ad intentionem salutis proximorum. I ad Corinth. X, 33 : *Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.*

« *Statim occurrit*, » per oppositionem : quia dæmon contraria saluti hominum procurat et intendit. Zachar. III, 1 : *Satan stabat a dextris Jesu, ut adversaretur ei.*

« *De monumentis homo in spiritu immundo*, » quia dæmon auctor (alias, actor) mortis, mortuorum damnatorum loca diligit. Sapient. II, 24 : *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum : imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* Contra hoc autem quod hic dici-

tur, *homo*, videtur esse quod dicitur, Matth. VIII, 28, quod duo homines erant. Sed ad hoc dicendum quod in veritate duo erant : sed quia unus erat claræ dignitatis de provincia, alter autem plebeius, ideo alii Evangelistæ, præter Matthæum non faciunt mentionem nisi de uno : Matthæus autem veritatem sequens historiæ, sicut is qui miraculo interfuit, mentionem facit de duobus.

Quod autem dicit : « *In spiritu immundo,* » non est intelligendum, quod spiritus immundus sit per naturam, sicut dixit Manichæus, vocans spiritus immundos, qui facti sunt a Deo tenebrarum : sed ideo dictum est, quia cum ab auctore omnis munditiæ mundus creatus est, ipse se avertens ab auctore munditiæ per voluntatem, seipsum fecit immundum. Matth. XII, 43 : *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida*, hoc est, munda, ab humore immunditiæ exsiccata : *quærens requiem, et non invenit*, quia non nisi in immunditiis delectatur.

3 « Qui domicilium habebat in monumentis : et neque catenis jam quisquam poterat eum ligare,

4 Quoniam sæpe compedibus et catenis vinctus dirupisset catenas, et compedes comminuisset, et nemo poterat eum domare.

5 Et semper die ac nocte in monumentis et in montibus erat, clamans et concidens se lapidibus. »

Hic describit dæmonis ferocitatem in quinque, scilicet habitatione, fortitudine, inquietudine, vexationis continuitate, et malitiæ ferocitate.

Dicit igitur :

« *Qui domicilium habebat in monumentis,* » quia auctor mortis in inquinamentis mortuorum delectabatur. Baruch, III, 11 : *Coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum.* Et significabat quod eos qui tentationi ejus consentiunt, ad immunditiam et habitationem deducit mortuorum. Per hoc etiam Christus quando revocat eos, de loco et habitatione revocat mortuorum, dicente Apostolo ad Ephes. V, 14 : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.*

« Et neque catenis, etc. »

A fortitudine hic describit dæmonium : et hoc est, « *Et neque catenis,* » jam fortitudine dæmonis prævalente, « *quisquam* » homo « *poterat eum ligare.* » Job, XLI, 24 : *Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.*

Et hoc probat per effectum, dicens :

« Quoniam sæpe compedibus, »

Quibus pedes ejus stringebantur, « *et catenis vinctus,* » quibus constricta fuerunt brachia, « *dirupisset catenas,* » violentia dæmonis, « *et compedes comminuisset.* » Catenæ autem istæ, leges divinas significant, quibus dæmon tentans ligare non poterit. Psal. CXLIX, 8 : *Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis.* Compedes autem significant ligamenta affectionum. Eccli. VI, 25, 31 : *Injice pedem tuum in compedes illius.... Vincula enim illius alligatura salutaris.* Catenæ autem significant ligamenta operum, quibus sancti viri affectus et opera ligant, ut legibus divinis pertrahantur. Isa. XLV, 14 : *Vincti manicis pergent : et te adorabunt, teque de precabuntur.* Et hæc omnia in insanis et dæmoni consentientibus, dæmon confringit, et comminuit.

« Et nemo poterat eum domare. »

Ab inquietudine describit, quia domi retineri non poterat, sed inquiete per infinita desiderabilia movebatur. Proverb.

VII, 10 et seq. : *Mulier garrula et vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians.*

« Et semper die ac nocte. »

A continua describit vexatione : « *in monumentis,* » ubi jacebant corpora in inferno damnatorum, « *et in montibus* » silvosis et desertis agitabatur. Thren. V, 5 : *Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies.* Sic, 1 Reg. XVI, 14 : *Exagitavit Saul spiritus nequam a Domino.* Si maledictum Domini est in eis qui sibi servire nolunt, dicente, Jerem. XVI, 13 : *Et ejiciam vos de terra hac in terram quam ignoratis vos, et patres vestri : et servietis ibi diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem :* quia et in adversis et in prosperis dæmon eos exagitat : in adversis per impatientiam, in prosperis per elationem.

« Erat clamans, etc. »

Describit hic malitiam dæmonis a malitiæ ferocitate : « *Clamans* » enim erat « *et concidens se lapidibus.* » Clamans autem erat peccati enormitate, et lapidibus se concidens, per peccati obdurationem. De primo dicitur, Genes. IV, 10 : *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Genes. XVIII, 21 : *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est,* etc. De secundo dicitur, Act. VII, 51 : *Dura cervice, et incircumcicis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.* Isti sunt lapides de quibus dicitur, Joan. VIII, 59 : *Tulerunt lapides Judæi ut jacerent in eum.* Concidunt autem se his lapidibus dæmoniaci, quando suasu dæmonis addunt peccatum peccato. Isa. I, 6 : *Vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.*

« Videns autem Jesum a longe, cucurrit et adoravit eum : **6**

Et clamans voce magna, dixit : Quid mihi et tibi, Jesu, Fili Dei altissimi ? adjuro te per Deum, ne me torqueas. **7**

Dicebat enim illi : Exi, spiritus immunde, ab homine, **8**

Et interrogabat eum : Quod tibi nomen est ? Et dicit ei : Legio mihi nomen est, quia multi sumus. **9**

Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem. » **10**

Secundum est hujus historiæ, in quo ostenditur qualiter vis dæmonis compescitur et debilitatur ad adspectum Leonis de tribu Juda.

Dicit autem hic quatuor, scilicet dæmonum destitutionem, causam destitutionis, manifestationem dæmoniacæ multitudinis, et deprecationem iniquæ voluntatis.

De primo dicit tria : adorationem timoris, professionem extortæ (alias, exortæ) veritatis, et adjurationem iniquæ voluntatis.

De primo horum dicit : « *Videns autem Jesum,* » per considerationem divinæ potestatis, quam timebat dæmon. Jacob. II, 19 : *Dæmones credunt, et contremiscunt.* Vidit enim dæmon non intellectu veritatis, sed credulitate æstimationis. Mich. VII, 10 : *Adspiciet me inimica mea,* hoc est, legio dæmoniaca :... *et operietur confusione.*

« *A longe,* » non solum distantia loci, sed dimensione dissimilitudinis. Psal. CXVIII, 155 : *Longe a peccatoribus salus.*

« *Cucurrit,* » coactus et indevotus, « *et adoravit eum,* » quia sibi militat, ut dicit Gregorius, etiam id quod per malitiam voluntatis obstat. Et ideo dicitur, ad Philip. II, 10, *quod in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum,* quia in gloria existentes adorant beatum, et gloriæ auctorem : terrigenæ autem, gratiæ remuneratorem : et infernales, tremunt potestatem.

« Et clamans voce magna, »

Ex magnitudine iræ et furoris. Apocal. XII, 12 : *Descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet :* sensit enim jam se expellendum, et destituendum a potestate.

« *Dixit,* » professus coactæ confessionis veritatem : « *Quid mihi et tibi* » est commune, « *Jesu, Fili Dei altissimi ?* » Quasi dicat : Nihil. Et ideo, istum ex iniquitate meo jure possessum, non debes tibi per meam expulsionem vindicare. II ad Corinth. VI, 15 : *Quæ autem conventio Christi ad Belial ? Aut quæ pars fideli cum infideli ?*

Dicit autem « *Jesum Filium Dei altissimi,* » non per scientiam certam, sed sicut per æstimationem. Luc. IV, 41 : *Exibant autem dæmonia a multis clamantia, et dicentia : Quia tu es Filius Dei.*

« Adjuro te. »

Adjuratio est iniquæ ad nocendum voluntatis. Et est sensus : Per hanc justitiam quæ videtur esse ex hoc quod tibi mecum nulla est communicatio, « *adjuro te,* » per hoc justitiæ sacramentum, « *per Deum,* » qui justitiæ auctor est, « *ne me torqueas,* » ab isto expellendo : quia mihi tortura est a nocumento compesci, cum totus animus malitiæ meæ delectetur in nocendo homini. Isa. XXVII, 1 : *Visitabit Dominus in gladio suo duro, et grandi, et forti, super Leviathan serpentem vectem, et super Leviathan serpentem tortuosum : et occidet cetum qui in mari est.* Gladius autem ille verbum Dei est. Isa. XI, 4 : *Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Sic ergo imperio verbi Dei timuit torqueri.

« Dicebat enim illi, »

Jesus dæmoni. Et tangit hic causam eorum quæ inducta sunt : « *Exi, spiritus immunde, ab homine,* » quoniam licet tu mea maledictione, quam homini propter peccatum suum inflixi, juste torqueas, tamen quia mea creatura est homo, quem decepisti fraudulenter, tu homines contra me injuste detines : et ideo præcipio ut exeas. Luc. XI, 14 : *Erat Jesus ejiciens dæmonium.* Act. X, 38 : *Pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo.*

« *Et interrogabat eum,* » Jesus dæmonem : non ut ignorantem quod nesciebat instrueret, sed ut adstantibus nomen dæmonis significaret. Joan. XVI, 30 : *Non opus est tibi ut quis te interroget.*

« Quod tibi nomen est ? »

Quia a malitia suæ voluntatis, et permissæ potestatis sortiuntur nomina.

« *Et dicit ei,* » dæmon Christo : « *Legio mihi nomen est.* » Et subjungit causam : « *Quia multi sumus,* » et numero personarum, et numero malitiæ. Marc. I, 34 : *Et curavit multos qui vexabantur variis languoribus : et dæmonia multa ejiciebat,* etc. Luc. VIII, 2 : *Maria Magdalene, de qua septem dæmonia exierant.* Et, Ibidem, Gregorius in Glossa : « Septem Maria dæmonia habuerat, quæ « universis vitiis plena fuerat. »

« Et deprecabatur eum, »

Princeps legionis Christum, « *multum,* » obnixe, « *ne se expelleret extra regionem,* » quia ad prædicandum Christus in regionem illam venerat, et per prædicationem se dæmon expellendum timebat. Homines autem illius regionis mali erant, et vexari a dæmonibus meruerunt. Genes. XIII, 13 : *Homines Sodomitæ pessimi erant, et peccatores coram Domino nimis.*

« Erat autem ibi circa montem grex 11
porcorum magnus pascens.

Et deprecabantur eum spiritus, di- 12

centes : Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus.

Et concessit eis statim Jesus. Et exeuntes spiritus immundi, introierunt in porcos : et magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia, et suffocati sunt in mari. »

Hic tertio ostenditur in quos accipit dæmon licentiam suam exercendi tyrannidem.

Tangit autem quatuor, scilicet, qualitatem eorum in quos licentia conceditur : et licentiæ postulationem, quam non habet nisi concedatur : et justæ licentiæ a Deo concessionem, quæ a Deo permittitur : et nocumentum, quod ab iniqua dæmonis voluntate procuratur.

Dicit igitur : « *Erat autem ibi circa montem,* » in campis superbiæ. Jerem. LI, 25 : *Ecce ego ad te, mons pestifer, qui corrumpis universam terram.*

« *Grex,* » per vitiis consonantiam, « *porcorum,* » quasi spurcorum, « *magnus pascens* » quia magnis spurcitiis delectabatur. Iste enim grex gregem spurcorum designat in aquis, quia agrestibus et feralibus delectabatur in glandibus, et humana non curabat. Luc. XV, 15 : *Misit illum in villam suam ut pasceret porcos.*

« Et deprecabantur eum, »

Christum, « *spiritus* » immundi, « *dicentes,* » hoc est, nocendi licentiam petentes : quia nec porcis nocere possunt nisi fuerit permissum. Unde, Job, I, 11 : *Dixit Satan Domino : Extende paululum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet.*

« Mitte nos in porcos. »

Ut si in corpore et anima incolas vexari non permittis, saltem in possessis noceamus immundis animalibus : et maxime in his quæ immunditiæ habent significationem, et in luto volutantur. II Petr. II, 22 : *Canis reversus ad suum vomitum : et, Sus lota in volutabro luti.* Isa, LXV, 4 : *Qui comedunt carnem suillam, et jus profanum in vasis eorum.*

« *Ut in eos introeamus,* » intus ad nocumentum impellentes : quia interius quærit dæmon possidere, ut animam habeat. Genes. XIV, 21 : *Da mihi animas, cætera tolle tibi.*

« Et concessit eis statim Jesus, »

Non satisfaciens iniquæ voluntati dæmonum, sed puniens ad instructionem peccata pravorum, qui hæc animalia injuste possessa tenebant. Isa. XIV, 22 : *Perdam Babylonis nomen, et reliquias, et germen, et progeniem.* Hoc enim juste facit Deus ad instructionem : ut sciant hi qui injusta detinent, et porcino more vivunt, se a dæmonibus possidendos fore. Ideo ergo concessit, et misericorditer egit : quia illos in suis immundis animalibus, et non in seipsis erudivit. Sapient. XII, 1, 2 : *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus ! Ideoque eos qui exerrant, partibus corripis,* hoc est, paulatim, et particulariter, et non statim consumis :... *et de quibus peccant admones et alloqueris, ut relicta malitia, credant in te, Domine.* Thren. III, 22 : *Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti : quia non defecerunt miserationes ejus.* Habacuc, III, 2 : *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.*

« Et exeuntes spiritus immundi, »

Scilicet de homine, « *introierunt in porcos,* » hoc est, in porcorum corpora, Christi permissione : ut incolæ regionis in porcis positi erudirentur. Et impellebantur porci a dæmonibus, sicut impulsus ad decipiendum fuit serpens [1].

[1] Cf. Genes. III, 1 et seq.

« Et magno impetu, »

Dæmonum, « *grex* » porcorum « *præcipitatus in mare* » Genesareth ad submergendum. Apocal. XVIII, 21 : *Hoc impetu mittetur*, scilicet in mare, *Babylon, civitas illa magna, et ultra jam non invenietur*, quia Babylon, quæ *confusio* interpretatur, idem significat quod spurcitia porcorum.

« Ad duo millia, »

Quantitas est nocumenti. « *Duo millia*, » quia peccato spiritus et animæ ad innumerabilem multitudinem vitiorum obligati tenebantur.

« *Et suffocati sunt*, » hoc est, exstincti, « *in mari*, » amaritudinis dæmonum. Exod. XV, 5 : *Descenderunt in profundum quasi lapis.*

14 « Qui autem pascebant eos fugerunt, et nuntiaverunt in civitatem et in agros. Et egressi sunt videre quid esset factum.

15 Et veniunt ad Jesum, et vident illum qui a dæmonio vexabatur sedentem, vestitum, et sanæ mentis : et timuerunt.

16 Et narraverunt illis qui viderant, qualiter factum esset ei qui dæmonium habuerat, et de porcis.

17 Et rogare cœperunt eum ut discederet de finibus eorum. »

Hic ostendit quam, et qualem de hoc facto circumstantes acceperunt instructionem.

Tanguntur autem hic quinque : quorum primum est fuga pastorum : secundum, nuntiatio eorumdem : tertium, exitus ad Jesum audientium, et comprobatio miraculi per visum : quartum, timor eorumdem ad magnitudinem et reverentiam Domini : quintum, obsecratio recessus Domini, quia præsentia ipsius se indignos esse reputabant.

Dicit : « *Qui autem pascebant eos*, » scilicet porcos, quod quidem secundum spiritualem intellectum, malum est : quia pascere porcos est delectamenta procurare spurcitiæ. Luc. XV, 15 : *Misit illum in villam suam ut pasceret porcos.* Osee, XII, 1 : *Ephraim pascit ventum et sequitur æstum : tota die mendacium et vastitatem multiplicat.* Iste est filius prodigus, qui in regione dissimilitudinis sua consumpsit, porcos pascendo, hoc est, vivendo luxuriose cum meretricibus [1]. II Machab. VI, 4 : *Templum luxuria et comessationibus gentium erat plenum, et scortantium cum meretricibus : sacratisque ædibus mulieres se ultro ingerebant, intro ferentes ea quæ non licebat.* Tales igitur etiam in templo pascebant spurcos porcos.

Hi ergo videntes dæmones potestatem accipere in porcos, « *fugerunt*, » sapienti usi consilio, declinantes consortia spurcorum. Genes. XIX, 17 : *Non stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac.* Eccli. XXI, 2 : *Quasi a facie colubri fuge peccata.*

« *Et nuntiaverunt in civitatem*, » civibus qui in possessione spurcitiæ delectabantur, « *et in agros*, » in villis rusticorum ubi spurcitiæ custodiebantur. Psal. XCX, 3 : *Annuntiate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.* Munditiæ enim amator spurcitias abominatur.

« Et egressi sunt, »

De civitatibus et villis spurcitiarum relinquendo spurcitias, « *videre*, » per experimentum, « *quid esset factum*, » scilicet probare per experimentum.

[1] Cf. Luc. XV, 13 et 30.

« Et veniunt, »

Per devotionem, « *ad Jesum.* » Genes. XII, 1 : *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui : et veni in terram quam monstrabo tibi :* quæ est terra Christi, ubi nemo in spurcitiis delectatur.

« *Et vident illum qui* » prius « *a dæmonio,* » hoc est, a legione spurcitiæ, « *vexabatur,* » sicut sus lota et revoluta in volutabro luti [1], « *sedentem,* » in verbis sapientiæ quiescentem, « *vestitum,* » honestate conversationis et virtutis circumamictum. Isa. LXI, 10 : *Induit me Dominus vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me.*

« *Et sanæ mentis,* » per gratiam Christi. Jerem. XVII, 14 : *Sana me, Domine, et sanabor : salvum me fac, et salvus ero : quoniam laus mea tu es.*

« *Et timuerunt,* » timore reverentiæ, « *eum,* » Christum. Apocal. XIV, 7 : *Timete Dominum, omnes Sancti ejus.* Psal. XXXIII, 10 : *Quoniam non est inopia timentibus eum.*

« Et narraverunt illis »

Egressis pastores, « *qui viderant* » in porcis « *qualiter factum esset* » miraculum, « *ei qui dæmonium,* » hoc est, a legione dæmonum quam « *habuerat,* » liberatus esset : « *et de porcis* » narraverunt qualiter in mari præcipitati essent, quia spurcitiæ signa erant : quæ auctor munditiæ ad instructionem eorum perdi concesserat.

« Et rogare cœperunt eum, »

Hoc est, Christum, « *ut discederet de finibus eorum,* » non se dignos reputantes sua præsentia, nisi prius mundarentur. Luc. V, 8 : *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine.* III Reg. XVII, 18 : *Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, et interficeres filium meum ?* Sic viri Bethsamitæ percussi sunt in conspectu arcæ Domini, et petierunt eam a se educi [2]. Et sic, isti timuerunt percuti in præsentia sanctitatis Domini : et ideo rogaverunt eum recedere, donec per receptionem satisfactionis Deum placarent, et sic digni sua receptione efficerentur.

« Cumque ascenderet navim, cœpit illum deprecari qui a dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo. **18**

Et non admisit eum, sed ait illi : Vade in domum tuam ad tuos, et annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, et misertus sit tui. **19**

Et abiit, et cœpit prædicare in Decapoli quanta sibi fecisset Jesus : et omnes mirabantur. » **20**

Tangitur hic doctrina cautelæ illius qui sanatus fuerat.

Tanguntur autem hic quinque, scilicet, sanati ad sequendum devotio : et ejusdem a Christo repulsio ; et quid facturus sit instructio : et instructi simplex obeditio : et audientium eum admiratio.

Dicit igitur : « *Cumque ascenderet,* » Christus, « *navim,* » ut recederet a finibus eorum, sicut petiverant : quia libenter Dominus annuit petitionibus devotorum quæ sunt rationabiles. Marc. XI, 24 : *Omnia quæumque orantes petitis, credite quia accipientis, et evenient vobis*

« *Cœpit illum,* » Jesum, « *deprecari,* » qui a dæmonio vexatus fuerat et liberatus, « *ut esset cum illo,* » sequendo eum inter discipulos : ut ex præsentia ipsius contra dæmones confortaretur. Ex humilitate enim non magna sensit de seipso, quod sine Domino perfectus esset ad cavendum a dæmonibus. Ad Roman.

[1] II Petr. II, 22.

[2] Cf. I Reg. VI, 19, 21.

XII, 16 : *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Psal. XV, 1, secundum Hieronymi (alias, Septuaginta) translationem : « Serva me, Domine, quoniam confido in te : et bene mihi non est sine te [1]. » Psal. LXXIX, 19 : *Non discedimus a te, vivificabis nos : et nomen tuum invocabimus.*

« Et non admisit eum, »

Quia vidit eum ex beneficio accepto jam ad prædicandum esse perfectum. Sic, ad Philip. I, 23, dixit Apostolus : *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius.* Propter utilitatem autem proximorum subintulit, ℣. 24 : *Permanere autem in carne, necessarium propter vos.* Sic magnus Patriarcha remisit de se filium suum, Genes. XXXVII, 13, dicens : *Fratres tui pascunt oves in Sichimis : veni, mittam te ad eos.*

Et hoc est quod sequitur :

« Sed ait illi, »

Instruendo eum quid acturus sit : « *Vade in domum tuam,* » ut te sciant homines esse mansuetum. Eccli. XXXII, 15 et 16 : *Præcurre prior in domum tuam, et illic avocare, et illic lude, et age conceptiones tuas.* Luc. VIII, 39, et Matth. IX, 6 : *Vade in domum tuam.* Sapient. VIII, 16 : *Intrans in domum meam, conquiescam cum sapientia.*

« *Ad tuos,* » quibus ex ordine charitatis plus teneris. I ad Timoth. V, 8 : *Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.*

« Et annuntia illis, »

« Primum *quanta tibi Dominus fecerit,* » quia probabile est quod etiam illi communicationem habuerint cum spiritibus spurcitiarum. Luc. XVI, 28 : *Ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.*

« *Et misertus sit tui,* » te liberans a spiritibus spurcitiarum. Job, XXVI, 13 : *Spiritus Domini ornavit cœlos : et obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus.*

« Et abiit, »

Non mente, sed corpore separatus a Domino. Marc. XVI, 20 : *Illi autem profecti prædicaverunt ubique.* II ad Corinth. V, 20 : *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.*

« *Et cœpit prædicare in Decapoli.* » Decapolis est regio mari Genesareth in una parte adjacens, in qua sunt decem civitates. Luc. XIX, 16 : *Domine, mna tua decem mnas acquisivit* : quia in decem civitatibus prædicavit. Et, ibidem, ℣. 17 : *Eris potestatem habens super decem civitates.*

Quanta sibi fecisset Jesus » magnalia. Act. II, 11 : *Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.*

« Et omnes mirabantur. »

Et per eum ad fidem ædificabantur : et se præparabant, ut digni præsentia Salvatoris efficerentur. Joan. VII, 21 : *Unum opus feci, et omnes miramini.* Psal. XCVII, 1 : *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.* Daniel. III, 99 : *Signa et mirabilia fecit apud me Deus excelsus.* Exod. XV, 11 : *Quis similis tui in fortibus, Domine ? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia.*

Sic ergo terminata est pars, quæ est de fortitudine Leonis, contra vim dæmonis de actuali peccato tentanti.

[1] Vulg. habet, Psal. XV, 1 : *Conserva me, Domine, quoniam speravi in te.*

21 « Et cum transcendisset Jesus in navi rursus trans fretum, convenit turba multa ad eum, et erat circa mare.

22 Et venit quidam de Archisynagogis, nomine Jairus : et videns eum procidit ad pedes ejus,

23 Et deprecabatur eum multum, dicens : Quoniam filia mea in extremis est : veni, impone manum super eam, ut salva sit et vivat.

24 Et abiit cum illo, et sequebatur eum turba multa, et comprimebant eum. »

Tangitur hic historia, quæ est de remedio ordinato contra peccatum tentans in carne.

Et habet hæc pars quinque partes : in quarum prima dicitur qualiter ex parte Domini ventum est illud miraculum : in secunda, exaggeratur mulieris infirmitas, ad ostendendum quantum est miraculum : in tertia prædicatur devotio mulieris, quæ imperavit miraculum : in quarta, ponitur qualiter miraculum est publicatum ad ædificationem multorum : in quinta, confirmatur miraculum, et docetur qualiter conservatur donum sanitatis perceptum : et hæc per ordinem continentur in littera.

In primo horum continentur quatuor : in quorum primo ostenditur Domini ad ripam oppositam per mare Genesareth navis vehiculo reditus : in secundo, ad mare turbæ concursus : in tertio, Archisynagogi ad Jesum supplex adventus : in quarto, Domini ad id quod petivit Archisynagogus, consensus.

Dicit igitur : « *Et cum transcendisset Jesus in navim,* » quia sine vehiculo navis transire potuit, sed noluit : ut nos doceret remedio crucis, et suffragio pœnitentiæ, et religionis christianæ uti in mari hujus sæculi. Eccli. XLIII, 26 : *Qui navigant mare, enarrent pericula ejus.* Sic Noe remedio arcæ fluctus evasit, et alii submersi sunt[1].

« *Rursus trans fretum,* » de Decapoli, in qua dæmoniacum sanaverat. Sapient. XIV, 5 : *Transeuntes mare per ratem liberati sunt.* « *Trans fretum,* » versus Tiberiadem, et Capharnaum, ubi plurimum prædicavit Jesus.

« Convenit turba multa »

Ad eum : quia turba devotione trahebatur. Joan. VI, 2 : *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur.*

« *Et erat,* » scilicet turba, « *circa mare,* » occurrens ei : et ideo, Amos, IV, 12, dicitur : *Præparare in occursum Dei tui Israel.*

« Et venit quidam, »

Honore dignior cæteris, « *de Archisynagogis,* » qui et principatu et merito dignus erat. Isa. XXXII, 5 et 8 : *Non vocabitur ultra is qui insipiens est, princeps, neque fraudulentus appellabitur major... Princeps vero ea quæ sunt digna principe cogitabit.*

« *Nomine Jairus,* » qui *illuminatus* interpretatur. Psal. LXXV, 5 : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* Eccli. XXIV, 44 : *Doctrinam quasi anteluca-num illumino omnibus.* Eccli. XLIII, 10 : *Mundum illuminans in excelsis Dominus.*

« *Et videns eum,* » oculis fidei, et sapientiæ divinæ. Luc. X, 23 : *Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.* Job, XLII, 5 : *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Cantic. II, 14 : *Ostende mihi faciem tuam : sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis, et facies tua decora.*

« *Procidit ad pedes ejus,* » quibus sa-

[1] Cf. Genes. VII, 23.

lutem omnibus circumportavit. Psal. CXXXI, 7 : *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.*

« Et deprecabatur eum multum, »

Ex multo desiderio, « *dicens* : *Quoniam filia mea,* » pignus naturæ meæ, « *in extremis est :* » nec est spes salutis in ea nisi per te. « *Veni,* » per misericordiam appropinqua : « *impone manum* » adjutricem « *super eam,* » in qua manu tua vis est deitatis, « *ut salva sit* » ab infirmitate, « *et vivat,* » perfecta sibi restituta sanitate. Marc. XVI, 18 : *Super ægros manus imponent, et bene habebunt.* Psal. CXLIII, 7 : *Emitte manum tuam de alto, eripe me, et libera me de aquis multis* (lacrymarum et tribulationum)... *de manu filiorum alienorum,* hoc est, dæmonum, qui sunt filii quidem per naturam, sed alieni facti sunt per aversionem et culpam.

« Et abiit. »

Ecce tangit qualiter benignus Dominus, qui omnibus deprecantibus se satisfacit, cum principe synagogæ « *abiit,* » hoc est, abire dignatus est.

« *Et sequebatur eum turba multa,* » ut videret miracula quæ faciebat, « *et comprimebant eum,* » quia quilibet desiderabat esse propinquior : et in talibus necesse est fieri compressionem. Joan. XVI, 33 : *In mundo pressuram habebitis* : in me autem pacem [1].

Quod autem hic dicitur : « *In extremis est,* » Luc. VIII, 42, dicitur quod *moriebatur* : Matth. IX, 18, quod *modo defuncta est.* Quia primo veniente Jairo, ut dicit Augustinus, in extremis laborabat : adorante autem eo Dominum, et deprecante, et inducente ad veniendum, incipiebat mori : et veniente Domino cum Jairo, defuncta fuit : sicut et hic postea dicetur : quia turbæ comprimentes retardabant eum ne cito veniret.

« Et mulier quæ erat in profluvio sanguinis annis duodecim, **25**

Et fuerat multa perpessa a compluribus medicis, et erogaverat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat, **26**

Cum audisset de Jesu, venit in turba retro, et tetigit vestimentum ejus. **27**

Dicebat enim : Quia si vel vestimentum ejus tetigero, salva ero. **28**

Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus : et sensit corpore quia sanata esset a plaga. » **29**

Hic exaggeratur infirmitas mulieris, ut majus cognoscatur esse miraculum. Hanc autem mulierem Ambriosius dicit esse Martham. Dicit enim in *Tractatu de Salomone,* quod Dominus in Martha profluvium sanguinis restrinxit : de Maria autem septem dæmonia ejecit : et Lazarum quatriduanum in monumento suscitavit. Hieronymus autem dicit in *Tripartita historia,* quod hæc mulier, postquam sanata est a profluvio sanguinis, devotissima ad Christum remansit, et in horto suo imaginem ad figuram Christi construxit : et hanc simili vestimento vestivit, juxta quam quædam herba in horto similem virtutem curandi fluxum sanguinis habens, nata fuit : et quando vestimentum herba attigit, tunc perfectam virtutem curandi herba accepit. De qua imagine Julianus apostata audiens in Cæsarea Philippi, eam auferri de loco illo præcepit, et suam præcepit substitui, quæ fulmine statim combusta et contrita fuit : et tunc imago Christi restituta, quam postea pagani per infidelitatem confregerunt : postea vero convalescen-

[1] Joan. XVI, 33 et 34 : *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum.*

tibus fidelibus, partes collectæ sunt imaginis Christi, et in Ecclesia quadam collocatæ.

Hæc ergo mulier quæcumque fuerit, « *quæ erat in profluvio sanguinis,* » menstruorum, qui profluvius fluxum significat tentationis carnalis. Osee, IV, 2 : *Sanguis sanguinem tetigit.* Psal. L, 16 : *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ.*

« *Annis duodecim.* » Anni autem duodecim sunt annus unus circuli cœlestis, qui vocatur *circulus nativitatis*, ex duodecim domibus compositus, ad quas omnes stellæ cœli reducuntur : et significat hic, quod ex defectu naturali sibi innato hanc passionem habuit : et ideo ad curandum magis erat difficilis.

Et hujus signum est quod sequitur :

« Et fuerat multa perpessa a compluribus medicis, »

Purgantibus eam per pharmacias, et restringere volentibus fluxum. « *Et erogaverat omnia sua,* » non parcens expensis, ut petitos haberet medicos, « *nec quidquam profecerat,* » per medicinas parvorum medicorum, « *sed magis,* » jam destituta natura per medicinas, « *deterius habebat.* » Et hujus causa redditur, Sapient. XVI, 12 : *Quia neque herba, neque malagma sanat eos : sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.* Psal. CVI, 20 : *Misit verbum suum, et sanavit eos : et eripuit eos de interitionibus eorum.*

Hæc igitur mulier,

« Cùm audisset de Jesu, »

Quia talem et tantam virtutem habuit curationum. Et hic tangitur de mulieris hujus devotione : « *Venit in turba,* » quia per seipsam humilis venit : ante enim venire non præsumpsit : « *retro* » autem venit, quia verecunda fuit ad similitudinem mulieris, de qua dicitur, Luc. VIII, 38 : *Stans retro secus pedes ejus.*

« *Et tetigit,* » fidei devotione, « *vestimentum ejus,* » sciens quod scriptum est : *Unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus*[1].

« Dicebat enim, »

Per fidem intra se : « *Quia si tetigero vel,* » hoc est, saltem, « *vestimentum ejus,* » in fide et devotione nominis ejus, « *salva ero.* » Matth. IX, 21, dicitur : *Quia si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.*

« Et confestim, »

Quia nescit tarda rerum molimina Spiritus sancti gratia, « *siccatus est fons sanguinis,* » confortatis vasis naturalibus ad sanguinis retentionem. Ezechiel. XVI, 6 : *Dixi tibi cum esses in sanguine tuo : Vive.* « *Et sensit,* » per immutationem vasorum ad sanitatem et confortationem sui, « *corpore,* » hoc est, corporaliter, non solum spiritualiter, « *quia sanata esset a plaga* » infirmitatis. Psal. CXLVI, 3 : *Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum.* Psal. CII, 3 : *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Ibidem, ℣. 4 : *Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia et miserationibus.*

« Et statim Jesus in semetipso cognoscens virtutem quæ exierat de illo, conversus ad turbam, aiebat : Quis tetigit vestimenta mea ? **30**

Et dicebant ei discipuli sui : Vides turbam comprimentem te, et dicis : Quis me tetigit ? **31**

[1] Psal. CXXXII, 2.

32 Et cirumspiciebat videre eam quæ hoc fecerat.

33 Mulier vero timens et tremens, sciens quod factum esset in se, venit et procidit ante eum, et dixit ei omnem veritatem.

34 Ille autem dixit ei : Filia, fides tua te salvam fecit : vade in pace, et esto sana a plaga tua. »

Tangit hic de miraculi hujus publicatione.

Dicuntur autem hic quatuor, quorum primum est quod cognovit Christus virtutem de se exisse per sensum, quam ante novit per deitatem : et quia quæsivit, *Quis me tetigit*, ad turbæ instructionem, non ad ignorantiam suam instruendam : et quia discipuli mirantes de quæstione, causantur turbæ tactum per Christi afflictionem : et quia cum circumspiceret, ut corporali visu mulierem admoneret, ut miraculum patefaceret, mulier venit et patefecit.

Dicit igitur :

« *Et statim Jesus*, » qui omnia cognovit antequam fiant secundum deitatem, « *in semetipso cognoscens*, » per experimentum sensus secundum humanitatem, « *virtutem* » curationis « *quæ exierat de illo*, » quia *virtus de illo exibat, et sanabat omnes*[1]. Et, Matth. xiv, 36 : *Rogabant eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent : et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt.*

« *Conversus* » corpore, quia ante turbam præcedebat, « *ad turbam aiebat*, » ut ex facto turbam instrueret de virtute deitatis, quæ habitabat in eo corporaliter.

« Quis tetigit vestimenta mea ? »

Quæ propter tactum corporis mei etiam habent in se curationis virtutem. Et quærit, ut ex propria confessione tangentis, turba congruentius instruatur. Genes. xxvii, 27 : *Statim ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait : Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Odor enim istius virtutis sanativæ significat diffusionem.

« Et dicebant ei, »

Christo, « *discipuli sui*, » qui melius, et familiari ausu respondere sibi consueverunt : et ipso responso illuminationem ab eo petiverunt, qui sciverunt quod ad hoc quæsierat, ut ex responso multos ad fidem illuminaret : « *Vides turbam comprimentem te.* » Luc. viii, 45 : *Præceptor, turbæ te comprimunt, et affligunt*, etc.

« *Et dicis : Quis me tetigit ?* » Non est intelligendum quod discipuli inconvenientem reputent quæstionem Domini, sed potius se non intelligentes quæstionem significant. Ac si dicant : Videmus quidem quod et tu vides, quia turbæ te comprimunt, quis autem speciali devotione fidei tetigerit ignoramus : et ideo de hoc da nobis illuminationis tuæ instructionem. Joan. xvi, 30 : *Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget.*

« Et circumspiciebat videre eam, »

Quæ ex hoc visu et respectu moveretur, quod hoc factum in gloriam Dei publicaret. Sapient. iv, 15 : *Gratia Dei et misericordia est in sanctis ejus, et respectus in electos illius.*

« Mulier vero timens »

Corde, timore reverentiæ, « *et tremens* » corpore, ad majestatem deitatis, cujus virtutem jam in se experta fuit.

[1] Luc. vi, 19.

Psal. LIV, 6 : *Timor et tremor venerunt super me.*

« *Sciens,* » per experimentum, « *quod factum esset in se* » sanitatis miraculum, « *venit,* » fidei devotione, « *et procidit ante eum,* » pœnitentia confitens quod vere Deus esset : quia eam de tam intima et miserabili pœna infirmitatis erexerat. I ad Corinth. XIV, 25 : *Cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit.*

« *Et dixit ei,* » confitendo publice, « *omnem veritatem,* » scilicet de quantitate et prolixitate infirmitatis, et de fide et devotione tangendi, et de perceptione integræ sanitatis. Ad Roman. IX, 1 : *Veritatem dico in Christo, non mentior : testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto.*

« Jesus autem dixit ei, »

Sicut salutis auctor : ostendens id quod dicitur, Sapient. XVI, 13 : *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem.* I Reg. II, 6 : *Deducit ad inferos et reducit.*

« *Filia,* » jam ad imaginem meam in gratia reformata, « *fides tua te salvam fecit,* » hoc est, hanc salutem tibi meruit. Matth. XV, 28 : *O mulier, magna est fides tua : fiat tibi sicut vis.*

« *Vade in pace* » mea, mihi per devotionem reconciliata. Lucæ, VII, 50 : *Fides tua te salvam fecit : vade in pace.* Joan. XIV, 27 : *Pacem meam do vobis.*

« *Et esto sana,* » perseverantia sanitatis perceptæ, « *a plaga tua.* » Psal. LXVII, 29 : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.* Sic dicitur, Genes. I, 31, quod *vidit Deus cuncta quæ fecerat : et erant valde bona.* Qui enim fecerat potestate deitatis, vidit oculo beneplaciti, confirmans, ut manerent : et sic manentia, essent valde bona. Bona enim erant facta : sed valde bona erant perseverantia.

Hoc igitur est quod Leo de tribu Juda ostendit contra tentationes in carne, quæ in fluxu sanguinis istius mulieris designantur.

« Adhuc eo loquente, veniunt ab Archisynagogo, dicentes : Quia filia tua mortua est : quid ultra vexas Magistrum ? **35**

Jesus autem, audito verbo quod dicebatur, ait Archisynagogo : Noli timere : tantummodo crede. **36**

Et non admisit quemquam se sequi, nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem Jacobi. » **37**

Hic tertio tangitur de suscitatione filiæ Archisynagogi, quæ pompam mundi significat : quæ multos tentat et perimit : et suscitatio ipsius significat potestatem, et fortitudinem Leonis super pompam mundi tentantem, fortitudinem gratiæ suæ extendentis.

Dividitur autem hæc particula in sex partes : in quarum prima ostenditur id quod ad miraculi facit magnitudinem, et veritatem : in secunda, docetur id quod facit ad miraculi impetrationem : in tertia, assumuntur discipuli ad instructionem : in quarta, contra irridentes ostendit suam in suscitando facilitatem : in quinta, adsunt parentes ad miraculi testificationem : in sexta et ultima, inducit miraculi perfectionem, et veritatis probationem. Et hæc per ordinem in littera continentur.

Dicit igitur : « *Adhuc eo loquente,* » de cura tentantis in carne, « *veniunt,* » scilicet nuntii mortis, « *ab Archisynagogo,* » qui in gloria mundi princeps erat, « *dicentes* » tristia : « *Quia filia tua mortua est.* »

Et hi plenam fidem de Christo non habebant : et ideo non putabant quod etiam a mortuis suscitare posset : et hoc est : « *Quid ultra vexas Magistrum,* » cum a mortuis suscitare non possit ? Psal. LXXXVII, 11 : *Numquid medici suscita-*

bunt, et confitebuntur tibi ? Quasi dicat : Non suscitabunt. Isti enim opinabantur de Domino sicut de medico divino, qui per invocationem Dei quædam curaret genera infirmitatum. Job, v, 18 : *Ipse vulnerat, et medetur : percutit, et manus ejus sanabunt.*

« Jesus autem audito verbo quod dicebatur, »

A nuntiis : et tangitur de confortatione ad fidem, quæ impetrat miraculum. « *Ait Archisynagogo,* » confortando eum ad fidem deitatis suæ : « *Noli timere,* » in fide dubitando. Joan. XIV, 1 : *Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite.*

« *Tantummodo crede.* » Marc. IX, 22 : *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.*

Quod autem dicit : « *Tantummodo crede,* » non sic intelligitur quod sola fides informis sufficiat, sed ea quæ per dilectionem operatur, et in operibus ostenditur : hæc est enim quæ impetrat apud Deum. Luc. I, 37 : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Genes. XVIII, 14 : *Numquid Deo quidquam est difficile ?* Ad Roman. IV, 20 et 21 : *In repromissione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo : plenissime sciens quia quæcumque promisit*, scilicet ei Deus, *potens est et facere.*

« Et non admisit quemquam se sequi. »

Tangitur hic de instructione principalium Apostolorum : « *nisi Petrum,* » qui vertex erat et caput potestatis ecclesiasticæ, « *et Jacobum,* » qui primus erat inter Apostolos confirmatus fide per passionem, « *et Joannem fratrem Jacobi,* » qui inter alios altius scripturus erat de divinitatis sublimatione : ut per istos etiam alii instruerentur. Psal. XLVI, 10 : *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Dionysius dicit : « Lex divinitatis est per prima media, « et per media ultima reducere. » Et sic Christus reduxit in fidem medios per primos principes Apostolorum : et postea per Apostolos medios, reduxit omnes mundi fideles.

« Et veniunt in domum Archisynagogi, et videt tumultum, et flentes, et ejulantes multum. **38**

Et ingressus, ait illis : Quid turbamini et ploratis ? puella non est mortua, sed dormit. **39**

Et irridebant eum. Ipse vero, ejectis omnibus, assumit patrem et matrem puellæ, et qui secum erant, et ingreditur ubi puella erat jacens. **40**

Et tenens manum puellæ, ait illi : Talitha, cumi, quod est interpretatum : Puella (tibi dico) surge. **41**

Et confestim surrexit puella, et ambulabat : erat autem annorum duodecim : et obstupuerunt stupore magno. **42**

Et præcepit illis vehementer ut nemo id sciret : et dixit dari illi manducare. » **43**

Tangit hic facilitatem suscitandi quantum ad potentiam suam.

De accessu autem corporis deificati ad defunctum, dicit : « *Veniunt,* » Jesus, et tres Apostoli, « *in domum Archisynagogi,* » in qua jacuit puella mortua, significans mortuam animam in conscientia. Exod. XII, 30 : *Non erat domus in qua non jaceret mortuus*, supple, in tota regione impiorum : et præcipue in pompa sæculi, quæ multos interficit. Unde, Sapient. XVIII, 12, dicit, quod præclarior natio in qualibet domo

mortua jacebat [1]. « *Et videt tumultum* » ululantium defunctam. Jerem. VI, 26 : *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.*

« *Et flentes,* » in lacrymis, « *et ejulantes,* » in querelis et clamoribus : quia tangebantur dolore cordis intrinsecus. Jerem. XXXI, 15 : *Vox in excelso audita est lamentationis, luctus, et fletus Rachel plorantis filios suos, et nolentis consolari.* Jerem. IX, 1 : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum ? et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.*

« Et ingressus, ait illis. »

Consolando eos de facilitate suæ potestatis ad suscitandum. « *Quid turbamini,* » ita quod dolor vobis aufert cordis serenitatem, « *et ploratis,* » fletu qui vobis aufert vitæ exsultationem ? I ad Thessal. IV, 12 : *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent.* Ad Hebr. XI, 19 : *Arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus.*

Et hoc est quod sequitur :

« Puella non est mortua, »

Mihi, « *sed dormit,* » quia ita facile est mihi suscitare eam, sicut a somno excitare illam. Joan. XI, 11 : *Lazarus amicus noster dormit : sed vado ut a somno excitem eum.*

« Et irridebant eum, »

Arbitrantes quod de dormitione somni diceret, et eam esse mortuam nesciret.

« *Ipse vero,* scilicet Jesus, *ejectis omnibus,* » qui indigni erant interesse tanto miraculo. Matth. VII, 6 : *Nolite dare sanctum canibus : neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Sic Joseph ejecit Ægyptios, *ut nullus interesset alienus agnitioni mutuæ* inter eum et fratres suos [2].

« *Assumit patrem et matrem puellæ,* » quos in fide confortatos tanto miraculo honorare disponebat : quia, sicut dicitur, Luc. VII, 4, multi pro illis allegabant, quod digni essent tanto beneficio [3]. Ad Roman. XIII, 7 : *Cui honorem, honorem.*

« *Et qui secum erant,* » tres Apostoli quos specialiter instrui voluit, « *et ingreditur ubi puella erat jacens,* » in secreto cubilis. Cantic. III, 4 : *Introducam te in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ.*

« Et manum, »

Quæ potentiam operativam animæ rationalis designat, « *tenens puellæ,* » ut tactu vivificæ suæ manus vita rediret ad mortuam, « *ait illi.* » Psal. LXXII, 24 : *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.*

« *Talitha, cumi.* » Et subjungit Evangelista post verbum Hebræum, « *quod est interpretatum Puella,* » hoc est, o puella, quia vocavit ad vitam. Ad Roman. IV, 17 : *Qui vivificat mortuos, vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.*

Et « *tibi dico,* » imperando, « *surge,* » hoc est, ad vitam et sanitatem sursum te age. Ad Ephes. V, 14 : *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.*

« Et confestim, »

Sine mora temporis. Et ut divinum, et non naturale esse factum intelligatur.

[1] Sapient. XVIII, 12 : *Nec ad sepeliendum vivi snfficiebant, quoniam uno momento quæ erat præclarior natio eorum exterminata est.*

[2] Genes. XLV, 1.

[3] Hoc dicitur de centurione, Luc. VII, 4 et 5 : *Quia dignus est ut hoc illi præstes : diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis.*

« *Surrexit puella.* » Act. IX, 40 et 41 : *Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos : et viso Petro, resedit. Dans autem illi manum, erexit eam.*

« *Et ambulabat,* » in testimonium restitutæ sanitatis.

« Erat autem annorum duodecim. »

Hoc dicit ad miraculi commendationem : quia jam pubes erat, et nubilis : quia infantes ex nimio humore cerebri, sæpe simile aliquid lethargiæ patiuntur, sed præcipue puellæ. Sed hoc non patiuntur ad pubertatem venientes : et ideo non aliquid simile lethargiæ passa fuit, sed erat vere mortua.

« *Et obstupuerunt,* » parentes, et Apostoli, et alii qui aderant, « *stupore magno,* » hoc est, admiratione stupenda. Act. III, 10 : *Impleti sunt stupore et exstasi in eo, quod contigerat illi.*

« Et præcepit illis vehementer, »

Præcepto disciplinæ erudivit gloriam declinare, « *ut nemo id sciret,* » ad gloriam suam : sed ad gloriam Dei dilatandam illud scire conveniens erat. In præcepto enim disciplinæ non intenditur actus simpliciter, sed aliquid circa actum, sicut obedientia vel cautela : hæc autem cautela inanis gloriæ intenditur maxime apud principem, qui de pompa mundi tentabatur. Tob. XII, 7 : *Opera Dei revelare et confiteri honorificum est.* Et, ibidem, ℣. 6 : *Benedicite Deum cœli, coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam.*

« Et dixit dari illi manducare, »

Scilicet puellæ suscitatæ, ut exterioribus viribus restitutis, scilicet, insumptionis cibi, et digestionis, et nutritionis, veritas ejus resurrectionis probaretur : qui enim phantastice surgunt, hos actus nutritionis non habent. Unde et Luc. XXIV, 41, cum Dominus suam discipulis vellet probare resurrectionem, dixit : *Habetis hic aliquid quod manducetur.* Hoc est igitur quod dicit.

CAPUT VI.

Christi doctrinam in ipsius patria admirantur : ubi tamen propter illorum incredulitatem pauca edidit miracula : Apostolos mittens ad prædicandum, instruit quid observare debeant : Herodes, audita Christi fama, dicit Joannem Baptistam resurrexisse; cujus caput postulanti Herodiadis filiæ saltatrici propter jusjurandum tradiderat : in deserto quinque panibus et duobus piscibus quinque millia virorum satiat : super mare ambulans, tempestatem sedat : in terra Genesareth plurimos tactu fimbriæ vestimenti sanat.

1. Et egressus inde, abiit in patriam suam : et sequebantur eum discipuli sui [1].
2. Et facto sabbato, cœpit in synaga docere : et multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes : Unde huic hæc omnia? et quæ est sapientia, quæ

[1] Matth. XIII, 54 ; Luc. IV, 16.

data est illi, et virtutes tales quæ per manus ejus efficiuntur?

3. Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Jacobi, et Joseph, et Judæ, et Simonis[1]? nonne et sorores ejus hic nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo.

4. Et dicebat illis Jesus : Quia non est propheta sine honore nisi in patria sua, et in domo sua, et in cognatione sua [2].

5. Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit.

6. Et mirabatur propter incredulitatem eorum, et circuibat castella in circuitu, docens.

7. Et vocavit duodecim [3], et cœpit eos mittere binos, et dabat illis potestatem spirituum immundorum.

8. Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum : non peram, non panem, neque in zona æs.

9. Sed calceatos sandaliis [4], et ne induerentur duabus tunicis.

10. Et dicebat eis : Quocumque introieritis in domum, illic manete donec exeatis inde :

11. Et quicumque non receperint vos nec audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis [5].

12. Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent :

13. Et dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros, et sanabant [6].

14. Et audivit rex Herodes, manifestum enim factum est nomen ejus [7] : et dicebat : Quia Joannes Baptista resurrexit a mortuis : et propterea virtutes operantur in illo.

15. Alii autem dicebant : Quia Elias est. Alii vero dicebant : Quia propheta est, quasi unus ex prophetis.

16. Quo audito Herodes ait : Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit.

17. Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcere propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam [8].

18. Dicebat enim Joannes Herodi : Non licet tibi habere uxorem fratris tui [9].

19. Herodias autem insidiabatur illi, et volebat occidere eum, nec poterat.

20. Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum : et custodiebat eum, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat.

21. Et cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, et tribunis, et primis Galilææ.

22. Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, et saltasset, et placuisset Herodi simulque recumbentibus, rex ait puellæ : Pete a me quod vis, et dabo tibi.

23. Et juravit illi : Quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.

24. Quæ cum exisset, dixit matri suæ : Quid petam? At illa dixit : Caput Joannis Baptistæ.

25. Cumque introisset statim cum festinatione ad regem, petivit di-

[1] Joan. VI, 42.
[2] Matth. XIII, 57; Luc. IV, 24; Joan. IV, 44.
[3] Matth. X, 1; Supra, III, 14; Luc. IX, 1.
[4] Act. XII, 8.
[5] Matth. X, 14; Luc. IX, 5; Act. XIII, 51, et XVIII, 6.
[6] Jacob. V, 14.
[7] Matth. XIV, 1 et 2; Luc. IX, 7.
[8] Luc. III, 19.
[9] Levit. XVIII, 16.

cens : Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ.

26. Et contristatus est rex : propter jusjurandum et propter simul discumbentes, noluit eam contristare,

27. Sed misso spiculatore, præcepit afferri caput ejus in disco. Et decollavit eum in carcere.

28. Et attulit caput ejus in disco, et dedit illud puellæ, et puella dedit matri suæ.

29. Quo audito, discipuli ejus venerunt, et tulerunt corpus ejus, et posuerunt illud in monumento.

30. Et convenientes apostoli ad Jesum [1], renuntiaverunt ei omnia quæ egerant et docuerant.

31. Et ait illis : Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum [2]. Erant enim qui veniebant et redibant multi, et nec spatium manducandi habebant.

32. Et ascendentes in navim, abierunt in desertum locum seorsum.

33. Et viderunt eos abeuntes, et cognoverunt multi : et pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, et prævenerunt eos.

34. Et exiens vidit turbam multam Jesus [3] : et misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem, et cœpit illos docere multa.

35. Et cum jam hora multa fieret, accesserunt discipuli ejus, dicentes : Desertus est locus hic, et jam hora præteriit :

36. Dimitte illos, ut euntes in proximas villas et vicos, emant sibi cibos quos manducent [4].

37. Et respondens ait illis : Date illis vos manducare. Et dixerunt ei : Euntes emamus ducentis denariis panes, et dabimus illis manducare?

38. Et dicit eis : Quot panes habetis? ite et videte. Et cum cognovissent, dicunt : Quinque, et duos pisces.

39. Et præcepit illis ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum .

40. Et discubuerunt in partes, per centenos et quinquagenos.

41. Et acceptis quinque panibus et duobus piscibus, intuens in cœlum, benedixit, et fregit panes, et dedit discipulis suis ut ponerent ante eos, et duos pisces divisit omnibus.

42. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt.

43. Et sustulerunt reliquias fragmentorum, duodecim cophinos plenos, et de piscibus.

44. Erant autem qui manducaverunt quinque milia virorum.

45. Et statim coegit discipulos suos ascendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum.

46. Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare.

47. Et cum sero esset, erat navis in medio mari, et ipse solus in terra.

48. Et videns eos laborantes in remigando [6] (erat enim ventus contrarius eis), et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare : et volebat præterire eos.

49. At illi ut viderunt eum ambulantem supra mare, putaverunt phantasma esse, et exclamaverunt.

[1] Luc. IX, 10.
[2] Matth. XIV, 13 ; Luc. IX, 10 ; Joan. VI, 1.
[3] Matth. IX, 36 et XIV, 14.
[4] Luc. IX, 12.
[5] Joan. VI, 10.
[6] Matth. XIV, 25.

50. Omnes enim viderunt eum, et conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis, et dixit eis : Confidite, ego sum, nolite timere.
51. Et ascendit ad illos in navim, et cessavit ventus. Et plus magis intra se stupebant.
52. Non enim intellexerunt de panibus : erat enim cor eorum obcæcatum.
53. Et cum transfretassent [1], venerunt in terram Genesareth, et applicuerunt.
54. Cumque egressi essent de navi, continuo cognoverunt eum :
55. Et percurrentes universam regionem illam, cœperunt in grabatis eos qui se male habebant circumferre, ubi audiebant eum esse.
56. Et quocumque introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent : et quotquot tangebant eum salvi fiebant.

IN CAPUT VI MARCI

ENARRATIO.

« Egressus inde, abiit in patriam suam : et sequebantur eum discipuli sui.

Et facto sabbato cœpit in synagoga docere. »

Hic incipit tangere ea quæ sunt de essentia actualis peccati, contra quæ Leo de tribu Juda fortitudinis suæ ostendit vigorem. Sunt autem tria in peccato actuali : quorum primum est ab incommutabili bono aversio, quæ provenit ex defectu gustus boni spiritualis : et hunc defectum Leo iste fortitudine sua per ministerium alimenti (quod habet in se omne delectamentum, et omnem saporis suavitatem) curat : tale enim edulium ministrat omnibus æterni boni inediam patientibus, abundanter et sine labore.

Secundum autem quod est in actuali peccato, est vexatio improbi appetitus, et libidinis per cogitatum, et voluntatem, et consensum mali, quod perpetratur jam in corde, et statim perpetrandum est in opere : et contra hoc fortitudinem suam ostendit in cura filiæ Syrophœnissæ, circa medium septimi capituli, ibi, VII, 24 : « *Et inde surgens abiit in fines Tyri*, etc. »

Tertium autem quod est in peccato actuali, est quod membra corporis exhibentur arma iniquitatis peccato ad malum in opere : et contra hoc iste Leo fortitudinem ostendit post medium septimi capituli, ibi, VII, 31 : « *Et iterum exiens de finibus Tyri*, etc. »

Et sic hæc pars tota terminatur ad principium capituli octavi.

In prima harum partium quatuor continentur : quorum primum est de fama istius Leonis, quæ multitudinem pascendam attraxit. Secundum autem est, de pastu multitudinis, ibi, ℣. 32 : « *Et ascendentes in navim, abierunt in desertum locum seorsum.* » In tertia autem post miraculum quædam fit universalis ostensio potestatis Leonis, ibi, v. 45 : « *Et statim cogit discipulos suos*, etc. » In quarta autem et ultima, demonstratio fit regalis dignitatis in ponendis legibus suis, et evacuandis legibus alie-

[1] Matth. XIV, 34.

nis : hoc enim etiam pertinet ad Leonem de tribu Juda : et hoc incipit in capitulo septimo, ibi, VII, 1 : « *Et conveniunt ad eum Pharisæi et quidam de Scribis.* »

Adhuc autem prima partium istarum subdividitur in particulas quatuor. Cum autem actum potestatis in qualibet doctrina præcedat potestatis declaratio, tangitur in prima particula impedimentum declarationis illius potestatis ex infidelitate quorumdam. In secunda, magna illius potestatis ostenditur declaratio, per ministrorum missionem, ibi, ℣. 7 : « *Et vocavit duodecim, et cœpit eos mittere.* » Quia autem per hanc declarationem fama pervenit ad Herodem, quia credidit rex Joannem Baptistam apparuisse ideo ex incidente inducitur qualiter Joannes ab Herode est decollatus, ibi, ℣. 14 : « *Et audivit rex Herodes*, etc. » In quarta et ultima particula, continetur relatio ad Dominum facta de potestate, quæ per ministerium eorum jam fuit declarata, ibi, ℣. 30 : « *Et convenientes Apostoli ad Jesum*, etc. »

In prima harum particularum quatuor continentur, scilicet, qualiter ordinata charitate Salvator primum suis salutiferæ potestatis operationem exhibuit : secundo, qualiter sui potestatem in ipso admirati sunt : tertio, qualiter potestatem hanc propter sui generis parvitatem et infirmitatem despexerunt : et quarto, qualiter ipse Christus Jesus rationem reddidit de hujusmodi contemptu, et incredulitate. Et hæc per ordinem in littera continentur.

In primo tria dicuntur, scilicet, Salvatoris ad suos accessio : discipulorum instruendorum concomitatio : et potestatis ad salutem suorum in locis solemnibus publica ostensio.

Dicit igitur :

1 « Et egressus inde. »

A locis in quibus puellam suscitaverat, « *abiit in patriam suam,* » ut ostenderet ordinem charitatis ad suos. Cantic. II, 4 : *Ordinavit in me charitatem.* Isa. LVIII, 7 : *Carnem tuam ne despexeris.* I ad Timoth. V, 8 : *Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Ad Galat. VI, 10 : *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Patria autem sua Nazareth vocatur, ubi et conceptus, et nutritus est.

« Et sequebantur eum discipuli sui, »

Sicut pulli gallinam, et sicut oves pastorem, et sicut discipuli magistrum. De primo, Matth. XXIII, 37 : *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti.* De secundo, Joan. X, 4 : *Ante eas vadit : et oves illum sequuntur.* De tertio, Isa. VIII, 18 : *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus.*

« Et facto sabbato, » 2

Die solemni : quia tunc multis confluentibus, multis prodesse poterat. « *Cœpit docere* » doctrinam divinam, « *in synagoga,* » tamquam in loco publico divinis doctrinis consecrato. Joan. XVIII, 20 : *Ego semper docui in synagoga, et in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil.* Isa. XLV, 19 : *Non in abscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso.*

« Et multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes : Unde huic hæc omnia? et quæ est sapientia quæ data est illi, et virtutes tales quæ per manus ejus efficiuntur?

Nonne hic est faber, filius Mariæ, 3 frater Jacobi, et Joseph, et Judæ, et

Simonis? nonne et sorores ejus hic nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo. »

Secundum est, in quo tangitur admiratio suorum audientium eum. Et tangit tria, scilicet admirationem in communi, et in speciali admirationem sapientiæ, et in spirituali, admirationem potestatis.

Dicit igitur : « *Et multi,* » de suis cognatis, « *admirabantur,* » alta videntes in opere et verbo, et exigua recolentes in genere, et bonis fortunæ : et ideo causam altorum in ipso non cognoscentes : non advertentes quod scriptum erat, I Reg. II, 8 : *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.* Admirabantur maxime « *in doctrina ejus,* » et deitatem in eo non credentes. Joan. VII, 5 : *Neque enim fratres ejus credebant in eum.* Joan. I, 11 : *In propria venit, et sui eum non receperunt.*

« Dicentes : Unde huic, »

Tam despecto, et abjecto, « *hæc omnia,* » tam magna et mirifica, quæ Prophetis, et Patriarchis, et Regibus negata sunt, scire et facere? Sed causam hujus Joannes Baptista consideravit, dicens, Joan. III, 35 : *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manus ejus.* Et, ibidem, ℣. 34 : *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum Filio :* sed dat Spiritum supereffluenter in plenitudine omnium donorum.

« Et quæ sapientia, quæ data est illi? »

Specialis admiratio sapientiæ, in verbo doctrinæ. Bene autem dicunt, « *data,* » quia non acquisita fuit studio litterarum. Joan. VII, 15 : *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit ?* sed Paulus, ad Coloss. II, 3, dicit causam : *Quia in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ,* scilicet Dei, *absconditi.*

« Et virtutes. »

Specialis admiratio est potestatis, quia virtus ultimum est potestatis. « *Quæ per manus ejus* » operativas in diversis magnalibus, « *efficiuntur* ? » quia opera negare non poterant. Joan. XV, 24 : *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Joan. V, 36 : *Ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me.* Hæc igitur magna consideraverunt inviti et nolentes. Sic enim, ut dicitur, Eccli. XLVII, 9 : *In omni opere dedit Dominus confessionem Sancto, et Excelso in verbo gloriæ.*

« Nonne hic est faber ?»

Magna visa et audita conferunt ad generis infima, et ad fortunæ bona, quæ videbantur parvitatem ostendere : dicentes : « *Nonne hic est faber?* » Non ab usu actus fabricandi dicitur *faber,* sed ab officio patris putativi : quia Joseph faber lignarius dicitur fuisse. Nescientes tamen dicunt verum : quia ipse est faber, magni fabri filius, de quo scriptum est in Psalmo LXXIII, 16 : *Tu fabricatus es auroram et solem.* Job, XXXIV, 13 : *Quem constituit alium super terram ? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est.* Job, XXXVII, 18 : *Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.*

« Filius Mariæ, »

Quæ secundum fortunam hujus mundi quæstu manuum victum quæsivit : et ideo a Sanctis *quæstuaria* vocatur. I ad Corinth. IV, 11 et 12 : *Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus; et laborámus operantes manibus nostris.* Non enim recognoverunt, quod propter nos assumpsit istam paupertá-

tem, ut mundi doceret contemptum, et divitias quærere spirituales. II ad Corinth. VIII, 9 : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.*

« Frater Jacobi. »

Frater dicitur hic non uterinus, sed consobrinus : quia fuerunt isti filii Mariæ, Alphæi filiæ : Jacobus minor, et Judas Thaddæus, et Simon Cananæus sive Zelotes.

« Nonne et sorores, »

Non uterinæ, sed beatæ Virginis sorores, hic in loco isto natæ, « *nobiscum sunt ?* » inter nos conversatæ, in quibus nihil est tantæ sapientiæ, et nihil tantæ virtutis.

« Et scandalizabantur in illo. »

Hoc est, occasionem offendiculi et casus sumpserunt in illo. Luc. II, 34 : *Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur.* Isa. VIII, 14 et 15 : *Et erit vobis... in lapidem offensionis, et in petram scandali, duabus domibus Israel : in laquem et in ruinam habitantibus Jerusalem. Et offendent ex eis plurimi, et cadent, et conterentur, et irretientur, et capientur.* Matth. XI, 6 : *Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.*

4 « Et dicebat illis Jesus : Quia non est propheta sine honore nisi in patria sua, et in domo sua, et in cognatione sua.

5 Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit.

6 Et mirabatur propter incredulitatem eorum. »

« *Et dicebat illis Jesus,* » rationem reddens de hujusmodi scandalo, quæ a consuetudine hominum mala accipitur.

Dicuntur autem hic tria, scilicet, qualiter Propheta inter suos sine honore consuevit esse : qualiter hoc ipsum impedimentum fuit salutis suorum : et qualiter tandem undique Dominus suam salutem ingessit.

Dicit igitur : « *Quia non est Propheta,* » qui tamen ex spiratione accepta, *potens est in opere et sermone,* sicut dicitur, Luc. XXIV, 19.

« *Sine honore,* » reverentiæ sibi propter Dei dona, quæ in ipso sunt, exhibendo. Esther, VI, 9 : *Sic honorabitur quemcumque voluerit rex honorare.* Psal. XX, 6 : *Gloriam et magnum decorem impones super eum.*

« *Nisi in patria sua,* » in qua scitur quod principia ejus humilia sunt : et Dei dona in ipso non considerantur.

« *Et in cognatione sua,* » quæ eum sibi similem esse existimat, « *et in domo sua* » ex qua secundum carnem processit. Unde Hilarius ; « Inhonoratur Do-
« minus a suis, quamquam et docendi
« prudentia, et operandi virtus, ad ad-
« mirationem moveat. Joseph in patria
« sua affligitur a fratribus, in Ægypto ab
« extraneis sublimatur [1]. » Numer. XII, 1 : *Locuta est Maria et Aaron contra Moysem propter uxorem ejus Æthiopissam.* Et, Numer. XVI, 1 et 2, Core, et Dathan, et Abiron et alii quidam, et Levitæ contra Aaron et Moysen surrexerunt. Genes. XII, 1, Abraham in Chaldæa affligitur ; et ideo dicitur ei : *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui.* Matth. X, 36, dicitur : *Inimici hominis, domestici ejus.* Sic ergo

[1] Genes. XLI, 41 et seq.

quasi in omnibus est, quod is in quo Dei dona sunt, a suis despicitur, et ab extraneis honoratur. Sic et Salvator a Judæis abjicitur, et a Gentibus adoratur.

« Et non poterat, »

Non de impotentia, sed de inconvenientia : non enim conveniens fuit margaritas spargere ante porcos. « *Virtutem ullam facere,* » quia ea quæ fecit irridebant, et contrariæ virtuti dæmonis attribuebant. « *Nisi paucos,* » devotos et fideles, « *impositis manibus* » deificis, « *curavit* » ab infirmitatibus suis. Matth. IX, 18 : *Impone manum tuam super eam, et vivet.* Marci, XVI, 16 : *Super ægros manus imponent, et bene habebunt.*

« Et mirabatur propter incredulitatem eorum. »

Beda : « Non quasi de improviso, sed « mirandum ostendit : quia nec Prophe- « tis credunt, nec ipsi quem præsentem « cernebant. » Ideo dicitur, Eccli. XI, 2 : *Non spernas hominem in visu suo,* hoc est, propter hoc quod humilia vides in ipso. Brevis enim in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus ejus : quia si aliquis mel contemnat, ideo quod brevissima et indecora apis inter volatilia illud fructificat, ille stultus reputatur.

« Et circuibat castella in circuitu, docens. »

Antipophora est. Posset enim aliquis dicere quod Christus aliquid omisisset de contingentibus circa suos, et quod ideo erant increduli : et ideo obviat dicens, quod nihil omisit : quia frequenter « *circuibat castella,* » non tantum civitates habitationis eorum undique in circuitu provinciæ, « *docens,* » et doctrinam per miracula et exempla confirmans. Matth. IX, 35 : *Circuibat Jesus omnes civitates, et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans evangelium regni.* Psal. XXVI, 6 : *Circuivi et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis.*

« Et vocavit duodecim, et cœpit eos mittere binos, et dabat illis potestatem spirituum immundorum. »

Hic incipit pars secunda : in qua declaratio famæ potestatis Leonis per ministrorum missionem ostenditur.

Et habet quatuor paragraphos : in quorum primo significat missorum potestatem et auctoritatem. In secundo, tangit eorumdem per observantias institutionem. In tertio, innuit non recipientium eos condemnationem. In quarto autem, missorum per ministerium suum tangit fructum et utilitatem.

In primo horum facit tria : ostendit enim hanc missionem esse missionis apostolicæ principium : et ostendit mutuæ societatis eorum solatium : et confert eis contra impedimentum diaboli (alias, diabolicæ potestatis) sancti Spiritus adjutorium.

De primo dicit : « *Et vocavit duodecim,* » in unum cor, et in unam fidem, et in unam animam, et in unam veritatem prædicandam. Ad Ephes. IV, 3 : *Solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.* Psal. XLIX, 5 : *Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.* Genes. XLIX, 2 : *Congregamini, et audite, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum.* Duodecim autem convocavit : quia isti hierarchæ erant, et ordinatores aliorum. Unde, Luc. X, 1, dicitur, quod *designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam, in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus.* Sed illi mittebantur ut Presbyteri : duodecim autem ut Episcopi et majores Prælati.

« Et cœpit eos mittere, »

Hoc est, prima missione misit eos,

quando dixit, Matth. x, 5 et 6 : *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis : sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel.* Hæc enim fuit prima missio, in quam mittere cœpit. Post resurrectionem autem misit ad Gentes. Et hæc fuit ultima et completa missio ad prædicandum, quando dixit, Marc. xvi, 15 : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.*

Cœpit autem mittere « *binos,* » quia caritas minus quam inter duos haberi non potest. Et quia adhuc infirmi erant, ut haberent mutuæ societatis solatium. Proverb. xviii, 19 : *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Eccle. iv, 9 et 10 : *Melius est duos esse simul quam unum : habent enim emolumentum societatis suæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* Quando autem perfecti erant in spiritu post Resurrectionem, et Ascensionem, et Spiritus sancti perceptionem, misit eos simpliciter sive binos, sive solos, quia tunc erant Spiritu sancto solidati. Sic ergo misit, ut ex missione haberent auctoritatem. Luc. x, 3 : *Ite, ecce ego mitto vos.* Matth. x, 16 : *Ecce ego mitto vos.* Isa. vi, 8 : *Ecce ego, mitte me.* Jerem. i, 7 : *Ad omnia quæ mittam te, ibis : et universa quæcumque mandavero tibi, loqueris ad eos.*

« Et dabat illis potestatem spirituum immundorum, »

Hoc est, dabat illis potestatem Spiritus sancti : quia potestate possent compescere spiritus immundos, nec possent impedire audientes se a fidei receptione et sacramentorum. Et hanc potestatem exercet Ecclesia in suis exorcistis. Joan, xx, 22 et 23 : *Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Luc. ix, 1 : *Dedit illis potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent.*

« Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum : non peram, non panem, neque in zona æs, 8

Sed calceatos sandaliis, et ne induerentur duabus tunicis. » 9

Secundus est paragraphus, in quo tangit ministrorum per observantias institutionem.

Tanguntur autem in hoc paragrapho duo, scilicet institutio pertinens ad viam, et institutio pertinens ad hospitium.

In primo dicit septem : quorum primum est universaliter tollendorum in via prohibitivum, cum dicit : « *Et præcepit eis,* » in prima missione, « *ne quid,* » hoc est, aliquid præter necessariorum, « *tollerent in via,* » ut tota sollicitudo eorum congregata converteretur ad evangelizandum. Tunc enim misit amatos, non odiosos ad fratres et oves, et semper apud se repositam habebant decimam, quæ peregrinis debebatur, sicut dicitur, Exod. xxii, 29. Sicut enim dicitur, Deuter. x, 18 : *Dominus amat peregrinum, et dat ei victum atque vestitum.* Præterea illi, ad quos tunc misit, a patribus instituti erant ad hospitalitatem : et ideo de necessariis nihil oportuit eos esse sollicitos. Matth. vi, 31 et 32 : *Nolite solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur ? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis* [1]. Psal. lxxvii, 19 et 20 : *Male locuti sunt de Deo : dixerunt : Numquid poterit Deus parare mensam in deserto ?... numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo ?*

[1] Cf. Luc. xii, 22.

« Nisi virgam tantum. »

Hoc est secundum, ubi concedi sustentantium accipiendi potestatem. Et videtur esse contrarium quod dicitur, Matth. x, 10, et Luc. IX, 3, ubi inhibet in via accipere baculum. Ad hoc dicendum quod ista institutio, quam super Matthæum notavimus [1], non fuit nisi per primam missionem, in qua non odiosi erant Apostoli : et mittebantur ad eos qui hospitales erant, et apud se unam trium decimarum habebant semper repositam, per quam peregrinis recipiendis sufficiebant. Virga autem significabat tria, secundum tres actus ipsius. Sustentat enim lassum, dirigit regendum, et defendit et impugnat. Et quoad primos duos actus virga hic conceditur. Quia per virgam secundum quod sustentat lassum, potestas intelligitur accipiendi ea quæ ad sustentationem pertinent necessitatis, ab his quibus evangelizatur : unde, Matth. x, 10, dicit, quod *dignus est operarius cibo suo.* Et, Luc. x, 7 : *Edentes et bibentes quæ apud illos sunt.* Ad Galat. VI, 6 : *Communicet is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.* I ad Corinth. IX, 14 : *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Hoc igitur significat virga sustentationis lassi. Virga autem dirigit regendum, sicut dicitur in Psalmo XLIV, 7 et 8 : *Virga directionis virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem.* Exod. IV, 17 : *Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* Et hoc modo iterum hic conceditur virga. Tertius usus est virgæ percussionis et defensionis : et quia Apostoli non erant odiosi, nemo eos in hac missione impugnavit : et ideo virga in hoc usu interdicitur . Isa. XIV, 5 et 6 : *Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione plaga insanabili, subjicientem in furore gentes, persequentem crudeliter.* I ad Timoth. III, 2 et 3, inter cætera quæ de episcopo dicuntur, dicitur, quod oportet eum *non esse percussorem.* Sic igitur virga hic interdicitur.

« Non peram. »

Tertium est quod interdicitur. Pera autem significat gestatorium oneris sæculi, sicut dicit Glossa. Et hoc est, quando Evangelium convertitur in quæstum, sicut faciunt quæstuarii. I ad Timoth. VI, 5 : *Existimantium quæstum esse pietatem.* Sapient. XV, 12 : *Æstimantes vitam hominum compositam esse ad lucrum, et oportere undecumque, etiam ex malo acquirere.* Hanc peram portant, qui cum Giezi vendunt sacramenta et gratias, vel emere intendunt cum Simone et Jasone [3]. Sic ergo pera, Evangelici quæstus reservatorium, interdicitur.

« Non panem. »

Hoc est quartum. Hujus jam assignata est ratio : quia panem sibi debitum in omni loco invenerunt paratum in prima missione in repositione decimæ, qui pauperibus debebatur. Unde, Matth. XVI, 8 et seq. : *Quid cogitatis intra vos, modicæ fidei, quia panes non habetis ? Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, et quot cophinos sumpsistis ? Neque septem panum in quatuor millia hominum, et quot sportas sumpsistis ?* Sapient. XVI, 20 : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore.* Genes. XLVIII, 15 : *Deus qui pascit me ab adolescentia mea.* Tamen Glossa dicit quod in pane prohibet delicias. Genes. XLIX, 20 : *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.*

[1] Cf. Enarrat. in cap. X Matthæi, ad ℣. 10. Tom. XX. hujusce editionis.

[2] Matth. x, 10 ; Luc. IX, 3.

[3] De Giezi (IV Reg. V, 20 et seq.). De Simone (Act. VIII, 18 et 19). De Jasone (II Machab. IV, 7 et seq.)

« Neque in zona æs, »

Ad emendum viaticum. Et tunc videtur esse contrarium quod dicit, Joan. IV, 8, ubi dicit quod *discipuli abierunt in civitatem ut cibos emerent.* Sic ergo Dominus portabat æs quo emebantur necessaria : et tunc etiam debuit illud concedere Apostolis. Adhuc autem, Joan. XII, 6, dicitur de Juda Iscariote, quia *fur erat et loculos habens, ea quæ mittebantur portabat.* Videtur ergo, quod et Apostoli exemplo Domini ista portare debuerant. Joan. XIII, 15 : *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Ad hoc dicendum, quod numquam prohibuit Dominus simpliciter ne æs in zonis portaretur : sed prohibet eis (alias, æris) sollicitudinem, ubi æs non est necessarium : apud amicos autem hospitales, et eis qui habent apud se unde tenebantur ex lege recipere, non erat æs necessarium, et ideo ibi prohibet : et ad tales in prima missione Apostoli mittebantur, et ideo in illa missione prohibuit. Luc. XXII, 35 et 36 : *Quando misi vos sine sacculo, et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt : Nihil.* Sacculus autem idem signat apud Lucam, quod in zonis æs apud Marcum.

Ad id ergo quod objicitur de Domino : Dicendum, quod cibos emi fecit in civitate Samaritanorum, qui peregrinos Judæos non receperunt : quia ibi erat æs necessarium, et ideo patet quod non est instantia : quia in ista missione interdixit Apostolis, ne intrarent in civitates Samaritanorum. Ad aliud dicendum, quod jam Dominus cum discipulis factus fuerat odiosus, propter veritatis prædicationem : et ideo cogebatur recipere quæ amici mittebant, ut necessaria emerentur : et hoc in tali casu etiam non interdixit Apostolis. Unde, Luc. XXII, 36 : *Et nunc qui habet sacculum, tollat, similiter et peram : et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium.* Nec hoc est contra Christi exemplum, vel verbum.

« Sed calceatos sandaliis. »

Sextum est. Et videtur esse contrarium ad id quod dicitur, Matth. X, 10, et Luc. X, 4, ubi prohibentur calceamenta. Sed ad hoc dicendum, quod sandalium non est calceamentum, sed solea, qua sola planta ab attritione vel punctione spinarum, vel aliarum acutarum rerum obviantium in via defenditur : ne læso pede iter evangelizantis impediatur. Per calceamentum autem superfluus cultus intelligitur calceorum : et ideo non est contrarium. In terra enim calida sufficit usus solearum, et in terra glacialibus frigoribus constricta non interdicitur usus calceorum et caligarum. Act. XII, 8 : *Præcingere, et calcea te caligas tuas.* Hinc inolevit usus, quod Episcopi utuntur sandaliis. Cantic. VII, 1 : *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis.* Ad Ephes. VI, 15 : *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis.*

« Et ne induerentur duabus tunicis. »

Duæ tunicæ sunt duæ induviæ tunicarum, quarum altera est ad necessitatem, et altera ad decorem : et idem est ac si dicat : Non habeatis mutatoria vestimentorum : quia et Dominus quinque genera vestium legitur habuisse [1], sed quia omnes erant necessariæ, ideo omnes pro unica tunica computantur : et ideo dicit Glossa : « Nec unam induti, aliam in futuro reservent : » quia hoc esset superfluum, et esset habere mutatoria vestimentorum : et ideo addit Glossa : « Non quod una tunica in locis glacialibus contenti esse debeamus. » De talibus enim superfluis dicit Jacobus, V, 2 et 3 : *Vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum, et argentum vestrum æruginavit : et*

[1] Joan. XIX, 23.

ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis.

« Et dicebat eis : Quocumque introieritis in domum, illic manete donec exeatis inde. »

Tangit hic inviolabilis hospitii institutionem. Et est tantum una institutio, quod scilicet per domos non discurrant : quia hoc signum esset animi vagabundi, et instabilitatis, sicut dicitur, Proverb. VII, 10 et seq., de muliere *garrula, et vaga, quæ quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis*, etc. II ad Timoth. III, 5 et 6 : *Et hos devita : ex his enim sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis*, etc. Jerem. XIV, 10 : *Populus hic dilexit movere pedes suos, et non quievit, et Domino non placuit.* Utile enim est ut doctor veritatis, et pastor animarum, locum habeat notum, in quo ab omnibus certissime possit requiri. Tamen quamvis honestum præcipiat eligere locum, et hospitem, tamen contributionem pro expensis ab aliis faciendam non interdicit. Unde Apostolus laudat Philippenses, ad Philip. IV, 16, et seq., quia tales filii mittebant contributiones, dicens : *Quia et Thessalonicam semel et bis in usum mihi misistis. Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra. Habeo autem omnia, et abundo : repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.*

11 « Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. »

Tangit hic pœnam non recipientium prædicatores salutis.

Dicit ergo : « *Quicumque non receperint vos,* » hospitio, « *nec audierint vos,* » id est, audire noluerint verbum salutis a vobis, « *exeuntes inde,* » de domibus et civitatibus illorum, « *excutite pulverem,* » qui significat laborem vestri itineris susceptum pro salute illorum, « *de pedibus vestris.* » Quod erit signum, quod animas vestras liberastis, faciendo quod in vobis est, nec effugistis laborem, ut illi salvarentur.

« *Intestimonium illis,* » ne injuste condemnentur, qui salutem sibi oblatam recipere noluerunt. Unde, Matth. x, 15, additur : *Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati*[1], quoad hoc, quod perfectæ gratiæ prædicatores ad illos non sunt missi. Sic pulverem pedem excussit Paulus, Act. xx, 26 et 27, quando dixit : *Mundus sum a sanguine omnium vestrum. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Sic dicit Dominus, Ezechiel. III, 18 et 19 : *Si, dicente me ad impium : Morte morieris*, etc. *Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non conversus fuerit ab impietate sua, et a via sua impia, ipse quidem in iniquitate morietur : tu autem animam tuam liberasti.*

Hæc igitur est expositio litteralis. Alias autem expositiones in Matthæo et in Luca aliquis requirere poterit[2].

12 « Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent :

13 Et dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros, et sanabant. »

[1] Cf. Luc. x, 12.

[2] Cf. Enarrationes in Matth. x, 5 et seq. Tom. XX hujusce editionis. Luc. x, 1 et seq. Tom. XXII.

Tangitur hic istius legationis fructus et utilitas.

Tanguntur autem hic quatuor, scilicet, doctrina in verbo, quam notat quando dicit : « *Et exeuntes* » de præsentia contemplationis vultus Domini. Isa. xxx, 22 : *Egredere, dices ei.* Cantic. vii, 11 : *Egrediamur in agrum, commoremur in villis.*

« *Prædicabant,* » verbo doctrinæ. Proverb. v, 16 : *In plateis aquas tuas divide.* Matth. xxviii, 19 : *Docete omnes gentes.* Prædicabant autem, « *ut pœnitentiam agerent,* » quia sic etiam Christi prædicatio et Joannis Baptistæ incipiebat, Matth. iv, 17 : *Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum* [1]. Pœnitentia enim tabula est, per quam evadunt naufragium passi : et est prima virtus ejus, qui a peccatis recedere intendit. Act. iii, 19 : *Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra.*

« Et dæmonia multa ejiciebant. »

Secunda utilitas est in compescendo vim dæmonis per exorcismos factos in nomine Christi. Luc. x, 17 : *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Dicit autem « *multa,* » quia infra Apostoli dicent [2], quod quemdam ejicere non poterant, propter fidei suæ parvitatem : quem tamen Christus ejecit in oratione et jejunio.

« Et ungebant oleo »

Sacrato et infirmorum, « *multos ægros.* » Et hæc est tertia utilitas, quæ est dispensatio sacramentorum : et ab hinc intelligitur institutum sacramentum extremæ unctionis. Jacob. v, 14 et 15 : *Inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum.* Psal. lxxxviii, 21 et 23 : *Oleo sancto meo unxi eum.... Nihil proficiet inimicus in eo.*

« Et sanabant. »

Quarta utilitas in effectu sacramentorum. Sanabantur autem et in anima, et in corpore. Psal. cii, 3 : *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : qui sanat omnes infirmitates tuas.*

Hoc est igitur quod dicit de institutione suorum legatorum.

« Et audivit rex Herodes, manifestum enim factum est nomen ejus : et dicebat : Quia Joannes Baptista resurrexit a mortuis, et propterea virtutes operantur in illo. 14

Alii autem dicebant : Quia Elias est. Alii vero dicebant : Quia propheta est, quasi unus ex Prophetis. 15

Quo audito Herodes ait : Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit. » 16

Hoc est quartum, quod est de celebritate famæ gratiæ Christi : in quo per accidens inducitur de decollatione Joannis Baptistæ.

Habet autem hæc pars duas partes : in quarum prima tangitur famæ Christi celebritas : in secunda autem, Herodis interficiendo Joannem ferocitas, ibi, ℣. 17 : « *Ipse enim Herodes.* »

In prima harum tanguntur quinque : quorum primum est famæ Christi celebritas : secundum est opinionis Herodis falsitas : tertium est dicentium Christum esse Eliam probabilitas : quartum est dicentium Christum esse Prophetam quædam opinata veritas : quintum et ultimum, erroris Herodis obstinata cæcitas. Et hæc per ordinem in littera continentur.

Dicit igitur : « *Et audivit,* » exeuntibus Apostolis, et ubique odorem suavitatis diffundentibus, « *rex Herodes.* » II ad Corinth. ii, 15 : *Christi bonus odor*

[1] Cf. Luc. iii, 3 et seq.

[2] Vide, Infra, ix, 17 et seq.

sumus Deo, et in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt. Et, ibidem, ℣. 14 : *Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.* Sic ergo etiam ad Herodem odor gratiæ Christi pervenit.

« *Manifestum enim factum est,* » omnibus, « *nomen ejus,* » quod invocabatur ab Apostolis, quod invocatum sanitates conferebat ægrotis. Act. IV, 12 : *Non aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Ad Philip. II, 9 et 10 : *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum.*

« Et dicebat, »

Herodes scilicet falsa opinione deceptus, « *quia Joannes Baptista resurrexit.* » Audierat enim a Judæis de resurrectione mortuorum : et quod resurgentes fortioris sunt virtutis, quam adhuc animaliter viventes.

« *Resurrexit a mortuis,* » qui tantæ fuit virtutis, quod Christus credi potuisset. « *Et propterea,* » quia corpora resurgentium, et ipsi resurgentes majorum sunt virtutum, « *virtutes,* » immortalis vitæ, « *operantur,* » ad facturam miraculorum, « *in illo,* » in Joanne resurgente. Unde Beda : « Bene sentit de re-
« surrectione, quod scilicet majoris po-
« tentiæ sunt futuri post resurrectio-
« nem. » Et ideo quamvis Joannes ante mortem signum fecerit nullum, sicut dicitur, Joan. X, 41, tamen quia virtutes resurgentium sunt majores et validiores quam mortaliter et animaliter viventium, putabat quod virtutes Joannis resurgentis modo operarentur in Joanne ad operationem miraculorum.

« Alii autem, »

Quidam, « *dicebant,* » probabilius dicentes : « *Quia Elias est.* » Hic enim Elias tantæ fuit virtutis, ut et mortuum suscitaret [1], et ut ignem de cœlo deponeret [2]. Tamen et isti minus quam verum esset dicebant.

« Alii vero, »

Sapientiam quæ non humano modo acquisita fuit considerantes, « *dicebant : Quia Propheta est,* » in lege promissus [3]. « *Quasi unus,* » per inspirationem divinam habens sapientiam « *ex Prophetis.* » Joan. VI, 14 : *Hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.* Luc. XXIV, 19 : *Fuit vir Propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo.* Isti ergo minus quam in veritate esset, dicebant.

« Quo audito Herodes, »

De diversis hominum fallacibus opinionibus, « *ait,* » in falsa sua opinione perdurans : « *Quem ego,* » tunc infirmum, « *decollavi Joannem.* » Et confitetur suum scelus in gloriam suæ turpitudinis. Proverb. II, 14 : *Lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis.* Psal. LI, 3 : *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?*

« *Hic,* » Joannes devicta morte et mortis infirmitate, « *a mortuis resurrexit* : » et ideo nunc tam validæ est virtutis, quod signa super vires hominum existentia operatur.

« Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcere propter Herodiadem, uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. **17**

Dicebat enim Joannes Herodi : Non licet tibi habere uxorem fratris tui. **18**

[1] Cf. III Reg. XVII, 22 et seq.
[2] Cf. IV Reg. I, 10.
[3] Cf. Deuter. XVIII, 18.

19 Herodias autem insidiabatur illi, et volebat occidere eum, nec poterat.

20 Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum : et custodiebat eum, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat. »

Hic incidenter tangit historiam de decollatione Joannis Baptistæ : quæ quidem historia secundum veritatem non est evangelica, cum non sit de Christo : sed quia in Christi nomine fecit quæ fecit, ideo in Evangelio historia hæc describitur.

Et dividitur in tres partes : in quarum prima tangitur causa decollationis ejus : in secunda, modus : et in tertia, sepultura.

In causa decollationis adhuc tria continentur, scilicet, causa in communi, et causa in speciali, et machinatio Herodiadis in mortem Joannis, quæ potisssima fuit causarum.

De primo dicit : « *Ipse enim Herodes,* » qui *versipellis* interpretatur, qui pium se finxit cum crudelissimus esset. Luc. XIII, 32 : *Dicite vulpi illi : Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie, et cras, et tertia die consummor :* unde sicut sitivit sanguinem Joannis, ut sine reprehensione viveret in consueto contubernio : sic adhuc timens a Christo reprehendi, Christum occidere quærebat. Luc. XIII, 31 : *Exi et vade hinc : quia Herodes vult te occidere.*

Hic ergo Herodes, filius ejus qui pueros interfecit, « *misit* » ministros sceleris sui, « *ac tenuit* » captivum « *Joannem* » innocentem, « *et vinxit eum in carcere,* » ut se probaret malitiæ paternæ imitatorem : et hoc fecit, « *propter Herodiadem* » adulteram, et incestam, et scortatricem, « *uxorem Philippi fratris sui,* » hoc est, Herodis, qui *Philippus tetrarcha fuit Iturææ et Trachonitidis regionis,* sicut dicitur, Luc. III, 1. « *Quia eam,* » adhuc vivente Philippo, « *duxerat* » Herodes : quia secundum legem erat morte plectendum crimen. Deuter. XXII, 22 : *Si dormierit vir cum uxore, alterius, uterque morietur.* Post mortem quidem fratris potuisset duxisse, ut semen fratri defuncto suscitaret, sicut dicitur, Deuter. XXV, 5. Glossa autem marginalis tangit historiam qualiter hoc accidit, dicens : « Vetus historia narrat Philippum majoris Herodis fuisse filium, et fratrem Herodis, sub quo passus est Dominus : et duxisse uxorem Herodiadem, filiam Aretæ Regis : et postea Aretam ortis simultatibus, filiam suam tulisse, et Herodi inimico Philippi, in dolorem ipsius copulasse. Et quia hoc arguit Joannes, vinctus fuit. »

« Dicebat enim Joannes. »

Et tangit causam in speciali : « *Non licet tibi habere uxorem* » alterius : et multo minus tibi licet habere uxorem « *fratris tui* : » quia Herodes, ut magis acceptus esset Judæis, et regnare posset super eos, legem acceperat Judæorum. Malach. II, 11 et 12 : *Contaminavit Judas sanctificationem Domini, quam dilexit,* hoc est, matrimonium, *et habuit filiam dei alieni :* quia Herodias gentilis fuit. *Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum de tabernaculis Jacob.* Unde sicut Elias arguit Achab per Jezabel, et ideo Jezabel insidiabatur Eliæ [1] : ita Joannes arguit Herodem de Herodiale, et ideo Herodias insidiabatur Joanni.

Et hoc est quod sequitur :

« Herodias, »

Delectata in incestu Herodis, « *insidiabatur illi,* » hoc est, Joanni. Psal. IX secundum Hebræos, 8 : *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.*

[1] Cf. III Reg. XIX, 2 et seq.

« *Et volebat occidere eum,* » latenter. III Reg. XIX, 10 : *Derelictus sum ego solus, et quærunt animam meam.* Sicut Jezabel quæsivit occidere Eliam.

« *Nec poterat* » satisfacere malitiæ. Job, V, 12 : *Dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant.*

Quare autem non poterat, subdit :

« Herodes enim metuebat Joannem, »

Propter Judæos super quos regnare ambivit, qui Joannem sanctum et magnum habebant : et ideo non metuebat metu reverentiæ, quia quo sanctiorem scivit, libentius occidisset : sed metu illo, quod tumultus inter Judæos pro morte ejus fieret, et ipse sic de regno deponeretur. III Reg. XXII, 8 : *Remansit vir unus, per quem possumus interrogare Dominum : sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum,*

« *Sciens eum virum justum* : » et ideo esse objurgatorem vitiorum. Isa. LVIII, 1 : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum.*

« *Et sanctum* : » et ideo stupra et incestum detestantem. II ad Corinth. VI, 14 et 15 : *Quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?*

« *Et custodiebat eum,* » ne ab Herodiade posset occidi. Hoc tamen non amore justitiæ faciebat : sed illa de causa quæ dicta est, quia vulpes versipellis erat.

« *Et audito eo,* » scilicet Joanne, « *multa faciebat,* » simulatorie, et non ex veritate. Dicit autem « *multa,* » quia non faciebat, sed quædam alia in quibus vis non fuit. Matth. XXIII, 24 : *Excolantes culicem, camelum autem gluttientes.* Et, ibidem, ℣. 23 : *Decimatis mentham, et anethum, et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis.* Iste enim adulterium et incestum non dimisit : sed quædam parva, in quibus vis non erat.

« *Et libenter eum audiebat,* » hoc est, se audire simulabat. Proverb. XI, 9 : *Simulator ore decipit amicum suum : justi autem liberabuntur scientia.* Job, XXXVI, 13 : *Simulatores et callidi provocant iram Dei.*

« Et cum dies opportunus accidisset, **21**
Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, et tribunis, et primis Galilææ.

Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, et saltasset, et placuisset Herodi simulque recumbentibus, rex ait puellæ : Pete a me quod vis, et dabo tibi. **22**

Et juravit illi : Quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. » **23**

Tangit hic modum decollationis Joannis.

Modus autem accipitur partim ex parte regis, partim ex parte puellæ petentis, et partim ex parte Herodiadis : et ideo habet tres partes.

Ex parte regis tria inducuntur : profani festi celebratio : turpis ludi delectatio : et stultæ promissionis obligatio.

De primo dicit : « *Et cum dies opportunus,* » ad profanum festum celebrandum, « *accidisset,* » (annua revolutio) « *Herodes natalis sui,* » scilicet diei, quo maledictus ex maledicto, et ad maledictum natus fuit : « *cœnam,* » quæ solemnior esse consuevit quam prandium, « *fecit,* » cum magno apparatu, « *principibus* » majoribus, « *et tribunis* » inferioribus, qui provinciis et civitatibus præerant, « *et primis* » qui loco senatorum erant, « *Galilææ.* » Isa. I, 14 : *Solemnitates vestras odivit anima mea.* Psal. XLVIII, 12 : *Vocaverunt nomina sua*

in terris suis. Genes. xi, 4 : *Celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras.* Osee, vii, 5 : *Dies regis nostri : cœperunt principes furere a vino : extendit manum suam cum illusoribus.* Glossa : « Soli Herodes et Pharao leguntur natalis sui diem celebrasse : et uterque solemnitatem sanguine fœdasse. Sed Herodes tanto nequius, quanto sanctum, et veritatis doctorem, et regis cœlestis præconem occidit : et pro voto saltatricis, caput occisi ante convivas inserere non puduit. Pharao peccantem eunuchum occidit. Utriusque exemplo, melius est nobis diem mortis semper commemorando timere, quam diem nativitatis luxuriando celebrare. Homo enim ad laborem nascitur, et Sancti per mortem transeunt ad requiem. Et ideo, Job, iii, 3 : « *Pereat dies in qua natus sum.* » Hieronymus : « Nullum alium « legimus celebrasse diem natalis sui, « nisi Herodem et Pharaonem : ut quo- « rum par erat impietas, esset una so- « lemnitas. »

« Cumque introisset filia ipsius Herodiadis. »

Hæc filia videtur non fuisse filia Philippi : quia cum Joannes pro Philippo loqueretur, filia contra patrem caput Joannis non petisset : neque videtur filia fuisse Herodis, quia de hoc non fit mentio in littera, cum tamen pater magis commemoretur in natis, quam mater : et quia nomen patris tacetur, videtur vilem et ignobilem habuisse patrem, eo quod Herodias semper scorto dedit operam. Saltatrix enim non esset (nisi filia alicujus ignobilis) saltibus histrionicis coram Herode et principibus. Eccli. ix, 4 : *Cum saltatrice ne assiduus sis : nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.* Hæc autem efficacia est, qua curvatur ad libidinis gestus : et tecta nudat, et exhibet efficaciter ad libidinem.

« *Et placuisset Herodi.* » Filia enim saltibus libidinem Herodis provocabat, qua mater impia scortatoris libidinem satiabat. « *Simulque recumbentibus,* » qui libidiui studebant sicut et ipse Herodes. Eccli. ix, 6 : *Ne des fornicariis animam tuam in ullo,* scilicet tempore : *ne perdas te, et hæreditatem tuam.*

« Rex ait puellæ, »

Stulto et impio se adstringens promisso (alias, juramento.) « *Pete a me quod vis.* » Non debuit in voto impudicæ ponere, quod peteret quod vellet : quia illa non nisi malum velle dignoscebatur.

« *Et dabo tibi,* » quod satisfacit impudicæ voluntati.

Stultior etiam fuit, nam

« Et Juravit illi, »

Indiscrete se obligavit, « *quia quidquid petieris, dabo tibi.* » Profusæ hoc fuit prodigalitatis.

« *Licet dimidium regni mei.* » Saltatrici talia dona promittere, stultissimum fuit : promittere autem tanta simpliciter profusæ fuit prodigalitatis. Beda : « Non « excusatur a perjurio : ideo enim forte « juravit, ut occasionem inveniret occi- « dendi. » Et si illa patris aut matris interitum postulasset, non utique consensisset Herodes : unde perjurus erat jurando illicitum. Exod. xx, 7 : *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.*

« Quæ cum exisset, dixit matri suæ : Quid petam ? At illa dixit : Caput Joannis Baptistæ. 24

Cumque introisset statim cum festinatione ad regem, petivit dicens : Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ. » 25

« *Quæ cum exisset,* » extra conventum recumbentium, « *dixit matri suæ.* » Tangitur secundus modus ex parte puellæ, qui est petitio consilii ab incesta

et impia matre. Ezechiel. XVI, 45 : *Filia matris tuæ es tu.* Tob. IV, 19 : *Consilium semper a sapiente perquire.* Ab incesta enim non requiritur nisi consilium turpe.

« At illa dixit, »

Læta quod nacta fuerat opportunitatem Joannem occidendi. Et est tertium, quod est modus ex parte impiæ matris Herodiadis. Et tanguntur hic quatuor, scilicet matris impium consilium, filiæ scurrilis statim acquiescentis votum, regis simulatoris et versipellis ad decollandum edictum, et caput allatum, datum in saltus, et scorti præmium.

Dicit igitur : « *Caput Joannis Baptistæ* » petes. Timebat enim, sicut dicit Glossa, ne aliquando resipisceret, vel amicus fratris efficeretur, propter verba Joannis : et ideo linguam Prophetæ, quæ scortum detestabatur, voluit habere in potestate. Eccli. XXV, 22 et 23 : *Non est caput nequius super caput colubri : et non est ira super iram mulieris. Commorari leoni et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam.*

« Cumque introisset statim cum festinatione ad regem, »

Ne aliud interveniret consilium. Jerem. VIII, 6 : *Omnes conversi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium.*

« *Petivit,* » voto cum matris voluntate concordante, « *dicens,* » ut talis matris filiam se esse probaret : « *Volo ut protinus,* » non adhibito consilio saniori, « *des mihi in disco.* » Discus est scutella lata in medio aliquantulum concava. « *Caput Joannis Baptistæ.* » Hujus enim sanguinem inter dapes esurio, et inter vina sitio. Apocal. XVII, 6 : *Vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum.* Eccli. XXV, 26 : *Brevis omnis malitia super malitiam mulieris, sors peccatorum cadat super illam.*

« Et contristatus est rex : propter jusjurandum et propter simul discumbentes, noluit eam contristare, **26**

Sed misso spiculatore, præcepit afferri caput ejus in disco. Et decollavit eum in carcere. **27**

Et attulit caput ejus in disco, et dedit illud puellæ, et puella dedit matri suæ. » **28**

Hic tangitur regis ad decollandum imperium. Tanguntur autem hic quinque, scilicet, nefanda versipellis religio : detestanda perniciosi contristatio : abominanda saltatricis placatio : crudele præceptum : et miserabile ludi præmium.

Dicit igitur : « *Et contristatus est rex,* » simulatorie, non vere : ut dicit Glossa. II ad Timoth. III, 5 : *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Proverb. XII, 10 : *Viscera impiorum crudelia.*

« *Propter jusjurandum* » se simulavit esse contristatum, qui hoc ipso quod illicite juravit perjurus fuit, et in turpi voto decretum mutare debuit. Jerem. V, 2 : *Quod si etiam Vivit Dominus, dixerint : et hoc falso jurabunt.*

« *Et propter simul recumbentes,* » coram quibus juravit. Et simulat se contristari, ne illi eum perjurum et variabilem in promissis existiment. Illi autem omnes erant sibi similes et scelesti sicut ipse : et ideo verecundatur, si scelestus coram eis non videretur. Eccli. XXVII, 10 : *Volatilia ad sibi similia conveniunt.*

« *Noluit eam contristare :* » quod pessimum fuit, quia talem fatuam compescere debuit, et punire propter crudelem petitionem. Eccli. IX, 2 : *Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, et confundaris.*

« Sed misso spiculatore, »

Hoc est, eo qui spiculum ex officio

portabat, quo capita damnatorum amputabantur. « *Præcepit,* » crudeli edicto, « *afferri,* » ante convivas, « *caput Joannis in disco.* » Glossa : « Vult omnes simul sceleris sui esse consortes, ut in luxurioso convivio cruentæ epulæ deferrentur. » Apocal. XVI, 6 : *Sanguinem eis dedisti bibere : digni enim sunt.*

« *Et decollavit eum* » spiculator minister sceleris, « *in carcere,* » quia ad judicium publicum suum ipsum producere noluit. Isa. LIX, 15 : *Qui recessit a malo, prædæ patuit.*

« Et attulit »

Spiculator ad convivas, « *caput ejus,* » hoc est, Joannis, « *in disco,* » ut satiaretur fœmina crudelis sanguine prophetæ. « *Et dedit illud puellæ* » saltatrici in præmium, « *et puella dedit matri suæ,* » in ludibrium : ut illi mortuo illuderet, qui suum incestum detestabatur : sicut Jezabel occidi fecit Naboth : et sicut minata est occisionem Eliæ. Eccli. XXV, 17 : *Omnis malitia, nequitia mulieris.*

29 « Quo audito, discipuli ejus venerunt, et tulerunt corpus ejus, et posuerunt illud in monumento. »

Tangitur hic de sepultura Baptistæ. « *Discipuli enim audito* » quod factum erat, « *venerunt* » ad corpus quod rex ipsis reddi jussit, « *et tulerunt corpus ejus, et posuerunt illud* » reverenter « *in monumento.* » Et sicut dicitur, Matth. XIV, 12 : *Venientes nuntiaverunt Jesu.* Dicit autem Glossa Bedæ, quod Josephus narrat Joannem vinctum in castellum Macheronta adductum, et ibi truncatum. Ecclesiastica narrat historia in Sebaste urbe Palestinæ, quæ dicta est quondam Samaria : tempore vero Juliani, paganos invidentes Christianis (qui sepulcrum ejus sollicite frequentabant) monumentum invasisse, et ossa ejus per campos dispersisse : et rursus collecta igni tradidisse, ac denuo per agros sparsisse : fuisse tamen ibi de Jerosolymis monachos, qui immisti paganis ossa legentibus, maximam eorum partem congregaverunt, et ad Philippum Jerosolymam detulerunt : et ille ea misit Athanasio Alexandriæ urbis apostolo : et ibi postea servata, Theophilus (jubente Theodosio) omnibus gentium fanis destructis, expurgato a sordibus templo Serapis, ossa eadem ibidem posuit, et tunc basilicam in honorem sancti Joannis consecravit. Hæc in Glossa.

« Et convenientes Apostoli ad Jesum, renuntiaverunt ei omnia quæ egerant et docuerant. 30

Et ait illis : Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum. » 31

Hæc est quarta pars, in qua Apostoli redeuntes de legatione sibi injuncta, relationem fecerunt ad Dominum. Habet autem tres paragraphos : in quorum primo præinducta ponitur relatio : in secundo, post actionem virtutis, de quiete in contemplatione veritatis ponitur instructio. Quia autem hanc in deserto fieri docet, ideo tertio ostenditur causa esse hujus, hominum nimia frequentatio.

Dicit igitur : « *Et convenientes Apostoli ad Jesum,* » in una devotione et gratiarum actione. Psal. CI, 23 : *In conveniendo populos in unum, et reges ut serviant Domino.* Eccle. I, 7 : *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant.* Job, XXXVIII, 35 : *Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus ?* Quasi dicat : Non tu, sed ego. Baruch, III, 33 et seq. : *Qui emittit lumen, et vadit : et vocavit illud, et obedit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt : vocatæ sunt, et dixerunt :*

Adsumus : et luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.

« Renuntiaverunt ei omnia quæ egerant, »

In virtutum operibus et exemplis, et miraculis : ut de singulis gratias exhiberent. I ad Thessal. v, 18 : *In omnibus gratias agite.* Genes. xxxvii, 14 : *Renuntia mihi quid agatur.* Hoc est holocaustum gratiarum actionis, quod in igne devotionis totum Deo incenditur : quod beatus Job offerebat pro singulis filiorum suorum, Job, i, 5 : *Consurgens diluculo, offerebat holocausta pro singulis.*

« *Et docuerant,* » ut coram Domino conferrent, an recte docuissent. Ad Galat. ii, 2 : *Contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus, seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse : ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Et hinc originem accepit examinatio Episcoporum et Doctorum.

« Et ait illis, »

Omnium illuminator Dominus, ut ad quietem contemplationis informaret, et induceret : « *Venite,* » sapientiam quæ est in me sequendo. Psal. xxxiii, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini.* Eccli. li, 31 : *Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ.* Deuter. xxxiii, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.*

« *Seorsum,* » sequestrando vos a vobis et vestris tumultibus. Isa. lii, 11 : *Recedite, recedite : exite inde, pollutum nolite tangere.* Zachar. ii, 6 : *O, o fugite de terra aquilonis.* Psal. xliv, 11 : *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui.*

« *In desertum,* » ubi negotia non impediunt. Eccli. xxxviii, 25 : *Qui minoratur actu, sapientiam percipiet.* Exod. iii, 1 et 3 : *Minabo gregem ad interiora deserti.. : et videbo visionem hanc magnam.* Psal. cxxxi, 6 et 7 : *Audivimus eam in Ephrata : invenimus eam in campis silvæ. Introibimus in tabernaculum ejus.*

« *Locum.* » Immutabilem immobilis veritatis locationem signat. Genes. xxviii, 16 : *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.* Psal. lxvii, 6 : *Deus in loco sancto suo.* Ezechiel. xliii, 7 : *Locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel.*

« Et requiescite, »

Ab actionis labore. Genes. xxii, 5 : *Exspectate hic cum asino : ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Ita dixit Abraham ad servos, qui significant actionem sollicitudinis et laboris : asinus autem, onus significat corporis : puer autem spiritus puritatem. Et significat, quod a curis et sollicitudinibus, et a laboribus actionum, et onere corporis est quiescendum, et cum puritate spiritus ad contemplandam veritatem pergendum.

« *Pusillum,* » quia necessitas vitæ non permittit quiescere nisi pusillum : quia etiam delectatione amplexuum castorum sapientiæ reputatur pusillum. De primo dicitur, Apocal. viii, 1 : *Factum est silentium in cælo* (hoc est, in cœlestis veritatis contemplatione) *quasi media hora.* De secundo dicitur, Isa. xxvi, 20 : *Abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio mea.* Genes. xxix, 20 : *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Psal. lxxxiii, 11 : *Melior est dies una in atriis tuis, super millia.* Beatus Bernardus contra sollicitudines : « Exspectate me hic cum « asino corpore isto : ego et puer illuc « properantes revertemur ad vos : et, « heu ! revertimur quam citius ! Sub- « trahit enim nos a vobis amor veritatis, « sed iterum nos reducit ad vos necessitas « charitatis. »

« Erant enim qui veniebant et redibant multi, et nec spatium manducandi habebant. »

Tangit causam declinationis in desertum, dicens : « *Erant enim qui veniebant* » ad Christum, ut audirent eum, « *et redibant* » a Christo ad propria. Matth. VIII, 11 : *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum.* Isti enim veniebant et redibant secundum obedientiæ sancta mandata. Isa. XLIII, 5 et 6 : *Ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni : Da : et Austro : Noli prohibere.* Et qui veniebant ad Christum, veniebant ad veritatis contemplationem : qui autem redibant, ibant ad veritatis actionem. De primo dicitur, Isa. II, 3 : *Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas.* De secundo dicit Psalmus LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion.*

« Et nec spatium habebant, »

Christus et discipuli, « *manducandi.* » Venientes enim petebant doctrinam veritatis : euntes autem, dimitti volebant in gratia actionis et virtutis. Unde Glossa dicit : « Felix studium discentium, et felix labor docentium. » Psal. CI, 5 : *Oblitus sum comedere panem meum.* Sic Christus neglecto cibo proprio dixit, Joan. IV, 32 : *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* Tob. XII, 19 : *Ego cibo invisibili, et potu qui ab hominibus videri non potest, utor.* Glossa tamen dicit, quod veniebant ad gratiam accedentes, ut latro : redibant, a gratia cadentes, ut Judas. De primo dicit, Matth. XI, 28 : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* De secundo dicitur, Joan. VI, 68 : *Numquid et vos vultis abire ?* Glossa : « Sicut in arca Noe, animalia quæ intus erant, foras mittebantur, ut corvus : et quæ foris erant, intus eruperunt : sic introducta est columba, quæ ibat et redibat. » Sed hæc expositio est allegorica : et prima est litteralis.

« Et ascendentes in navim, abierunt in desertum locum seorsum. 32

Et viderunt eos abeuntes, et cognoverunt multi : et pedestres de omnibus civitatibus cucurrerunt illuc, et prævenerunt eos. 33

Et exiens vidit turbam multam Jesus : et misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem, et cœpit illos docere multa. » 34

Postquam sufficienter ostendit famæ virtutis Christi, Leonis de tribu Juda, diffusionem, tangit hic Leonis ipsius contra inediam fortitudinem.

Et tanguntur sex in ista historia : in quorum primo describit turbæ ad doctrinam Christi aviditatem : propter quod digna fuit Christi pastura : secundo, describit Christi ad eos qui pastu indigebant miserationem, ibi, ℣. 34 : « *Et exiens vidit,* etc. » Tertio, discipulos instruit qualiter de officio suo pasturæ tenentur habere sollicitudinem et provisionem, ibi, ℣. 35 : « *Et cum jam hora multa fieret,* etc. » Quarto, ostendit pastorum qua pascere debent facultatem, ibi, ℣. 38 : « *Et dicit eis : Quot panes habetis ?* » Quinto, ostendit pasturæ istius per divinam virtutem perfectionem, ibi, ℣. 41 : « *Et acceptis quinque panibus,* etc. » Sexto et ultimo, ostendit divinæ virtutis in pascendo quantitatem, et magnitudinem, ibi, ℣. 42 : « *Et manducaverunt omnes,* etc. »

In primo horum duo dicit, scilicet, desiderium discipulorum ad eundum in locum solitarium ad contemplationem,

et aviditatem turbarum ad doctrinæ perceptionem.

Dicit igitur :

« Et ascendentes »

Discipuli cum Christo, quorum omnis actus ascensio fuit. Psal. LXXXIII, 6 et 7 : *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacymarum*, etc.

« *In navim*, » qua fluctibus et tumultibus hujus sæculi eximerentur. Proverb. XXXI, 14 : *Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.*

« *Abierunt*, » a turba, « *in desertum* » *trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis*, sicut dicitur, Joan. VI, 1.

« *Locum*, » solitudinis quieti deputatum, « *seorsum.* » Exod. XXXIII, 21 : *Est locus apud me : et stabis supra petram*, hoc est, contemplando solidum veritatis : quia illum locum, gratia contemplationis post actionem Apostoli desiderabant.

« Et viderunt eos »

Turbæ, quæ omnia facta eorum contemplabantur ad instructionem, « *abeuntes*, » a turbis ad desertum quietis, sicut oves quæ in adspectu virgarum conceperunt [1].

« *Et cognoverunt* » turbæ quia illic erant in auditu et contemplatione veritatis : « *multi*, » quia, I ad Timoth. II, 4 : *Omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.*

« *Et pedestres*, » fatigationem non sentientes. Erubescebant enim pedestrem Dominum in equis et quadrigis sequi.

« *De omnibus civitatibus*, » qui civilitate legum scriptarum erant instituti. Lucæ, VIII, 4 et 5 : *Cum turba plurima convenirent, et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem : Exiit qui seminat, seminare semen suum :*

« *Cucurrerunt illuc*, » charitate veritatis eos impellente. Psal. CXVIII, 32 : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Isa. XL, 31 : *Current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.*

« *Et prævenerunt eos*, » scilicet Christum et discipulos. Psal. LXVII, 26 : *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus.* Nimio enim desiderio prævenerunt ad locum, ubi in spiritu putabant psallere discipuli.

« Et exiens »

Jesus, « *vidit.* » Et est secundum istius partis. Exivit autem extra quietem et doctrinam Apostolorum, de intimis deserti.

« *Vidit turbam*, » oculo miserationis. Exod. III, 7 : *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus audivi.*

« *Et misertus est super eos.* » Luc. XV, 20 : *Vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est.* Marc. VIII, 2 : *Misereor super turbam : quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.*

« *Quia erant sicut oves* » mansuetæ, obedientes, et simplices. Isa. LIII, 6 : *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit.* I Petr. II, 25 : *Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem, et Episcopum animarum vestrarum.*

« *Non habentes pastorem :* » et ideo negligentia eorum et error non fuit ex ipsis, sed ex defectu pastoris. III Reg. XXII, 17 : *Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastorem.* Zachar. XI, 17 : *O pastor, et idolum, derelinquens gregem.* Quia Sacerdotes et Scribæ et Pharisæi neglexerunt eos.

« Et cœpit, »

Non nunc primo ; quia sic semper in

[1] Cf. Genes. XXIX, 2 et 3.

fervore fuit ac si nunc inciperet. Psal. LXXVI, 11 : *Dixi : Nunc cœpi : hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

« *Illos docere multa* » de regno Dei : quia licet ad unum tendant, tamen per multas docentur similitudines. Osee, XII, 10 : *Ego visionem multiplicavi, et in manu Prophetarum assimilatus sum.*

35 « Et cum jam hora multa fieret, accesserunt discipuli ejus, dicentes : Desertus est locus hic, et jam hora præteriit :

36 Dimitte illos, ut euntes in proximas villas et vicos, emant sibi cibos quos manducent.

37 Et respondens ait illis : Date illis vos manducare. Et dixerunt ei : Euntes emamus ducentis denariis panes, et dabimus illis manducare ?

38 Et dicit eis : Quot panes habetis ? Ite, et videte. Et cum cognovissent, dicunt : Quinque, et duos pisces.

39 Et præcepit illis ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum.

40 Et discubuerunt in partes, per centenos et quinquagenos. »

Tertium est. Et dicuntur hic tria : quæstio discipulorum, illuminatio Christi de officio eorum, et a discipulis allegatio defectus facultatum.

Dicit igitur : « *Et cum jam hora multa fieret,* » non solum unius diei, sed tridui, quo Christum ex desiderio sustinuerunt docentem : et jam vespera esset, sicut dicit Lucas [1], « *accesserunt discipuli ejus,* » ex compassione fatigationis ad Christum, « *dicentes : Desertus est locus,* » refectioni et quieti lassorum non aptus, « *et jam hora præteriit,* » ad turbas diutius retinendas.

« Dimitte illos, »

In benedictione tua : nec amplius docendo protrahas. « *Ut euntes in proximas villas,* » quia ad propria ante noctem remeare non possunt, ut vel hospitium peregrinum sibi inveniant : « *et vicos* » rusticorum, ubi pastores habitant juxta desertum : « *emant sibi cibos* » necessarios, « *quos manducent,* » post tantam lassitudinem : quia multa indigent recreatione. Isa. XXI, 14 : *Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis teram Austri : cum panibus occurrite fugienti.* Isa. XXVIII, 12 : *Hæc est requies mea, refici te lassum : et hoc est meum refrigerium.*

« Et respondens ait illis »

Omnium illuminator benignus Dominus : « *Date illis vos manducare.* » Unde, Matth. XIV, 16, dicitur : *Non habent necesse ire : date illis vos manducare.* Glossa interlinearis : « Quasi dicat : Vestrum est officium pascere verbo, et pascere virtutis exemplo, et pascere temporali subsidio. » Joan. XXI, 17 : *Pasce oves meas,* Petro dictum est ter, propter triplicem pasturam, verbi, exempli, et temporalis subsidii.

« Et dixerunt ei : »

Paupertatem suam in facultate pascendi allegantes : nescientes se esse divites factos in Domino. « *Euntes emanus,* » si loca in quibus emeremur propinqua essent, et census suppeteret, « *ducentis denariis panes : et dabimus illis manducare.* » Joan. VI, 7 : *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.* Denarius autem iste imagine regis insignitus, verbum veritatis significat, quod imaginem summi Regis prætendit. Centenarius autem est decalogus per bonum

[1] Cf. Luc. IX, 12.

divinum, et bona novem ordinum Angelorum multiplicatus : et idem centenarius in duo mandata charitatis. Isti sunt enim ducenti denarii, qui sunt in facultatibus discipulorum Christi.

« Et dicit eis »

Omnibus abundans Dominus. Ad Roman. x, 12 : *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.*

« *Quot panes habetis ?* » Panes enim habebant, sed non erat eis tanta cura de temporalibus, quod scirent numerum panum suorum. Psal. LIV, 23 : *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet.*

« *Ite, et videte.* » Magis dixit Dominus propter curam spiritualium (quæ semper computare et scrutari debemus, quæ significant isti panes) quam propter curam temporalium, quorum prohibuit sollicitudinem [1]. I ad Corinth. II, 12 : *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.*

« *Et cum cognovissent,* » scilicet, quot panes habebant, « *dicunt* » Christo : « *Quinque* » panes, « *et duos pisces,* » ad panis dulcoramentum : quia sicut dicitur, Joan. VI, 9, panes erant hordeacei.

« Et præcepit illis, »

Sciens potestatem suæ divinitatis in multiplicandi potentia, « *ut accumbere facerent omnes,* » discipuli, quorum intererat distinguere limites et terminos Ecclesiarum. Psal. XLVII, 14 : *Distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.* Isti enim accubitus distinctiones significant ecclesiarum.

« *Secundum contubernia,* » hoc est, secundum societates in quibus venerant. Illi enim qui ad unum tabernaculum militiæ pertinent, *contubernales* vocantur. Sapient. VIII, 3 : *Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei.*

« *Super viride fœnum,* » quia sicut, Joan. VI, 10, dicitur : *Erat fœnum multum in loco,* de quo conjecto, sedes per ordines diversos discumbentium fecerunt. Hoc autem fœnum carnem significat. Isa. XL, 6 : *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri.* Viride autem est, virore virtutis castitatis. Jerem. XVII, 7 et 8 : *Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas.* Discumbere autem super fœnum, est suppressam habere carnem disciplina continentiæ. I ad Corinth. IX, 27 : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo : ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

« Et discubuerunt, »

Secundum ordinem apostolicum, « *in partes,* » hoc est, societates, « *per centenos,* » qui perfectionem decalogi in cœlestem et Angelorum bonam conversationem implebant. Ad Philip. III, 20 et 21 : *Nostra conversatio in cœlis est : unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.*

« *Et quinquagenos,* » qui aversionem quinque sensuum, in quorum delectabilibus sensualitas avertitur, per observationem decalogi reformabant : et ad annum Jubilæum remissionis tendebant. Baruch, IV, 28 : *Sicut fuit sensus vester ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum.*

« Et acceptis quinque panibus et duobus piscibus, intuens in cœlum, benedixit, et fregit panes, et dedit dis- 41

[1] Cf. Marc. VI, 8 et 9, et Matth. XVI, 24 et seq.

cipulis suis, ut ponerent ante eos, et duos pisces divisit omnibus. »

Hic tangit istius miraculi de pastu perfectionem. Est in sex, scilicet, in acceptatione : in qua docet, quod omne quod nobis apponitur, debet esse acceptum et non contemptum.

Unde dicitur : « *Et acceptis*, » hoc est, acceptatis, quamvis hordeacei fuerint. Psal. L, 21 : *Acceptabis sacrificium justitiæ*. Ideo dicit, Luc. x, 7 : *Edentes et bibentes quæ apud illos sunt*. Accepta enim nobis esse debent dona Dei, quæ pro tempore ministrat : ne murmuremus cum istis, qui in sepulcris concupiscentiæ sepulti sunt[1]. « *Quinque panibus* » hordeaceis, ut dicitur, Joan. VI, 9. Non enim multa requirere debemus, nec delicata. Tob. IV, 23 : *Noli timere, fili mi : pauperem quidem vitam gerimus*, hoc est, parum habentem. Non enim respicimus ad præsentia, sed dicimus cum Paulo, II ad Corinth. III, 5 : *Sufficientia nostra ex Deo est*. Psal. XXI, 27 : *Edent pauperes, et saturabuntur*. Parum enim habentes, et sibi non sufficientes, sunt pauperes.

« *Et duobus piscibus*, » pro dulcoramento duri panis et hordeacei : et est dulcoramentum non incentivum libidinis, sed caloris concupiscentiæ refrigerativum. Eccli. XVIII, 30 : *Fili, post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere*.

« Intuens in cœlum, »

Ut nos dona Dei, nobis ad usum concessa, ad Deum per gratiarum actionem dirigere doceret, et intentionem nostram in summo necessaria ad ipsum referre : ut dicamus cum Psalmista, Psal. CX, 4 et 5 : *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus : escam dedit timentibus se*.

« *Benedixit*, » ut sanctificaret per Dei verbum. I ad Timoth. IV, 4 et 5 : *Creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur ; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem*. Job, III, 24 et 25 : *Antequam comedam suspiro : et tamquam inundantes aquæ, sic rugitus meus : quia timor quem timebam, evenit mihi : et quod verebar accidit*. Ne dicatur mihi, Psal. XL, 10 : *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem*.

« *Fregit*, » ut unicuique competens secundum suam facultatem proportionaret nutrimentum. Isa. LVIII, 7 : *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam*. Econtra de incompetentia proponentibus, dicitur, Thren. IV, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis*. Hinc est quod, Luc. XXIV, 35, discipuli *cognoverunt Dominum in fractione panis*, hoc est, in panis spiritualis competenti expositione, capacitati uniuscujusque proportionata.

« *Et dedit discipulis suis*, » ut ministris : isti enim ministrare habent dona Dei turbis sibi commissis. Matth. XXIV, 45 : *Quis, putas, est fidelis servus et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore ?* Luc. IX, 13 : *Vos date illis manducare*.

« *Ut ponerent ante eos*. » Non ut sibi retinerent, vel furarentur. Matth, X, 8 : *Gratis accepistis, gratis date*. Luc. VI, 38 : *Date, et dabitur vobis*.

« *Et duos pisces*, » pro dulcoramento, « *divisit* » fractos « *omnibus*. » Act. IV, 35 : *Dividebatur singulis prout cuique opus erat*.

Isti autem *quinque panes* quamvis a Sanctis, et a nobis spiritualiter, multipliciter in aliis locis expositi sint, tamen hic non deficientes in panibus, ponimus quinque panes pœnitentium, et ad Deum venientium refectionis : panem scilicet

[1] Cf. Numer. XI, 34.

lacrymarum in compunctione : panem humillimæ veritatis in confessione : panem arctum in justitiæ destrictione (alias, distributione) in satisfactione : panem virtutis in perfectione : et panem consolationis in reconciliatione.

De primo pane dicitur, Psal. LXXIX, 6 : *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura.* Tob. II, 5 : *Manducavit panem cum luctu et tremore.* Psal. XLI, 4 : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.*

De secundo pane dicitur in Psalmo CI, 10 : *Cinerem tamquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam.* Cinis enim (quia in nobis est causa humilitatis, Eccli X, 9 : *Quid superbit terra et cinis ?*) significat veræ confessionis humilitatem. III Reg. XIX, 6 et 8 : *Ecce ad caput Eliæ subcinericius panis, et vas aquæ : comedit ergo, et bibit.... Et ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.*

De tertio pane dicit Isaias, XXX, 20 : *Dabit vobis Dominus panem arctum, et aquam brevem : et non faciet avolare a te ultra doctorem tuum :* quia in satisfactione peccati, districta severitas justitiæ cibat pœnitentes, et præstat refrigerium ut aquam. III Reg. XXII, 27 : *Mittite virum istum in carcerem, et sustentate eum pane tribulationis, et aqua angustiæ.* Refrigerium timoris : ne forte quos facit, non sint satis digni fructus pœnitentiæ. Carcer autem est censura custodiæ.

De quarto pane virtutis in profectu pœnitentium dicitur in Psalmo CIII, 15 : *Panis cor hominis confirmat.* Isa. IV, 1 : *Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur.*

De quinto pane dicitur, Matth. XV, 27 : *Catelli*, hoc est, humiles pœnitentes, *edunt de micis*, hoc est, de consolationibus, *quæ cadunt de mensa dominorum suorum*, hoc est, Sanctorum et Angelorum : quia in spe reconciliationis peccatorum, dulce aliquid gustant de refectionibus beatorum. Genes. XLIX, 20 : *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.* I Reg. XXI, 3, dicitur de istis panibus omnibus simul ad sacerdotem a David : *Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inveneris.*

Isti sunt *hordeacei* ex quibus cibatur homo jumentinus, qui in peccato animaliter et brutaliter vixit. Et virtute hujus duri et hordeacei panis, percutitur et confringitur tabernaculum Madian [1].

Duo autem pisces dulcorantes hos panes sunt spes veniæ, et timor Dei : de quorum uno, scilicet de amore Christi dicitur, Joan. XXI, 9 : *Viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem :* quæ prunæ beneficia Dei sunt ad charitatem incendentia : piscis autem dulcedo dilectionis.

De secundo autem pisce dicitur, Luc. XI, 11 : *Quis ex vobis patrem petit piscem : numquid pro pisce serpentem illi dabit ?* Ac si dicat : Non facit. Non enim petenti veniam porrigit desperationem, quæ est venenum salutis.

Augustinus autem dicit, quod quinque panes, quinque sunt libri legis : et duo pisces austeritatem legis dulcorantes, sunt Prophetiæ, et Psalmi : de quibus dicitur, Luc. XXIV, 44 : *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.*

Sed de hoc alibi satis dictum est [2].

« Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. **42**

Et sustulerunt reliquias fragmentorum, duodecim cophinos plenos, et de piscibus. **43**

[1] Cf. Judicum, VII, 13.

[2] Cf. præcipue Enarrationes in Matthæum, XIV, 13 et seq. Tom. XX hujusce editionis.

44 Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum. »

Tangit hic miraculi veritatem, et quantitatem in isto paragrapho.

Veritatem quidem in hoc quod dicit : « *Et mandacaverunt omnes.* » Qui non manducassent, nisi verus panis, et veri pisces fuissent. « *Et saturati sunt.* » Psal. LXXVII, 29 et 30 : *Manducaverunt et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis : non sunt fraudati a desiderio suo.*

« Et sustulerunt. »

Quantitatem determinat per quantitatem reliquiarum, et per numerum comedentium.

De primo dicit : « *Et sustulerunt,* » discipuli ad præceptum Domini. Joan. VI, 12 : *Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant* [1].

« *Reliquias fragmentorum,* » ut pauperibus erogarentur, « *duodecim cophinos,* » hoc est, magnas sportas, quæ circulis, per quos brachia inferuntur, in dorso portantur. Et est unum de magnis miraculis, quod fragmenta nec plures nec pauciores cophinos implebant quam numerus erat Apostolorum : et ut instruerentur Apostoli, quoniam non ad unum, vel duos, et sic deinceps, pertinet pastura pauperum ; sed ad omnes Apostolos, et successores eorum.

« *Plenos,* » quia gratia omnibus abundat. Jacob. I, 5 : *Dat omnibus affluenter, et non improperat.*

« *Et de piscibus,* » supple, sustulerunt sacramenta omnibus abundantia.

« Erant autem qui manducaverunt »

De quinque panibus, et duobus piscibus, « *quinque millia virorum,* » exceptis mulieribus et parvulis.

45 « Et statim coegit discipulos suos ascendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum.

46 Et cum dimisisset eos, abiit in montem orare. »

Hic post pastum Leonis, universaliter fit demonstratio virtutis Leonis, in creaturis elementorum ostensa, ut melius fortitudo describatur.

Dividitur autem pars ista in tres partes, scilicet, in potestatis manifestationem : in manifestationis istius utilitatem, ibi, ℣. 51 : « *Et plus magis intra se stupebant,* etc. » Et in manifestatæ potestatis ædificationem, ibi, ℣. 54 : « *Cumque egressi essent de navi,* etc. »

In primo horum quatuor sunt partes, scilicet, qualiter separatus est ab eis Dominus : et qualiter ex hoc periculum incurrit navis et laborem navigantes : et qualiter territi sunt de manifestatione potestatis Domini ambulantis super aquas : et qualiter a Domino sunt confortati, consolati per manifestationem potestatis ejus in aere.

In primo autem horum dicit quatuor, scilicet, qualiter discipulos a se recedere compulit, et quo eosdem recedentes direxit, et qua de causa a discipulis ad tempus separatus fuit, et quid separatus ab eis fecit.

Dicit igitur : « *Et statim.* » Glossa interlinearis : Quia sic dicitur, Joan. VI, 15, scivit quod statim post hanc refectionem venturi essent, ut raperent eum, et facerent eum regem : et ideo a discipulis (inter quos quærebatur a turbis) fugit in desertum.

Et hoc est : « *Coegit eos,* » quia inviti etiam ad tempus separabantur. IV Reg. IV, 30 : *Vivit Dominus, et vivit anima tua, non dimittam te.* Psal. LXXIX, 19 : *Non discedimus a te, vivificabis nos : et nomen tuum invocabimus.*

[1] Cf. Matth. XIV, 20.

Exod. XXXIII, 15 : *Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto.*

« *Discipulos suos,* » qui tamquam ad magistrum ad eum intenderunt, « *ascendere navim,* » absque eo : per quam navim suffragium pœnitentiæ intelligitur, quia Christus non pœnituit, eo quod non peccavit. Sapient. XIV, 5 : *Transeuntes mare per ratem liberati sunt.*

« Ut præcederent eum trans fretum, »

Hoc est, ut præcederent eum ultra mare Galilææ quod est lacus Genesareth ad aliam ripam stagni, « *ad Bethsaidam.* » Videtur esse contrarium quod dicitur, Joan. VI, 17, ubi dicit, quod *navigantes venerunt trans mare in Capharnaum.* Et ad hoc dicendum, quod navigantes primo venerunt Bethsaidam, et tandem Capharnaum : quia Bethsaida et Capharnaum ultra ripam laci illius sitæ sunt, et Bethsaida navigantibus a Tiberia prius occurrit : Bethsaida autem nominatur, quia civitas fuit principalium suorum Apostolorum Petri, et Andreæ, et Philippi : et ibi principales habebant amicos : et *domus venationis* interpretatur, quia venatores spirituales erant Apostoli. Jerem. XVI, 16 : *Mittam eis multos venatores, et venabuntur eos de omni monte, et de omni colle, et de cavernis petrarum.* Genes. XXVII, 3 et 4 : *Sume arma tua, pharetram, et arcum :... et affer mihi de venatione tua, ut comedam, et benedicat tibi anima mea.*

« Dum ipse, »

Christus, « *dimitteret,* » sub forma benedictionis alicujus, « *populum,* » qui manducaverat : et ideo sibi quasi inseparabiliter adhærebat. II Reg. VI, 18 et 19 : *David benedixit populo in nomine Domini exercituum : et partitus est universæ multitudini Israel, tam viro quam mulieri, singulis collyridam panis unam, et assaturam bubulæ carnis unam, et similam frixam oleo. Et abiit omnis populus, unusquisque in domum suam.* Collirydam quidem panis, in confortationem cordis in pane quem dedit : assaturam autem bubulæ carnis, in labore quem impendit, in quo se charitatis igne assavit : et bubulus trahens onus eorum fuit : et hoc idem per pisces significatur. Similam autem frixam oleo, impendit in oratione pura, quam ex misericordia ad Patrem fecit, quando in cœlum suspexit. Et sic unusquisque in domum conscientiæ suæ redivit.

« Et cum »

Ipse Christus sic « *dimisisset eos* » in domos suas, « *abiit,* » ab eis fugiens, ne raperent eum in regem, « *in montem* » deserti adjacentis, quod eminentiam spiritus designat, » *orare,* » et gratias Patri pro beneficiis agere, et nobis formam orandi dare. I ad Thessal. V, 17 et 18 : *Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite.*

« Et cum sero esset, erat navis in medio mari, et ipse solus in terra. **47**

Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) : » **48**

Tangitur hic de periculo in quod inciderunt ex absentia : quia sicut præsentia gubernatoris navis causa est salutis navis, ita absentia gubernatoris causa est periculi navis.

Tanguntur autem tres causæ periculi, et una sola causa liberationis.

Prima autem causa est absentia luminis veritatis, quam tangit cum dicit : « *Cum sero factum esset,* » et sol occubuisset, et tenebræ essent ex defectu scientiæ veritatis. Act. XXVII, 20 : *Neque sole, neque sideribus apparentibus,... jam ablata erat spes omnis salutis nostræ.* Sol autem est illuminatio veritatis

divinæ : luna autem est lumen veritatis ecclesiasticæ : sidus autem est illuminatio consilii Sanctorum.

Secunda causa periculi est tempestas maris sæculi : et hanc tangit cum dicit : « *Erat navis in medio mari,* » ubi mare in majori fuit fluctuum suorum tempestate. Psal. xcii, 4 : *Mirabiles elationes maris.* Jonæ, i, 11 : *Mare ibat, et intumescebat super eos.* Et hoc significat tyrannorum persecutionem, et dæmonum in tentationibus exsufflationem.

Tertia causa periculi est absentia gubernatoris, quam tangit cum dicit : « *Et ipse,* » Christus gubernator, « *solus erat in terra,* » certæ et firmæ stabilitatis. Alii autem sine ipso in fluctibus. Joan. vi, 19 : *Navicula in medio mari jactabatur fluctibus* [1].

Deinde tangit causam liberationis :

« Et videns eos »

Christus oculo misericordiæ potius quam corporis. Sapient. iv, 15 : *Respectus ejus in electos illius.* Psal. xxxi, 8 : *In via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.*

« *Laborantes,* » ultra vires, « *in remigando,* » navem gubernando ad præceptum ipsius Domini, qui eos remigare præceperat. II ad Corinth. xi, 23 : *In laboribus plurimis.*

Et subjungit causam laboris : « *Erat enim ventus,* » persuasionis dæmonum, et malorum hominum, « *contrarius eis,* » quia contra Sanctos moliuntur dæmones, et mali homines. Ad Ephes. vi, 12 : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualio nequitiæ, in cœlestibus.*

Sic ergo videns eos laborantes,

« Et circa quartam vigiliam noctis, venit ad eos ambulans supra mare : et volebat præterire eos.

At illi ut viderunt eum ambulantem supra mare, putaverunt phantasma esse, et exclamaverunt. 49

Omnes enim viderunt eum, et conturbati sunt. » 50

« *Et circa quartam vigiliam noctis, venit ad eos.* » Et tangitur hic tertium, quod est terror et conturbatio discipulorum.

Tanguntur autem hic tria : causa conturbationis ex parte Domini : causa conturbationis ex parte discipulorum, quæ fuit falsa opinio de Domino : et generalis existimatio istius falsæ opinionis.

Dicit igitur :

« *Circa quartam vigiliam.* » Quatuor sunt noctis vigiliæ, conticinium, intempestum, gallicinium, antelucanum. Conticinium est, quando bestiis collectis ad antra sua, et hominibus ad silentia, cuncta conticescunt. Osee, iv, 5 : *Nocte tacere feci matrem tuam.* Sapient. xviii, 14 : *Cum quietum silentium contineret omnia.* Et hæc vigilia vocatur *crepusculum,* quando lux solis et lux sensuum perfecte occidit.

Secunda vigilia vocatur *intempestum,* quando tempestas somni super sensus fortiter irruit. III Reg. iii, 20 : *Consurgens intempestæ noctis silentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, et collocavit in sinu suo : suum autem filium, qui erat mortus,* (dormiens quippe oppressit eum) *posuit in sinu meo.*

Tertia vigilia vocatur *gallicinium,* a media nocte incipiens, quando galli ex auræ maturatione cantare consueverunt. Matth. xxvi, 34 : *In hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* Et hoc est, quando somnus a profundo saporis attenuari incipit.

[1] Cf. Matth. xiv, 24.

Quarta vigilia est *antelucanum*, quando tenebræ noctis cum aurora miscentur reorientis solis. Exod. XIV, 24 et 25 : *Jamque advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum : et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.*

Prima aptatur juventuti, secunda ætati virili, tertia senectuti, et quarta ætati decrepitæ in homine : unde, Marc. XIII, 35 : *Nescitis quando dominus domus veniat : sero, an media nocte, an galli cantu, an mane ?*

Item, prima aptatur legi naturæ, secunda legi scriptæ, tertia Prophetiæ, et quarta adventui Christi, quando Christus venit ad discipulos in mundum. Isa. XXI, 11 et 12 : *Custos, quid de nocte ? custos, quid de nocte ? Dixit custos : Venit mane, et nox.* Ita enim quæsierunt sancti Patres, quæ horæ, sive vigiliæ longæ noctis transierunt : et quantum adhuc restaret usque ad lucem Christi.

Adhuc autem, istæ vigiliæ aptantur lucibus nostris : quia prima est lux naturæ in ratione per peccatum occumbentis : secunda autem est lux virtutis civilis, obtenebrata perfecte per peccatum : tertia autem, lux fidei, micans obscure in recogitante de peccatis suis : quarta autem est lux gratiæ in pœnitente, quando Christus venit. Duabus enim primis vigiliis lux cadit, et duabus secundis resurgit : unde in tertia vigilia Dominus respexit Petrum [1] : et quarta, respexit supra castra Ægyptiorum . Psal. C, 8 : *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* In prima vigilia fit nox a nocendo dicta. Joan. IX, 4 : *Venit nox, quando nemo potest operari.* In secunda vigilia percutiuntur primogenita Ægyptiorum. Sapient. XVIII, 14 et 15 : *Cum... nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlo, a regalibus sedibus, durus debellabor, in mediam exterminii terram prosilivit.* Et post pauca sequitur, ℣. 16 : *Stans*, scilicet in terra, *replevit omnia morte.*

Sic ergo, « *circa quartam vigiliam noctis,* » tota alia parte noctis expensa in oratione contra timores nocturnos, « *venit,* » per gratiæ suæ respectum et salutis pœnitentiam, « *ad eos,* » scilicet discipulos suos, quos diu in periculo relinquere non poterat. Psal. XC, 15 : *Cum ipso sum in tribulatione : eripiam eum, et glorificabo eum.*

Venit autem « *ambulans supra mare,* » non quidem assumpta agilitate, ut quidam dicunt : sed potius hoc fecit ut Deus : quia corporis gravitate manente, et liquiditate aquarum salvata, super liquidum ambulavit elementum : et hoc est miraculum miraculorum, quando remanente impotentia ad actum, actus tamen demonstratur : sicut quando virgo manens virgo, peperit : et quando manente corporis soliditate et continuitate, per clausa ostia Dominus intravit. Et hoc alibi a nobis est declaratum.

« *Et volebat,* » hoc est, ad modum volentis se habebat, « *præterire eos.* » Glossa interlinearis, ut gratior esset liberatio. Simile, Luc. XXIV, 28 : *Ipse se finxit longius ire*, ut instantius invitaretur ad manendum.

« At illi ut viderunt eum, »

Hoc est, postquam discipuli respexerunt eum gravi corpore super liquidum ambulare elementum : et ignorabant adhuc potentiam deitatis ipsius. Psal. LXXVI, 20 : *In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis : et vestigia tua non cognoscentur.*

« *Putaverunt,* » falsa phantasia decepti, quia judicaverunt corpus deitati unitum, ejusdem esse impotentiæ cum corpore non unito deitati, « *phantasma*

[1] Cf. Matth. XXIV, 45.

[2] Cf. Exod. XIV, 4.

esse, » et non veritatem. Glossa interlinearis : Non enim putabant verum corpus super aquam incedere posse, quia non intellexerunt prophetam Isaiam, Isa. XLIII, 2 : *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te.*

« *Et* » ideo « *exclamaverunt,* » alto clamore de intimis erumpente. Jonæ, I, 14 : *Clamaverunt ad Dominum.*

Causam autem clamoris universalis subjungit, cum dicit :

« Omnes enim viderunt eum, »

Supra mare, contra consuetum humani corporis ambulantem : « *et conturbati sunt,* » quia talia phantasmata non apparent, nisi tempore quo futurum est aliquod infortunium. Isa. XXX, 19 : *Ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi.*

Et ideo sequitur :

« Et statim locutus est cum eis, et dixit eis : Confidite, ego sum, nolite timere.

51 Et ascendit ad illos in navim, et cessavit ventus. »

Et tangitur hic consolatio timentium, et liberatio in periculo existentium.

Et de consolatione dicit : « *Et statim,* » consolator Dominus, « *locutus est cum eis,* » ut eum per vocem cognoscerent, quem ambulantem in undis non cognoverunt. Cantic. II, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis.*

« *Et dixit eis : Confidite.* » Confidentia enim est amplitudo animi in spe periculum evadendi. Joan. XVI, 33 : *Confidite, ego vici mundum,* cujus pressuram significat tempestas exorta. II ad Corinth. I, 9 et seq :. *Ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos : qui de tantis periculis nos eripuit, et eruit : in quem speramus quoniam et adhuc eripiet, adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis.*

Quia « *ego sum.* » Hæc enim est causa confidentiæ, quod ipse est, qui vere est : quia omnem sæculi motum sua comprimit immutabilitate : et omne quod apparet, et non vere est (eo quod mutabile est) sua certificat veritate, et illuminatione. I ad Timoth. VI, 16 : *Qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem.* Exod. III, 14 : *Ego sum qui sum.*

« *Nolite timere* » in periculis, vel phantasiis apparentibus : quia præsentia mea vobis erit causa salutis. Psal. XC, 5 et 6 : *Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris.*

« Et ascendit ad illos in navim, »

Ut liberaret a periculo tempestatis : sicut certificaverat contra phantasma.

« *Et cessavit ventus* » tentationis, qui fuit causa turbationis. Matth. VIII, 26 : *Imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.*

« Et plus magis intra se stupebant.

Non enim intellexerunt de panibus : 52
erat cor eorum obcæcatum.

Et cum transfretassent, venerunt in 53
terram Genesareth, et applicuerunt. »

Secundum est, divisum contra præcedens totum, ubi ostenditur necessitas miraculi quod inducitur, ut plene intelligatur potentia multiplicationis panum.

Dicit igitur, quod « *plus stupebant,* » de hoc quod super mare ambulabat, « *et magis plus,* » quia ad imperium ejus ventus cessabat. Eccli. XLIII, 25 : *In sermone ejus siluit ventus, et cogitatione sua placavit abyssum, et plantavit in illa Dominus insulas.*

« Non enim intellexerunt de panibus, »

Hoc est, de potestate sua demonstrata in panum multiplicatione : et ideo necessarium fuit adjungere hoc miraculum, in quo non tantum in terrestribus, sed et in aquis et aere potens esse cognosceretur. Proverb. xx, 13 : *Aperi oculos tuos, et saturare panibus.*

« *Erat enim* » adhuc « *cor eorum obcæcatum,* » ne Dominum in omnipotentia suæ deitatis agnoscerent. Luc. xxiv, 16 : *Oculi illorum tenebantur ne eum agnoscerent.* Matth. xv, 16 : *Adhuc et vos sine intellectu estis ?*

« Et cum transfretassent, »

A periculo liberati, « *venerunt in terram Genesareth,* » ad aliam ripam stagni versus Bethsaidam, et Capharnaum, « *et applicuerunt* » ibi, salutem omnibus offerentes, quam secum adduxerant.

Et hoc est quod sequitur :

« Cumque egressi essent de navi, continuo cognoverunt eum :

Et percurrentes universam regionem illam, cœperunt in grabatis eos qui se male habebant circumferre, ubi audiebant eum esse.

Et quocumque introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent : et quotquot tangebant eum salvi fiebant. »

Tangit enim hic diffamatæ potestatis utilitatem in Domini cognitione, in populorum ad ipsum acceleratione, in languentium congregatione, in universali omnium sanatione, in fidei perfectione, in hoc quod etiam salutem ex fimbriis ejus sibi provenire credebant.

Et hoc est quod dicit : *Cumque egressi essent de navi,* » salvati a periculo, « *continuo cognoverunt cum* » incolæ regionis illius, quod sine navis adminiculo venerat, sicut dicitur, Joan. 22 et 23. Et in hoc etiam miraculo cognoverunt eum in potentia divina.

« Et »

ideo

« percurrentes, »

Accelerando. Proverb. vi, 3 : *Discurre, festina, suscita amicum tuum.*

« *Universam regionem illam,* » quæ adjacet stagno, « *cœperunt in grabatis,* » hoc est, capitalibus lecticis, « *eos qui se male habebant,* » infirmitate corporis laborantes, « *circumferre,* » ad locum ubi audiebant eum esse : quia, sicut dicitur, Luc. vi, 19 : *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes.* Isa. lxvi, 20 : *Adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, et in quadrigis, et in lecticis, et in mulis, et in carrucis, ad montem sanctum meum,* hoc est, ad eminentiam meæ salutis, Jesu Salvatori meo.

« Et quocumque introibat, in vicos, »

Hoc est, in rura, « *vel in villas* » majores, « *aut civitates,* » ubi civilitas quærebatur, « *in plateis ponebant infirmos,* » ut ex publico adspectu infirmorum misericordia motus sanaret eos verbo et voluntate : quia hoc ad sanitatem sufficiebat. Psal. cxiii, 3 : *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit.* Act. v, 15, simile legitur de Petro : *In plateis ponebantur infirmi in lectulis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis.*

« *Et deprecabantur eum,* » fide plena, « *ut vel,* » hoc est, saltem, « *fimbriam*

vestimenti ejus tangerent. » Matth. IX, 21 : *Dicebat enim intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.*

« *Et quotquot tangebant eum,* » plus tactu fidei quam corporis, « *salvi fiebant.* » Zachar. VIII, 23 : *Apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, et apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes : Ibimus vobiscum, audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.*

Unicus ille vir Judæus glorificans Deum, est Dominus Jesus Christus salvans omnes, cum quo Deus singulariter est per unionem. Et vocatur nomen ejus Emmanuel, hoc est, Nobiscum Deus [1].

CAPUT VII.

Pharisæos redarguit, Christi arguentes discipulos, quod non lotis ederent manibus, cum ipsi Dei mandata ob suas traditiones transgrederentur : declarans quænam possint hominem coinquinare, nempe quæ de corde exeunt : Syrophœnissæ filiam, ad perseverantem illius supplicationem, a dæmonio liberat : et surdum ac mutum sanat.

1. Et conveniunt ad eum Pharisæi et quidam de Scribis, venientes ab Jerosolymis.
2. Et cum vidissent quosdam ex discipulis ejus communibus manibus [2], id est, non lotis, manducare panes, vituperaverunt.
3. Pharisæi enim et omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum :
4. Et a foro, nisi baptizentur, non comedunt : et alia multa sunt quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, et urceorum, et æramentorum, et lectorum.
5. Et interrogabant eum Pharisæi et Scribæ : Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem ?
6. At ille respondens, dixit eis : Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me [3].
7. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas et præcepta hominum.
8. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum et calicum : et alia similia his facitis multa.
9. Et dicebat illis : Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis.
10. Moyses enim dixit : Honora patrem tuum et matrem tuam [4] : et : Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur [5].

[1] Cf. Isa. VII, 14, et Matth. I, 23.
[2] Matth. XV, 2.
[3] Isa. XXIX, 13.
[4] Exod. XX, 12 ; Deuter. V, 16 ; ad Ephes. VI, 2.
[5] Exod. XXI, 17 ; Levit. XX, 9 ; Proverb. XX, 20.

11. Vos autem dicitis : Si dixerit homo patri aut matri : Corban (quod est donum) quodcumque ex me, tibi profuerit :
12. Et ulra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri,
13. Rescindentes verbum Dei per traditionem vestram quam tradidistis : et similia hujusmodi multa facitis.
14. Et advocans iterum turbam [1], dicebat illis : Audite me omnes, et intelligite.
15. Nihil est extra hominem introiens in eum quod possit eum coinquinare : sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem.
16. Si quis habet aures audiendi, audiat.
17. Et cum introisset in domum a turba, interrogabant eum discipuli ejus parabolam.
18. Et ait illis : Sic et vos imprudentes estis? Non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominem non potest eum communicare,
19. Quia non intrat in cor ejus, sed in ventrem vadit, et in secessum exit purgans omnes escas?
20. Dicebat autem quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem.
21. Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia [2],
22. Furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia.
23. Omnia hæc mala ab intus procedunt, et communicant hominem.
24. Et inde surgens abiit in fines Tyri et Sidonis [3] : et ingressus domum, neminem voluit scire, et non potuit latere.
25. Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit et procidit ad pedes ejus.
26. Erat enim mulier gentilis, Syrophœnissa genere. Et rogabat eum ut dæmonium ejiceret de filia ejus.
27. Qui dixit illi : Sine prius saturari filios : non est enim bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.
28. At illa respondit, et dixit illi : Utique, Domine : nam et catelli comedunt sub mensa de micis puerorum.
29. Et ait illi : Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium a filia tua.
30. Et cum abiisset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, et dæmonium exiisse.
31. Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos.
32. Et adducunt ei surdum et mutum [4], et deprecabantur eum ut imponat illi manum.
33. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus, et exspuens, tetigit linguam ejus.
34. Et suspiciens in cœlum, ingemuit, et ait illi : Ephphetha, quod est, adaperire.
35. Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte.
36. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant :
37. Et eo amplius admirabantur, dicentes : Bene omnia fecit : et surdos fecit audire et mutos loqui.

[1] Matth. xv, 10.
[2] Genes. vi, 5.
[3] Matth. xv, 21.
[4] Matth. ix, 32.

IN CAPUT VII MARCI

ENARRATIO.

« Et conveniunt ad eum Pharisæi et quidam de Scribis, venientes ab Jerosolymis.

Et cum vidissent quosdam ex discipulis ejus communibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, vituperaverunt. »

Hic incipit pars illa quæ est de fama dignitatis regalis in legum positarum positione, et injustarum legum positarum evacuatione : hoc enim facere competit Leoni de tribu Juda, sicut in ante habitis dictum est.

Dividitur autem hæc pars in tres particulas : in quarum prima, traditiones stultæ et turpes evacuantur : in secunda, leges justæ omnibus promulgantur, ibi, ℣. 14 : « *Et advocans iterum turbam, dicebat illis : Audite me omnes, et intelligite*, etc. » In tertia vero, legum suarum ponit interpretationem, ibi, ℣. 17 : « *Et cum introisset in domum a turba*, etc. »

Adhuc autem prior istarum habet quatuor particulas : in quarum prima tangitur introductionis istius partis occasio : in secunda, humanarum observationum apud Judæos observatio : in tertia, quare has discipuli Christi non servent interrogatio : in quarta autem, per responsum Christi observationum hujusmodi ostenditur evacuatio. Et hæc per ordinem in littera continentur.

In prima harum particularum continentur tria, scilicet, per quos facta est discipulorum Christi reprehensio, et de quo facta est, et qualiter.

Dicit igitur :

« Et conveniunt ad eum, »

Hoc est, ad Christum mala conventione. Psal. II, 2 : *Principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.*

« *Pharisæi,* » qui de observantia legis suæ gloriabantur. Luc. XVIII, 11 et 12 : *Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus, gratias ago tibi,.... quia non sum sicut cæteri hominum*, etc. *Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.*

« *Et quidam de Scribis,* » qui de falsi nominis scientia gloriabantur. I ad Corinth. VIII, 1 : *Scientia inflat, charitas vero ædificat.*

« *Venientes ab Jerosolymis,* » ubi fuit locus religionis, et sapientiæ, et legis, et auctoritatis. Isa. II, 3 : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Et ideo isti majora aliis præsumpserunt, et forte ad explorandum et observandum Christum missi fuerant. Genes. XLII, 9 : *Exploratores estis : ut videatis infirmiora terræ venistis.*

« Et cum vidissent, etc. »

Tangit de quo reprehendebant, quia « *cum,* » observando oculo nequam, « *vidissent.* » Matth. XX, 15 : *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum ?*

« *Quosdam,* » simplices, non omnes, « *ex discipulis ejus,* » scilicet Domini Jesu, « *communibus manibus, id est, non lotis* » manibus : quia Judæi communia Gentilibus opera vel escas, immunda reputabant, « *manducare panes* : » quia quamvis nihil inquinamenti manibus adhæreret, tamen communes reputabant nisi lavarent, quod superfluum et superstitiosum. Reputabant enim, quod contactus aliquis immunditiam manibus impressisset : et hoc exponendo subinfert

Evangelista : « *Communibus, id est, non lotis manibus manducare panes :* » quia non nisi ad exteriora respiciebant : et hoc superstitiosum est respicere exteriora, interioribus neglectis. Job, IX, 30 et 31 : *Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ : tamen sordibus intinges me, et abominabuntur me vestimenta mea,* hoc est, quantumcumque lotus fuero extra, tamen intus sordidus existens, a te reputabor immundus : et vestes extra mundatæ interiorem immunditiam detestantur.

« *Vituperaverunt.* » Interiora non habentes reprehendere, ad exteriora se contulerunt : unde dicit de talibus Apostolus, ad Roman. x, 3 : *Ignorantes justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti.*

Pharisæi enim et omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum.

Et a foro, nisi baptizentur, non comedunt : et alia multa sunt quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, et urceorum, et æramentorum, et lectorum.

Et interrogabant eum Pharisæi et Scribæ : Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem ? »

« *Pharisæi enim,* » præcipue, « *et omnes Judæi,* » a Pharisæis instructi.

Tangit enim hic observationes superstitiosas Judæorum. Dicit autem tria, scilicet, observationes in lotura manuum, et observationes in lotura corporum, et observationes in lotura vasorum.

Dicit igitur : « *Nisi crebro laverint manus* » suas, quas putant ex tactu diversorum contrahere immunditias, « *non manducant* » Psal. xxv, 6 : *Lavabo inter innocentes manus meas : et circumdabo altare tuum Domine.* Hoc enim de lotura corporali intelligebant : « *tenentes* » in hoc « *traditionem,* » hoc est, institutiones traditas, « *seniorum,* » Pharisæorum et Judæorum, qui carnaliter legem intelligentes ista tradiderant servanda.

« Et a foro »

Venientes, in quo cum diversis negotiati fuerant, quorum aliquos immundos reputabant, vel timebant, « *nisi baptizentur,* » hoc est, laventur prius, « *non comedunt,* » quia se immunditias contraxisse reputabant. Isa. I, 16 : *Lavamini, mundi estote.* Hoc enim de corporali munditia intelligebant, non attendentes quod sequitur, ibidem, ℣. 16 : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Isa. LII, 11 : *Mundamini, qui fertis vasa Domini.*

« Et alia multa sunt, »

De corporalibus munditiis et immunditiis, « *quæ tradita sunt illis,* » a superioribus suis, « *servare,* » qui carnaliter legem intelligebant : « *baptismata,* » hoc est loturam, « *calicum,* » vasorum ad bibendum, « *et urceorum,* » vasorum ad liquores diversos retinendum, « *et æramentorum,* » vasorum æreorum ad diversos usus deputatorum, « *et lectorum,* » in quibus quiescebant, qui ex diversis causis immundi reputabantur. Ad Hebr. IX, 9 et 10 : *Non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, et in potibus, et variis baptismatibus, et justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis.*

« Et interrogabant eum Pharisæi, »

A facto discipulorum occasionem accipientes : dicentes per modum accusationis : « *Quare discipuli tui,* » qui tibi obediunt : et ita peccatum eorum in tuam redundat culpam, « *non ambulant,* » in conxersatione sua, « *juxta traditionem* » carnalem « *seniorum,* » qui perfecti in lege sunt reputati ? Et hoc conqueritur Dominus, Isa. xxix, 13 et 14 : *Timuerunt me mandato hominum et doctrinis : ideo ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi el stupendo : peribit enim sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur.*

« *Sed communibus manibus,* » hoc est, non lotis manibus, « *manducant panem,* » quod illicitum est, quantumcumque pulchræ sint manus. Et Dominus quidem non reprehendit munditiam corporalem, sed hoc reprehendit, quod relicta munditia interiori, tantum exteriorem munditiam sufficere putabant. Adhuc autem, quia mandatis Dei gravioribus omissis, exteriori munditiæ studebant, et parvas suas traditiones firmius quam Dei mandata observari faciebant. Matth. xxiii, 25 et 26 : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia mundatis quod deforis est calicis et paropsidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat id quod deforis est mundum.*

6 « At ille respondens, dixit eis : Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.

7 In vanum autem me colunt, docentes doctrinas, et præcepta hominum.

Relinquentes enim mandatum Deï, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum et calicum : et alia similia his facitis multa. »

Ponitur hic talium observationum irritatio. Hic autem duo facit : primo enim carnalem intellectum per Isaiæ auctoritatem redarguit : secundo, per comparationem mandatorum Dei ad suas traditiones, eos irritare legem Dei ostendit.

In primo tria facit, scilicet, redarguit : auctoritatem per quam redarguit, inducit : et auctoritatem exponit.

Redarguit eum dicit : « *Bene,* » quia vere, « *prophetavit Isaias de vobis hypocritis,* » qui vos justos simulatis, cum non sitis, « *sicut scriptum est* [1] » in libro Isaiæ ad memoriam rei æternam : « *Populus hic labiis me honorat,* » verbo confitens me, et non opere et veritate. Ad Tit. i, 16 : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Contra quod dicitur, I Joan. iii, 18 : *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.*

« *Cor autem eorum longe est a me,* » quia in corde non habent affectum ad me. Jerem. xii, 2 : *Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum.* Contra quod dicitur, I Reg. xvi, 7 : *Non juxta intuitum hominis ego judico : homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor.*

« In vanum autem me colunt. »

Exteriori observantia : quia ego illam, neglecta interiori munditia, nec respicio, nec remunerationem exhibeo. Isa. i, 15 : *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis : et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam : manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Sicut enim Cain extra obtu-

[1] Isa. xxix, 13 : *Et dixit Dominus : Eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me,* etc.

lit, quia intus injustus fuit : et ideo *Deus ad Cain, et ad munera illius non respexit* [1].

« *Docentes doctrinas,* » per traditiones carnalium munditiarum exteriorum, « *et præcepta hominum* » districte servantes. Sicut et tempore isto servantur valde statuta hominum in potestate constitutorum, et puniuntur transgressores eorum. Isa. x, 1 et 2 : *Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei !*

« Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum. »

Matth. xv, 6 : *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Littera autem Isaiæ in eodem sensu est sub aliis verbis : sic enim legitur, Isa. xxix, 13 : *Eo quod appropinquat populus iste ore suo, et labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est a me, et timuerunt me mandato hominum et doctrinis.*

« Baptismata urceorum. »

Hic interpretatur in quo sunt istæ doctrinæ hominum. Quia « *facitis baptismata urceorum et calicum,* » tamquam in hoc consistat vis legis, « *et alia similia his,* » in exterioribus loturis. Propter quod dicit, Isa. xlvi, 8 : *Redite, prævaricatores ad cor.* Exteriora enim illa a lege et a patribus præcepta, indicant quid in interioribus facere debeatis. Immundus enim spiritus qui per dationem legis a Judæis exiisse dicitur, in domum unde exivit, revertitur, quando exteriori munditiæ vacant, interiori neglecta : et septem alios se nequiores secum reduxit [2].

« Et dicebat illis : Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem vestram servetis. **9**

Moyses enim dixit : Honora patrem tuum et matrem tuam : et : Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. **10**

Vos autem dicitis : Si dixerit homo patri aut matri : Corban (quod est donum) quodcumque ex me, tibi profuerit : **11**

Et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri, **12**

Rescindentes verbum Dei per traditionem vestram quam tradidistis : et similia hujusmodi multa facitis. » **13**

« *Et dicebat illis,* » ostendens qualiter magnam de minimis, et parvam vel nullam de maximis curam habebant.

Dicit autem quatuor. Primo enim ostendit generaliter quod irritum faciunt Dei mandatum : secundo, ostendit in quo potissime hoc faciunt : tertio, ostendit qualiter : quarto autem, concludit quod in aliis multis faciunt similiter.

Dicit igitur : « *Bene,* » hoc est, veraciter sine excusatione, « *irritum facitis præceptum Dei :* » quod Deus et in natura hominis, et in tabula descripsit, « *ut servetis,* » hoc est, ut servari faciatis « *vestram traditionem,* » quam ad avaritiam vestram faciendam tradidistis. Luc. xi, 40 et 41 : *Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id, quod deintus est, fecit ? Verumtamen quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis.* Ac si dicat : Si aliquid adhæsit vobis maculæ, non per loturam manuum, sed per eleemosynam purgatur.

Et idem intendit hic probare :

[1] Genes. iv, 5.

[2] Cf. Matth. xii, 43 et seq. ; Luc. xi, 24 et seq.

[3] Exod. xx, 2 et seq.

« Moyses enim, »

Ex verbo Dei, « *dixit.* »

Et ostendit hic, in quo potissime irritum Dei mandatum fecerunt : « *Honora patrem tuum et matrem tuam* [1]. » Qui honor maxime consistit in temporalium administratione : quia crescente virtute lucrandi, et providendi in filiis, decrescit eadem virtus in parentibus : et ideo filii parentum vicem tenentur in senectute supplere. I ad Timoth. v, 4 : *Discat domum suam regere, et mutuam vicem reddere parentibus : hoc enim acceptum est coram Deo.*

« *Et : Qui maledixerit patri vel matri* [2], » potius maledictione operis quam verbi, hoc est, quando necessaria subtrahuntur (tunc enim maledictioni exponuntur) « *morte moriatur.* » Dignum enim est ut qui suæ vitæ principia et causas maledicit, auferatur ab ipso vita potius quam ab eis auferatur. Proverb. xxx, 17 : *Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ.* Et hæc sunt præcepta divina.

« Vos autem dicitis »

In traditionibus vestris id per quod præceptum divinum evacuatur.

« *Si dixerit homo patri aut matri* » a se necessaria petentibus ad vitæ sustentationem, (quam alias habere non possunt) : « *Corban.* » Corban fuit theca, in qua reponebantur vota, et oblationes ad sacerdotes pertinentes : et ponitur hic per metonymiam, continens pro contento, ut sit sensus, quod filius dicat parentibus necessaria petentibus : « *Corban,* » hoc est, hoc quod habeo est devotum sacerdotibus, et pertinet ad corban in quo reponuntur sacerdotum vota : et ideo sacratum est, et non licet ad usus vestros hoc resumere.

Et in hoc sensu subdit Evangelista expositionem dicens : « *Corban quod est* » dicere « *donum* » sacerdotibus devotum, « *quodcumque* » est « *ex me,* » hoc est, ex mea voluntate sacratum, « *tibi profuerit,* » hoc est, repetens, tibi prodesse poterit. Quasi dicat : Non proderit. Quia, Proverb. xx, 25, dicitur : *Ruina est homini devorare sanctos, et post vota retractare.* Et ideo si retractarem votum, esset ruina, et mihi et tibi. Et hoc est verum, quando votum fit de superfluo, præter quod adhuc habetur, unde pauperes parentes sustentari possunt : de necessario enim ad sustentationem parentum pauperum, et alias non habentium, non debet fieri votum. Hoc autem sacerdotes non attenderunt, sed populum angariaverunt, ut de necessario ad propriam et parentum sustentationem vota facerent in corbonam.

Simile aliquid faciunt nostri temporis Religiosi et Sacerdotes, qui sibi victum pauperum offerri faciunt et cogunt, dicentes has bonas esse consuetudines, et servandas. Mich. III, 5 : *Hæc dicit Dominus super Prophetas qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, et prædicant pacem : et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium.* Isa. I, 23 : *Principes tui infideles, socii furum. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Eccli. XXXIV, 24 et seq. : *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Panis egentium vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.* Hoc est quod conqueritur de sacerdotibus Deus, Malach. II, 13 : *Operiebatis lacrymis altare Domini,* quia cum pauperes coguntur ad offerendum de necessario super altare, fundunt lacrymas contra Sacerdotes. Hoc etiam est contra decretum Apostolicum, II ad Corinth. VIII, 13 : *Non enim ut aliis sit remissio, vobis au-*

[1] Exod. XX, 12.

[2] Cf. Exod. XXI, 14, et Levit. XX, 9.

tem tribulatio. Remissio autem in talibus, et consolatio fit sacerdotibus : aliis autem fit tribulatio paupertatis. Unde post parum dicit Apostolus, IX, 7 : *Non ex tristitia, aut ex necessitate,* supple, fiat eleemosyna, vel oblatio. Ex omnibus his patet quod de necessario sibi, vel parentibus, non debet fieri votum : et quod sacerdotes peccant contra veritatem Evangelicam, si de talibus vota fieri præcipiant, vel cogant, vel etiam recipiant oblationes.

Et de talibus dicit :

« Et ultra, »

Postquam sua vovit in corban, « *non dimittitis,* » de facultatibus sic in corban sacratis, « *eum,* » filium, « *quidquam* » boni ad vitæ sustentationem pertinentis, « *facere patri suo aut matri* » suæ indigentibus, et aliter viæ sustentationem non habentibus.

Et sic

« Rescindentes »

Ab effectu estis « *verbum Dei,* » quod sub præcepto legis naturæ et scriptæ posuit, « *per traditionem vestram,* » Deo et naturæ contrariam, « *quam tradidistis,* » ad avaritiam vestram satiandam. I ad Timoth. VI, 10 : *Radix omnium malorum est cupiditas.* Et ideo tales leges, et decretales, et statuta, quæ sunt ad exhaurienda bursas, nihil aliud utilitatis habentes, vocat Isaias iniquas, dicens, Isa. X, 1 et 2 : *Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei : ut essent viduæ præda eorum, et pupillos diriperent.* De Religiosis autem hoc idem facientibus dicitur, Matth. XXIII, 14 : *Comeditis domos viduarum, orationes longas orantes : propter hoc amplius accipietis judicium.* Ezechiel. XIII, 19 : *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei et fragmen panis.*

Sic ergo ostensum est quomodo contra pietatem sunt traditiones illorum : et ideo in irritum revocandæ.

« Et advocans iterum turbam, dicebat illis : Audite me omnes, et intelligite. **14**

Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare : sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant [1] hominem. **15**

Si quis habet aures audiendi, audiat. » **16**

« *Et advocans iterum turbam.* » Glossa : Confutatis superbis humiles, advocat et docet.

« *Dicebat illis,* » suas æquissimas leges promulgans.

Et facit tria : attentos reddit, veritatem proponit, intellectum ex spiritu accipiendum fore prædicit.

Dicit igitur : « *Audite me omnes,* » quia res est, quam omnibus persuadet naturalis ratio : « *et intelligite* » attente, ne erretis : quia nihil est ita verum, quin malus intellectus in eo possit accipi. Daniel. X, 1 : *Intelligentia est opus in visione.* II ad Timoth. II, 7 : *Intellige quæ dico : dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.* Ipse enim dicit : « *Intelligite,* » idem est, quod intus in corde legite : quia cor vestrum idem vobis dictabit.

« Nihil est extra hominem, »

Ab extra, « *introiens in eum,* » ut cibus et potus, « *quod possit eum,* » hominem, « *coinquinare,* » ad animæ inquinationem : et hæc est propositio veritatis Christianæ. Et si objicitur quod, II Machab. VI, 18 et 19, Eleazarus potius

[1] Alias, *coinquinant* (E. L.)

mortem elegit, quam carnem suillam comederet. Dicendum quod hoc non fecit propter cibum, sed propter præcepti legis prohibitionem : sicut et Adam non ex cibo, sed ex inobedientia inquinatus est, et nos omnes inquinavit.

Si autem objicitur de veneno, quod inquinat hominem. Dicendum, quod venenum non est de naturaliter ingredientibus in hominem, sed potius de corrumpentibus ipsum. Verbum autem Christi de his quæ naturaliter ingrediuntur intelligitur. I ad Timoth. IV, 4 : *Omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.*

Sed adhuc objicitur, quia verbum Christi ad propositum facere non videtur. Isti enim causabantur quod non lotis manibus manducarent : et Christus instat de cibis. Ad hoc dicendum quod Christus ostendere voluit, quod non esset vis in exterioribus immunditiis : et arguit a majori : quia si non est vis in cibis, in quibus magis vis esse videbatur, tunc multo minus vis facienda est in absolutionibus exterioribus.

« Sed quæ de homine procedunt, »

Ab inferiori radice voluntatis informata, « *illa sunt quæ,* » ut causa, « *communicant hominem,* » quia causa immunditiæ spiritualis non potest esse nisi mala voluntas. Matth. XII, 35 : *Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala.* Matth. VII, 18 : *Non potest arbor mala bonos fructus facere.*

« Si quis, etc. »

Docet a Spiritu intellectum verum in dictis esse accipiendum, dicens : « *Si quis,* » hoc est, si aliquis, quia pauci erant tunc tales, « *habet aures,* » quibus auditum et « *audiendi* » virtutem ministrat Spiritus sanctus : illæ enim sunt « *aures audiendi* : » cæteri habent figuram aurium, et non veras aures. Psal. CXIII, 6 : *Aures habent, et non audient.* Luc. VIII, 8 : *Jesus hæc dicens, clamabat : Qui habet aures audiendi, audiat* [1].

« *Audiat,* » hoc est, audiendo veritatem in dictis percipiat. Ad Roman. X, 17 : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.*

« Et cum introisset in domum a turba, interrogabant eum discipuli ejus parabolam. 17

Et ait illis : Sic et vos imprudentes estis ? Non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominem non potest eum communicare : 18

Quia non intrat in cor ejus, sed in ventrem vadit, et in secessum exit, purgans omnes escas ? 19

Dicebat autem quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem. 20

Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, 21

Furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. 22

Omnia mala hæc ab intus procedunt, et communicant hominem. » 23

Tangitur dictorum interpretatio. Et dicit tria : interrogationem discipulorum, increpationem non intelligentium, et interpretationem dictorum tam in communi quam in singulari.

Dicit igitur :

« *Et cum introisset in domum,* » sequestratus ab insidiatoribus, qui digni non erant ad audiendam veritatem. Genes. XXX, 30 : *Justum est ut aliquando provideam etiam domui meæ.*

[1] Cf. Matth. XIII, 43.

« *Interrogabant eum discipuli,* » qui veritatem sermonis præ cæteris intelligere studuerunt : et videbant quod multa de cibis videbantur lege prohibita, et sic esse immunda : sicut patet, Levit. XI, per totum. Et hæc fuit causa quare reputabant apud se, quod Dominus illa dixerit parabolice : et dicit quod ideo « *interrogabant eum discipuli ejus parabolam.* » Matth. XIII, 36 : *Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.*

« Et ait illis, »

Increpando quod post tot doctrinas spiritualium ab ipso auditas, sermonem tam apertum et rationabilem, parabolam esse reputaverunt, dicens : « *Sic et vos,* » quos spiritualiter docui, « *imprudentes estis ?* » non intelligentes quid parabolice, et quid secundum expressam dictum sit veritatem. Ad Hebr. V, 12 : *Cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei.* Matth. XV, 16 : *Adhuc et vos sine intellectu estis ?*

« *Non,* » hoc est, nonne « *intelligitis,* » quia de facili id intelligere potestis : quia hoc dictat ratio naturalis, « *quia omne extrinsecus introiens,* » sicut esculentum et poculentum, « *in hominem,* » naturæ est conveniens, et in naturam corporis convertibile. Et ideo, « *non potest eum communicare,* » alias, coinquinare, hoc est, immundare : sicut nec ipsa natura sui corporis eum immundat : quia aliter semper esset et maneret immundus, et numquam posset mundari.

Et causa, quod non immundat eum, est,

« Quia non intrat in cor ejus, »

Hoc est, in animam, quæ causa est omnis immunditiæ spiritualis, « *sed in ventrem vadit,* » hoc est, in locum digestionis, « *et* » digestum ibi, « *in secessum exit* : » et ponit secessum in neutro genere : et ideo subdit : « *Purgans omnes escas,* » quia secessum emittit impurum, per quod id quod est purum in esca purgatur.

Ex hoc autem quod dicit, quod secessum purgat omnes escas, quidam dixerunt, quod omnis esca emittitur, et nihil de esca incorporatur, sed corpus augetur et nutritur per multiplicationem sui in seipso, sicut dicunt Dominum multiplicasse quinque panes. Et si hoc est verum, tunc miraculosum est totum naturæ opus.

Adhuc autem, calor digestivus præternecessarius est, quia nihil de cibo incorporat. Et si dicatur quod humor cibi impedit ne substantia corporis a calore naturali consumatur : hoc nihil est : quia substantia tota est de veritate humanæ naturæ, et consumi non potest. Et si dicatur quod consumi potest, tunc detur quod consumatur : et nihil debet sequi impossibile. Si ergo hoc detur, tunc consumpta non multiplicatur in seipsa : et hoc est contra positionem, et secundum istos impossibile : ergo falsum et impossibile est secundum istos quod consumi possit cibus : ergo totus superflue sumitur et inutiliter.

Adhuc autem, ad quid diceret Dominus, « *purgans omnes escas ?* Quod enim purgatur in escis, ab impuro depuratur, et cum totum emittatur, nihil remaneret purgatum : et sic inutiliter, et non vere diceret Dominus, « *purgans omnes escas.* » Ad hoc dicendum, quod revera esca transit in corporis substantiam, in naturæ humanæ veritatem : et falsum est, quod incrementum accipiat per sui in se multiplicationem, et est hæc quorumdam trufatorum falsa positio.

Et hoc quod dicit : « *Purgans omnes escas,* » vere intelligendum est, quod omnes purgat secundum speciem escarum, et nullam dimittit non purgatam : sed non purgat omnes secundum materiam, quia aliquid de materia cibi efficitur purum, quod manet. Unde sicut probatur in primo libro de *Generatione et Corruptione*, quod totum nutritur secundum speciem, et non nutritur totum secundum

materiam, ita e converso dicendum est, quod omnes et totæ escæ per digestionem purgantur secundum speciem, et non omnes vel totæ purgantur secundum materiam : et sic omnes escæ purgantur et emittuntur secundum speciem, et non omnes vel totæ secundum materiam. Et hic est intellectus verus hujus sermonis. Alibi autem diximus hunc sensum in aliorum Evangelistarum expositionibus, sed hic ratio perspecta et naturaliter est assignata.

« Dicebat autem, »

Reliquam partem sermonis explanans, « *quoniam quæ de homine exeunt,* » et ab homine causantur et principiantur, « *illa,* » ex malitia radicis, quæ non est nisi mala voluntas « *communicant,* » immunda peccati macula, « *hominem.* »

« Ab intus enim de corde hominum, »

Quod sine gratia semper pravum est. Jerem. XVII, 9 : *Pravum est cor omnium, et inscrutabile.*

« *Malæ cogitationes procedunt,* » sicut malitiæ principia. Matth. IX, 4 : *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Isa. I, 16 : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.*

« *Adulteria,* » quæ sunt in nocumentum proximi, in quantum ex conjuge juvatur ad sustentationem et multiplicationem speciei. Exod. XX, 14 : *Non mœchaberis.*

« *Fornicationes,* » quæ sunt secundum libidinem corrumpentes et rationem et sensualitatem : sicut quando ex ratione consentit in concupiscentiam soluti concubitus. Et ideo, ut dicit Aristoteles, « Fornicator pejor est incontinente, quia incontinens detestatur passionem concupiscentiæ : vel violentia tentationis vincitur et trahitur ad eam. Fornicator autem eligit delectari et delectatur in concupiscentia. » Apocal. II, 22 : *Ecce ego mittam mulierem Jezabel in lectum : et qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt.* Dicitur autem *fornicatio* prostitutio, quæ primo facta est sub fornicibus, hoc est, arcubus triumphalibus, qui tironibus in titulum suæ strenuitatis ædificabantur : ad quos spectandos, quia frequenter convenerunt juvenes mulieres libidine sola ductæ ibi se prostituerunt, ut multos coeuntes secum invenirent.

« *Homicidia,* » sive voluntaria, sive quæ consilio procurantur, sive quæ fiunt per effectum. Exod. XX, 13 : *Non occides.*

« *Furta,* » quæ fiunt in illicita contrectatione rei alienæ invito domino, et præcipue in furno, hoc est, in nigro sive in tenebris : quando nescit ille cui subtrahitur. Exod. XX, 15 : *Non furtum facies.*

« *Avaritiæ,* » quæ fiunt in illicita cupiditate rei alienæ. Exod. XX, 17 : *Non concupisces domum proximi tui.* Eccli. X, 9 et 10 : *Avaro nihil est scelestius... Hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua.*

« *Nequitiæ.* » Hæ sunt cordis malitiæ, quando tam magna mala machinatur, quæ vires suas excedunt, ita quod ea perficere nequit. Isa. XVI, 6 : *Superbia ejus, et arrogantia ejus, et indignatio ejus plus quam fortitudo ejus,*

« *Dolus* » est fraus, quæ malum quod intendit, simulatione non nocendi operit. Unde Augustinus : « Dolus est occulta « malitia, blandis verbis adornata. » Isa. XXXII, 7 : *Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii, cum loqueretur pauper judicium.*

« *Impudicitiæ.* » Augustinus : « Impu« dicitia est immunditia cordis ad libidi« nem incontinentiæ pertinens. » Sicut tactus impudici, et impudica oscula, et amplexus, et nutus oculorum meretricii, et hujusmodi. Augustinus : « Impudicus « oculus, impudici cordis est nuntius. » Pudicitia enim est pudor virginalis, quæ signa venereorum non admittit. Thren.

v, 13 : *Adolescentibus impudice obusi sunt.*

« *Oculus malus,* » hoc est, invidia, quæ intus videt bonum proximi, et vulneratur ex ipso ad cordis tristitiam et dejectionem. Eccli. xiv, 8 : *Nequam est oculus lividi, et avertens faciem suam, et despiciens animam suam.*

« *Blasphemiæ,* » scilicet impositio falsi criminis in Deum : dum vel Deo attribuitur quod non convenit, vel aufertur ab eo quod convenit. Levit. xxiv, 14 *Educ blasphemum extra castra, et ponant omnes qui audierunt manus suas super caput ejus, et lapidet eum populus universus.* Matth. xii, 31 et 32 : *Spiritus blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.*

« *Superbia,* » quæ est propriæ excellentiæ sive dignitatis improba delectatio. Tobiæ, iv, 14 : *Superbiam numquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas : in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.*

« *Stultitia,* » hoc est, stoliditas, quando homo est insipiens. Et talis est, ut dicit Ptolemæus, qui sui ipsius ignorat quantitatem. Ad Galat. vi, 3 : *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Apocal. iii, 17 : *Dicis : Quod dives sum et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.*

Et subdit generaliter :

« Omnia hæc mala ab intus, »

A corrupta voluntate, « *procedunt* » ad extra, « *et communicant,* » hoc est, coinquinant « *hominem.* » Exteriora autem creaturæ Dei sunt, et neminem secundum seipsa coinquinant. Genes. i, 31 : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat : et erant valde bona.* Ad Tit. i, 15 : *Omnia munda mundis : coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia.*

Sic igitur terminatur pars de fama potestatis Leonis.

« Et inde surgens abiit in fines Tyri et Sidonis : et ingressus domum, neminem voluit scire, et non potuit latere. **24**

Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit, et procidit ad pedes ejus. **25**

Erat enim mulier gentilis, Syrophœnissa genere. Et rogabat eum ut dæmonium ejiceret de filia ejus. » **26**

Hic incipit pars illa, in qua Leo curam suæ fortitudinis ostendit, contra id quod est in actuali peccato, per vexationem improbæ libidinis, quæ fit in cordis voluntate per consensum statim perficiendum in opere : et hoc sub typo curæ filiæ Syrophœnissæ.

Dividitur autem hæc pars in tres partes : in quarum prima miraculi hujus describitur locus : in secunda, describitur hujus miraculi impetrationis modus : in tertia autem miraculi describitur plenus effectus.

In prima dicuntur tria : locus communis, et locus proprius, et instructionis cautela.

Dicit igitur : « *Et inde surgens,* » ubi insidias et observationes invidorum represserat, tamquam ab indignis recedens, « *abiit in fines Tyri et Sidonis,* » hoc est, in extremam partem Sidoniæ, in qua Tyrus erat : et illa pars Judææ conjungebatur. Matth. xv, 21 : *Egressus inde Jesus, secessit in partes Tyri et Sidonis.* Sed videtur contra suum dictum facere : quia, Matth. x, 5, dicitur : *In viam gentium ne abieritis.* Ad hoc dicendum quod in finibus illis, Judæi et gentes permistim habitabant, et ipse ad Judæos declinabat. Adhuc autem non

declinabat ad manendum, sed ad transeundum : sicut et *venit in civitatem Samariæ quæ dicitur Sichar* [1].

« *Et ingressus domum,* » causa quietis, ex labore viæ. Joan. IV, 6 : *Jesus fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.*

« *Neminem voluit scire,* » ut nos erudiret humiliter nos ad hominum laudem occultare. Marc. VI, 31 : *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.*

« *Et non potuit latere,* » non de impotentia propria, sed de precatione suæ laudis. Sicut dicitur, Matth. V, 14 : *Non potest civitas abscondi supra montem posita.*

Et ideo tangit causam quare latere non potuit, dicens :

« Mulier enim, etc. »

Et hæc est pars secunda de modo impetrationis miraculi : et hæc impetratio fuit per mulierem : et hæc commendatur a sex, scilicet a fide, ab affectu naturæ, a sui adventus devotione, a cultus rectitudine, ab orationis supplicatione, a suæ indignitatis humana recognitione,

A fide, quia « *statim ut audivit de eo,* » fide mota est ad ipsum. Unde, Matth. XV, 28 : *O mulier, magna est fides tua : fiat tibi sicut vis.* Matth. VIII, 10 : *Non inveni tantam fidem in Israel.*

Non enim tardavit, sed « *statim ut audivit,* » festina cucurrit, sciens quod in digito Dei ejiceret dæmonium : et quod sic in ipsam perveniret Dei regnum, regno diaboli expulso [2].

« *Cujus filia habebat spiritum immundum.* » Ab affectu naturæ ordinato hic commendatur : quia filiam diligens, non diligebat in ea spiritum immundum : per contrarium eorum, qui non nisi ad spiritum immundum diligunt suos natos. Isa. XLIX, 15 : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* Spiritus autem immundus erat, qui ad immunditias vexando impellebat libidinum immundarum. Psal. CV, 28 : *Initiati,* hoc est, consecrati *sunt Beelphegor, et comederunt sacrificia mortuorum.* Beelphegor est idolum tentiginis, quod extenso veretro figurabatur : et hoc vexabat ad libidinem Maacha, matrem Joas, qui fuit sacerdos in templo Priapi. Sed ista non ad hoc dilexit filiam, sed potius ad munditiam : et ideo ad fontem munditiæ per fidem festinavit. Eccli. XLII, 11 : *Super filiam luxuriosam confirma custodiam : ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis.*

« *Intravit.* » Laudatur a devotione, per quam appropinquans intravit ad Dominum. Sicut, Luc. VII, 37 : *Mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod Jesus accubuisset,* non jussa venit.

« *Et procidit ad pedes ejus.* » Ecce laudatur a cultu : Creatorem et Deum esse confitens per cultum, qui soli Deo debetur. I ad Corinth. XIV, 25 : *Cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit.* Psal. CXXXI, 7 : *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.*

Et tangitur fidei ipsius commendatio cum dicit :

« Erat enim mulier, »

Cujus virtus magis est commendabilis quam viri, quanto minus ad virtutem per constantiam animi disponitur. II Machab. VII, 20 et 21 : *Supra modum mater mirabilis, et bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat, propter spem quam in Deum habebat : singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia : et femineæ cogitationi masculinum animum inserens,* etc.

« *Gentilis,* » non edocta per prophetas

[1] Joan. IV, 5.

[2] Cf. Matth. XII, 28.

et legem. Ad Roman. II, 27 : *Nonne... judicabit id quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per litteram et circumcisionem prævaricator legis es ?*

« *Syrophœnissa,* » hoc est, de Syro et Phœnice exorta, « *genere.* » Huic autem contrarium videtur quod dicitur, Matth. XV, 22: *Et ecce mulier Chananæa, a finibus illis egressa.* Ad hoc respondet Hilarius : « Chananæi terras in quibus sunt, « incoluerunt, qui remanentes, aliis gla- « dio consumptis, aut in loca vicina dis- « persi sunt, aut in servitutem subjecti, « et nomen tantum sine patria circumfe- « runt. » Ex illa ergo dispersione contingit, quod hæc Chananæa a primis progenitoribus fuit, et tamen propinqui genitores ipsius erant de Syria et Phœnice : et Judæis admista, Proselytorum formam tenebat. Unde ex vicinitate Judæorum, legem existimatur cognovisse, et cognitionem habuisse, quod Christum, et Deum, et Dominum, et Filium David esse confitebatur.

« Et rogabat eum, »

Instanter clamans, ut dicitur Matth. XV, 23, post eum : ita ut etiam discipuli dicerent Domino : *Dimitte eam, quia clamat post nos.*

« *Ut dæmonium ejiceret de filia ejus.* » Et commendatur a simplicitate orationis. Matth. XV, 22 : *Miserere mei, Domine, fili David : filia mea male a dæmonio vexatur.*

27 « Qui dixit illi : Sine prius saturari filios : non est enim bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.

28 At illa respondit, et dixit illi : Utique, Domine : nam et catelli comedunt sub mensa de micis puerorum.

29 Et ait illi : Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium a filia tua.

30 Et cum abiisset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, et dæmonium exiisse. »

Tangit hic commendationem a suæ indignitatis recognitione. Et dicit duo, scilicet objectionem indignitatis, et recognitionem.

De primo dicit : « *Sine prius saturari filios.* » Filii dicuntur Judæi. Osee, XI, 1 : *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Exod. X, 3 : *Dimitte populum meum.* Hos ergo prius gratia mea dimitte saturari usque ad nauseam, ita quod abjiciant eam : et tunc derivabitur hæc gratia ad te, quæ es gentilis. Act. XIII, 46 : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.*

Et tangit causam hujus, per metaphoram loquens :

« Non est bonum. »

Ordinis debiti bonum non observaretur aliter : « *sumere panem filiorum,* » a filiis qui sunt Judæi, » *et mittere canibus,* » hoc est, gentilibus ; nisi prius panis a filiis saturatis projiciatur. Matth. XV, 26 : *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.* Panis autem gratia curationis, et divini verbi refectio vocatur.

« At illa respondit, »

Objectam sibi recognoscens indignitatem. « *Et dixit illi : Utique, Domine,* » supple, canis sum, et cane immundior. « *Nam,* » hoc est, quia tantum in misericordia tua, non in dignitate mea confidens, gratiam tuam peto. Daniel. IX, 18 : *Non in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.*

« *Nam,* » hoc est, quia « *catelli,* » imbecilles, et saturitatem filiorum exspe-

ctare non valentes, « *comedunt sub mensa,* » interim, dum adhuc reficiuntur filii, « *de micis* » minutis « *puerorum,* » hoc est, filiorum. Ita ego necessitatem patiens in filia, non possum exspectare communem Gentilium, qui canes sunt, refectionem : sed statim dum reficis filios, est mihi succurrendum. Unde, Matth. xv, 27, dixit : *Etiam, Domine : nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Micæ autem significant subtiles intellectus, et gratias Spiritus sancti.

« Et ait illi, »

Tangens perfectionem miraculi impetrati. « *Propter hunc sermonem,* » magnam tuam fidem et devotionem indicantem, « *vade,* » sciens me corpore absentem, potentia deitatis quæ ubique præsens est, posse curare. « *Exiit,* » jam fidei tuæ merito, « *a filia tua dæmonium.* » Matth. xv, 28 : *Fiat tibi sicut vis.* Luc. vii, 50 : *Fides tua te salvam fecit : vade in pace.*

« Et cum abiisset domum, »

Plene credens sermoni Domini. Ad Roman. iv, 20 et 21 : *In repromissione Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo : plenissime sciens quia quæcumque promisit Deus, potens est et facere.*

« *Invenit puellam jacentem supra lectum* » strati sui, a quo ante per dæmonium præcipitabatur : « *et dæmonium* » invenit ab ea « *exiisse,* » et a vexatione immunditiæ cessasse. Matth. xv, 28 : *Et sanata est filia ejus ex illa hora,* qua hoc dixit Dominus.

31 « Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos. »

Tangit hic curam actualis peccati ex fortitudine Leonis de tribu Juda provenientem contra peccatum actuale, secundum hoc quod exhibentur membra corporis, arma iniquitatis peccato, quando perpetratur in opere.

Habet autem hæc pars duas partes, scilicet, locum in quo factum est miraculum, et historiam de miraculi perfectione.

In primo tangit locum quem reliquit, dicens :

« *Et iterum exiens de finibus Tyri,* » ubi permistim Judæi et Gentiles habitabant. Exivit autem, ut et alibi gratiam suam indigentibus communicaret et prædicaret. Luc. iv, 43 : *Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei : quia ideo missus sum.*

« *Venit per Sidonem,* » transiens ut venator animarum : quia Sidon *venatio* interpretatur. Genes. xxvii, 3 et 4 : *Cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti, et affer ut comedam,* hoc est, mihi incorporem. Hoc dixit Patriarcha filio suo. Venit autem sic transiens « *ad mare Galilææ,* » hoc est, stagnum Genesareth. Quæ (inquam) Galilæa quantum ad partem provinciæ in quam venit, « *est inter medios fines Decapoleos,* » hoc est, decem civitatum ibi ædificatarum, quarum territoria ibi conveniunt : et significant congregationes fidelium, qui decem mandatis decalogi conjunguntur. Luc. xix, 17 : *Eris potestatem habens super decem civitates.*

« Et adducunt ei surdum et mutum, 32
et deprecabantur eum ut imponat illi manum. »

Hic tangitur historia miraculi. Habet autem tres particulas, intercessionem ad impetrandum, modum specialem ad perficiendum, et utilitatem ad ædificandum.

In intercessione tria sunt : adductio, intercessio, et manus impositio.

De adductione dicit : « *Et adducunt*

ei, » per fidei suæ devotionem. Psal. XXVIII, 1 : *Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum,* hoc est, Prælatorum et Prædicatorum : qui arietes, hoc est, duces sunt gregis, et filios sibi commissos adducere debent ad Dominum ut curentur.

« *Surdum,* » quia aures arma iniquitatis peccato exhibuerat : ideo diabolus in auribus fecerat surditatem : et maxime a verbo Dei audiendo. Aures enim sic aperuerat serpenti prima mater : et sic aures exhibuerat mulieri a serpente persuasæ primus pater.

« *Et mutum.* » Omnis enim surdus naturaliter est mutus : quia quid loquatur audiendo, non potest discere. Tamen iste (ut inferius patebit) et linguam ligatam habuit, ne ad loquendum movere posset : unde infra, ℣. 35, dicitur : « *Solutum est vinculum linguæ ejus.* » Ezechiel. III, 26 : *Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus.* Psal. XXXVII, 14 : *Ego tamquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum.* Et hoc etiam merito primæ prævaricationis incurrerat, in qua lingua ad loquendum cum serpente contra Deum laxata fuerat. Psal. CXXXVI, 6 : *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui :* hoc est, quia non ero memor tui, sed potius verborum diaboli, cum quo loqueris.

« *Et deprecabantur eum* », hoc est, Dominum. Et hæc est intercessio adstantium, quæ significat sanctæ Ecclesiæ intercessionem. Jacob. V, 16 : *Orate pro invicem ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua.*

« *Ut imponat illi,* » muto et surdo, « *manum* » omnipotentem, quæ eum condiderat : istius enim erat et reformare corruptum. Job, V, 18 : *Ipse vulnerat, et medetur : percutit, et manus ejus sanabunt.* Psal. CXXXVIII, 5 et 6 : *Posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam.* Sciverunt enim quod dicitur, Job, XXVI, 13 : *Obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus.* Et ideo hoc beneficium manus petiverunt. Marc. XVI, 18 : *Super ægros manus imponent, et bene habebunt.*

« Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus, et exspuens, tetigit linguam ejus. » **33**

Tangitur modus perfectionis miraculi dupliciter, scilicet, ex parte Domini facientis, et ex parte infirmi in quo factum est.

Ex parte Domini triplex tangitur modus : in factis, in adspectibus, et in verbis.

In factis tangitur quadruplex modus : primo enim tangitur modus apprehensionis, in qua Dominus infirmo jungitur : et significat apprehensionem misericordiæ et charitatis, in quibus Deus nos apprehendit. Ad Hebræos, II, 16 : *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Et hoc est quod dicit : « *Apprehendens eum.* » Ad Philip. III, 12 : *Sequor, si quo modo comprehendam in quo et comprehensus sum a Christo Jesu.*

Secundum est apprehensi de turba segregatio : et significat segregationem a massa perditionis et perditorum, quæ fit per gratiæ apprehensionem. Numer. XVI, 26 : *Recedite a tabernaculis hominum impiorum et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.* Ad Galat. I, 15 et 16 : *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus : continuo non acquievi carni et sanguini.* Segregatio enim ab utero matris Synagogæ, separatio est a massa perditorum : et hoc est quod significat, cum dicit : « *De turba seorsum.* »

Tertium factum est, quia « *misit digi-*

tos suos in auriculas ejus. » Digiti enim isti significant virtutem operativam, qua cuncta condidit per potentiam, sapientiam, et bonitatem. Isa. XL, 12 : *Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Et isti sunt tres primi digiti. Digitus etiam est index virtutis sancti Spiritus per dona sapientiæ, et intellectus, et cætera, quæ Isaias enumerat [1]. Luc. XI, 20 : *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* Digiti etiam sunt, quibus perfecit subtiliter opus Redemptionis in magna amaritudine Passionis. Cantic. V, 5 : *Manus meæ stillaverunt myrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima.* Et contra hos digitos nulla potuit stare virtus inimici dæmonis : quia ex primis digitis expulit impotentiam audiendi, et ignorantiam audienda non percipiendi, et malitiam auditum divinum repellendi. Ex quarto digito expulit peccatum per Spiritus sancti donum. Et ex quinto expulit obligationem ad surditatem per solutum pretium per passionem. Hos ergo digitos potius spiritualiter intellectos immisit, quam corporales digitos exterius immitteret : quia illis intus tetigit, et vim dæmonis effugavit.

Dicit autem : « *In auriculas ejus,* » quia auris habens solam figuram auris, et non habens virtutem audiendi, diminuta est et non perfecta.

« *Et exspuens, tetigit linguam ejus.* » Quartum factum est. Sputum autem quod a capite descendit, saporem significat divinorum, quo sapor redit ad linguam, et solvitur vinculum ad loquendum. I Reg. XIV, 29 : *Vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto :* quod modo video quid saporandum et loquendum sit. Mel autem, quod est sub lingua Domini, significat dulcedinem doctrinæ ejus. Cantic. IV, 11 : *Mel et lac sub lingua tua.* Hoc igitur melle tetigit linguam istius.

« Et suspiciens in cœlum, ingemuit, et ait illi : Ephphetha, quod est, Adaperire. » **34**

Ecce hic tangitur modus duplex suspectionis : unus quidem in oculis corporis significat, quod ad Patrem omnia refert per concordiam et unitatem quam habet ad ipsum : et alter cordis, qui significatur per gemitum, quo ingemuit pro nobis : et hunc tangit cum dicit : « *Ingemuit.* » Joan. XI, 41, dicitur de primo : *Jesus elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me.* Docet etiam nos ad cœlum dirigere intentiones nostras, cum aliquid volumus impetrare. II Paralip. XX, 12 : *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* De gemitu autem dicitur, Cantic. II, 12 : *Vox turturis audita est in terra nostra :* quæ gemitum habet pro cantu : quia Christus gemuit pro nobis, Psal. XXXVII, 9 : *Rugiebam a gemitu cordis mei.*

« *Et ait.* » Tangit modum miraculi in verbis, dicens : « *Ephphetha,* » in Hebræo. Et hoc exponens Evangelista subinfert : « *Quod est, Adaperire,* » tam in vinculis aurium, quam in vinculis linguæ : ut et audias, et loquaris. Isa. L, 5 : *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico : retrorsum non abii.* Isa. L, 4 : *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo.*

« Et statim apertæ sunt aures ejus, **35**

[1] Isa. XI, 2 et 3 : *Et requiescet super eum spiritus Domini : spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et forttudinis, spiritus scientiæ et pietatis : et replebit eum spiritus timoris Domini.*

et solutum est vinculum linguæ ejus, et loquebatur recte. »

Tangit modum perfectionis miraculi in effectu ex parte infirmi. Et tria dicit: modum in auribus: « *Et statim apertæ sunt aures ejus,* » quæ prius erant auriculæ, modo factæ aures, quia audiunt. « *Sunt apertæ,* » ut intret sonus et vox ad audiendum. Proverb. xx, 12: *Aurem audientem, et oculum videntem, Dominus fecit utrumque.* Isa. xxxv, 5: *Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt.*

« *Et solutum est vinculum linguæ ejus.* » Secundum est, ex parte linguæ ejus. Isa. xxxv, 6: *Aperta erit lingua mutorum.* Luc. xi, 14: *Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum. Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus.*

« *Et loquebatur recte.* » Tertium est ex parte actus demonstrantis solutum esse vinculum linguæ et aurium: qui non loqueretur, nisi audiret. Isa. xxxii, 3 et 4: *Non caligabunt oculi videntium, et aures audientium diligenter auscultabunt. Et cor stultorum intelliget scientiam, et lingua balborum velociter loquetur et plane.*

36 « Et præcepit illis ne cui dicerent. »

Tangitur ædificatio secuta miraculum. Tanguntur autem duo: ædificatio ad humilitatem ex parte Domini: et ædificatio laudis divinæ ex parte turbæ et amicorum curati.

Dicit igitur: « *Et præcepit illis,* » non præcepto observationis, sed præcepto instructionis, ad humiliandum in magnis factis exemplo Domini, « *ne cui dicerent,* » et per hoc non jactare bona sua discerent. Eccli. iii, 20: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Matth. xi, 29: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.*

« Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant:

Et eo amplius admirabantur, di- **37**
centes: Bene omnia fecit: et surdos fecit audire, et mutos loqui. »

Tangit secundum. Et dicit tria, scilicet ædificationem ad ampliorem gloriam, ædificationem ad ampliorem admirationem, et ædificationem ad ampliorem laudem.

Dicit igitur: « *Quanto autem eis,* » et abundantiore humilitate, « *præcipiebat,* » præcepto instructionis, « *tanto magis plus prædicabant* » gloriam ipsius. Quia, sicut dicit Tullius in fine primi libri *Rhetoricæ,* « gloria est ore multo-« rum prædicata laudatio. » Tob. xii, 7: *Opera Dei revelare honorificum est.* Isa. lxvi, 19: *Et annuntiabunt gloriam meam gentibus.*

« Et eo amplius admirabantur. »

Quantum ille ex humilitate non dilatandum esse præcepit. Esther, xv, 17: *Valde mirabilis es, domine: et facies tua plena est gratiarum.* Hoc enim valde mirabile: quia in tanta facie, hoc est, præsentia gratiarum tam humilis fuit.

« *Dicentes,* » in magnifica laudis ædificatione: « *Bene omnia fecit,* » hoc est, bene se omnia facere posse probavit, hoc est, omnipotentiam demonstravit. Ad Roman. ix, 19: *Voluntati ejus quis resistit?*

« *Et surdos fecit audire,* » quotquot voluit, « *et muros loqui.* » Surdi enim prius est audire, ut sciat quid loquatur. Proverb. xviii, 13: *Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, et confusione dignum.*

Sic ergo per virtutem Leonis curatur actuale peccatum.

CAPUT VIII.

Septem panibus paucisque pisciculis satiat quatuor hominum millia : discipulos a fermento Pharisæorum cavere jubet : cæcum sensim curat : interrogatis Apostolis quem Jesum esse dicerent, Petrus confitetur ipsum esse Christum : et paulo post Satanas ab eo dicitur, quod increparet illum dum suam prædiceret passionem : de tollenda cruce, et quod anima nihil debet esse carius.

1. In diebus illis iterum cum turba multa esset [1], nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis :
2. Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent :
3. Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via : quidam enim ex eis de longe venerunt.
4. Et responderunt ei discipuli sui : Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine ?
5. Et interrogavit eos : Quot panes habetis ? Qui dixerunt : Septem.
6. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, et dabat discipulis suis ut apponerent : et apposuerunt turbæ.
7. Et habebant pisciculos paucos : et ipsos benedixit, et jussit apponi.
8. Et manducaverunt, et saturati sunt : et sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas.
9. Erant autem qui manducaverant quasi quatuor millia, et dimisit eos.
10. Et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha.
11. Et exierunt Pharisæi [2], et cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo signum de cœlo, tentantes eum.
12. Et ingemiscens spiritu, ait : Quid generatio ista signum quærit ? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum.
13. Et dimittens eos, ascendit iterum navim, et abiit trans fretum.
14. Et obliti sunt panes sumere [3], et nisi unum panem non habebant secum in navi.
15. Et præcipiebat eis, dicens : Videte, et cavete a fermento Pharisæorum, et fermento Herodis.
16. Et cogitabant ad alterutrum, dicentes : Quia panes non habemus.
17. Quo cognito, ait illis Jesus : Quid cogitatis quia panes non habetis ? nondum cognoscitis nec intelligitis ? adhuc cæcatum habetis cor vestrum ?
18. Oculos habentes non videtis ? et

[1] Matth. xv, 32.
[2] Matth. xvi, 1 ; Luc. xi, 54.
[3] Matth. xvi, 5.

aures habentes non auditis, nec recordamini?

19. Quando quinque panes fregi in quinque millia [1] : quot cophinos fragmentorum plenos sustilistis? Dicunt ei : Duodecim.

20. Quando et septem panes in quatuor millia, quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei : Septem.

21. Et dicebat eis : Quomodo nondum intelligitis?

22. Et veniunt Bethsaidam, et adducunt ei cæcum, et rogabant eum ut illum tangeret.

23. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum : et exspuens in oculos ejus, impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret.

24. Et adspiciens, ait : Video homines velut arbores ambulantes.

25. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus : et cœpit videre, et restitutus est, ita ut clare videret omnia.

26. Et misit illum in domum suam, dicens : Vade in domum tuam, et si in vicum introieris, nemini dixeris.

27. Et egressus est Jesus [2], et discipuli ejus, in castella Cæsareæ Philippi : et in via interrogabat discipulos suos, dicens eis : Quem me dicunt esse homines [3]?

28. Qui responderunt illi, dicentes : Joannem Baptistam, alii Eliam, alii vero quasi unum de Prophetis.

29. Tunc dicit illis : Vos vero quem me esse dicitis? Respondens Petrus ait ei : Tu es Christus.

30. Et comminatus est eis ne cui dicerent de illo.

31. Et cœpit docere eos quoniam oportet Filium hominis pati multa, et reprobari a senioribus, et a summis sacerdotibus, et scribis, et occidi : et post tres dies resurgere.

32. Et palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum.

33. Qui conversus, et videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens : Vade retro me, Satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.

34. Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis : Si quis vult me sequi, deneget semetipsum [4], et tollat crucem suam, et sequatur me.

35. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me et evangelium, salvam faciet eam.

36. Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, et detrimentum animæ suæ faciat?

37. Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua?

38. Qui enim me confusus fuerit, et verba mea, in generatione ista adultera et peccatrice, et Filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis

39. Et dicebat illis : Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute [7].

[1] Supra, VI, 41 ; Joan. VI, 11.
[2] Matth. XVI, 13.
[3] Luc. IX, 18.
[4] Matth. X, 38 et XVI, 24 ; Luc. IX, 23 et XIV, 27.
[5] Luc. XVII, 33 ; Joan. XII, 25.
[6] Matth. X, 33 ; Luc. IX, 26 et XII, 9.
[7] Matth. XVI, 28 ; Luc IX, 27.

IN CAPUT VIII MARCI

ENARRATIO.

« In diebus illis iterum cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent. »

Hic incipit pars illa quæ est de ostensione virtutis Leonis contra sequelas peccati actualis, quæ sequelæ sunt tres: prima quidem est inedia, quæ causatur ex longo defectu carentiæ refectionis spiritualis ex cibo gratiæ, propter quam fit deperditio virium ad vitam spiritualem: et contra hunc defectum adducitur miraculum refectionis turbarum. Secundus defectus, est defectus visus in discretione credendorum, et agendorum, et appetendorum, quæ Domino placent: et hic defectus causatur ex longa obscuratione cordis, contra tenebras peccatorum: contra hunc defectum inducitur miraculum de cæci illuminatione, ibi, ℣. 22: « *Et veniunt Bethsaidam, et adducunt ei cæcum*, etc. » Tertius defectus est difficultas ad faciendum bonum, et recedendum a malo: et contra hunc defectum inducitur miraculum dæmoniaci, quem discipuli curare non poterant: et incipit post principium capituli noni, ibi, IX, 13: « *Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam*, etc. »

Prima autem harum partium dividitur in duas partes: in quarum prima inducit miraculum contra defectum prædictum. Sed quia quidam non intelligebant quod contra talem ordinaretur defectum, ideo in secunda parte de hoc plenam inducit instructionem, ibi, ℣. 10: « *Et statim ascendens navim.* »

Adhuc autem historia de miraculo dividitur in tres partes: in quarum prima inducit ad istud miraculum faciendum inducentia: in secunda, inducit ea quæ sunt discipulos de miraculo faciendo instruentia: in tertia autem, ponit ea quæ sunt miraculum perficientia.

In prima harum partium dicit tria, scilicet opportunitatem temporis, congruentiam devotionis, et affectum misericordiæ et miserationis.

De primo dicitur:

« In diebus illis, etc. » 1

Significans quod pluribus diebus eum turba sustinuerat: quia aliter pluraliter, « *in illis diebus*, » non diceret. Psal. CXXXVIII, 16: *Dies formabuntur, et nemo in eis*, supple, defluit. Genes. XXIX, 20: *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Dicit enim Avicenna, quod homines delectati in divinis tempus non percipiunt, ita et isti non perceperunt tempus nec defectum corporis, ex desiderio et delectatione auditus Christi. Psal. CXVIII, 103: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Sic Moyses in monte perseveravit cum Domino quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, panem non comedit et aquam non bibit [1].

« *Iterum.* » Notat quod ante fecerat miraculum de refectione quinque panum in quinque millia hominum: et ideo addit hic: « *Iterum.* » Deus enim dives in misericordia non defecit, nec finem ponit beneficiis, sed semper influit et effluit. Jacob. I, 5: *Dat omnibus affluenter, et non improperat.*

« *Cum turba multa*, » quia multa de causa sequebatur: quidam ut satiarentur de panibus, Joan. VI, 26: *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus.* Eccli. VI, 10: *Est amicus socius mensæ.* Quidam autem

[1] Cf. Exod. XXIV, 18.

propter curiositatem videndi signa, Joan. VI, 2 : *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur.* Quidam autem ut caperent eum in sermone, Matth. XXII, 15 : *Convenerunt ad Jesum Pharisæi ut caperent eum in sermone.* Quidam autem sequebantur propter devotionem, ut discipuli, Joan. VI, 69 : *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Et sic ex diversis causis sequens turba multa, et multiplex erat cum eo.

Et hoc est quod dicit : « *Cum turba multa esset,* » scilicet cum Jesu. Cum eo enim esse, est esse cum auctore salutis : et sine eo esse, est salutem perdere. Matth. XII, 13 : *Qui non est mecum, contra me est : et qui non congregat mecum, spargit.*

Et hoc est secundum quod movit ad pascendum, quia secum erant, « *nec haberent quod manducarent.* » Ecce necessitas quæ inducit ad miraculum faciendum, quia nec habebant, nec de facili habere poterant quod manducarent in loco deserto, in quo esculentum non inveniebatur : suis enim numquam in necessitate deest Dominus. Psal. CX, 4 et 5 : *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus : escam dedit timentibus se.* Ideo dicit, Matth. VI, 31 et 32 : *Nolite solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis.*

2 « Convocatis discipulis, ait illis : Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent :

3 Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via : quidam enim ex eis de longe venerunt. »

« *Convocatis discipulis.* » Non ut ignorans quid acturus esset, consuleret : sed ut nobis formam daret, etiam a minoribus aliquando consilium habendi. Joan. VI, 6 : *Hoc autem dicebat tentans eum : ipse enim sciebat quid esset facturus.* Convocavit etiam, ut ex facto instrueret et ad fidem ædificaret.

« *Ait illis,* » instruens et ædificans ad fidem.

« Misereor super turbam. »

Ecce tangit inclinativum misericordiæ. Tangit autem tria. Primum quidem multitudinem, quia multitudini compatiendum erat : et hoc notat cum dicit : « *Misereor super turbam :* » multos enim fame affligere erat miserabile. Unde, Matth. VI, 36 : *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* Et, ibidem, V, 44 et 45 : *Diligite inimico vestros,... ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Defert enim toti multitudini propter bonos qui sunt in ea.

Secundum est quod dicit : « *Quia ecce jam triduo sustinent me,* » quamvis puniantur gravi pondere necessitatum : sustinentiæ autem causa, fuit desiderium audiendi : propter hoc enim libenter sustinebant famem et laborem. Matth. XX, 12 : *Portavimus pondus diei et æstus.* Genes. XXXI, 40 : *Die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.*

« Et si dimisero eos jejunos, »

Sic laboribus et fame affectos, « *in domum suam,* » revertentes, « *deficient in via.* » Talis enim est natura hominis, quod abstractus a se et ad divina suspensus, defectus proprios non sentit : reversus autem ad se sentit, et tunc deficit. Psal. XVI, 15 : *Satiabor cum apparuerit gloria tua :* et si illa subducta fuerit, in inedia propria deficiam.

Causam autem subjungit, cum dicit : « *Quidam enim ex eis de longe vene-*

runt, » et ideo diu jejunarunt, quia sibi ad viaticum nihil providerunt, putantes ex abundantia meæ largitatis saturari.

Et hæc est litteralis expositio.

Triduum autem quo sustinuimus Jesum fuit status naturæ, et legis, et prophetiæ. Genes. XL, 12 et 13 : *Tres enim adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao*, scilicet magnus rex regum, *ministerii tui, et restituet te in gradum pristinum.* Vel triduum morale, est triduum contritionis, confessionis, satisfactionis. Exod. VIII, 27 : *Viam trium dierum pergemus in solitudinem, et sacrificabimus Domino Deo nostro.* Et triduum anagogicum, est contemplatio vestigii, imaginis, et speciei expressæ. Genes. XXII, 4, Abraham immolaturus filium, tertia die vidit locum quem ostendit Dominus.

Quod autem dicit : « *Nec habent quod manducent,* » significat nostrum, qui ex nobis est, defectum boni gratiæ reficientis. Isa. III, 7 : *In domo mea non est panis, neque vestimentum.* Luc. XI, 6 : *Non habeo quod ponam ante illum*, scilicet ad reficiendum spiritum.

Quod autem dicit, quod « *Quidam de longe venerunt,* » significat pœnitentes de regione longinqua dissimilitudinis venisse. Isa. LX, 4 : *Filii tui de longe venient, et filiæ tuæ de latere surgent.* Isa. XLIII, 6 : *Affer filios meos de longinquo, et filias meas ab extremis terræ.* Psal. CXVIII, 155 : *Longe a peccatoribus salus.*

Quod autem dicit : « *Si dimisero eos jejunos in domum suam,* » denuo non pascens, « *deficient in via,* » significat quod nisi pascamur gratia Dei in affectu, et verbo Dei in intellectu, et corpore Domini in Sacramento, quod deficiemus, quomodocumque ex nostro sensu in bonis naturalibus, et in bonis fortunæ abundemus. Psal. XXXIII, 11 : *Divites eguerunt et esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Luc. I, 53 : *Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.*

Iste ergo est sensus spiritualis.

« Et responderunt ei discipuli sui : Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine ? 4

Et interrogavit eos : Quot panes habetis ? Qui dixerunt ei : Septem. 5

Et præcepit turbæ discumbere super terram. » 6

Hic tangitur pars quæ est de instructione discipulorum.

Dicit autem tria, scilicet, discipulorum quæstionem, quæ exigit illuminationem : Domini interrogationem, quæ excitat discipulorum ad id quod faciendum erat intentionem : et turbæ ad refectionem dispositionem.

Dicit igitur : « *Et responderunt ei,* » scilicet Domino, « *discipuli sui,* » qui ex omnibus erant instruendi : « *Unde,* » hoc est, ex quibus abundantiis, « *illos,* » tam multos, tam famelicos, « *quis,* » quantumcumque dives, « *poterit,* » ex facultatibus suis, « *saturare,* » quia fame affecti multa vorabunt, « *panibus,* » etiam sine pulmentario ? et hoc « *in solitudine,* » ubi nihil est esculenti vel poculenti. Ac si dicant : Nullus homo posset hoc facere. Psal. CIII, 27 : *Omnia a te exspectant, ut des illis escam in tempore,* ne deficiant. Et quia homini hoc impossibile est, speratur hoc a benignitate et misericordia tua. Ergo fac quod dixit Propheta, Psal. CXLIV, 16 : *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.* Et iterum, Psal. XXXV, 9 : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Et quod dicunt de solitudine, nihil est : quia multa millia quadraginta annis in deserto pavisti. Psal. LXXVII, 25 : *Panem Angelorum manducavit homo : cibaria misit eis in abundantia.*

« Et interrogavit eos, »

Instruens de facilitate qua cum gratia Dei pasci poterant. Sapientis enim interrogatio, instructio est. Unde Hierony-

mus : « Jesus sedens in medio doctorum, « magis docet dum prudenter interro- « gat. »

« *Quot panes habetis?* » Ac si dicat : Scrutamini secreta vestrarum facultatum, et videte quid a Deo habeatis : hoc enim, quantumcumque parvum sit, cum adjutorio Dei sufficiet. III Reg. XVII, 12 et seq., Vidua Sarephtana non habuit nisi parum farinæ et modicum olei in lecytho : et suffecit ad pastum Prophetæ, et sustentationem domus suæ. IV Reg. IV, 1 et seq., Vidua non habuit in domo sua nisi modicum olei quo ungeretur, et cum gratia Dei suffecit ad debitorum solutionem, ad filiorum redemptionem, et ad vitæ suæ et filiorum sustentationem. II ad Corinth. IX, 8 : « *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis : ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum.* Videte ergo « *quot panes* » gratiæ « *habetis.* »

« Qui dixerunt, »

Ex magistri interrogatione jam ad spem refectionis et abundantiæ elevati :

« Septem, »

Panes, qui vel significant septem virtutes, tres theologicas, spem, fidem, charitatem : et quatuor cardinales, prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam : de quibus dicitur, Isa. IV, 1 : *Apprehendent septem mulieres virum unum in die illa, dicentes : Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur : tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* Quælibet enim virtutum suum panem ministrat, dum quælibet suam intus ministrat refectionem : prudentia quidem, in eligendo id quod adjuvat ad vitam : justitia autem, ad operum rectitudinem : fortitudo ad strenuitatem in adversis : et temperantia ad modum convenientem in prosperis. Fides autem pascit intellectum in vero, spes elevat in exspectando æterno, et charitas reficit in bono amato.

Ecce *septem panes* quos habent discipuli Domini, septem Spiritus sancti donorum dulcedines intus reficientes, de quibus dicitur, Isa. XI, 2 et 3[1]. *Sapientia* enim divinorum reficit sapore, I Pet. II, 3 : *Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus.* Psal. XXXIII, 9 : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus. Intellectus* autem reficit mentem, et pascit in vero audito. Quia Gregorius dicit, quod intellectum dat, et de auditis mentem illuminat. Sapient. XVI, 20 : *Angelorum esca nutrivisti populum tuum. Consilium* autem stabilit et pascit in dubiis, dum consilio Dei mens stabilitur. Quia sicut Gregorius dicit, consilium Dei est immobilis diffinitio de faciendis. Luc. I, 53 : *Esurientes implevit bonis. Fortitudo* autem spe vincendi pascit in adversis. III Reg. XIX, 8, Elias in fortitudine cibi panis vicit Jezabel, et pervenit ad montem Dei. *Pietas* autem benevolentia, qua per affectum fluit ad omnes, pascit dulcedine largitatis : et in hoc casu verum est ænigma Samsonis, Judic. XIV, 14 : *De comedente exivit cibus :* quia dum pauper pascitur et cibatur, cibus per gratiam exit ab ipso, et cibat pascentem. *Scientia* dum docet immaculate conversari in medio nationis pravæ et perversæ, reficit intus gaudio dum malis prodest, et non maculatur ab illis. Psal. CXVIII, 1 : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* De refectione dicitur, Proverb. XV, 15 : *Secura mens quasi juge convivium. Timor* autem *Domini* in conspiratione displicentiæ mali, magnam affert refectionem : et iste est panis doloris : quia semper reficit in hoc quod dolet de malis. Psal. CXXVI, 2 : *Surgite*

[1] Isa. XI, 2 et 3 : *Et requiescet super eum spiritus Domini : spiritus sapientiæ et intelleetus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.*

postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Vel, *septem panes* sunt septem gratiæ sacramentales, dum gratia *baptismi* reficit contra originalem injustitiam. Eccle. XI, 1 : *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum.* Lotio enim aquæ per tinctionem corporis de baptismo transit, et refectio gratiarum intus per totum tempus invenitur. *Confirmatio* autem contra fomitis incendium reficiendo confortat, ut confirmatus intrepide Christum confiteatur corde, ore, et opere. Psal. CIII, 15 : *Panis cor hominis confirmat. Pœnitentia* autem maculas actuales purgat, et defectum restituit. III Reg. XIX, 6 : *Respexit* Elias, *et ecce ad caput suum subcinericius panis et vas aquæ*, quo fugiens Jezabel impiam refectus evasit. *Eucharistia* autem deperditum in spiritualibus propria refectione reparat et restituit. Sapient. XVI, 20 : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Ordo* autem in potestate divina reficit, ut etiam divinos actus facere possimus in omnium spiritualium dispensatione : et iste est panis filiorum Dei, qui comedunt ad Dei mensam. Jerem. XXXI, 14 : *Inebriabo animam sacerdotum pinguedine : et populus meus bonis meis adimplebitur.* Luc. XIV, 15 : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Isti enim ministri Dei in regno decoris cum Deo sedent ad mensam. Luc. XXII, 29 et 30 : *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. Extrema* vero *unctio* reficit transeuntem ad corporis et animæ refectionem. Isa. XXI, 14 et 15 : *Qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti. A facie enim gladiorum fugerunt, a facie gladii imminentis, a facie arcus extenti, a facie gravis prælii.* Gladius enim peccati reliquias reliquit, contra quas reficit unctio : gladius imminens, infirmitas est corporis : arcus autem, qui extenditur de longe feriens, reliquiæ fomitis ex prima transgressione. Ab omnibus enim his confugit homo ad refectionem gratiæ, quæ datur in Extrema unctione. *Matrimonialis* autem gratia reficit, dum concupiscentiam fluentem in præceps recipit, et unionem castam et fœcundam spiritus creati cum increato ostendit : sic enim dicitur de muliere bona, Proverb. XXXI, 27 : *Consideravit semitas domus suæ*, hoc est, matrimoniales utilitates : *et panem otiosa non comedit.* Quia refectionem in omnibus talibus gratiis habuit, et non otiose ad libidinem matrimonium suscepit. Istos omnes panes secum habent discipuli Domini, qui vere discipuli Domini sunt et ministri, quos super familiam suam constituit.

Adhuc, *septem* habent *panes,* quibus turbas reficiant. Septem enim sunt in verbo Dei, quibus pascere tenentur, et facultatem unde pascant semper secum habere. Primum quidem est, quod verbum Dei illuminativum est ad fidei veritatem : secundum autem est, quod est ædificativum ad omnem spei promissionem : tertium est, quod est ignitivum ad divinæ bonitatis charitatem : quartum autem est, quod divinam in se habet potestatem : quintum autem, quod perfectam confert libertatem : sextum autem, quod ad omnem injustitiam semper habet contrarietatem : septimum et ultimum est, quod contra omnem vincit falsitatem.

De primo dicitur in Psalmo CXVIII, 105 : *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* Quia ad credenda, et facienda, et appetenda quæ Deo placent, verbum Dei est illuminationem præbens. Baruch, IV, 4 et 5 : *Beati sumus, Israel, quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis. Animæquior esto, populus Dei,* etc.

De secundo dicitur in Psalmo CXVIII, 49 et 50 : *Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. Hæc me consolata est in humilitate mea.* Firmitas enim verbi quo promisit, stabilit spem

hominis : quia verbum Dei numquam excidit. Ad Hebr. VI, 18 et 19 : *Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Psal. CXVIII, 114 : *Adjutor et susceptor meus es tu : et in verbum tuum supersperavi.*

De tertio dicitur in Psalmo CXVIII, 140 : *Ignitum eloquium tuum vehementer : et servus tuus dilexit illud.* Jerem. XX, 20 : *Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis : et defeci, ferre non sustinens.*

De quarto dicitur in Psalmo CXL, 6 : *Audient verba mea quoniam potuerunt.* Hoc est, perfectam potestatem habuerunt, ut veniant semper ad effectum. Isa. LV, 11 : *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Unde, Matth. VII, 28 : *Erat docens eos sicut potestatem habens.*

De quinto, Joan. VIII, 31 et 32 : *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberavit vos.* Ad Galat. IV, 31 : *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ : qua libertate Christus nos liberavit.* Liberat autem, per formam et imaginem verbi sui nos formando.

De sexto dicitur, Matth. V, 25 : *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo.* Ubi dicit Glossa, quod adversarius noster, verbum Dei est. Job, VII, 20 : *Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis ?*

De septimo dicitur, II ad Corinth. X, 4 et 5 : *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* Hinc est quod ad Ephes. VI, 17, dicitur quod *accipiamus gladium spiritus, quod est verbum Dei.* II Machab. XV, 16 : *Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel.*

Per istos septem effectus dum verbum Dei in nobis fuerit, nos intus reficit et confortat : et ideo *panis* vocatur quo turbæ a Christi successoribus sunt cibandæ. De pane quidem veritatis dicitur, Exod. XII, 15 : *Septem diebus azyma comedetis.* Et, Levit. II, 11 : *Omnis oblatio*, scilicet panis, *absque fermento fiet*, quia veritas fidei sincera debet esse, et fermento hæreticæ pravitatis non admista.

De pane autem qui ex spe confortat dicitur, Levit. VIII, 31 : *Panes consecrationis edite, qai positi sunt in canistro, sicut præcepit mihi Dominus.* Panes enim spei (quia ex meritis in conscientia repositis surgit spes) edunt in loco sancto, qui ex tali spe propter conscientiam meritorum reficiuntur.

Panis autem charitatis, Josue, IX, 12 : *En panes quando egressi sumus de domibus nostris, ut veniremus ad vos, calidos sumpsimus.* Quando enim aliquis sua relinquit, ut ad populum Dei veniat, oportet accipere refectionem verbi igniti, quæ per calidum panem designatur. Ibi est panis calidus, qui proponitur ante conspectum Domini [1].

Panis autem potestatem perfectam dans est, de quo dicitur in Psalmo CIII, 15 : *Panis cor hominis confirmet.* Hoc pane confortatus est Paulus, ut contra omnes posset in verbi Dei potestate. Act. IX, 19 : *Cum accepisset cibum, confortatus est.*

Panis autem conferens libertatem, est panis filiorum, qui liberi sunt. Matth. XV, 26 : *Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus.* Et iste est panis, quem de simila Abraham paravit Angelis, cum repromissionem Isaac in futuro per liberam acciperet. Genes. XVIII, 6 : *Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes :* quia libertatem, quam ex verbo Dei habemus,

[1] Cf. I ad Corinth. X, 16.

sub tegumento hujus cinericiæ humilitatis occultamus.

Sextus autem panis, qui reficit ex hoc quod injustitiæ nostræ adversatur, est quidem panis sed non desiderabilis. Daniel. x, 3 : *Panem desiderabilem non comedi*, quia desideriis non obedivi : sed refectus sum duro sermone Domini adversante mihi.

Panis vincens falsitatem et in hoc reficiens, est panis verbi per disputationem elicitus, qui conterit omnem falsitatis et mendacii panem. Isa. xxx, 23 : *Et panis frugum terræ erit uberrimus et pinguis.* Dulcissima enim veritas, et pinguis, ad delectationem a patribus per disputationem est elicita, omnem panem mendacii destruens et elidens : de quo pane mendacii dicitur, Proverb. xx, 17 : *Suavis est homini panis mendacii : et postea implebitur os ejus calculo.* Quia primo mendacium hæreticæ pravitatis suave est homini decepto, sed cum in judicio calculo veritatis arguitur, tunc convertitur in amaritudinem.

« Et præcepit turbæ, »

Per Apostolos ordinantes eos per contubernia, « *discumbere super terram,* » quæ corpus designat, et subjici debet. Sapient. ix, 15 · *Corpus quod corrumpitur aggravat animam et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*

Sic ergo instructi sunt Apostoli.

« Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, et dabat discipulis suis ut apponerent : et apposuerunt turbæ. »

Tangit ea quæ faciunt ad miraculi perfectionem dupliciter : ex parte Christi facientis, et ex parte turbæ comedentis.

Ex parte quidem Christi facientis tangit quatuor : acceptionem Dei munerum, collationem eorumdem in dispensationem discipulorum, et per Apostolos eorumdem munerum in communitatem et utilitatem turbarum distributionem, et per pisciculos paucos, panum dulcoramentum.

In primo horum dicuntur quatuor : munerum Dei acceptatio, munerum Dei per quantitatem determinatio, gratiarum de muneribus perceptis actio, et ad communicandum fractio.

Dicit igitur : « *Et accipiens,* » hoc est, Dei munus acceptans : quia omne quod dat Deus, acceptandum est. Isa. lvi, 7 : *Holocausta eorum et victimæ eorum placebunt mihi super altari meo.* Ibi habent Septuaginta : « Munera tua accepta erunt super altare meum. » Hoc autem altare ipsa divinitate sanctificatum, manus Christi est. Super hoc altare omnia dona oblata, Deo sunt accepta et grata : et in tali acceptatione quidquid nobis offertur, primo Deo debet esse oblatum, et nobis acceptum. Ad Philip. iv, 18 : *Repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.*

« *Septem panes.* » Ecce munerum Dei per quantitatem determinatio. Et sunt quidem pauca numero, sed cum benedictione Dei sunt et sufficientia, et abundantia : et ideo potius in benedictione Dei quam in muneribus est sperandum. Unde in Psalmo cxliv, 16 : *Aperis tu manum tuam*, supple, ad benedicendum : *et imples omne animal benedictione.* Hoc etiam testatur veritatis inimicus, Job, i, 10 : *Operibus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra.* Quia quamvis parva sunt quæ ad manus habemus, hæc tamen Dei benedictione crescunt in abundantias.

« *Gratias agens.* » Ecce gratiarum actio de muneribus a Deo acceptis. I ad Thessal. v, 18 : *In omnibus gratias agite.* II ad Corinth. ix, 15 : *Gratias Deo super inenarrabili dono ejus.*

« Fregit. »

Ecce ad communicandum Dei dona

fractio, ut in multos dividi possint. Psal. CXI, 9 : *Dispersit, dedit pauperibus.* Et hoc modo non fit, quia modo unus solus totum in se colligere conatur, quod in omnes indigentes a Christo frangitur. Isa. LVIII, 7 : *Frange esurienti panem tuum.* Thren. IV, 4 : *Parvuli,* id est, humiles pauperes, *petierunt panem, et non erat qui frangeret eis :* quia nostri temporis sacerdotes, et abbates, et cæteri religiosi totum ad se recolligunt, ut integrum recipiant, quod a Christo in multos est fractum.

« *Et dabat discipulis suis,* » non ut sibi retinerent, sed « *ut apponerent,* » scilicet turbis. Et tangitur commissio munerum Dei in dispensationem discipulorum : omnia enim quæ committuntur Apostolis, dispensanda turbis committuntur. Matth. XXIV, 45 : *Fidelis servus et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore.* Matth. X, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.* IV Reg. IV, 41, dixit Eliseus filiis prophetarum : *Infunde turbæ, ut comedant. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla.* Propter turbas enim et augentur dona Dei, et dulcorantur ut sapiant et placeant. Psal. LXVII, 11 : *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.*

« Et apposuerunt turbæ. »

Appositio notat quod unicuique sibi competens collatum est : quia non est appositum per appropinquationem partis ad eum cui confertur, nisi unicuique quod sibi competit tribuatur. Hinc est quod, Matth. XX, 14, dicitur : *Tolle quod tuum est, et vade.* Tuum enim est, quod tibi secundum capacitatem et usum vitæ proportionatur : et ideo non apponitur parvulo, quod competit perfecto : nec competit rustico, quod clerico est proportionatum : nec militi expedit, quod artifici est debitum. Matth. XXV, 15 : *Dedit unicuique secundum propriam virtutem.*

« Et habebant pisciculos paucos : et ipsos benedixit, et jussit apponi. »

Tangit hic panis dulcoramentum : pisces enim dulces sunt : pisciculi autem humiles, humilium dulces consolationes : pauci vero ideo, quia raro et raptim per breve tempus in hac vita datur consolatio divina. Talis autem consolatio numquam debet Christi desse discipulis, quin verbum consolationis semper sit in ore eorum : non enim semper donare debent in terrore et timore. Unde, Exod. XVI, 31, Manna quod pluit Dominus, saporem habuit panis oleati : ut cum refectione etiam haberet saporis dulcoramentum. Similiter, Levit. II, 4, VI, 15, et XXIV, 5, ubi Dominus panes offerri præcepit, semper adjungit *lagana oleo lita.* Lagana autem panes frixi sunt in oleo, ut refectionis habeant dulcoramentum. Et quia panes, et virtutes, et dona, et gratias sacramentales, et verbi Dei effectus esse diximus, ideo cum consolatione dulcedinis omnia ista sunt miscenda : unde, Apostolus ad Hebr. XIII, 22 : *Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii. Etenim perpaucis scripsi vobis.* Quia *solatii verbum* est, quod cum consolatione est propositum. Eccli. VI, 5 : *Verbum dulce multiplicat amicos.* Ezechiel. XXXIV, 4 et 5 : *Cum austeritate imperabatis eis, et cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ.* De Aser autem (qui *beatus* interpretatur) dicitur, Genes. XLIX, 20 : *Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.*

« *Et ipsos* » scilicet pisciculos, « *benedixit,* » ut sicut dictum est, et multiplicarentur ad sufficientiam, et dulcorarentur ad saporem. Sapient. XVI, 20 : *Omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.*

« *Et jussit apponi* : » quia non per se dulcia ministrantur discipulis, sed pro subditis sibi commissis : unde, IV Reg. IV, 41, cum etiam amaritudo mortis esset in olla, tamen hanc ipsam Eliseus in dulcedinem convertit, ne turba fidelium

amaritudine diffideret. Et hoc fit quando Prælatus in dulcedine verbi, et conversationis, et affabilitatis, subjectis verbum salutis proponit. Eccli. XLIX, 2 : *In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, et ut musica in convivio vini.* Psal. CIII, 15 : *Vinum lætificat cor hominis.* Et ideo significat lætificantia subjectos.

8 « Et manducaverunt, et saturati sunt : et sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas.

9 Erant autem qui manducaverant quasi quatuor millia : et dimisit eos. »

Tangit perfectionem miraculi ex parte turbæ comedentis. Tanguntur autem quinque : comedentium generalitas, quia nulli abstinebant : comedentium saturitas, quia nulli inanes et famelici remanebant : super excrescentis quantitatis quantitas, quam in alios pauperes Apostoli relevabant : comedentium numerosa quantitas, quæ virtutem divinæ benedictionis ostendebat : et saturatorum dimissio, quæ Domini benignitatem significabat.

Dicit igitur : « *Et manducaverunt,* » refectionem accipientes internam, « *et saturati sunt :* » quod de phantastica refectione non fieret. Proverb. XIII, 25 : *Justus comedit, et replet animam suam : venter autem impiorum insaturabilis.* Psal. LXXVII, 29 et 30 : *Manducaverunt et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis Dominus : non sunt fraudati a desiderio suo.*

« *Et sustulerunt,* » Apostoli et discipuli, « *quod superaverat,* » per excrescentiam, « *de fragmentis, septem sportas,* » quia communicata gratia in alios, ipsa gratia crescit in communicante. II ad Corinth. IX, 10 et 11 : *Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ : ut in omnibus locupletati, abundetis in omnem simplicitatem.* Proverb. III, 9 et 10 : *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei : et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt.*

Septem enim sportæ significant id quod universaliter excrescit de gratiis Dei proximo communicatis : quia tot sunt sportæ, quot sunt panes : quia de unoquoque pane mystici intellectus superexcrescunt : unde, Daniel. XII, 4 : *Plurimi pertransibunt, et multiplex erit scientia.* Vel, septem sportæ, quæ sunt vasa munda, in quibus portantur panes, sunt impletiones septem petitionum, quæ in Dominica oratione continentur : quæ omnes, communicata gratia Dei, ad proximum superimplentur. Hoc est quod sub alia metaphora, Genes. XLI, 5, dicitur : *Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque formosæ.* Culmus enim ille, in quo omnium petitionum nostrarum pullulat ubertas, misericordia est communicationis eorum, quæ nobis a Domino commissa sunt in pauperes. Sic fit, quia Joel, II, 24, dicitur : *Implebuntur areæ frumento, et redundabunt torcularia vino, et oleo.*

« Erant autem qui manducaverant. »

Ecce comedentium numerosa quantitas. « *Quasi quatuor millia.* » Quaternarius vel ad mundi plagas refertur, a quibus veniunt qui a Deo saturantur. Isa. XLIII, 5 et 6 : *Ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabote. Dicam Aquiloni : Da, et Austro : Noli prohibere.* Matth. VIII, 11 : *Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum.* Millenarius autem refertur ad perfectionem præmiorum : quadratur enim millenarius in longum, latum, et profundum, ex denario, quia

decies decem decies sunt mille : et hæc quadratura est quando præmium respondet capacitati naturæ, et capacitati meriti, et capacitati spei, et capacitati largitatis divinæ quæ satisfacit charitati. Luc. VI, 38 : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Vel forte *quatuor*, ad quatuor referuntur passiones, quæ sunt timor, spes, tristitia, et gaudium : omne enim quod timetur, elongabitur : et omne quod speratur, habebitur : et omne contristans, vincetur : et omne quod gaudium facit, exuberanter dabitur nobis. Vel, *quatuor* referuntur ad ea quæ generaliter sunt in omni eo quod recte fit. Hoc enim ad rationem est electum, hoc est, operanti debitum : hoc in opere habet modum, et hoc ipsum contra impedientia est virtuosum et strenuum : et omne tale ad millenarium est perfectum, sicut diximus, ad naturam, et meritum, et spem, et largitatis divinæ excessum relatam.

« Et dimisit eos. »

Ecce demonstratio divinæ benignitatis. Dimittit enim in pace sine improperatione eos quos pavit. Jacob. I, 5 : *Dat omnibus affluenter, et non improperat.*

10 « Et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha.

11 Et exierunt Pharisæi, et cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo signum de cœlo, tentantes eum. »

Hic de miraculo facto contra inertiam (quam ex defectu boni inducit peccatum) plenam inducit instructionem.

Dividitur autem hæc pars in duas particulas : in quarum prima corripitur mala doctrina Pharisæorum, et perversorum : et in secunda, in bona doctrina discipuli informantur ibi, ℣. 13 : « *Et dimittens eos, ascendit iterum* etc. »

In priori autem harum tria dicuntur : primo enim occasionem a loco accipiunt perversi cum Domino conquirendi : in secunda, ponitur inquirentium perversa intentio doctrinam Christi pervertendi : in tertia, redargutio Domini ponitur contra istos, ne facultatem accipiant malignandi.

Dicit igitur : « *Et statim,* » dimissa turba, « *ascendii navim* » ut a littore remotus, doctrinæ vacaret discipulorum.

« *Cum discipulis suis.* » Hoc est significatum, Genes. VII, 7, ubi solus Noe cum sua familia intravit in arcam, dimissis omnibus in diluvio submersionis.

« *Et venit in partes Dalmanutha,* » Hæ partes sunt juxta Genesareth, quæ Matth. XV, 39, *fines Magedam* vocantur. Et sunt partes idem locus, quia etiam plerique codices in hoc loco habent *Magedan.* Interpretatur autem Magedan *poma*, vel *hortus :* quia (ad litteram) in locis hortorum poma et fructus ferentium applicuerunt : ibi enim propter loci amœnitatem, quia interlucentes horti fuerunt, et propter umbrositatem, quia fervor radii solaris ibi non accessit, et quia solitarius locus fuit, Christus cum suis libenter conversabatur. Talia enim loca et a tumultu sunt sequestrata, et animos hominum elevant ad sapientiæ divinæ contemplationem, propter loci solitudinem. Vocatur autem *Dalmanutha*, hoc est, *paupertas requiescens superius :* quia in talibus hortis pauperes rusticani, de pomis hortorum viventes, requieverunt : et ad illos instruendos semper declinavit Dominus.

De primo dicit, Cantic. IV, 12 : *Hortus conclusus, fons signatus.* Cantic. VIII, 13 : *Quæ habitas in hortis, amici auscultant.*

De secundo dicit, Matth. XI, 5, et Luc. VII, 22 : *Pauperes evangelizantur.* Eccli. VII, 16 : *Non oderis laboriosa opera, et rusticationem creatam ab Altissimo.*

Quod autem in talibus locis doctrina sit conveniens sapientiæ, dicitur, Eccli. XXVII, 7 : *Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic verbum ex cogitatu cordis hominis*, supple, ostendit. Hac igitur de causa ad talem locum Dominus, post turbarum tumultum, declinavit.

« Et exierunt Pharisæi, »

Scientes quia in talibus locis quiescens cum discipulis frequenter inveniretur : unde, Joan. XVIII, 1 et 2 : *Egressus est Jesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus in quem introivit ipse et discipuli ejus. Sciebat autem et Judas qui tradebat eum, locum : quia frequenter Jesus convenerat illuc.* Ita et isti loca talia observabant, ubi eum tentarent. Exisse autem dicuntur de vicinis villis, et civitatibus in quibus convenientes de malitia suæ tentationis tractabant.

Exeuntes ergo sic ad eum, « *cœperunt conquirere cum eo* » de diversis, ut caperent eum in sermone. Quia erant de talibus de quibus dicitur, II ad Timoth. III, 7 : *Semper discentes, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes.* Quia non quærunt ad hoc ut inveniant, sed potius ut tentent et accusent. Eccli. I, 40 : *Accessisti maligne ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo et fallacia.* Isa. XXXII, 7 : *Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii, cum loqueretur pauper judicium.*

« *Quærentes ab illo signum de cælo.* » Non invenientes enim causam contradictionis in sapientia, nitebantur infirmitatem invenire in potentia, ut sic coram populo derisibilem facerent, qui se Filium Dei diceret, et nullum de cœlo suæ divinitatis demonstraret signum. Signum autem de cœlo dicebant, sicut quod vel ignem de cœlo ejiceret, sicut Elias, IV Reg. I, 10. Vel solem et lunam stare faceret, sicut fecit Josue [1]. Vel solem retrocedere faceret, sicut fecit Isaias [2]. Quasi parva quædam essent quæ fecit de terra, in curatione infirmorum : et quæ fecit de abysso, in suscitatione mortuorum : et quæ fecit de mari, in sedatione tempestatum : et quæ fecit de aere, in quietatione ventorum. Non tamen hæc ideo petunt, quod illa si faceret non calumniarentur : sed potius ideo, quia si non faceret, infirmitatem suam coram populo prædicarent. Videbantur autem in petitione inniti verbis Isaiæ, VII, 11, qui regi Israel hoc offerebat petendum, dicens : *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Joel, II, 30, et Act. II, 19 : *Dabo prodigia in cœlo sursum, et signa in terra deorsum.* Et est sensus, ac si dicant : Si de cœlo venisti, proba in hoc quod signa de cœlo ostendas : quia patres nostri sæpe talia signa demonstraverunt.

Dicebant autem hoc, « *tentantes eum,* » ut de inani gloria notabilem facerent, vel infirmum, coram populo demonstrarent. Filios autem se diaboli ostenderunt, qui simile aliquid attentavit contra Dominum, Matth. IV, 16 : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Cui respondit Dominus illud Deuter. VI, 16, quod his etiam responderi potest : *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Matth. XXII, 18 : *Quid me tentatis, hypocritæ ?*

« Et ingemiscens spiritu, ait : Quid generatio ista signum quærit ? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum. » 12

Tangitur hic correptio. Et dicuntur tria : gemitus compassionis perversorum, demonstratio indignitatis signum

[1] Cf. Josue, X, 13.

[2] Cf. IV Reg. XX, 11, et Isa. XXXVII, 8.

quærentium, et negatio cum confirmatione peritorum.

Dicit igitur : « *Et ingemiscens spiritu;* » pro compassione perversorum. Cantic. II, 12 : *Vox turturis audita est in terra nostra.* Quia turtur gemit pro cantu. Psal. LXXVIII, 11 : *Introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.* Joan. XI, 38 : *Jesus fremens in semetipso venit ad monumentum.*

« *Ait,* » ostendens petentium signum indignitatem : « *Quid generatio ista signum quærit ?* » Signum enim quamvis exhibeatur infidelibus, quia per hoc ad fidem trahuntur, I ad Corinth. XIV, 22 : *Linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus,* tamen signum non fit nisi in fide et devotione Ecclesiæ : quamvis ab his aliquando fiat qui fidem non habent formatam, sed informatam : et ideo dicit Augustinus quod « signum impetratur in fide, et devotione Ecclesiæ. » Hi autem non sunt digni quibus signum exhibeatur. Matth. VII, 6 : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Quia isti per signa non attraherentur, qui venerant ad tentandum. Adhuc autem isti pœnitentiæ locum petere deberent : et se indignos reputare ad signa videnda. Oratio Manassæ, circa medium : *Non sum dignus intueri et adspicere altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatum mearum.* Luc. XVIII, 13 : *Nolebat oculos ad cœlum levare.*

« Amen dico vobis. »

Confirmatio est de negatione signi. « *Si* (alias, non) *dabitur generationi isti signum.* » Juramentum est exsecrationis, ac si dicat : Si dabitur, etc., non credetur mihi. Unde Glossa dicit : « Non dabitur generationi isti, quæ viperea est, et adulterina. » Viperea, quia lacerat veneno detractionis omne quod videt. Luc. III, 7 : *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira ?* Adulterina autem, quia etiam signa quæ videt, Deo vero animæ sponso non attribuit, sed Beelzebub. Matth. XII, 39, et Luc. XI, 29 : *Generatio mala et adultera signum quærit : et signum non dabitur ei.*

« Et dimittens eos, ascendit iterum navim, et abiit trans fretum. **13**

Et obliti sunt panes sumere : et nisi unum panem non habebant secum in navi. » **14**

Secunda pars in qua dimissis indignis, instruit dignos de miraculo facto. Habet autem tres paragraphos : in quorum primo a negotio sumit instructionis occasionem : in secundo, ponit instructionem : in tertio, male intellectæ instructionis ponit interpretationem.

In primo horum dicit tria : indignorum dimissionem, cum dignis ad locum alium navigationem, et negotium a quo instruendi accipit occasionem.

Dicit igitur : « *Et dimittens eos,* » Pharisæos sicut indignos. Osee, IV, 17 et 18 : *Dimitte eum, separatum est convivium eorum.* Non enim spiritualis epuli debent esse convivæ, qui indigni sunt, et tentantes veniunt.

« *Ascendit iterum navim,* » ad aliam ripam transiens. Et hoc est : « *Et abiit,* » ipse et discipuli, « *trans fretum* » Genesareth, ubi tentantes non fuerunt. Habacuc, III, 15 : *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.* Equi sunt Apostoli Dominum circumportantes : lutum autem tenax mundi concupiscentia, qui tales equos tenere non potuit. Isa. LI, 10 : *Posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati.*

« Et obliti sunt, etc. »

Ecce negotium unde sumitur instruendi occasio. « *Et obliti sunt,* » ut homines. Dicit autem Augustinus : « Nullius « rei oblivisci, sed omnium habere me-

« moriam, non hominis naturæ est, sed « divinæ. » Tamen hæc oblivio a divina fuit dispensatione. Psal. LIV, 23 : *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enuriet.*

« *Sumere panes.* » Sicut enim dicit, Glossa, « Qui secum habent panem vitæ Christum : cujus qui reficiuntur amore, minus curant de terreno pane. »

« *Et nisi unum panem,* » quem casu aliquis puerorum sumpserat, « *non habebant secum in navi,* » qui tamen ad tot hominum refectionem non sufficiebat. Sportas enim quas intulerant, in cibos pauperum erogaverant.

15 « Et præcipiebat eis, dicens : Videte et cavete a fermento Pharisæorum, et fermento Herodis. »

Ecce hic ponitur instructio, scilicet, cautelæ præceptio.

« *Videte,* » per intellectus discretionem, « *et cavete,* » per fidei puritatem, « *a fermento,* » hoc est, corruptione. I ad Corinth. v, 7 : *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio.*

« *Pharisæorum.* » Glossa, hoc est, legem Dei traditionibus hominum postponere : vel verbis prædicare, factis impugnare : Dominum tentare, doctrinæ ejus vel operibus non credere. Hæc enim fuit corruptio Pharisæorum, Osee, VII, 4 : *Quievit paululum civitas a commistione fermenti, donec fermentaretur totum.*

« *Et fermento,* » hoc est, corruptione, « *Herodis :* » cujus fermentum, ut dicit Glossa, est incestus, adulterium, homicidium, temeritas jurandi, et simulatio religionis. I ad Corinth. v, 6 : *Modicum fermentum totum massam corrumpit.* Fermentum enim spiritualem habet calorem in tota conspersione vapobiraliter diffusa. Et sic facit pravitas hæretica, quæ totam corrumpit doctrinam et vitam Christianam. Et ideo diligenter est excludenda. II ad Timoth. II, 16 et 17 : *Multum proficiunt ad impietatem : et sermo eorum ut cancer serpit.* Talibus enim fermentis sana doctrina corrumpitur et Apostolica.

« Et cogitabant ad alterutrum, di- 16
centes : Quia panes non habemus. »

Hic male intellectæ instructionis ponit interpretationem. Et habet duas particulas : in quarum prima ponit malum intellectum, propter quem necessaria est interpretatio : in secunda autem, interpretationem, quæ est mali intellectus correctio.

Dicit ergo : « *Et cogitabant ad alterutrum,* » occulte sibi invicem significantes, et « *dicentes,* » sub silentio : « *Quia panes non habemus.* » Putabant enim quod hoc ideo Dominus diceret, quia veniens trans mare Galilææ, ubi erat potestas Herodis, et ubi multi Pharisæi habitaverunt, nollet ab ipsis accipere refectionem : et ideo ad refectionem Domini et suorum necessario erant panes secum accipiendi : non advertentes, quia his qui cum Domino in domo sua sunt, nihil deesse poterit. Psal. XXXIII, 10 et 11 : *Timete Daminum omnes sancti ejus : quoniam non est inopia timentibus eum. Divites eguerunt et esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Et ad hunc sensum perversum intellectum eorum corrigit Dominus.

Et hoc est quod subdit :

« Quo cognito, ait illis Jesus : Quid 17
cogitatis quia panes non habetis ? Nondum cognoscitis nec intelligitis ? Adhuc cæcatum habetis cor vestrum ?

Oculos habentes non videtis ? et au- 18
res habentes non auditis, nec recordamini ?

Quando quinque panes fregi in 19
quinque millia, quot cophinos frag-

mentorum plenos sustulistis ? Dicunt ei : Duodecim.

Quando et septem panes in quatuor millia, quot sportas fragmentorum tulistis ? Et dicunt ei : Septem.

Et dicebat eis : Quomodo nondum intelligitis ? »

Dicuntur autem hic tria, scilicet, divinæ potestatis judicium, redargutio divinam potestatem ex operibus non intelligentium, et illuminationis ad intelligendum beneficium.

Dicit ergo : « *Quo cognito,* » per deitatis potentiam nullo nuntiante. Eccli. XXIII, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem :... intuentes in absconditas partes.*

« *Ait illis Jesus,* » corrigens errorem intellectus eorum : « *Quid cogitatis ?* » Objurgatio est : et est quadruplex : prima, de perverso intellectu sermonis. « *Quid* » hoc est, quare « *cogitatis,* » conferendo in cordibus vestris, « *quia panes,* » materiales, « *non habetis,* » vobiscum. Matth. VI, 31 et 32 : *Nolite solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur ? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.*

« *Nondum cognoscitis ?* » Secunda objurgatio de defectu interioris cognitionis, quæ haberi de facili poterat ex justitiæ signis. Est autem cognitio accepta ex sensibilibus experimentalis scientia, quam discipuli de facili habere potuissent : et ideo objurgationem accipiunt, quia saltem hanc non habent : unde, Luc. XXIV, 25 : *O stulti et tardi corde ad credendum !* Intellectus autem vocatur hic, quando ex cognitione experimentali intus in corde legitur, quod non nisi a divina potestate tale procedit opus : et quia etiam hunc intellectum de facili habere poterant : propterea de defectu hujus intellectus, et Apostolos Dominus objurgat, dicens : « *Nec intelligitis.* » Psal. LXXXI, 5 : *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.*

« *Adhuc cæcatum habetis cor vestrum ?* »Tertia est objurgatio de defectu illuminationis interioris, quæ et divina illuminare poterat si habita fuisset : dicitur enim cæcum cor quod divina de super immissa caret illuminatione. Isa. VI, 10 : *Excæca cor populi hujus.* II ad Corinth. III, 15 : *Velamen positum est super cor eorum.*

« Oculos habentes. »

Quarta objurgatio de defectu ordinis sensuum ad rationem, ex quo contingit quod fides ex auditu non accipitur. Et hoc est quod dicit : « *Oculos habentes,* » cum visus sit sensus disciplinalis, quando ad rationem visus ordinatur, « *non videtis,* » per rationem visa discernentes ? « *Et aures habentes,* » cum auditus etiam sit sensus disciplinalis, « *non auditis,* » auditu interiori discernente de acceptis per auditum ? Isa. VI, 10 : *Aures ejus aggrava, et oculos ejus claude.* Psal. CXIII, 5 et 6 : *Oculos habent, et non videbunt. Aures habent, et non audient.*

« Nec recordamini ? »

Hic excitat ad illuminationis beneficium, per duo miracula panum quæ fecit. « *Nec recordamini,* » corde, et memoria præterita revocante ad cordis oculos, « *quando quinque panes fregi,* » distributos « *in quinque millia* » saturanda, exceptis mulieribus et parvulis : « *quot cophinos plenos,* » qui magnæ sunt vasa capacitatis, « *fragmentorum sustulistis,* » in alios pauperes erogandos [1] ?

« *Dicunt ei,* » discipuli Domino veritatem confitentes : « *Duodecim,* » secundum numerum Apostolorum : in quo os-

[1] Cf. Supra, VI, 41.

tenditur quod omnibus sufficientiam Deus ministrabit suis.

« Quando et septem panes, »

In secundo miraculo [1], « *in quatuor millia* » fregi distribuendo, « *quot sportas,* » vasa minoris capacitatis, tamen capientia ultra sufficientiam hominis, « *fragmentorum tulistis ?* » A discipulis quærit, ut confitentes veritatem, magis sint in recordatione miraculi.

« *Dicunt ei,* » discipuli Domino : « *Septem :* » in quo notatur abundantia donorum Domini.

« Et dicebat eis, »

Occasionem sumens ex verbis eorum : « *Quomodo nondum,* » tot signis visis, tot eruditionibus auditis, tot exemplis ostensis, « *intelligitis ?* » Ac si dicat : Hoc mirum est de vobis. Matth. XVI, 11 et 12 : *Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis : Cavete a fermento Pharisæorum et Sadducæorum ? Tunc intellexerunt quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisæorum et Sadducæorum.*

Sic ergo terminata est pars, quæ est de miraculi hujus illuminatione.

22 « Et veniunt Bethsaïdam, et adducunt ei cæcum, et rogabant eum ut illum tangeret. »

Hic inducitur miraculum ordinatum contra defectum relictum ex peccato, qui est cordis obscuratio.

Dividitur autem in partes duas : in quarum prima potentiam Leonis manifestat in miraculo : sed quia ostensa potestate non satis adhuc intelligitur, ideo in secunda parte adjungit doctrinam per quam explanatur, ibi, ℣.27 : « *Et egressus est Jesus, et discipuli ejus in castella.* »

Historia autem miraculi dividitur in tres partes : in quarum prima ponitur impetrantium miraculum devotio : in secunda, miraculi perfectio : et in tertia, humilitatis contra elationem, quæ ex magnalibus surgere consuevit, ponitur instructio.

In prima harum tria dicuntur, scilicet, loci opportunitas, eorum qui cæcum adduxerunt dignitas, et intercessionis simplicitas.

Dicit ergo : « *Et veniunt Bethsaïdam,* » quæ est civitas supra mare Galilææ : unde fuerunt Andreas, et Petrus, et Philippus, et Nathanael frater suus. Et ideo ad honorem talis loci congruum fuit ibi fieri miraculum. Adhuc autem quia Bethsaïda *domus venationis* interpretatur, et ideo de venatione sua benedictus a Deo Filius, aliquem gustum summo Patri Deo ut offerret, competens fuit. Jerem. XVI, 16 : *Mittam eis multos venatores, et venabuntur eos.* Genes. XXVII, 4 : *Affer mihi de venatione tua, ut comedam : et benedicat tibi anima mea.*

« *Et adducunt ei,* » hac digni adductione, quia noti fuerunt, Apostolorum compatriotæ existentes, « *cæcum,* » qui convenienter ducitur ad illuminatorem. Joan. IX, 5 : *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Item, ibidem, IX, 39 : *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant.* Ductio autem istorum devotionem et fidem eorum designat, per quæ digni sunt impetrare quod petunt. Matth. XXI, 2 : *Solvite, et adducite mihi.*

« *Et rogabant eum,* » Ecce intercessionis simplicitas. Jacob. V, 16 : *Orate pro invicem ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua.*

« *Ut illum tangeret,* » firmiter credentes quod ad tactum suæ manus, deitas unita manui salutem operaretur. Job,

[1] Cf. Supra, VIII, 8.

v, 18 : *Percutit, et manus ejus sanabunt.* Sicut autem tangi petebant extra, ita tangi per compunctionem petebant intra, scientes quod nisi peccatum intus solvatur, infirmitas extra non curatur. Et hoc est quod dicit Interlinearis : « Tangitur, qui compungitur. » Psal. CXLIII, 5 : *Tange montes*, hoc est, superbos, *et fumigabunt.*

23 « Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum : et exspuens in oculos ejus, impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret. »

Hic tangitur miraculi perfectio. Est autem hic duplex perfectio : una significationis, quæ est difficultas purgationis reliquiarum peccati : et altera significans perfectionem potentiæ medici.

Prima est duplex : scilicet, ex parte medici, cujus potentia potest super morbum : altera ex parte morbi, cujus difficilis est cura ex parte infirmi.

Dicit igitur in primo quatuor : quorum primum est de conjunctione infirmi ad medicum, cum dicit : « *Et apprehensa manu cæci,* » hoc est, potentia operativa cæci : ut intus potentia operativa obicem operatrici gratiæ non poneret. Ideo eam manus gratiæ apprehendebat et tenebat. Psal. LXXII, 24 : *Tenuisti manum dexteram meam : et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.* Manus enim hæc est quæ formavit in creatione, sed nunc apprehendit ne a reformatione excideret, sicut exciderat a formatione. Job, x, 8 : *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu : et sic repente præcipitas me ?*

Si autem quæritur quare manum apprehendit cum oculos sanare debuerit, dicemus quod manus, ut dicit Philosophus, instrumentum, et organum est intellectus : et est organum, quod in diversas congruit operationes : quæ diversæ operationes non congruunt nisi intellectui moventi, qui est oculus interior : et ideo ut significet quod causa ab interiori incipit, organum interioris apprehendit. Unde Glossa dicit quod manum apprehendit, ut ad bonum opus confortet. Matth. VIII, 3 : *Extendens Jesus manum tetigit eum.*

« Eduxit eum extra vicum. »

Secundum, est, remotio impedimenti curationis : quia in vico in tumultu occasionis peccatorum, non potest curari. In his enim vicis et plateis, hoc est, viis strictis, et latis concupiscentiæ sponsa non invenit Deum [1]. Isa. XLIII, 8 : *Educ foras populum cæcum.* Genes. XIX, 17 : *Non stes in omni circa regione, sed in monte,* scilicet extra homines peccatores, *salvum te fac.*

« Et exspuens in oculos ejus. »

Tertium est, quod est applicatio saporis sapientiæ divinæ : quia saliva, et a capite descendit, et salis habet saporem : et significat donum sapientiæ, quod a capite Christi Dei descendit, et sapore suo gustum peccati tollit, quod velamen oculis interius obduxit : unde, Joan. IX, 11 : *Lutum fecit, et unxit oculos meos, et dixit mihi : Vade ad natatoria Siloe, et lava. Et abii, et lavi, et video.* Unde Glossa : « Exspuens ut videat per flatum Spiritus sancti voluntatem Dei. »

« Et impositis manibus suis. »

Quartum est, quod significat applicationem exempli exterioris, quod in humanitate ostendit : quia hæc etiam lux fuit ad illuminandum. Joan. VIII, 12 : *Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Unde etiam Apostolis exemplum Domini sequentibus dicitur, Matth. v, 16 : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant ope-*

[1] Cf. Cantic. III, 2.

ra vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.

His quatuor adhibitis : intus, adjutorio gratiæ, et applicatione sapientiæ : et extra, remotione impedimenti, et adhibitione exempli, « *interrogavit eum si quid videret* : » non quod ignorans interrogat, sed docens quod defectus interior (qui est ex peccato) non curatur sine nostro consensu, et voluntate : quia dicitur, Sapient. I, 4 : *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*, hoc est, quod adhuc subjectum vult esse peccatis. Interrogat ergo ut consensum in curam eliciat, non ut hoc quod nescivit addiscat.

24 « Et adspiciens, ait : Video homines velut arbores ambulantes. »

Tangit hic inceptionem curæ ex parte infirmi, quæ difficultatem significat recessus reliquiarum (alias, de reliquiis) peccati.

Unde dicit quod « *adspiciens*, » hoc est, jam adspicere incipiens, « *ait*, » significans sibi aliquid de lumine gratiæ apparere. Daniel. VII, 7 : *Adspiciebam in visione noctis*, hoc est, visu adhuc permisto tenebris.

« *Video*, » visu gratiæ, « *homines* » rationales, quos ante rationales videre non curavi, « *velut arbores*, » quia coadunatum visum non habuit : et ex humore infirmum visum habuit. Talibus enim brevia longa : et parva, magna videntur.

« *Ambulantes*, » quia etiam stantia talibus moveri videntur : sicut omnibus per experimentum patet, qui infirmum habent visum ex humore defluente in pupillam. Significant spiritualiter, quod quamdiu aliquis humorem concupiscentiæ habet ferventem ad oculum cordis, ordinatum visum intellectus habere non poterit. Et hoc ideo fuit, quia longa cæcitate obtenebratus fuit : et ideo ex parte sui lumen cito redire non potuit. Psal. XXXVII, 11 : *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.*

« Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus : et cœpit videre et restitutus est, ita ut clare videret omnia. **25**

Tangit potentiam Leonis de tribu Juda super cæcitatem ab inimico luminis procuratam, dicens : « *Iterum imposuit manus super oculos ejus.* » Hæc autem iterata manus impositio significat potentiam gratiæ redimentis, quæ per Christum facta est : illa enim omnem extersit a nobis cæcitatem. Joan. I, 4 et 5 : *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum : et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Sed potius ipsa lux tenebras omnes dissipavit : et hoc est quod dicit : « *Et cœpit videre* » clare, « *et restitutus est* » sanitati, « *ita ut clare videret*, » hoc est, distincte et discrete, « *omnia* » visibilia. Psal. XII, 4 : *Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte :* quia in dormitatione oculi obtenebrantur. Psal. CXVIII, 18 : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.*

« Et misit illum in domum suam, dicens : Vade in domum tuam, et si in vicum introieris, nemini dixeris. » **26**

Hic incipit doctrina cautelæ. Et dicuntur duo, scilicet, custodia sui, et custodia humilitatis.

Custodia sui adhuc dupliciter : custodiæ discussio importatur per hoc quod dicit : « *Et misit illum in domum suam*, » ut familiam propriæ domus discuteret : ne in ea peccati occasionem haberet. Proverb. XXXI, 27 : *Consideravit semitas*

domus suæ, et panem otiosa non comedit. Genes. XVIII, 19 : *Scio quod præcepturus sit filiis suis et domui suæ*, scilicet quod timeat me.

« *Dicens : Vade in domum tuam.* » Custodia tuiipsius. Sapient. VIII, 16 : *Intrans in domum meam, conquiescam cum sapientia : non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius.*

« *Et si in vicum introieris.* » Præceptum est cautelæ. In vicum autem intrare, est cum mundanis, et peccatoribus conversari, in medio pravæ et perversæ nationis : ad quos vir sanctus intrat, ut eos convertat. II Petr. II, 8 : *Adspectu enim et auditu justus erat : habitans apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant.*

« *Nemini dixeris,* » ad jactantiam vanitatis. Tamen dicere poterat et debuit ad prædicationem divinæ laudis. Psal. XXXVIII, 2 et 10 : *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me... Obmutui, et non aperui os meum.*

Hæc est igitur sententia de intentione historiæ hujus miruculi, contra defectum peccati inductum.

27 « Et egressus est Jesus, et discipuli ejus, in castella Cæsareæ Philippi : et in via interrogabat discipulos suos, dicens eis : Quem me dicunt esse homines ?

28 Qui responderunt illi, dicentes : Joannem Baptistam, alii Eliam, alii vero quasi unum de prophetis.

29 Tunc dicit illis : Vos vero quem me esse dicitis ? Respondens Petrus, ait ei : Tu es Christus.

30 Et comminatus est eis ne cui dicerent de illo. »

Post potestis suæ operationem, dat hic ejusdem potestatis manifestationem per doctrinam, quam consequenter hic ponit post miraculum. Duo autem sunt documenta : ostendit enim primo quod hæc potestas fundat Ecclesiam : et secundo, ostendit quod hæc potestas æterna confert gloriam, ibi, ℣. 39 : « *Et dicebat illis : Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus*, etc. »

Adhuc autem prior dividitur in partes tres : in quarum prima ostendit quod ista divina potestate fundatur Ecclesia : in secunda, ostendit quod ista divina potestas infirmitate Passionis perficitur in gratia, ibi, ℣. 31 : « *Et cœpit docere eos quoniam oportet Filium hominis*, etc. » In tertia autem fundatos in gratia monet ad sequendum in humilitatis et patientiæ via, ibi, ℣. 34 : *Et convocata turba cum discipulis suis*, etc. »

Adhuc autem in prima dicit tria, scilicet, inquisitionis famæ de potestate sua occasionem, et ipsam de fama quæstionem, et humilitatis instructionem.

In primo horum tria notantur, scilicet, honestas eorum a quibus quæritur, locus ubi quæritur, et ipsa inquisitio.

Dicit igitur : « *Et egressus est Jesus,* » auctor salutis, cujus omnis actus ingredi fuit. Ezechiel. X, 22 : *Impetus singulorum*, scilicet animalium, *ante faciem suam ingredi*, hoc est, dispositum et extensum erat unumquodque animal ad ingrediendum. Psal. LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem.*

« *Et discipuli ejus.* » Ecce honesta societas. Fama enim honoris et virtutis a bonis et notis exhiberi desideratur, ut dicit Philosophus.

« *In castella Cæsareæ Philippi,* » ubi honesto negotio dediti erant, hoc est, fidei prædicationi, et virtutis doctrinæ. II ad Corinth. II, 14 : *Deo autem gratias... qui odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.* Act. X, 38 : *Pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.* Hæc enim castella sunt munita virtute, Genes. XXXII, 2 : *Castra Dei sunt hæc.* Munita autem humilitate,

Luc. x, 38 : *Intravit Jesus in quoddam castellum.* Et sunt Cæsarea, hoc est, possidentia principatum gratiæ dignitate. Michææ, v, 2, dicitur de Bethleem : « Non es minima in principibus Juda, » hoc est, in castris Juda principibus existentia. Et est translatio Septuaginta. Nostra autem habet, *in millibus Juda*, hoc est, in castris Juda, quæ sunt tot millia.

« Et in via, etc. »

Ecce locus : quia in via, in sua laude non diu morans, sed potius in transitu ad ædificationem de ea ab honestis quærens. In via autem quærebat, ut interlinearis Glossa dicit : « Ut nec in eundo docere cessaret. » Psal. cxxx, 1 : *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* II ad Corinth. xii, 1 : *Si gloriari oportet (non expedit quidem).*

« *Interrogabat discipulos suos,* » quibus omnia sua nota erant, et qui tantæ erant bonitatis, quod adulando nihil dicebant. Psal. cxl, 5 : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Adhuc autem, quia fidei doctrina indigebant. Marc. iv, 11 : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei : illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt.* Dedit autem exemplum Prælatis : ut etiam ab inferioribus famam suam discerent, quia sic cautius aliorum subditorum suorum famam dijudicarent. Job, xxxi, 13 et 14 : *Si contempsi subire judicium cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me. Quid enim faciam cum surrexerit ad judicandum Deus ? et cum quæsierit, quid respondebo illi ?*

« *Dicens,* » ad formam exempli et doctrinam veritatis :

« Quem me dicunt esse homines ? »

Hoc est, in tali potestate miraculorum videntes, quem in persona et natura dicunt esse ? Natura enim ex potestate cognoscitur, et persona ex natura. Quia si divina est natura, tunc is qui operatur est divina persona : quia operatio personæ, et potestas operandi est naturæ. Joan. iii, 2 : *Scimus quia a Deo venisti magister : nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Sic ergo ab omnibus scientibus audita dijudicare quærit, qualem de ipso habeant homines opinionem. Matth. xvi, 13 : *Venit Jesus in partes Cæsareæ Philippi : et interrogabat discipulos suos, dicens : Quem dicunt homines esse Filium hominis ?* Filium enim hominis vident homines, sed conjicere possunt de Filio Dei per opera.

« Qui responderunt illi, dicentes : »

Non ignorabat, sed responsionem audire voluit, ut convenientem instructioni eorum acciperet occasionem : et ut fidei sincere dicerent confessionem : et in illa perficeret Ecclesiæ fundationem. Et ideo duo respondent : opinionem hominum, et suæ fidei solidum veritatis fundamentum.

Opinio autem hominum (magna quidem est, sed non sufficiens) tripartita. Unde dicunt :

« Joannem Baptistam. »

Et fuit opinio Herodis, sicut dicitur, Matth. xiv, 2 : *Joannes Baptista surrexit a mortuis : et ideo virtutes operantur in eo.* Sed objicitur contra hoc, quia, Joan. x, 41 et 42, dicitur : *Joannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem quæcumque dixit Joannes de hoc vera sunt.* Cum ergo Joannes nullum signum fecerit, quomodo probabile fuit Joannem esse Christum : quia Christus multa signa fecit ? Ad hoc dicendum quod Joannes tantæ vitæ fuit, sicut dicit Gregorius, quod propter vitæ eminentiam a multis Christus crederetur. Sed propter resurrectionem, quia resurgentes majoris potentiæ sunt quam ante resurrectionem, credebant quod Joannes per potentiam

resurrectionis signa et virtutes operaretur. Maxime quia discipuli Christi baptizabant : quod et officium Joannis fuerat.

« Alii Eliam. »

Propter duas causas, quarum una fuit, quia in illo figura baptismi in transitu Jordanis, et divisione præcesserat [1]. Alia autem causa fuit, quia Eliam adventum Christi præcedere prophetatum fuerat. Malach. IV, 5 et 6 : *Mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum : ne forte veniam, et percutiam terram anathemate.* Putabant enim isti Christi adventum in fastu et gloria mundi esse venturum : et videntes Dominum in humilitate, non putaverunt ipsum esse Christum, sed antecessorem ejus Eliam.

« Alii vero quasi unum ex prophetis. »

Hæc opinio duplex fuit : quidam enim dicebant ipsum esse illum Prophetam, qui unicus et singularis, loco legislatoris in omnibus erat audiendus. Deuter. XVIII, 15 : *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies.* Et secundum hoc sensus est : « *Quasi unum,* » hoc est, quasi unicum et singularem, qui est ex Prophetis in lege promissus.

Alii autem exponunt istud de Propheta non principali : et illi etiam in duo dividuntur : quidam enim dicebant eum esse Jeremiam, quia, Matth. XVI, 14, dicitur : *Alii vero Jeremiam.* Et hi suæ opinionis rationem accipiebant a sanctitate et benignitate Domini, quæ in Jeremia præfigurata est : et a patientia quam habuit in passionibus tribulationum. Eccli. XLIX, 9 : *Male tractaverunt illum qui a ventre matris consecratus est Propheta, evertere, et eruere, et perdere, et iterum ædificare, et renovare.* Et quia Dominum videbant evertere traditiones antiquas, et quædam nova facere, putabant ipsum esse Jeremiam : et præcipue propter patientiam passionum. Jerem. XI, 19 : *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam : et non cognovi quia cogitaverunt super me consilia, dicentes : Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius.*

Alii vero illum prophetam Eliseum esse opinati sunt : propter hoc quod magnalium operum erat Eliseus, et in ipso sicut et in Elia figura baptismi præcesserat : unde etiam discipuli, Luc. XXIV, 19, dixerunt : *Fuit enim vir Propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo.*

« Tunc dicit illis, »

Fidei volens scire confessionem : « *Vos vero,* » qui specialiter de me estis instructi, « *quem,* » in natura, « *quem,* » et in persona, « *me esse dicitis,* » fidei sincera confessione ?

« *Respondens Petrus,* » qui ab hac confessione solidæ et fundamentalis veritatis *Petrus* dictus est. Matth. XVI, 18 : *Ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

« *Ait :* » unus pro omnibus, ut dicit Beda, quia omnes unum sciebant.

« Tu es Christus. »

In Christo enim ungens Pater intelligitur, et uncta humanitas, et unctio quæ est deitas, et sancti Spiritus unguentum, quod est plenitudo charismatum. Isa. LXI, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me : ad annuntiandum mansuetis misit me.* Unde hæc

[1] Cf. IV Reg. II, 14.

confessio implicite continet in se illam quæ scribitur, Matth. XVI, 16 : *Tu es Christus, Filius Dei vivi :* quia unctio divinitatis vitam habet in semetipso. Joan. V, 26 : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.* Unctio enim deitatis non tantum sanat, sed etiam vivificat : quia ipsa est vita in semetipsa.

« Et comminatus est eis, »

Discipulis, « *ne cui dicerent de illo,* » quod ipse esset Christus. Omittit autem hic Marcus beati Petri commendationem, et in hac confessione Ecclesiæ fundationem, quia illa scivit plene a Matthæo esse descripta. Comminationem autem hanc fecit Christus tribus de causis, scilicet, causa humilitatis, causa non impediendæ Passionis, et causa non scandalizandæ suæ congregationis. Causa quidem humilitatis : quia de se non magna prædicari voluit, sed humilia. Isa. LIII, 3 : *Absconditus est vultus ejus, et despectus : unde nec reputavimus eum.* Causa non impediendæ Passionis, quia si prædicaretur, et crederetur esse Christus, non crucifigeretur. I ad Corinth. II, 8 : *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Tertia causa, ne sua congregatio discipulorum scandalizaretur : quia si modo magna de eo prædicata fuissent, et subito postea ignominiosa in eo vidissent, scandalizati fuissent. Et ideo melius fuit quod per gloriam resurrectionis probaretur esse Deus : quia tunc ulterius in eo scandalizari non poterant. Matth. XI, 6 : *Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.* Multi enim ex talibus in eo scandalizabantur, quia post virtutes, infirmas in eo videbant passiones. Luc. II, 34 : *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur.*

31 « Et cœpit docere eos quoniam oportet Filium hominis pati multa, et reprobari a senioribus, et a summis sacerdotibus, et Scribis, et occidi, et post tres dies resurgere.

32 Et palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum.

33 Qui conversus, et videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens : Vade retro me, Satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. »

Hic docet quod omnis Ecclesiæ fundatio et veritatis confessio perficitur in gratia Passionis et infirmitate. Et habet tres paragraphos : in quorum primo ostendit summam perfectionem gratiæ fundantis Ecclesiam in virtute Passionis et Resurrectionis : in secundo autem, ostenditur dispensativa Petri reprehensio, et conturbatio de humilitate Passionis : in tertio autem, instructio ponitur divinæ ordinationis.

In primo horum tria dicit, scilicet Passionis opportunitatem, Passionis multiplicitatem, et finem et modum quo proponit hanc doctrinam.

Dicit igitur : « *Et cœpit docere,* » quia ante ostendit potestatem : nunc autem incipit efficaciter docere Passionis humilitatem. Psal. LXXVI, 11 : *Dixi : Nunc cœpi : hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Dextera enim Dei est quæ hanc facit virtutem, ut post Passionem omnis infirmitatis, omnis virtus nostri Leonis perficiatur. II ad Corinth. XII, 9 : *Virtus in infirmitate perficitur.*

« *Quoniam oportet,* » hoc est, conveniens est secundum ordinationem divinam. Luc. XXIV, 26 : *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ?*

« *Filium hominis,* » quia in natura filii hominis pati potest : in natura autem filii (Filii Dei, inquam) nihil penitus pati poterit.

« *Pati,* » ut Passione consummetur.

Ad Hebræos, II, 10 : *Decebat enim eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per Passionem consummare.*

« Multa. »

Tangitur Passionis multiplicitas : quia ex multis generibus passionum composita est. Fasciculus myrrhæ dicitur, Cantic. I, 12 : *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi : inter ubera mea commorabitur.*

Tangit autem quamdam inter multa istius fasciculi compositionem, cum dicit : « *Et reprobari a senioribus, et à summis sacerdotibus.* » Reprobatio enim hæc causa sibi fuit Passionis : quia sacerdotibus eum ad reprobationem condemnantibus, etiam populus reprobare eum est inductus. Matth. XXVI, 59 : *Principes sacerdotum, et omne concilium quærebant falsum testimonium contra Jesum.* Sacerdotes enim primam auctoritatem in mortem Domini habebant. « *A senioribus,* » qui vice senatorum habebantur. I Esdræ, IX, 2 : *Manus principum et magistratuum fuit in transgressione hac prima.*

« *Et Scribis,* » qui vice sapientium et litteratorum habebantur. Jerem. V, 4 et 5 : *Dixi : Forsitan pauperes sunt et stulti, ignorantes viam Domini, judicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, et loquar eis : Ipsi enim cognoverunt viam Domini, judicium Dei sui : et ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula.*

« *Et occidi.* » Daniel. IX, 26 : *Occidetur Christus : et non erit ejus populus qui eum negaturus est.*

« *Et post dies tres resurgere.* » Læta ponit post tristia. I Petr. I, 11 : *Pronuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias.* Osee, VI, 3 : *Vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos.*

« Et palam verbum loquebatur. »

Tangit modum doctrinæ : quia coram discipulis adhuc imperfectis palam verbum hoc de sua Passione loquebatur : et ideo Petrus fuit contristatus. Matth. X, 26 : *Nihil est opertum quod non revelabitur, et occultum quod non scietur.* Isa. XLV, 19 : *Non in abscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso.* Hæc est consuetudo Christi et omnium discipulorum ejus, quod humilia de se prædicant omnibus, et sublimia tacent, et occultari præcipiunt. Ad Roman. XII, 16 : *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Ad Philip. II, 5 : *Hoc sentite in vobis quod et in Christo Jesu.* Et sequitur, ℣. 7 : *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Humilia enim de se non sentientes, prædicare alta non possunt.

« Et apprehendens eum Petrus, »

Seorsum abstractum a discipulis : volebat enim jam servare documentum Evangelicum, Matth. XVIII, 15 : *Corripe eum inter te et ipsum solum.*

« *Cœpit increpare,* » dicens hoc quod dicitur, Matth. XVI, 22 : *Absit a te, Domine : non erit tibi hoc.* Zelum enim Dei habens, sed non secundum scientiam : arbitrabatur enim nimis esse turpe Dominum majestatis sputis liniri, probris exponi, flagellis cædi, morte mulctari, et cruce turpari.

« Qui, »

Scilicet Dominus, « *conversus ad discipulos,* » a quibus eum Petrus abstraxerat, tamquam esset indignum sibi coram suis discipulis, talia de se futura prædicare, eo quod discipuli magnum aliquid secundum fastum mundi de Domino existimabant, et contendebant quis eorum esset primus in regno. Etiam quia statim putabant Dominum fore inthronizandum. Dominus autem e contra volens humilia discipulos de se sen-

tire, « *et videns discipulos suos,* » quos ad humilitatem suæ crucis instruere intendit, « *comminatus est Petro,* » ne alta saperet : quia et primus angelus, et primus homo, per superbiam ceciderant : ne et ipse alta sapiens similiter caderet. Unde, Luc. x, 17 et 18, cum Apostoli gloriantes de magnis, ad ipsum redirent dicentes, quia *etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo :* ad humilitatem reducens eos, dixit : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Ac si diceret illud Apostoli ad Roman. xi, 20 et 21 : *Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis,* per naturam in alto plantatis, *non pepercit,* sed per superbiam condemnat, *ne forte nec tibi parcat.* Jacob. iv, 6 : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

« *Dicens,* » ad instructionem Petri :

« Vade, »

Profectu humilitatis, « *retro me,* » ut humilem humilis, et humiliter sequaris, « *Satana* : » qui saluti et viæ salutis, quæ per humilitatem Passionis est, adversaris : Satan enim *adversarius* interpretatur. Zachar. iii, 1, Stabat Satan a dextris Jesu Sacerdotis magni, ut adversaretur ei [1]. Matth. xvi, 23 : *Vade post me, Satana, scandalum es mihi.*

« *Quoniam,* » in isto facto humilitatem Passionis recusans, « *non sapis* » ea « *quæ Dei sunt,* » quoad consilium divinum, qui per humilitatem crucis relevare vult casum superbiæ primi hominis : hæc enim Dei sunt consilia et judicia. « *Sed* » sapis ea « *quæ sunt hominum,* » qui præsentia quæ vident appetunt, et in his elevari et superbiam quærunt. Græca tamen translatio habet, ut dicit Glossa : « Propitius esto tibi, Domine : non erit tibi istud, » id est, non potest fieri, nec recipiunt aures meæ ut Dei Filius sit occidendus. Isa. xxi, 3 et 4 : *Propterea repleti sunt lumbi mei dololore : angustia possedit me sicut angustia parturientis : corrui cum audirem, conturbatus sum cum viderem. Emarcuit cor meum : tenebræ stupefecerunt me.* In tali enim affectu doloris dixit hoc Petrus, nesciens quid diceret : sed Christus instruxit eum in affectu charitatis, et humillimæ redemptionis.

« Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis : Si quis vult me sequi, deneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. » 34

« *Et convocata turba cum discipulis suis.* » Fundati jam in gratia, monet eos ad sequendum se in humilitatis et patientiæ via.

Dividitur autem hæc pars in partes duas : in quarum prima suadet ad sequendum humilitatis et patientiæ viam : in secunda autem, quod hæc via tenenda sit, adhibet rationem, ibi, ℣. 35 : « *Qui enim voluerit animam suam,* etc. »

In prima harum partium quinque dicuntur. Quia enim hæc via ad salutem est necessaria, ideo communiter omnibus proponitur. Quia autem est omni laude digna, et magno præmio remuneranda, ideo non compellitur, sed libertati nostræ electionis relinquitur. Tertio, tria quæ ad ipsam requiruntur per ordinem determinantur, quæ cum istis quinque efficiuntur.

Dicit igitur : « *Et convocata turba,* » a turbantibus in unum cor et animam unam, « *cum discipulis suis,* » quia non discipuli debent esse cum turbis, sed potius turbæ cum discipulis. Jerem. xv, 19 : *Convertentur ipsi ad te, et tu non converteris ad eos.*

« *Dixit eis,* » id quod saluti communi necessarium est. Proverb. i, 20 : *Sapien-*

[1] Zachar. iii, 1 : *Et ostendit mihi Dominus Jesum, sacerdotem magnum, stantem coram angelo Domini : et Satan stabat a dextris ejus ut adversaretur ei.*

tia foris prædicat : in plateis dat vocem suam.

« Si quis vult me sequi, etc. »

In adoptione et electione nostra ponitur. Quia, ut dicit Joannes Damascenus, non suadet malitiam, et non compellit ad virtutem, ut laudabile sit opus virtutis. Per hoc autem quod dicit : « *Si quis,* » notat charitatem. Matth. xx, 16 : *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Quamvis rari sint, tamen præ omnibus sunt Deo chari. Judicum, v, 9 : *Cor meum diligit principes Israel. Qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino.*

Ideo ergo dicit : « *Si quis vult me,* » imitando meæ humilitatis et patientiæ viam. Job, xxiii, 11 : *Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea.*

« *Sequi,* » quia qui sequitur, consequitur. Ad Philip. iii, 12 : *Sequor autem si quomodo comprehendam, in quo et comprehensus sum.* Cantic. viii, 2 : *Dilecte mi, apprehendam te.* Nihil enim sequi prodest, nisi consequi possit. Daniel. iii, 41 et 42 : *Nunc sequimur te in toto corde, et timemus te, et quærimus faciem tuam. Ne confundas nos.* Quia qui sequitur et non consequitur, est confusus : sicut confundentur qui viam erroris sequuntur.

« Deneget semetipsum, »

Intus quoad veterem hominem : vetus enim homo est, qui vetustatem sequi persuadet : et hoc est animalitas, quæ non capit quæ Dei sunt. I ad Corinth. ii, 14 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* Hanc ergo animalitatem oportet abnegare. Genes. xxi, 10 : *Ejice ancillam, et filium ejus* [1]. Ancilla enim est per quam, ut dicitur Proverb. xxx, 21 et 23, tota naturæ humanæ movetur terra, quando fuerit cohæres dominæ suæ, hoc est, spiritualis rationis. Hanc ergo primum oportet denegare, ne suasionibus ejus et motibus illicitis in illam consentiatur : et hoc est primum in recedendo a malo.

« Et tollat crucem suam. »

Matth. xvi, 24 : *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Tollere autem crucem, est exaltare cruciatum crucis nostræ pœnitentiæ in satisfactionem peccati commissi. Ad Galat. v, 24 : *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentis.* Nihil enim delet peccatum, nisi crux : quia et in Christo crux suscepta, nostra peccata delevit : et a nobis exaltata, pro peccato satisfacit. Thren. iv, 20 : *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* I Petr. ii, 23 : *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum : ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, cujus livore sanati sumus.* Hujus (alias, hæc) igitur crucis stigmata portantes in pœna pœnitentiæ, in fide crucis nostram crucem tollamus, et elevemus a terrenis : dicentes cum Paulo, ad Galat. vi, 17 : *De cætero nemo mihi molestus sit : ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.* Sicut igitur abnegatio sui valet ad vitationem peccati quod poterat committi, ita tollere crucem suam unicuique debitam, valet ad satisfactionem commissi.

« Et sequatur me. »

In hoc est perfectio, quod hoc perficit ad virtutis operationem : ut cum jam peccatum cavetur ne fiat, et deletur quod factum erat, studeatur ad hoc quod opus virtutis perficiatur ad meritum : unde, Eccli. xxiii, 38 : *Gloria magna est sequi Dominum.* Gloriosum enim est imitari

[1] Ad Galat. iv, 30.

Dominum virtutis. Eccle. II, 12 : *Quid est homo, ut sequi possit regem, factorem suum ?*

35 « Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me et Evangelium, salvam faciet eam. »

Hic tangit eorum quæ dixit rationes. Et sunt tres per ordinem : prima quarum sumpta penes ordinem virium animæ ad meritum salutis : et hanc tangit cum dicit : « *Qui enim voluerit animam suam salvam facere.* » Anima autem hic dicitur ab animando (spiritus enim qui est substantia animæ nostræ) secundum quod corpus animat, desiderat ea quæ sunt corporis, in quibus perditur totum bonum ejus : quia totum bonum spiritus nostræ animæ, est in avertendo se a carne, et abstrahendo se a desideriis concupiscentiæ : sic enim vincit passiones, et virtute perficitur, et contemplationi conjungitur superiorum, et depuratur et emundatur ut sit honestatis subjectum, et divinæ sapientiæ speculum : unde et Plato dicebat concupiscentiam in inferno sepultam esse, quo pergit homo cum ad infima conjungitur.

Et hoc est : « *Qui enim voluerit,* » quia hoc in nostra ponitur electione, « *animam suam,* » spiritum qui carnem vincit, « *salvam facere,* » quia omne quod salvatur, in bonis sibi connaturalibus salvatur, per quæ a contrariis corrumpentibus liberatur : bona autem connaturalia animæ sunt bonum virtutis, et sapientia veritatis : et per hoc liberatur a passionibus corporis, et a vanitate seductionis. Hic ergo sic salvans animam, « *perdet eam.* » Perdit autem, quando avertit ab eo quod animat et desiderat. Eccli. XVIII, 30 et 31 : *Fili, post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Hæc concupiscentia est Dalila, quæ Samsonem perdidit[1]. Quia dum dormiens in sinu concupiscentiæ Samson, rasum caput habuit (hoc est, a robore virtutis, et meta mentis, et ratione prudentiæ, et certitudine scientiæ, et veritate intellectus, et ab industria artis, et lumine sapientiæ) quasi septem pilis, quos habuit : statim in gaudium inimicis factus fuit : et sic totus fuit perditus. Consilium ergo est quod perdatur Dalila, ut Samson *sol fortis* salvetur. Hoc est igitur quod anima in animando corpus, concupiscentiis vivens, perdatur : quia sic in bonis spiritui animæ connaturalibus salvatur.

« *Qui autem* » sic « *perdiderit animam suam,* » hoc est, animalem sensum, « *propter me,* » hoc est, ut me lucretur, « *et Evangelium,* » hoc est, evangelicam veritatem quæ a carne avertit, « *salvam faciet eam,* » quia in Christo, et in Evangelio sunt bona animam ab omnibus contrariis salvantia : unde, Osee, XIII, 9 : *Perditio tua, Israel : tantummodo in me auxilium tuum.* Joan. X, 9 : *Per me si quis introierit, salvabitur : et ingredietur; et egredietur, et pascua inveniet.* Joan. XVII, 12 : *Quos dedisti mihi, custodivi : et nemo ex eis periit.*

36 « Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, et detrimentum animæ suæ faciat ?

37 Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua ? »

Secunda ratio est, sumpta a nocumento quod affert animæ perditio, in comparatione ad lucrum quod affert concupiscentia. Et hoc est quod dicit : « *Quid enim proderit,* » quia in momentaneis

[1] Cf. Judicum, XVI, 19.

delectationibus secundum veritatis rationem nullus est profectus, « *homini,* » secundum quod homo : quia homo, sicut dicit Philosophus, est intellectus, et bonum quod prodest homini, in quantum homo, est bonum intellectuale : et hoc, ut dicit Philosophus, est bonum divinum.

« *Si lucretur,* » ad sensibilem et momentaneam delectationem, « *totum mundum* » præsentem : de quo dicitur, I Joan. II, 16 : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Et est ac si diceret : Si totum mundum habeat in delicias carnis, aut adspectum vanitatis, sicut delectatur avarus in contemplandis divitiis : aut habeat mundum in fastum sui dominatus subjectum, sicut habent eum in prælaturis et dominatibus gloriantes. Et per hæc præsentia, lucrata ad ambitionem vel cupiditatem, « *detrimentum animæ suæ,* » in bonis spiritui animæ connaturalibus « *faciat.* » Quasi dicat : Nihil prodest, et minus quam nihil : quia lucrum concupiscibilium in mundo, magis in bonis animæ relinquit nocumentum : quod pejus est et damnosius, quam si nihil lucratus esset : unde, Proverb. VI, 26, loquens de concupiscentia sub metaphora mulieris, dicit : *Pretium scorti vix est unius panis,* hoc est, momentaneæ delectationis : *mulier autem,* hoc est, intellectus et emollita concupiscentia, *pretiosam animam capit* : quia virilitatem enervat, et tollit totum robur mentis. Melius ergo est perdere sensum animalem, et in tristibus et difficilibus exercere, ut salvetur anima in bonis sibi connaturalibus. II ad Corinth. IV, 16 : *Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem.*

« Aut quid homo »

Rationalis qui facit æstimationem bonorum, scilicet quanti ponderis sit unumquodque diligibilium, « *commutationis,* » in aliena a natura animæ bona, « *dabit,* », vel accipiet, « *pro anima sua,* » ut illa in bonis sibi connaturalibus perdatur : et ideo dicit Apostolus, II ad Corinth. IV, 17 et 18 : *Id enim quod inpræsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ,* supple, in quo perditur animalis sensus secundum pœnitentium delectationes, *supra modum in sublimitatem æternum gloriæ pondus operatur in nobis : non contemplantibus,* hoc est, non æstimantibus, *nobis ea quæ videntur sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna sunt.*

Et hoc est quod dicit :

« Qui enim me confusus [1] fuerit et verba mea in generatione ista adultera et peccatrice, et Filius hominis confundetur [2] eum, cum venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis. » 38

Tertia ratio est, quæ sumitur ex comparatione præmii perdentis animam, et salvantis eam.

Dicit igitur : « *Qui,* » hoc est, quicumque sine personarum distinctione. Act. X, 34 : *In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus.*

« *Me confusus fuerit.* » *Confundor, eris,* accepit hic Marcus pro verbo deponentis generis, pro verbo, *erubuerit* : et ideo sensus est : « *Qui me confusus fuerit,* » hoc est, qui me erubuerit sequi, « *et verba mea,* » erubuerit implere, « *in generatione ista,* » quæ salvat animalem sensum sequendo carnis delectabilia : et ideo dicit, « *adultera,* » quia super verum animæ sponsum admisit diabolum adulterum in delectabilibus

[1] Edit. Lugdunensis, *confessus.*

[2] Ibid. *confitebitur.*

carnis. Isa. LVII, 8 : *Juxta me discooperuisti, et suscepisti adulterum.*

« *Et peccatrice,* » quia per hoc quod in libidine suscepit adulterum, statim diffunditur in peccata diversa, et accepit peccati consuetudinem. Matth. XII, 39 : *Generatio mala et adultera signum quærit.* Deuter. XXXII, 5 et 6 : *Generatio prava atque perversa. Hæccine reddis Domino, populе stulte et insipiens ?* Hæc enim generatio gloriam reputat sequi concupiscentias, et salvare sensum animalem in concupiscentiis suis : et hi sunt, de quibus dicitur, Proverb. II, 14 : *Lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis,* et homo perversus inter tales confunditur non esse similis : et sic confunditur Filium Dei, et salvare animam in bonis et veris animæ connaturalibus.

« Et Filius hominis, »

Hoc est, Jesus Christus, *confundetur eum,* » hoc est, erubescet eum, « *cum venerit in gloria Patris sui* : » cum omni gloria regni sui, hoc est, in gloria Patris sui, in qua omnes gloriantur, qui non confunduntur animas suas in bonis et justis et veris connaturalibus animæ : et nullus secutus est sensum animalem in carnis delectabilibus. Psal. CXLIX, 8 : *Ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis.* Omnes enim isti pedes affectuum habent compeditos, ut carnis delectabilia sequantur : et manus operationum manicis ferreis omnia domantibus habent ligatas, ne ad opus peccati possit extendi judicium conscriptum in lege et Scriptura Domini : *Gloria hæc est omnibus sanctis ejus* [1]. Et ibi confusio ejus erit magna his, qui secuti sunt concupiscentias suas : isti sunt de quibus dicit, Apocal. XII, 11, quod *non dilexerunt animas suas usque ad mortem,* hoc est, animalem sensum in concupiscentia, quæ mortem æternam inducit.

« *Cum Angelis sanctis,* » qui in puritate spiritus concupiscentias animo conculcarunt. Matth. XXII, 30 : *In resurrectione, neque nubent neque nubentur : sed erunt sicut Angeli Dei in cœlos* [2]. Ideo quod hic dictum est continetur, Joan. XII, 25 : *Qui amat animam suam, perdet eam : et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Et hoc est quod dicit in hoc loco [3].

[1] Psal. CXLIX, 9.

[2] Cf. Luc. XX, 35 et 36.

[3] Ultimus ℣. 39 hujus capitis VIII explicatur in principio capitis sequentis, cum videatur ex commentariis B. Alberti ad aliam partem pertinere.

CAPUT IX.

Transfigurato Jesu junguntur Moyses et Elias : dicit Eliam dum venerit, omnia restituturum : imo jam venisse, nec fuisse susceptum : surdum ac mutum spiritum ejicit, qui sola oratione et jejunio ejicitur : suam passionem prædicit : disputantes discipulos docet quis eorum sit major : de ejiciente dæmonium qui non sequebatur Jesum : de amputando manus, pedis, vel oculi scandalo.

1. Et post dies sex assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem, et ducit illos in montem excelsum seorsum solos, et transfiguratus est coram ipsis [1].
2. Et vestimenta ejus facta sunt splendentia, et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.
3. Et apparuit illis Elias cum Moyse, et erant loquentes cum Jesu.
4. Et respondens Petrus, ait Jesu : Rabbi, bonum est nos hic esse : et faciamus tria tabernacula, tibi unum, et Moysi unum, et Eliæ unum.
5. Non enim sciebat quid diceret : erant enim timore exterriti.
6. Et facta est nubes obumbrans eos, et venit vox de nube, dicens : Hic est Filius meus carissimus : audite illum.
7. Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi Jesum tantum secum.
8. Et descendentibus illis de monte [2], præcepit illis ne cuiquam quæ vidissent narrarent, nisi cum Filius hominis a motuis resurrexerit.
9. Et verbum continuerunt apud se, conquirentes quid esset : Cum a mortuis resurrexerit.
10. Et interrogabant eum, dicentes : Quid ergo dicunt Pharisæi et Scribæ quia Eliam oportet venire primum [3]?
11. Qui respondens, ait illis : Elias cum venerit primo, restituet omnia : et quomodo scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur et contemnatur [4].
12. Sed dico vobis quia et Elias venit (et fecerunt illi quæcumque voluerunt), sicut scriptum est de eo [5].
13. Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, et Scribas conquirentes cum illis.
14. Et confestim omnis populus videns Jesum stupefactus est, et expaverunt, et accurrentes salutabant eum.
15. Et interrogavit eos : Quid inter vos conquiritis?
16. Et respondens unus de turba [6],

[1] Matth. XVII, 1 ; Luc. IX, 28.
[2] Matth. XVII, 9.
[3] Malach. IV, 5.
[4] Isa. LIII, 3 et 4.
[5] Matth. XVII, 12.
[6] Luc. IX, 38.

dixit : Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum :

17. Qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, et spumat, et stridet dentibus, et arescit : et dixi discipulis tuis ut ejicerent illum, et non potuerunt.

18. Qui respondens eis, dixit : O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? Afferte illum ad me.

19. Et attulerunt eum. Et cum vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum : et elisus in terram, volutabatur spumans.

20. Et interrogavit patrem ejus : Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? At ille ait : Ab infantia :

21. Et frequenter eum in ignem et in aquas misit, ut eum perderet. Sed si quid potes, adjuva nos, misertus nostri.

22. Jesus autem ait illi : Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.

23. Et continuo exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat : Credo, Domine : adjuva incredulitatem meam.

24. Et cum videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi : Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, et amplius ne introeas in eum.

25. Et exclamans et multum discerpens eum, exiit ab eo : et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent : Quia mortuus est.

26. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, et surrexit.

27. Et cum introisset in domum, discipuli ejus secreto interrogabant eum : Quare nos non potuimus ejicere eum?

28. Et dixit illis : Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio.

29. Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam, nec volebat quemquam scire.

30. Docebat autem discipulos suos [1], et dicebat illis : Quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, et occident eum, et occisus tertia die resurget.

31. At illi ignorabant verbum, et timebant interrogare eum.

32. Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi essent, interrogabat eos : Quid in via tractabatis?

33. At illi tacebant : siquidem in via inter se disputaverant quis eorum major esset [2].

34. Et residens vocavit duodecim, et ait illis : Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus et omnium minister.

35. Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum : quem cum complexus esset, ait illis :

36. Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit : et quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me.

37. Respondit illi Joannes [3], dicens : Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, et prohibuimus eum.

38. Jesus autem ait : Nolite prohibere eum [4]. Nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me :

39. Qui enim non est adversum vos, pro vobis est.

40. Quisquis enim potum dederit vo-

[1] Matth. XVII, 21 ; Luc. IX, 22 et 44.
[2] Matth. XVIII, 1 ; Luc. IX, 46.
[3] Luc. IX, 49.
[4] I ad Corinth. XII, 3.

bis calicem aquæ in nomine meo [1], quia Christi estis : amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

41. Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me [2], bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur.

42. Et si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam [3] : bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inexstinguibilem,

43. Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur.

44. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum : bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inexstinguibilis,

45. Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur [4].

46. Quod si oculus tuus scandalizat te, ejice eum : bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis,

47. Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur.

48. Omnis enim igne salietur [5], et omnis victima sale salietur.

49. Bonum est sal [6] : quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos.

IN CAPUT IX MARCI

ENARRATIO.

« Et dicebat illis : Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute [7]. »

Tangit hic Ecclesiæ fundationem in gloria.

Dividitur autem in partes duas : in quarum prima, præmittit istius gloriæ revelationem : in secunda autem, facit revelationis exhibitionem, ibi, IX, 1 : « *Et post dies sex*, etc. »

In primo horum dicit quatuor : in quorum primo dicit quibus hæc revelatio promittitur : secundo, quando : tertio, quid : quarto, quale est quod videbunt.

Dicit igitur : « *Et dicebat illis*, » fundationem in gratia ordinans ad fundamentum spei in gloria : « *Amen dico vobis.* » Quia de invisibilibus est quod promittit, ideo præmittit confirmationem. Apocal. III, 14 : *Hæc dicit : Amen, testis fidelis, et verus.*

« *Quia sunt quidam*, » exceptæ dignitatis inter alios : Petrus, Joannes, et Jacobus major, « *qui non gustabunt mortem*, » per experimentum resolutionis animæ a corpore. Hæc autem ideo dicit, quia dictum fuerat, Exod. XXXIII, 20 : *Non videbit me homo, et vivet.* Et ideo Christus ostensionem gloriæ vitæ æternæ promittit ante mortem, ut magis discipuli in fide firmentur. Dicuntur autem isti, « *de hic stantibus*, » quia recti isti stant in gratia. Ad Roman. XIV, 4 : *Sta-*

[1] Matth. X, 42.
[2] Matth. XVIII, 6 ; Luc. XVII, 2.
[3] Matth. V, 30 et XVIII, 8.
[4] Isa. LXVI, 24.
[5] Levit. II, 13.
[6] Matth. V, 13 ; Luc. XIV, 34.
[7] Hæc verba pertinent ad cap. præcedens in Vulgata, ℣. 39.

bit autem : potens est enim : Deus statuere illum.

« *Donec videant,* » oculis corporalibus, « *regnum Dei,* » hoc est, figuram decoris regni Dei, in signo et claritate transfigurationis. Exod. XXXIII, 19 et 17 : *Ego ostendam omne bonum tibi... Invenisti enim gratiam coram me.* Quibus ergo ostenditur, in communi non determinatis nominibus, declaratur. Quando autem, quia ante mortem. Quid, quia regnum Dei in decore transfigurationis. Sapient. X, 10 : *Ostendit illi regnum Dei, et dedit illi scientiam sanctorum : honestavit illum in laboribus, et complevit labores illius.*

« *Vivens in virtute,* » hoc est vitam ostendens non in infirmitate, sed in immortalitatis virtute et potestate. Alia littera habet : « *Veniens in virtute,* » quia secundus adventus Christi non erit in infirmitate, sed in potestate et virtute : et hanc gloriam præmonstravit in transfiguratione. Matth. XXVI, 64 : *Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli.* De hac visione dicitur, Isa. XXXV, 2 : *Ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri.* II Petr. I, 16 et 17 : *Non doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam : sed speculatores facti illius magnitudinis... Voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria,* etc. Joan. I, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.*

« Et post dies sex assumit Jesus Petrum et Jacobum, et Joannem, et ducit illos in montem excelsum seorsum solos, et transfiguratus est coram ipsis. »

Tangit hic revelationem gloriæ. Tangit autem tria, scilicet quando, et quibus revelavit : secundo, qualem gloriam revelavit : tertio, qualiter disparuit, et ad quid revelata fuit.

Dicit igitur « *Et post dies sex,* etc., » scilicet a doctrina inducta : quia sex diebus ab initio perfecit Deus mundum, et per quietem salutiferam in gloria quietem ostendit. Possunt tamen per sex diex, sex gratiæ illustrationes significari, quibus Sol justitiæ Christus Deus noster super nos illuxit : et post quos gloriam suam, quam nobis daturus est, demonstravit : scilicet primo, naturæ sanctificatio, in humanæ naturæ susceptione : secundo, maledictæ generationis reparatio, in mundissima et sanctissima sui de illibata Virgine generatione : tertio, concupiscentiæ damnatio, in circumcisione : quarto, originalis peccati detersio, in baptismi sanctificatione : quinto, damnatoris nostri diaboli devictio, in tentatione : sexto, omnium animarum illuminatio, in prædicatione, et doctrinæ per exempla et signa confirmatione. Per hos enim sex dies in nobis lux gratiæ diffusa et confirmata est : et post hos ad gloriæ demonstrationem sublimamur. In primo die, sicut dicitur, Ezechiel. XLIII, 2, ingressa est gloria lucis Domini in templum naturæ humanæ, et resplenduit terra a majestate ejus. In secundo, Sol justitiæ nubem primæ maledictionis dissolvit. II Machab. I, 22 : *Tempus affuit quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo.* In tertio, tenebras fugavit Ægypti, quæ tenebant oculos omnium natorum. Joan. I, 5 : *Lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt :* quin potius, ut dicit Chrysostomus, « Lux tenebras nos tenentes dissipavit. » In quarto, ad illuminationem naturæ damnatæ illuxit, et ipsam ad lucem reduxit : et fit quod dicitur, ad Roman. XIII, 12 : *Abjiciamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis.* In quinto, adducit lucis serenitatem, jam quasi in meridie exaltatus Sol, ad depulsionem auctoris tenebrarum : et fit quod dicitur, Eccli. XLIII, 3 et 4 : *In meridiano sol exurit terram,... et refulgens radiis suis obcæcat oculos,* scilicet, ne

videant terrena quibus incitentur in tentationem. In sexto et ultimo, fit Sol in multitudine stellarum, quas illuminavit ad lucem gratiæ stans in decore suo, sicut dicitur, Eccli. XLIII, 10 : *Species cœli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus.*

Post tales igitur sex suæ gratiæ illustrationes, « *assumit,* » hoc est, ad se sumit : quia infirmitas humana ad hoc non sufficeret, nisi virtute Christi elevata assumeretur in tantæ lucis accessum. Psal. LXXXVIII, 19 : *Domini est assumptio nostra : et sancti Israel regis nostri.* Unde etiam Paulus, II ad Corinth. XII, 2 , dicit *raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum.* Exod. XXXIII, 21, cum Moyses visurus esset Dei gloriam, prius assumptus est dicente Domino : *Est locus apud me, et stabis supra petram,* hoc est, in solido veritatis revelandæ.

Assumpsit « *autem Jesus,* » auctor salutis, quæ salus tota in luce consistit. De quo dicitur, I ad Timoth. VI, 16 : *Qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem.*

« Petrum, »

Ut Apostolicum verticem, et suum in terra vicarium, illuminationes divinas omnibus conferre debentem, et inferni tenebras dissipantem suorum vinculorum potestate. Matth. XVI, 18 et 19 : *Ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claveo regni cœlorum.*

Adhuc autem assumpsit « *Petrum,* » qui tenebras et nubes carnis, et humanarum opinionum transcenderat, et visum jam fixerat in globis æternæ lucis. Matth. XVI, 17 : *Beatus es, Simon Bar Jona : quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.*

« Et Jacobum, »

Qui primus inter Apostolos constanter moriendo fidem probavit. Act. XII, 2 : *Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.*

« Et Joannem, »

Qui secreta cœlestia verbi æterni omnibus describeret, et sic veritatis lucem demonstraret. Joan. XXI, 24 : *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc : et scimus quia verum est testimonium ejus.*

« Et ducit illos, etc. »

Quia nisi ipse ductor esset, deviarent. Deuter. XXXII, 12 : *Dominus solus dux ejus fuit : et non erat cum eo deus alienus.*

« *In montem.* » Locus est in quo est transfiguratus, qui erat mons Thabor, qui *veniens lumen* interpretatur : mons iste visionis est. Genes. XXII, 14 : *In monte Dominus videbit.* Psal. LXVII, 17 : *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Mons enim iste spiritus eminentiam designat. Jerem. XXXI, 23 : *Benedicat tibi Dominus pulchritudo justitiæ, mons sanctus.*

« *Excelsum,* » quia designat celsitudinem intellectualis visionis. Ezechiel. XL, 2 : *Adduxit me in terram Israel, et dimisit me super montem excelsum nimis.* Apocal. XXI, 10 : *Sustulit me in spiritu in montem magnum et altum.*

« *Seorsum,* » a strepitu frequentantium. Marc. VI, 31 : *Venite seorsum in desertum locum.*

« *Solos* : » ut nullus alienus tantæ visionis turbaret secretum. Thren. III, 28 : *Sedebit solitarius, et tacebit : quia levavit super se.*

« Et transfiguratus est. »

Quamvis transfiguratio mutationem

sonet figuræ corporeæ, non tamen hic sumitur in tali significatione : sed quod Filius Dei sit in figura hominis ut homo verus. Ad Philip. II, 7 : *Formam*, hoc est, figuram *servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo*. Figura, ut dicit Philosophus, inter omnia quæ corpori accidunt propriam speciem et naturam designat : et ideo cum mutatione speciei in animalibus, continuo mutatur et figura : et quorum est una figura communis, eorum est species una : et animalia convenientiam habentia in figuris, convenientiam habent in aliquo. Hanc autem figuram humanam in infirmitate nostra Filius Dei inter homines ostendit. Quia autem Filius Dei in natura fuit et est divina, ideo etiam figura divinæ substantiæ esse describitur. Ad Hebr. I, 3 : *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus*. Quia igitur in monte coram discipulis, non humanitatis, sed gloriæ divinæ claritatem ostendit, quam ostendere non erat consuetus, ideo transfiguratus esse dicitur, hoc est, claritatem qua figura substantiæ divinæ et splendor æternæ gloriæ est, demonstrasse. Sapient. VII, 26 : *Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.*

2 « Et vestimenta ejus facta sunt splendentia, et candita nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.

3 Et apparuit illis Elias cum Moyse, et erant loquentes cum Jesu. »

Tangit hic qualiter transfiguratus est. Tangit autem hic quinque istius gloriæ testimonia, scilicet fulgorem vestimenti, idoneitatem testium Legis et Prophetiæ, idoneitatem testium gratiæ, testimonium cœlestis luminis, et testimonium paternæ vocis. Omittit autem Marcus splendorem corporis quem Matthæum posuisse cognoverat, Matth. XVII, 2 : *Resplenduit facies ejus sicut sol*. In hac enim claritate futuræ resurrectionis claritatem ostendit, in qua in dispari claritate erit par gaudium. I ad Corinth. XV, 41 et 42 : *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate : sic et resurrectio mortuorum*. Matth. XIII, 43 : *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.*

« *Et vestimenta ejus facta sunt*, etc. » Non est credendum quod vestimenta Domini in monte ex laneis in cœlestia mutata sint : sed potius quia tanta fuit sui corporis claritas, quod radii et lumen diffusum ab ipso, cum per modum vestimenti cinxerunt : et hanc claritatem vestitus ejus laneus vel sericeus quem habuit, abscondere non potuit, sed per vestimentum undique diffusa claritas emicuit : et hoc vocatur *vestimentum*, Job. XL, 5 : *Circumda tibi decorem :... et speciosis induere vestibus*. Psal. CIII, 2 : *Amictus lumine sicut vestimento*. Psal. XCII, 1 : *Dominus regnavit, decorem indutus est : indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se.*

Sic ergo etiam exteriora vestimenta ab interiori habitu luminis, « *facta sunt splendentia* » Psal. CIX, 3 : *In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te.*

« *Et candida*, » lumine undique impleta : ipsa dicitur enim candor, albedo, quæ ad modum argenti candet undique diffuso lumine in clara superficie. Luc. IX, 29. *Vestitus ejus albus et refulgens*. Matth. XVII, 2 : *Vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix.*

« *Qualia fullo super terram*, » arte quacumque, « *non potest candida facere* : » et hujus causa est, quia interius lumen fullo non potest infundere, quod clarescat per colorem habitus exterioris : tales enim colores, ut dicit *Philosophus*, artifices facere non possunt, in quibus lumen interius diffunditur per perpiscui-

tatem alicujus corporis colorati circumstantis, sicut est in iride et chelis (alias, celis) cœlestibus, et hujusmodi. Talis autem candor, candorem sanctorum in Ecclesia futurum significat, qui cœlestis est, et viribus et arte terrenis fieri non potest : ut, Isa. XLIX, 18 : *Vivo ego, dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi quasi sponsa eos.*

« Et apparuit illis Elias cum Moyse. »

Ecce testes idonei Legis et Prophetiæ. Apparuit enim Moyses, ut ostenderet in eo impleri testimonium Legis. Joan. v, 46 : *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit.* Elias autem Prophetarum eximius, qui et post se successorem unxit Eliseum, qui præfuit congregationibus Prophetarum [1], et tulit testimonium prophetiæ. Eccli. XXXVI, 18 : *Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur.* Sic ergo isti duo apparuerunt. Venit autem Moyses de inferno, ut consolationem patribus nuntiaret : Elias de paradiso spirituum, ut sic ruinam angelicam esse reparandam significaret : discipuli autem venerunt de mundo, ut viventes redimendos esse docerent : et sic fieret quod dicitur, ad Philip. II, 10 et 11 : *In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*, transfiguratus.

« *Loquentes cum Jesu.* » Luc. IX, 31, dicitur, quod *dicebant excessum ejus quem completurus erat in Jerusalem.* Loqui autem ipsorum, est talem gratiam redemptionis futuram per Christum, testimoniis Legis et Prophetarum præfiguratam esse ostendere. I Petri, I, 10 et 11 : *De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt : scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias.*

« Et respondens petrus, ait Jesu : Rabbi, bonum est nos hic esse : et faciamus tria tabernacula, tibi unum, et Moysi unum, et Eliæ unum. 4

Non enim sciebat quid diceret : erant enim timore exterriti. 5

Et facta est nubes obumbrans eos. » 6

Inducuntur hic testes idonei de mundo venientes, qui tres sunt : Petrus pro omnibus loquitur sicut vertex Apostolorum.

Tanguntur autem hic duo, scilicet manendi testificata felicitas, et ignorantia ordinis ad manendum.

De primo dicit : « *Rabbi.* » Magistrum vocat, cujus in hac schola felicitatis vellet esse discipulus. Matth. XXIII, 10 : *Magister vester, unus est Christus.* Joan. XIII, 13 : *Vos vocatis me Magister et Domine, et bene dicitis : sum etenim.*

« *Bonum,* » hoc est, felix « *est nos hic esse,* » ubi præsentia gaudii omnem abstergit miseriam. Unde Glossa : Quamvis stupefactus, insitum tamen sibi affectum indicat Psalmus secundum Hieronymi translationem : « Bene mihi non est sine te. » Totum enim bonum felicitatis est interesse contemplationi beatitudinis : quia videtur illic, et habetur omne bonum. Exod. XXXIII, 19 : *Ego ostendam omne bonum tibi.* Hoc autem Petrus secundum Chrysostomum dicebat propter visionis felicitatem : et ideo quia Christus dixerat se crucifigendum, cui cum Petrus diceret : *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc :* et esset redargutus a Christo, non aperte audet dicere contra crucifixionem aliquid, sed occulte suadet in monte esse remanen-

[1] Cf. IV Reg. II, 9 et seq.

dum, ne crucifixores in Domino crucifigendi habeant locum : et secundum hunc sensum, latere intendit Petrus, ne cum Domino, cum quo mori et vivere elegerat, incideret in periculum. Isa. IV, 5 et 6 : *Super omnem gloriam protectio. Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia.* Ab æstu enim iræ Judæorum putabat protegi, et a turbine comminationum defendi, et a pluvia tempestuosæ persecutionis abscondi.

Et subintulit :

« Faciamus tria tabernacula, »

In quibus nostra habitatio sit. Apocal. XXI, 3 : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis.* Tabernacula enim sunt hic tamquam habitacula : scivit enim quod diu sub dio habitare non posset, secundum hoc quod etiam dixerunt filii prophetarum, IV Reg. VI, 1 et 2 : *Ecce locus, in quo habitamus coram te, angustus est nobis. Eamus usque ad Jordanem, et tollant singuli de silva materias singulas, ut ædificemus nobis ibi locum ad habitandum.* Sicut enim desideraverunt habitare cum Eliseo, ita iste desideravit habitare cum Domino, et non redire ad turbationes mundanorum. Psal. LXXXIII, 5 : *Beati qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te.* Et illud ejusdem Psalmi LXXXIII, 11 : *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.*

« *Tibi unum,* » in quo et ipse cum condiscipulis cum Domino habitare cupiebat : « *Moysi unum,* » quem secundum a Domino esse volebat : « *et Eliæ unum,* » qui erat a Moyse secundus, et a Domino tertius : qui tamquam omnium arbitri ad Dominum pro tempore vocarentur. Hæc tabernacula tria voluit esse Petrus, ut in uno decor Domini consideraretur in contemplatione familiarium : in secundo, virtus armata muniretur contra insurgens contrarium : in tertio, opus officii compleretur ad quodcumque a Domino prædiffinitum negotium. Sicut enim scivit esse tria cœli tabernacula in hierarchiis, in quarum prima (quæ in vestibulis est apud Deum) decor consideratur regni cœlestis, in igne divino spiritus absumente, in luce veritatis spiritus illustrante, in quiete et spiritualitate receptionis divinæ spiritus movente, et regente, et gubernante. In secunda autem est armata militia, in Dominationibus, virtutes elevatæ ne scabellaribus inclinatæ vilificentur : in Virtutibus invincibiliter omnia perficientibus, quæ sunt voluntatis divinæ : in Potestatibus, severa et libera ordinatione comprimentibus omne contrarium, ut id quod bonum est, ad actum liberum expediatur. In tertia autem ordinat omnis opus officii : ut legibus sit consonum, quod per Principes decernitur : ut ad consilium divinum sit prædiffinitum, quod Archangeli perficiunt : ut omni forma virtutis sit formatum, quod custodia perficitur Angelorum. Sic ergo ordinem cœli conspectum habuit in mente, et rationem ejus voluit ponere in monte : sciens Angelos non deesse, ubi Dominus habitaret Angelorum : et præcipue Domini senatores, quibus Angeli ministraverant. Hoc etiam significatum vidit, Genes. IV, 16, ubi dicitur : *Cœnacula, et tristega facies in ea.* Tristega enim sunt tricamerata, propter tres ordines beatorum spirituum, qui dicti sunt.

« Non enim sciebat, »

Stupefactus et totius ordinis temporis oblitus, « *quid diceret* : » volebat enim beatitudinis obtinere locum : et non tenere ordinem a Deo diffinitum, quo ad ipsum veniretur per passionis meritum. Postea autem scivit quando, I Petr. I, 11, dixit : *Prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias.* Ad Roman. VIII, 17 : *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur.*

Causam autem stupefactionis istius subjungit Evangelista, innuens quod omnes idem cum Petro sentiebant. « *Erant enim,* » scilicet omnes tres Apostoli, « *timore exterriti.* » Hic autem timor, magni et non mali fuit exspectatio, qui est timor admirationis : si enim malum et non magnum exspectassent, non dixissent : *Bonum est nos hic esse.* Est enim, ut dicit Damascenus, timor in magna phantasia. Act. III, 10 : *Impleti sunt stupore et exstasi in eo quod contigerat illi.* Habacuc, III, 1 : *Domine, audivi auditionem tuam, et timui : consideravi opera tua, et expavi*

« Et facta est nubes, etc. »

Tangitur hic testimonium cœlestis luminis. Dicens enim : « *Et facta est nubes obumbrans eos,* » non est credendum quod hæc nubes tenebrosa vel obscura fuerit, cum, Matth. XVII, 5, et Luc. IX, 34, dicatur : *Et nubes lucida obumbravit eos.* Spissitudo enim calcati luminis vocatur nubes, sicut solent Philosophi vocare tentorium solis, spissitudinem luminis a corpore solis refulgentis. Sic enim nunc, ut dicit Psalmus XVIII, 6 : Christus *in sole,* hoc est, in fulgore solis, *posuit tabernaculum suum.* Et hoc texit Apostolos et perstrinxit : et hoc vocatur *nubes.*

Et quod dicit : « *Obumbrans eos,* » intelligitur quia et umbram, hoc est, formam æterni luminis expressit : sicut exprimit forma speculi sive umbra figuram ejus, quod in speculo resultat : et Apostolis per modum umbræ refrigerium attulit securitatis a turbine mundi, quem ex verbo Christi sibi imminere timebant : unde Glossa dicit, quod Petrus petens tabernaculum, accepit nudis umbraculum. Et in hoc sensu nubes hæc testimonium fuit claritatis æternæ, quia suo lumine figuram æternæ claritatis expressit. Sic dicitur, Luc. I, 35 : *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Isa. XLIX, 2 : *In umbra manus suæ protexit me* .

« Et venit vox de nube, dicens : Hic est Filius meus charissimus : audite illum. »

Testimonium quintum est a voce Patris, quæ maxime certificavit certitudinem æternæ gloriæ : vox enim ista Patris de cœlo fuit.

Dicuntur autem hic tria : quid sonuit, unde, et quis.

Quid sonuit? quia « *vox venit,* » quæ semper cum intentione profertur, quia Pater illa voce totam suam intentionem expressit : vox enim illa est, in qua Verbum formatum est. II Petr. I, 17 : *Voce delapsa ad eum hujusmodi a magnifica gloria.* Hæc est vox dulcis, quam sponsa desideravit, Cantic. II, 14 : *Sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis.*

« *De nube.* » Ecce unde sonuit, quia « *de nube,* » tamquam de corporali et materiali elemento formata fuit. Psal. LXXVI, 18 : *Vocem dederunt nubes.* Psal. XVII, 14 : *Intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam.* Ezechiel. I, 24 : *Audiebam sonum alarum quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei.*

« Hic est Filius meus. »

Ecce quid sonuit : et tria dicit : naturæ dignitatem, affectus dilectionem, et obedientiæ auditionem.

Primum tangit cum dicit : « *Hic,* » in persona demonstratus, « *est Filius* » hominis : quia Christus homo, et Christus Deus, una est persona in deitate et humanitate : et meo judicio quamvis duas vere habeat nativitates, unam æternam, et unam tem-

[1] Vulgata habet tantum, Habacuc, III, 1 : *Domine, audivi auditionem tuam, et timui. Domine, opus tuum, in medio annorum vivifica illud,* etc.

[1] Cf. etiam, Isa. LI, 16.

poralem, cum una et eadem filiatione est Filius.

Et ideo dicit : « *Hic est Filius.* »

« *Meus,* » quia filiationem qua Filius est, a me et non ab alio habet. Et hoc quidem Pater bis dixit, et in baptismo, et in monte : in baptismo quidem, quia ibi sanctificationem fecit regenerationis per Filium : in monte autem, quia ibi ostendit futuræ gloriæ beatificationem etiam futuram per Filium. Has enim duas formas dat imago Patris quæ est Filius : formam scilicet gratiæ per regenerationem, et formam gloriæ per beatitudinem, formam autem naturæ etiam per Filium dedit in creatione : et sic ad imaginem Patris (quæ est Filius) et formamur, et reformamur, et beatificamur. Et hoc aliter fieri conveniens esse non potuit : et hoc tangitur, ad Ronan. VIII, 29 et 30 : *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui... Quos prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit.*

Ideo ergo dicit : « *Filius meus.* »

« Charissimus. »

In quo sonat dilectionis affectus, quia in eadem dilectione qua Pater diligit Filium, etiam nos reformamur ad formam dilectionis, et in ea nos ipse Pater diligit : quia ipsa dilectio, Spiritus sanctus, a Patre in Filium, et a Filio in Patrem, et ab utroque in nos sanctificandos, et illuminandos, et perficiendos [1] : per hoc quod per ipsam reducimur ad hujus fontem dilectionis. Ad Roman. V, 5 : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Sic dicit Apostolus, ad Coloss. I, 13 : *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suæ.* Sic ergo Filius charus in obedientia quam pro nobs subivit, charior in spiritui quem nobis inspiravit, charissimus autem in seipso, in quo fons redundat charitatis. Genes. XXXVII, 3 : *Israel diligebat Joseph super omnes filio suos, eo quod in senectute genuisset eum : fecitque ei tunicam polymitam.* Israel magnus patriarcha rectissimus Patrem Domini significat : Joseph autem accrescens Christum significat hominem, per quem multi fideles Patri accreverunt. Hunc præ omnibus ut præ omnibus amabat, quia de corde suo genitum non minus quam seipsum dilexit. Hunc etiam in senectute quidem, hoc est, in fine sæculi, non quidem genuit iterato, sed in carne nasci fecit : et sic generationis ejus carnalis auctor fuit. Et fecit ei tunicam polymitam, hoc est, vitæ conversationem cum morum honestate picturatam.

Sic ergo est *charissimus.*

« Audite illum. »

Tertium est quod præcepit, voci suæ in omnibus esse obediendum. Deuter. XVIII, 19 : *Qui verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* Psal. XCIV, 8 : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Iste enim est audiendus quatuor de causis : quarum prima est, quia ipse solus Verbum Patris. Isa. LV, 11 : *Verbum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Vacuum autem esset, si non esset auditum et exauditum. Secunda causa est, quia ipsum est cordis divini manifestativum solum. Joan. I, 18 : *Deum nemo vidit umquam : unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Et ideo est audiendus, et nihil contra eum est audiendum. Matth. XI, 27 : *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Tertia causa est, quia om-

[1] Cf. I Sententiarum, Dist. X, Art. 7. Tomo XXV hujusce editionis. Cf. etiam, I P. Summæ theol. B. Alberti, Tract. VIII, Q. 36.

ni sapientia et gratia plenus in auditu. Ad Coloss. II, 3 : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ*, scilicet Dei, *absconditi*. Quarta causa est, quia ipsum est in potestate effectiva omnium eorum quæ dicit : est enim Verbum illud Angelus sive nuntius intelligentiæ activæ. Hæc autem factiva est per Verbum : unde quando miracula fecit, verbo suæ potestatis effecit. Quia sicut dicit Psalmus XXXII, 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt*. Et hoc modo dicit Psalmus CXL, 6 : *Audient verba mea, quoniam potuerunt*, hoc est, potestatem effectivam habuerunt. Et, Matth. VII, 28 : *Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum, et Pharisæi*. Omne enim verbum hominum respectu verbi Filii Dei, est quasi mortua vox absque potestate effectiva eorum quæ dicunt.

Sic ergo *audiet illum*.

7 « Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi Jesum tantum secum. »

Tangitur hic istius visionis terminatio et utilitas. Tanguntur autem hic tria : in quorum primo tangitur visionis terminatio : in secundo, de visione eruditio : in tertio, eruditionis non bene intellectæ declaratio.

In primo horum tria dicuntur : in quorum primo notatur discipulorum ad gloriam Dei contemplandam aviditas : in secundo, notatur subducta ab oculis eorum gloriæ majestas : in tertio, notatur ex his tanta utilitas.

Dicit igitur : « *Et statim,* » quia magnitudo desiderii videndi, moram non admittendam esse persuasit. Eccle. XI, 7 : *Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem.*

« *Circumspicientes,* » undique occulos circumducentes ex contemplandi aviditate. Genes. XXXII, 30 : *Vidi Deum facie ad faciem, et salva facta est anima mea.* Tob. X, 7 : *Quotidie exsiliens circumspiciebat, et circuibat vias omnes per quas spes remeandi videbatur.*

« *Neminem amplius viderunt, nisi Jesum tantum secum.* » Et hæc fuit utilitas, ut in nullo alio spes salutis poneretur. Dixerat enim Petrus Moysi et Eliæ debere fieri tabernacula (tamquam familia Domini in tria esset dividenda) nesciens quid diceret : et ideo solus Jesus permanens ostenditur : ut omnes salvandi ad tabernaculum Domini pertinere noscantur. Joan. X, 16 : *Fiet unum ovile, et unus pastor*. Et hoc docet Moyses, et ideo non manens transit : et hoc docet prophetia, et ideo evacuatur et transit. Psal. LXXII, 25 : *Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram?* Ideo ergo solum « *Jesum tantum secum* » viderunt. Apocal. XXI, 3 : *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum illis : et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.*

8 « Et descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidissent narrarent : nisi cum Filius hominis a mortuis resurrexerit.

9 Et verbum continuerunt apud se. »

Tangit secundum de instructione, dicens : « *Descendentibus illis,* » de statu contemplationis ad actionem virtutis, « *de monte* » Thabor, qui significat eminentiam spiritus. Psal. CIII, 8 : *Ascendunt montes* (contemplationis) *et descendunt campi* (fructiferi fructu virtutis) *in locum quem fundasti eis.*

« *Præcepit illis,* » præcepto instructionis, « *ne cuiquam* » hominum, « *quæ vidissent narrarent,* » de gloria transfigurationis, « *nisi cum Filius hominis a mortuis resurrexerit.* » Quia, sicut dicitur Eccle. III, 1 et 7 : *Omnia tempus habent.* Et : *Tempus* est *tacendi, et tempus loquendi.* Causa autem præcepti est, quam jam in ante habitis diximus : quia gloriam referentes his qui postmodum Chri-

stum in tot opprobriis erant visuri, potius irrisionem fecissent quam fidem certificassent : et ideo tacendum præcepit usque ad tempus, quo gloria transfigurationis confirmaretur per gratiam immortalitatis, quando ad oppropria patienda numquam redibat Christus : quia tunc ex præteritis narratis scitur quod voluntarie propter nos passus fuit, ut nos ad gloriam per Passionem reduceret perpetuæ Resurrectionis. Eccli. XXVII, 17 : *Qui denudat arcana amici, fidem perdit, et non inveniet amicum.* Et illud, ibidem, ℣. 24 : *Denudare amici mysteria, desperatio est animæ infelicis.*

« Et verbum continuerunt, etc. »

Tangit in hoc obedientiam trium Apostolorum : quia « *verbum* » istud « *continuerunt apud se,* » in secreto, nemini dicentes, sicut præceptum fuit ipsis. Psal. CXVIII, 11 : *In corde meo abscondi eloquia tua : ut non peccem tibi.* Job, IV, 12 : *Ad me dictum est verbum absconditum, et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus.*

« Conquirentes quid esset : Cum a mortuis resurrexerit.

10 Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt Pharisæi et Scribæ quia Eliam oportet venire primum?

11 Qui respondens ait illis : Elias, cum venerit primo, restituet omnia: et quomodo scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur et contemnatur.

12 Sed dico vobis quia et Elias venit (et fecerunt illi quæcumque voluerunt), sicut scriptum est de eo. »

Tangitur hic tertia pars in qua inducitur illuminatio ad eruditionem non plene intellectam. Et habet tres particulas : in quarum prima, ponitur verbi quod non intelligunt conquisitio : in Secunda, illuminationis a Domino petitio : et in tertia, Domini perfecta illuminatio.

Dicit ergo : « *Conquirentes,* » hoc quod præcessit apud se quærentes. Dialecticum est, et refertur et ad antecedens et sequens : quia et apud se verbum continuerunt sub silentio illud claudentes : et apud se erant conquirentes de hoc quod dubitaverunt. Quia non libenter audiverunt in parte : et ignotum erat in parte quod dixit. Et ideo quæsierunt « *quid esset* » hoc dictum quod dixit : *Cum a mortuis resurrexerit.* » Morituram enim Dominum non libenter audiverunt. De resurrectione autem nullum habebant intellectum : quia *non est qui agnitus sit reversus ab inferis*[1].

« Et »

Ideo,

« Interrogabant eum, »

Petentes de hoc dubio illuminationem.

« *Dicentes : Quid ergo dicunt,* etc. » Putabant enim Apostoli visa gloria Domini, adventum Domini in gloria illico manifestandum : et ideo Dominum de cætero non moriturum, sed in omni gloria in perpetuum regnaturum : et ideo quærunt de signis præcedentibus hunc in gloria adventum, dicentes :

« *Quid ergo dicunt Pharisæi,* » qui sectam fidei tenebant probabiliorem? Act. XXVI, 5 : *Secundum certissimam sectam nostræ religionis, vixi Pharisæus.*

« *Et Scribæ,* » qui eminent in scientia legis, « *quia Eliam oportet,* » secundum Scripturam , « *venire primum,* » ante adventum Messiæ in quo regnaturus

[1] Sapient. II, 1.

[2] Malach. IV, 5 : *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.*

est in gloria. Etenim, IV Reg. II, 11, legitur quod Elias per turbinem in curru equorum igneorum levatus est in cœlum : et reservatus, ut veniat ante diem Domini magnum et manifestum. Malach. IV, 5 et 6, dicitur : *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum : ne forte veniam, et percutiam terram anathemate.* De hoc igitur quærunt Apostoli.

« Qui respondens ait, »

Dans plenam dictorum illuminationem : « *Elias*, etc. » Glossa : « Non est hic adventus quem putatis, quem præcedet Elias. » Quia « *Elias, cum venerit,* » ante secundum adventum, qui erit in majestate et gloria, « *primo,* » ante adventum meum, quo judicabo mundum, « *restituet omnia,* » destructo jam (alias, destructa) Antichristo : et manifestato errore, et assumpta fide Ecclesiæ ab omnibus : convertet enim corda patrum ad filios, hoc est, ad fidem Apostolorum : et corda filiorum, Judæorum, qui in fine (alias, infidi) invenientur, ad patres eorum, hoc est, ad verum patrem eorum, quod est ad verum Patriarcharum intellectum. « *Restituet* » etiam debitum mortis quod debet : quia sententiam primi maledicti exsolvet.

« *Et quomodo scriptum est in Filium hominis,* » hoc est, contra Filium hominis, « *ut multa patiatur,* » probra, illusiones, et flagella, et vulnera, et mortem, « *et contemnatur* » per crucis confusionem. Sic, supple, multa patietur Elias ab Antichristo, et insepultus abjicietur in opprobrium. Hoc autem scriptum est, Daniel. IX, 26 : *Occidetur Christus : et non erit ejus populus qui eum negaturus est.* Hoc igitur erit ante secundum adventum qui in gloria est futurus.

« Sed dico vobis, »

Quamvis ita futurum est ante secundum adventum : tamen dico vobis, « *quia et Elias,* » non in corpore et persona, sed in spiritu et virtute, « *venit,* » jam ante (in gratia) meum adventum. Luc. I, 17 : *Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.* Hic autem est Joannes Baptista qui me præcessit.

« *Et fecerunt illi,* » in contemptu et passione decollationis, « *quæcumque voluerunt,* » malam suam voluntatem probris et passionibus eorum satiantes : « *sicut scriptum est de eo,* » scilicet Joanne Baptista [1]. Matth. XXIII, 34 et 35 : *Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et Scribas : et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex eis flagellabitis..., ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram.*

« Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, et Scribas conquirentes cum illis. **13**

Et confestim omnis populus videns Jesum stupefactus est, et expaverunt, et accurrentes salutabant eum. **14**

Et interrogavit eos : Quid inter vos conquiritis ? **15**

Hic incipit historia in qua figuraliter ostenditur fortitudo Leonis de tribu Juda, contra defectum, qui est facilitas faciendi bonum : et hoc ultimum suæ fortitudinis signum, secundum divisionem Glossæ, quam prosecuti sumus a principio.

Dividitur autem historia hæc in quatuor partes : in quarum prima, hujus miraculi docet occasionem : in secunda, hujus miraculi docet magnitudinem et significationem, ibi, ℣. 16 : « *Et respon-*

[1] Cf. Supra, VI, 14 et seq.

dens unus de turba, etc. » In tertia, curæ hujus infirmitatis docet perfectionem, ibi, ℣. 22 : « *Jesus autem ait illi : Si potes credere*, etc. » In quarta et ultima, de miraculo isto sumit discipulorum instructionem, ibi, ℣. 27 : « *Et cum introisset in domum*, etc. »

In prima harum particularum dicit tria, scilicet, turbarum cum discipulis conquisitionem : adventus sui ad turbas exsultationem : et causæ conquisitionis eorum a Domino interrogationem.

Dicit igitur : « *Et veniens ad discipulos*, » de quibus curam habuit sicut gallina de pullis. Vidit enim quod aquilæ pullos invaserant.

« *Vidit turbam magnam circa eos*, » quam Pharisæi et Scribæ concitaverant : et ideo addit : « *Et Scribas*, » qui insultabant discipulis de infirmitate : ac si Magister eorum potestatem eis super omnia dæmonia dedisset, et verbum ejus effectum non haberet.

Et hoc est : « *Conquirentes*, » sive disputantes, « *cum illis*, » scilicet discipulis Domini. Non enim valentes resistere sapientiæ Domini, aggressi sunt discipulos adhuc infirmos : ut ex illa parte reprehensibilem Dominum facere coram turbis videantur, sicut, Joan. III, 25 : *Facta est quæstio ex discipulis Joannis cum Judæis de purificatione*. Unde sicut serpens primus, Genes. III, 5 et 6, primum Adam aggressus est ex parte infirmiori, ita nostrum secundum Adam isti venenati, primi serpentis filii, ex parte infirmiori sunt aggressi : quamvis non proficiant, quia semper suis in adjutorium venit Dominus, dicens illud Josue, I, 5 et 6 : *Non dimittam, nec derelinquam te : confortare, et esto robustus*.

« Et confestim omnis populus, »

Simplicium turbarum, « *videns Jesum*, » quem toto corde videre desiderabat. Exod. IV, 14 : *Videns te lætabitur corde*.

« *Stupefactus est*, » ex admiratione : quia igneum quiddam, ut dicit Hieronymus, radiabat ab oculis ejus, quod omnes convertit in stuporem.

« *Et expaverunt*, » adspectu magnitudinis et reverentiæ ipsius. Esther, XV, 17 : *Valde mirabilis es, Domine, et facies tua plena est gratiarum*.

« *Accurrentes*, » certatim ad ipsum. Isa. XL, 31 : *Current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient*.

« *Salutabant eum*, » humilitatis et congratulationis officiis eum suscipientes : mos enim erat eis, quod humilior superiorem salutaret : unde, Joan. XII, 13 : *Hosanna ! Benedictus qui venit in nomine Domini*.

« Et interrogavit eos : Quid inter vos conquiritis ? »

Benignissimus illuminator, non ut discat interrogat, sed ut occasionem ab eis accipiat illuminationes suas eis infundendi. Eccli. XXIV, 44 : *Doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et enarrabo illam usque ad longinquum*.

« Et respondens unus de turba, dixit : Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum : 16

Qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, et spumat, et stridet dentibus, et arescit : et dixi discipulis tuis ut ejicerent illum, et non potuerunt. » 17

In hac secunda particula hujus miraculi ostendit magnitudinem et significationem. Tanguntur autem hic quinque : in quorum primo tangitur infirmi ad Salvatorem allatio : in secundo, infirmitatis difficultas et magnitudo : in tertio, defectus fidei in intercedentibus exprobratio : in quarto, spiritus immundi in præsentia Domini major afflictio : in quinto vero, debilissimæ fidei in intercessoribus significatio.

De primo dicit duo, scilicet, afferentis infirmi humilitatem, et infirmi allationem.

Dicit igitur : « *Et respondens,* » ad interrogationem Domini de quo conquirerent inter se, « *unus,* » quia alii Scribis jam consentire cœperant. III Reg. XIX, 10 : *Derelictus sum ego solus.* Job, I, 19 : *Effugi ego solus,* Job, *ut nuntiarem tibi.*

« *De turba,* » humilis, plebeius, de plebe. Judith, IX, 16 : *Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Non enim erat de Principibus et Scribis, quia illi conquisitionem cum discipulis faciebant. Joan. VII, 48 et 49 : *Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis ? sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.*

« *Dixit.* » Tangit infirmi allationem.

« Magister. »

Magistrum vocat tamquam sapientem divinum aliquem, quia perfectam deitatis fidem nondum habuit. Joan. III, 2 : *Scimus quia a Deo venisti magister.*

« *Attuli filium meum,* » pignus naturæ meæ, superstitem hæreditatis, baculum meæ senectutis. Tob. X, 4 : *Lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spes posteritatis nostræ.*

« *Ad te,* » Salvatorem, qui salvas omnes in te sperantes.

« Habentem spiritum mutum. »

Tangitur hic infirmitatis magnitudo et difficultas : et ideo duo continet hæc particula. Magnitudo autem infirmitatis consideratur in septem, quæ per ordinem in littera continentur : quorum primum est habitus spiritus immundi, quod notatur cum dicit : « *Habentem spiritum.* » Non enim haberet spiritum immundum, sed haberetur ab ipso spiritu, nisi causam vel ipse, vel parentes dedissent : quia illi habent spiritus immundos, qui eos ad se vocant peccatis : et seipsos, dæmones præveniendo, exhibent ad malum. Sapient. I, 16 : *Impii manibus et verbis accersierunt illam,* scilicet mortem. Isa. XXVIII, 15 : *Percussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum.*

Secundum nocumentum est quod dicit : « *Mutum,* » quia linguam a locutione impedivit, et aures ab auditu sermonis. Luc. XI, 14 : *Erat Jesus ejiciens dæmonium, et illud erat mutum.* Psal. XXXVII, 14 : *Ego tamquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum.* Mutus tamen maxime erat a laude divina.

Tertium est et impetuosa apprehensio : quod notatur in hoc quod dicit : « *Qui ubicumque eum apprehenderit.* » I Reg. XVI, 14 : *Exagitabat eum spiritus nequam a Domino.* Illos enim spiritus nequam apprehendit, quos totos in potestatem accipit et furiose exagitat.

« *Allidit.* » Quartum est nocumentum, quod allisit eum ad parietes, et ad lapides, et ad terram cum impetu dejiciens : unde, Luc. IX, 39 : *Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi : et ecce spiritus apprehendit eum, et subito clamat, et elidit, et dissipat eum cum spuma.*

« *Et spumat.* » Quintum est nocumentum. Spuma autem fiebat spiritu malo corporeo, cerebro resoluto ad guttur descendente, et salivam in ampullas convertente. Et quia hoc cerebrum subvertit, propter hoc dicit Glossa, quod hoc stultitiæ est signum. Job, V, 2 : *Vere stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia.* Luc. IX, 39 : *Spuma vix discedit dilanians eum.*

« *Et stridet dentibus,* » ex furore quo agitat et incitat ad mordendum se, et alios. Proverb. XXX, 14 : *Generatio quæ pro dentibus gladios habet.* Matth. VIII, 12 : *Ibi erit fletus, et stridor dentium.* Ad Galat. V, 15 : *Quod si invicem mordetis, et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Et hoc est sextum nocumentum.

Septimum autem est quod dicit : « *Et arescit,* » in stipite, omni vigore naturalis refectionis destitutus : et significat eos qui arescunt et marcescunt ignavia : illi quasi moriuntur in seipsis : unde, Matth. XVII, 14, dicitur, quod *lunaticus est, et male patitur*. Sic ficulnea arefacta est, cui maledixit Deminus [1]. Isti sunt ignavi, stultitia libidinis spumantes, in se aridi : de quibus in Epistola Judæ dicitur : *Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ : fluctus feri maris, despumantes suas confusiones* [2].

« Et dixi discipulis tuis, »

Quibus tu potestatem dedisti super spiritus immundos, et ut languores curarent, « *ut ejicerent illum* » spiritum immundum. Et tangitur hic istius infirmitatis difficultas.

« *Et non potuerunt* » discipuli tui hunc tanti nocumenti spiritum ejicere. Sed hoc videtur contrarium ei quod dicitur, Joan. XIV, 12 : *Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet.* Sed ad hoc dicendum quod discipuli adhuc in fide erant imperfecti. Joannes autem loquitur de perfectione fidei Apostolorum post adventum Spiritus sancti : tunc enim non erant missi nisi ad Judæos, ut eos ad Dominum reducerent tamquam ad perfectiorem : et ideo in aliquo major debuit apparere virtus in Domino, quam in discipulis pro tempore illo. Luc. IX, 40 : *Rogavi discipulos tuos ut ejicerent illum, et non potuerunt.* Matth. XVII, 15 : *Obtuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum.* Et hoc significat magnam difficultatem agendi bonum, et dimittendi malum : ad quam curandam non sufficit nisi virtus divina. I Joan. V, 16 : *Est peccatum ad mortem : non pro illo dico ut roget quis,* hoc est, quicumque, quia oportet habere divinam virtutem curantem.

« Qui respondens eis, dixit : O generatio incredula, quamdiu apud vos ero ? quamdiu vos patiar ? afferte illum ad me. 18

Et attulerunt eum. » 19

« *Qui respondens eis,* » pro infirmo intercedentibus, « *dixit.* » Et hæc est tertia particula, defectus fidei exprobratio. Et dicuntur hic duo : exprobratio scilicet, et infirmi ad præsentiam Salvatoris postulatio.

De primo dicit : « *O generatio !* » quia clamans « *O* » non est signum impatientiæ, sed compassionis. « *Generatio* » autem dicit, quia a patribus hanc pravitatem habuisse dignoscuntur. Psal. XCIV, 10 et 11 : *Quadraginta annis offensus fui generationi illi : et dixi : Semper hi errant corde. Et isti non cognoverunt vias meas.*

« Prava [3] » vero dicitur, quia intus et obstinatione depravata. Matth. XII, 39 : *Generatio mala et adultera signum quærit.* Deuter. XXXII, 5 et 6 : *Generatio prava atque perversa. Hæccine reddis Domino, populo stulte et insipiens ?*

« *Incredula* » ad omnen Dei veritatem. Ezechiel. II, 6 : *Increduli et subversores sunt tecum.* Isa. XXI, 2 : *Qui incredulus est, infideliter agit.*

« Quamdiu apud vos ero ? »

Sine profectu docens, signa faciens, beneficia impendens, et omnia consilia Dei vobis ostendens. Psal. XII, 2. *Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem ?* Matth. XVII,

[1] Cf. Matth. XXI, 19.
[2] Epist. Judæ, ℣℣. 12 et 13.
[3] Verbum *prava* non est in Evang. Marci, sed Deuter. XXXII, 5 : *Generatio prava atque perversa.*

16 : *O generatio incredula et perversa, quousque ero vobiscum ?*

« *Quamdiu vos patiar ?* » pro doctrina verborum observatores, in miraculis malos interpretes, et pro beneficiis malorum redditores. Matth. XVII, 16 : *Usquequo patiar vos ?* Luc. IX, 41 : *O generatio infidelis et perversa, usquequo ero apud vos, et patiar vos ?* Hoc enim miræ fut patientiæ quod tot pro beneficiis mala pertulit : etenim per seipsum ab eis ad gentes non recessit, sed exspectavit donec completa malitia eorum post Resurrectionem per discipulos ab ipsis recederet. Isa. LVII, 11 : *Neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens et quasi non videns.*

« Afferte illum ad me. »

Ecce non lacessitus injuria, sed in seipso benignitate et misericordia flexus, infirmi expostulat oblationem. Joel, II, 13 : *Benignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ, et præstabilis super malitia.* Glossa : *Illum*, scilicet istum puerum, non dæmonem, ut ostendat illi dæmoni traditum propter peccatum suum, vel propter peccatum parentum : et ideo oportuit quod offerrent eum ad Dominum : in quo a dæmone aversio, et ad Christum conversio denotatur. Joel, II, 12 : *Convertimini ad me in toto corde vestro.*

« Et attulerunt eum, »

Ad Dominum conversi. Luc. IX, 41 : *Adduc huc filium tuum.* Matth. XVII, 16 : *Afferte huc illum ad me.* Psal. XXVIII, 1 : *Afferte Domino filios arietum*, hoc est, prælatorum Apostolorum. Luc. IV, 40 : *Omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum*, scilicet JESUM. *At ille singulis manus imponens, curabat eos.*

« Et cum vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum : et elisus in terram, volutabatur spumans.

Et interrogavit patrem ejus : Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? At ille ait : Ab infantia : **20**

Et frequenter eum in ignem, et in aquam misit, ut eum perderet. » **21**

« *Et cum vidisset eum* » JESUS in præsentia sua positum. Et tangitur hic quartum, quod est spiritus immundi in præsentia Domini major afflictio.

Et tanguntur hic tria, scilicet afflictio incitata ex præsentia Domini, diuturnitas afflictionis ægroti, et interpellatio patris ad misericordiam Domini.

Dicit igitur : « *Statim illum,* » in præsentia Domini, « *spiritus* » immundus « *conturbavit,* » ut vel ad modicum tempus pœnis ejus satiaretur. Apocal. XII, 12 : *Descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.*

« *Et elisus in terram.* » Glossa, quia dum post peccatum ad Deum converti volumus, magis a diabolo impugnamur : ut vel excruciet virtutem, vel suam vindicet expulsionem.

« *Volutabatur spumans.* » Judicum, V, 27 : *Volvebatur ante pedes ejus.* Luc. IX, 42 : *Cum accederet, elisit illum dæmonium, et dissipavit.*

« Et interrogavit Jesus patrem ejus. »

Nec interrogat, quia ignorat : sed ut ex responso acciperet erudiendi occasionem : unde Glossa dicit : « Non quasi ignarus interrogat, sed ut diuturnitas infirmitatis ostensa, curationem faciat gratiorem. » Eccli. X, 11 et 12 : *Languor prolixior gravat medicum. Brevem languorem præcidit medicus.*

« *Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit ?* » Non ideo quia longitudo temporis faciat difficultatem ex parte curantis Christi : sed ut ostendatur, quod longitudo temporis magnam facit cura-

tionis difficultatem ex parte ægroti : unde, Joan. v, 5 et 7 : *Triginta et octo annos habentem in infirmitate sua.....* Et ille dixit : *Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam : dum venio enim ego, alius ante me descendit.* Ac si dicat : Longitudo dierum effecit quod nec meo auxilio, nec humano alieno adjutorio curari possum. Et ideo Dominus hoc exponi voluit, ut sciretur quod non possit subvenire nisi auxilium divinum.

« *At ille ait,* » scilicet pater : « *Ab infantia.* » Psal. L, 7 : *Ego enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.*

Et repetit malitiam :

« Et frequenter eum in ignem et in aquas misit. »

Duo genera tentationum in hoc significantur : quorum unum est amor male inflammans, vel libidinis, vel malæ cupiditatis, vel iræ. Quia etiam ira provenit ex improbo suiipsius amore : quia dum nimis se amat aliquis, quærit vindicare in alium injuriam, quam, ut sibi videtur, intulit alius. Aqua autem (quæ frigida est) timorem significat : quia cordis et sanguinis frigiditas retrahit ab omnibus Dei obsequiis : dum vel pelli suæ more humano, vel rebus suis timet timore mundano. Psal. LXXIX, 17 : *Incensa igni et suffossa ab increpatione vultus tui peribunt.* Glossa, ibidem : « *Incensa* amore male inflammante : *suffossa* autem timore male humiliante. » De igne quidem secundum se dicitur, Deuter. XXXII, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima* : quia ignis concupiscentiæ non exstinguetur. De aqua autem male infrigidante dicitur in Psalmo LXVIII, 2 et 3 : *Intraverunt aquæ usque ad animam meam : infixus sum in limo profundi, et non est substantia.*

Et tangit dæmonis malam intentionem : « *Ut eum perderet,* » et in anima, et in corpore : non enim finem ponit nocumentis nisi novissimum interitum. Joan. x, 10 : *Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat.* Esther, XIII, 15 : *Volunt nos inimici nostri perdere, et hæreditatem tuam delere.*

« Sed si quid potes, adjuva nos, misertus nostri.

Jesus autem ait illi : Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. **22**

Et continuo exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat : Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam. » **23**

Hic ponitur debilissimæ fidei in intercessoribus significatio.

Tanguntur autem hic tria, scilicet, significatio debilitatis fidei : ex parte Domini exhibitio adjutorii : et ex parte intercessoris petitio ad majorem fidem auxilii.

Dicit igitur : « *Sed si quid potes* » tu, quod discipulis non tradidisti : tu enim solus plus omnibus posse debes. Sapient. XII, 18 : *Subest tibi, cum volueris, posse.*

Ex hac ergo omnipotenti virtute, « *adjuva nos,* » filium in afflictione, me autem in compassione laborantem. Psal. LXXVIII, 9 : *Adjuva nos, Deus, salutaris noster : et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos.*

« *Misertus nostri.* » Matth. XV, 22 : *Miserere mei, Domine, fili David : filia mea male a dæmonio vexatur.* Eccli. XXXVI, 1 : *Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum.*

« Jesus autem ait illi, »

Invitans ad fidei perfectionem : « *Si potes credere.* »

Videtur autem hæc eruditio supervacua : quia dicit Augustinus, quod « credere est gratia fidelium : posse credere, omnium. » Sed ad hoc est dicendum

quod duplex est *posse*, scilicet imperfectum, quod est ex natura liberæ voluntatis et rationis : et hoc est omnium, quia inditum est omnibus per naturam. Aliud est posse perfectum ad actum credendi : et hoc est posse credere ex habitu fidei : et hoc est non omnium, sed tantum fidelium : et ad hoc provocat hic Dominus patrem istius infirmi.

Sed adhuc dicitur contra hoc : quia sic posse credere non fuit in eo, sed potius in dono Dei, quod non fuit in potestate ipsius. Quid est ergo quod dicit, *Si potes credere* ? Ad hoc dicendum quod revera sic posse credere quodammodo est in nobis, et quodammodo non. Humiliare enim nos ad hoc, est in nobis : completio autem ipsius est in dono Dei. Et quia hoc donum nulli negatur se ad ipsum humilianti, ideo dicit : « *Si potes credere.* » Quasi dicat : In te est, ex visis et auditis a me, te ad fidem meæ deitatis humiliare, tunc fiet quod petis. Jacob. I, 6 et 7 : *Postulet autem in fide nihil hæsitans : qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino.*

« Omnia possibilia sunt credenti. »

Etiam montes, et montis arbores transferre : sicut dicitur, Matth. XXI, 21 et 22 : *Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis : Tolle, et jacta te in mare, fiet. Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* I ad Corinth. IV, 2 : *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam*, etc.

Sed quæritur. Quare hoc potius attribuitur fidei, quam spei, vel charitati : Et consuevit ad hoc dici : quia fides innititur omnipotentiæ divinæ : quia quamvis multi articuli sint in Symbolo, tam Apostolorum quam Nicænæ synodi, tamen primus est articulus omnipotentiæ, qui est : « Credo in Deum Patrem omnipotentem. » Vel, « Credo in unum Deum Patrem omnipotentem. » Quia etiamsi credimus Deum esse hominem, vel passum, vel resurrexisse, et quidquid aliud credimus, non habemus unde hoc probemus, nisi quia Deus omnipotens est : et hoc et omnia alia in se facere potuit et fecit ex sua omnipotentia. Huic autem omnipotentiæ non sic innititur spes, neque etiam charitas : et ideo non dicitur quod omnia possibilia sunt speranti, vel charitatem habenti, sed quod omnia possibilia sunt credenti. Luc. I, 37 : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Genes. XVIII, 14 : *Numquid Deo quidquam est difficile?* Ad Roman. IV, 21 : *Plenissime sciens quia quæcumque promisit ei Deus, potens est et facere.*

« Et continuo, »

Adjutus ad fidem ex verbis Domini, « *exclamans*, » in devotione fidei, « *pater pueri* » dæmoniaci, « *cum lacrymis*, » dolorem cordis indicantibus. Jerem. VI, 26 : *Luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum.*

« *Aiebat*, » fidem suam confitens. Ad Roman. X, 10 : *Corde creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem.*

« Credo, Domine. »

Joan. XI, 27 : *Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.*

Et quia ante dubitavit de potentia Domini, modo suam recognoscit imperfectionem, et quod non potest perfici nisi a Christo : et ideo dicit : « *Adjuva*, » fidei gratiam apponendo, « *incredulitatem meam*, » hoc est, fidei meæ imperfectionem. Psal. CXXXVIII, 16 : *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Sapient. VIII, 21 : *Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det : et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum.* Et quia sic imperfectionem pro-

priam humiliter recognovit, et a Domino perfici postulavit: quod non postulasset nisi eum perfectorem omnium esse credidisset, ideo fit ei quod dicitur, Sapient. III, 14: *Dabitur illi fidei donum electum, et sors in templo Dei acceptissima.*

Et hoc est quod sequitur:

24 « Et cum videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, et amplius ne introeas in eum.

25 Et exclamans et multum discerpens eum, exiit ab eo: et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent: Quia mortuus est.

26 Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, et surrexit. »

Tangitur autem hic hujus miraculi perfectio. Et habet quatuor particulas: in quarum prima impetrantis innuit perfectionem: in secunda, vocem omnipotentis imperii facit prolationem: in tertia, dæmonis exeuntis ostendit malignitatem: in quarta, ponit infirmi a nocumento dæmonis perfectam liberationem.

Dicit ergo: « *Et cum videret,* » hoc est, videri ab omnibus fecisset, « *Jesus* » auctor fidei et salutis, « *concurrentem,* » jam per fidem deitatis, « *turbam,* » quia multorum intercessio multum facit ad impetrandam misericordiam. Matth. IX, 2: *Videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.*

« Comminatus est, »

Verbo in quo erat virtus deitatis: unde Glossa interlinearis: « Comminatio potentia est. » Matth. XVII, 17: *Et increpavit illum,* scilicet dæmonem, *Jesus.* Luc. IX, 43: *Increpavit Jesus spiritum immundum.* Psal. LXVII, 31: *Increpa feras arundinis.* Hæc autem increpatio fuit nocumenti repressio, et potestatis dæmonis diminutio, et alligatio: quod nunc Ecclesia facit in suis Exorcistis.

« *Dicens illi,* » spiritui immundo: « *Surde et mute spiritus,* » per effectum: quia et surdum et mutum fecerat puerum. « *Ego præcipio tibi,* » omnipotenti imperio. Sapient. XVIII, 15: *Omnipotens sermo tuus, Domine, de cœlo, a regalibus sedibus..... in mediam terram prosilivit.*

« *Exi ab eo,* » cui modo præsides, « *et amplius ne introeas in eum,* » remisso et sanato jam peccato, propter quod introeundi in eum accepisti licentiam. Joan. V, 14: *Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Si enim amplius peccatis indulsisset, tunc assumptis aliis septem nequioribus dæmon ad ipsum redivisset: *et facta fuissent novissima hominis illius pejora prioribus,* ut dicitur, Matth. XII, 45, et Luc. XI, 26. Et ideo quod dicit hic: « *Et amplius ne introeas in eum,* » non est confirmatio hominis liberati, sed potius consilium, ut de cætero locum non daret diabolo. Ad Ephes. IV, 27: *Nolite locum dare diabolo.*

« Et exclamans. »

Tertium est de nocumento dæmonis exeuntis. « *Et exclamans* » puer præ dolore affligentis dæmonis: vel, « *exclamans* » dæmon, quia exire cogebatur. Luc. IV, 41: *Exibant dæmonia a multis clamantia, et dicentia: Quia tu es Filius Dei.*

« *Et multum discerpens eum,* » corporaliter lanians, quia laceratio interiorem animæ in bono naturali significat lacerationem. Luc. X, 30: *Plagis impositis abierunt, semivivo relicto.*

« *Exiit ab eo,* » relinquens eum laceratum et semivivum. Habacuc, III, 5: *Egredietur diabolus ante pedes ejus.*

« *Et factus est sicut mortuus.* » Quantitatem exaggerat nocumenti: « *ita ut*

multi dicerent, » immobilitatem pueri considerantes, « *quia mortuus est.* » Et hoc significabat eum jam mortuum esse peccato, et vivere Deo. Ad Coloss. III, 3 : *Mortui enim estis : et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* Ad Galat. II, 20 : *Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetispsum pro me.* II ad Corinth. IV, 12 : *Mors in nobis operatur, vita autem in vobis.*

« Jesus autem tenens manum ejus, »

Hoc est, gratiam sublevationis porrigens ad opera vitæ et virtutis. Psal. LXXII, 24 : *Tenuisti manum dexteram meam : et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.*

« *Elevavit eum,* » ad altitudinem virtutis et operis. Ad Ephes. V, 14 : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Psal. CXLV, 8 : *Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos.*

« *Et surrexit,* » hoc est, sursum se corpore et mente erexit. Ad Coloss. III, 1 et 2 : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.*

27 « Et cum introisset in domum, discipuli ejus secreto interrogabant eum : Quare nos non potuimus ejicere eum?

28 Et dixit illis : Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, et jejunio.

29 Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam, nec volebat quemquam scire. »

Hic ponitur ex miraculo perfecta discipulorum instructio.

Dicuntur autem hic tria, scilicet, a discipulis illuminationis petitio : Magistri illuminatio : et salutis et illuminationis in omnem locum dilatatio.

Dicit ergo : « *Et cum introisset in domum,* » ubi seorsum cum suis accepit secreta silentia. Matth. XIII, per totum caput, seorsum autem omnia discipulis disserebat.

« *Discipuli ejus,* » qui omnia sciebant per eum cum sapientia agi. Job, V, 6 : *Nihil in terra sine causa fit, et de humo non oritur dolor.* Plato in Timeo : « Nihil ortum est sub sole cujus legitima causa non præcesserit. »

« *Secreto,* » quia scandalum fuisset coram ignorante turba infirmitatem discipulorum exponere, et mystica divinorum consiliorum aperire. Matth. VII, 6 : *Nolite dare sanctum canibus.*

« *Interrogabant eum,* » illuminationem petentes. Psal. XII, 4 : *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte.* II ad Corinth. IV, 6 : *Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu.*

« Quare nos non potuimus ejicere eum ? »

Ac si dicant : Fuitne hæc impotentia in nobis, vel in ipso ? Quia si fuit in nobis, videtur esse in te defectus, qui completam non dedisti potestatem : si autem in ipso fuit causa impotentiæ nobis collatæ, videtur resistere cui contrarium tu dixisti, Matth. XVI, 18, dicens : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Adhuc autem, Luc. X, 17 : *Reversi sunt septuaginta duo cum gaudio, dicentes : Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis, in nomine tuo.* Qualiter ergo hoc dæmonium restitit nobis, ita quod non ejecimus illud ?

« Et dixit illis, »

Ad omnia hæc dans illuminationem : « *Hoc genus* » dæmoniorum in spiritu et

in carne simul, secundum causam radicatum, « *in nullo* » potestatis remedio « *potest exire,* » ita quod non habeat potestatem in homine, « *nisi in oratione,* » quæ curat pestes mentis et spiritus, « *et jejunio,* » quod curat pestes corporis. Oratione enim Jacob vicit fratrem ad malum concitatum, Genes. XXXII, 24 : *Et ecce vir luctabatur cum eo usque mane.* Et, Infra, ℣. 26 : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi :* et benedixit eum in eodem loco. Osee, XII, 3 et 4 : *In fortitudine sua directus est cum Angelo. Et invaluit ad Angelum, et confortatas est : flevit, et rogavit eum.* Sic Tobias et Sara a se, orando, dæmonium compescuerunt [1]. Jejunio autem Ninivitæ misericordiam, ne dæmonibus traderentur, invenerunt [2]. Joel, II, 12 et 13 : *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.*

Quæritur autem cum etiam eleemosyna sit una cura peccati, quare de eleemosyna non facit mentionem, cum dicatur, Tob. XII, 9, quod *eleemosyna a morte liberat ?* Ad hoc dicendum quod eleemosyna non potest esse generale satisfactivum, quantum ad elargitiones exteriores : quia non omnes habent unde dent eleemosynam. Hic autem loquitur de generalibus satisfactivis quantum ad omnes.

Adhuc autem quæritur hic quare Dominus nec orationem, nec jejunium isti injunxit : et tamen dæmonium expulit : ergo sine oratione et jejunio exire potuit ? Ad hoc dicendum sicut sæpe diximus, quod Domini potestas in ejiciendo dæmones non fuit operans, sicut per claves, sed sicut absoluta et libera potestas, cui nihil obstat : et ideo in sua operatione non fuit opus injunctione orationis et jejunii. Sed hanc potestatem discipulis non dedit : quia hæc est potestas excellentiæ, et divina : sed potius dedit discipulis potestatem clavium, ut per ministerium instrumenti orationis, et jejunii, et exorcismorum contra malitiam dæmonis operarentur : et ideo, Matth. XVI. 19, dans potestatem ligandi et absolvendi, præmittit potestatem ligandi, dicens : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis.* Et subjungit potestatem solvendi, dicens : *Et quodcumque solveris super terram, ersit solutum et in cœlis.* Ac si dicat : Si vis ut non erret clavis, liga prius ad opera satisfactionis : et tunc solve a vinculis dæmonum, quibus ligati sunt peccatores : tunc portæ, hoc est, malitiæ dæmonum tibi non prævalebunt. In opere autem Dei et Christi absolutio præcedit ligationem : quia aliter aliena et non propria, et potestas ministri non Domini, et ligata et non absoluta potestas videretur.

Hoc est igitur quod de ministrorum potestate dicitur : « *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur,* » ministrorum potestate, « *nisi in oratione* » injuncta, « *et jejunio* » injuncto : et hoc omiserunt Apostoli : et ideo non fuit causa quod non ejecerunt, diminutio potestatis collatæ : sed potius error clavis adhibitæ ad dæmonem excludendum. Sicut adhuc multi errant, eo quod clavibus secundum debitum ordinem potestatis non utuntur. Hoc est igitur quod dicit. Quod enim minister sibi usurpet potestatem divinam et absolutam, hoc dicit esse Hieronymus de supercilio Pharisæorum, et de superbia Luciferi, qui sine merito, in summo suam voluit sedem collocare [3].

« Et inde, »

De loco illo « *profecti,* » ut ubique prædicarent, et lucem spargerent, « *prætergrediebantur,* » loca illa prætereuntes, « *Galilæam,* » ut loco in quibus prædicaverant, visitarent. Act. XV, 36 : *Ut revertentes visitemus fratres per universas*

[1] Cf. Tob. VIII, 3-10.
[2] Jonæ, III, 5 ad finem.
[3] Cf. Isa. XIV, 13.

civitates, in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo se habeant.

« *Nec volebat quemquam scire,* » ut formam daret humilitatis. Vel verius, ut in secreto docere posset discipulos. Osee, II, 14 : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.*

Hoc est ergo quod dicit :

30 « Docebat autem discipulos suos, et dicebat illis : Quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, et occident eum, et occisus tertia die resurget.

31 At illi ignorabant verbum, et timebant interrogare eum. »

Hic postquam perfecte Marcus fortitudinem Leonis de tribu Juda descripsit : quia in quolibet quatuor animalium facies hominis fuit [1], ideo hic faciem hominis in doctrina veritatis assumit : et durat hæc pars usque ad principium capitis decimi quarti, ubi de Passione agere incipit.

Et dividitur in duas partes : in quarum prima doctrinam ponit quantum ad viam justitiæ : in secunda autem docet quorumdam ad vitam et regnum justitiæ assumptionem, quorumdam autem reprobationem : et hæc incipit ibi, XI, 1 : « *Et cum appropinquaret Jesus Jerosolymæ,* etc. »

Adhuc autem prior istarum dividitur tn partes duas : in quarum prima docet viam justitiæ quantum ad idoneitatem Apostolicam : in secunda autem docet viam justitiæ quantum ad hoc quod convenit omnibus, quantum ad salutem ad regnum Dei necessariam : et hæc incipit ibi, X, 1 : « *Et inde exsurgens venit in fines Judææ,* etc. »

Adhuc autem anterior harum dividitur in quatuor, quæ ad perfectionem Apostolicam requiruntur : quorum primum est doctrina patientiæ et humilitatis : secundum autem est de debito et merito susceptionis eorum qui accipiunt a Christo officium prædicationis, ibi, ℣. 36 : « *Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit,* etc. » Tertium autem est de diligentissima scandali vitatione pusillorum, ibi, ℣. 41 : « *Et quisquis scandalizaverit unum ex pusillis his credentibus in me,* etc. » Quartum autem est de discretione habenda Prælatorum, ibi, ℣. 48 : « *Omnis enim igne salietur,* etc. »

Adhuc autem duo dicuntur in prima parte, scilicet, instructio ad pacis perfectionem, et instructio ad humilitatis profunditatem, ibi, ℣. 32 : « *Et venerunt Capharnaum,* etc. »

In primo horum duo tangit, scilicet, doctrinam patientiæ per suæ Passionis exemplum, et quod hoc erat a carnali intellectu discipulorum absconditum.

In primo horum quatuor dicuntur, scilicet modus, quo dixit : traditio, quam prædixit : Passio mortis, quam sustinuit : resurrectio, quæ horum prædictionem mitigavit.

Dicit igitur : « *Docebat autem discipulos suos.* » Docere proprie est informatio ad scientiam per causæ assignationem : unde Philosophus : « Signum sapientis est posse docere. » Et quoad hoc intelligimus quod Christus in hac doctrina causas convenientiæ assignavit, quare conveniens esset eum pati pro redemptione generis humani. Joan. XI, 51 et 52 : *Jesus moriturus erat pro gente : et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Dicit autem Chrysostomus super *Matthæum*, quod docuit naturalia sicut virtutes. Et sic intelligimus quod suæ Passionis proposuit exemplum, ad patientiæ informationem. Isa. XLVIII, 17 : *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas.* Psal. CXVIII, 68 : *Bonus es tu : et in bonitate tua doce me justificationes tuas.*

[1] Cf. Ezechiel. I, 5.

« Et dicebat illis, »

In doctrina pro redemptione hominis : « *Quoniam Filius hominis :* » quia quamvis etiam sit Filius Dei, tamen tradebatur in eo quod Filius hominis, hoc est, in natura quam accepit de homine.

« *Tradetur.* » Traditus est autem a bonis et malis : a bonis quidem, a Patre, et a seipso : a Patre quidem, sicut dicitur, ad Roman. VIII, 32 : *Etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* A seipso autem, sicut dicitur, Isa. LIII, 12 : *Pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est : et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit*, ut non perirent. A malis autem est traditus, a proditore Juda, et a Judæis : a Juda quidem, sicut, Joan. XIII, 2 : *Cum diabolus misisset in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ.* A Judæis autem, sicut dicit Pilatus, Joan. XVIII, 35 : *Gens tua, et Pontifices tradiderunt te mihi : quid fecisti ?* Sed Pater et Filius tradiderunt Filium hominis in hostiam redemptionis : Pater quidem auctoritate : Filius, obedientiæ operatione et passione. Judas autem et Judæi tradiderunt Filium hominis in mortem ad perdendum : Judas quidem, prodendo : judæi autem, accusationes condemnationis in eum coram judice proferendo.

Sic ergo Filius « *tradetur in manus hominum,* » omnibus quatuor modis, hoc est, in hominum malorum potestatem : ut malitiosam in pœnis suis satient voluntatem. Job, XVI, 11 : *Satiati sunt pœnis meis.*

« Et occident eum. »

Ecce mulcta mortis quam homines, in quorum manus traditus est, malitiose inflixerunt : sed tamen traditione Patris, per occisionem istam hostia oblata est reconciliationis mundi. Ad Hebr. X, 14 : *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Et per traditionem, qua tradidit seipsum in mortem, dilectio cum effectu liberationis nobis exhibita est. Joan. XV, 13 : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Judas autem in occisione damnatus est, Matth. XXVII, 3 et 4 : *Videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus, dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum.* Et post pauca, ℣. 5 : *Abiens, laqueo se suspendit.* Judæi autem negantes Christum (non populus Dei) abjecti et excæcati facti sunt. Daniel. IX, 26 : *Occidetur Christus : et non erit ejus populus qui eum negaturus est.* Sic ergo pro nobis occidetur.

Et quia hæc duo tristia erant valde, lætitiam magnam subjungit : ne abundantiori tristitia absorbeantur discipuli, dicens :

« Et occisus, »

In eo quod de nobis accepit pro nobis, « *tertia die,* » virtute suæ deitatis, « *resurget,* » non solum ad vitam, sed ad immortalitatis et beatitudinis gloriam. Osee, VI, 3 : *Vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos, et vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum.* Jacuit enim Christus per duas noctes et unum diem, qui intermedius fuit duarum noctium, ut dicit Augustinus, in sepulcro : ut duas nostras obscuras mortes, scilicet culpæ et pœnæ, quæ per duas noctes significantur, sua luminosa morte, quæ per diem significatur, destrueret et illuminaret. Et sic impletur quod dictum est in Psalmo CXXXVIII, 11 et 12 : *Nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur.*

« At illi, »

Præsentia corporali Christi delectati :

et scientes tantam virtutem Christi, quod sæpe ab insidiis et violentiis eorum potenter exierat, « *ignorabant verbum,* » hoc est, rem de qua est verbum : quia putabant non posse fieri quod virtus Christi succumberet malitiæ eorum : sicut et Petrus dixit, Matth. XVI, 22 : *Absit a te, Domine : non erit tibi hoc.*

« *Et timebant* » increpari, sicut Petrus increpatus fuerat, « *interrogate eum,* » de hoc verbo quod dixerat Petro : *Vade post me, satana : scandalum es mihi : quia non sapis quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum* [1].

32 « Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi essent, interrogabat eos : Quid in via tractabatis ?

33 At illi tacebant : siquidem in via inter se disputaverant quis eorum major esset. »

Tangit de doctrina humilitatis. Et habet particulas duas : in quarum prima ad hanc doctrinam veniendi datur occasio : in secunda autem, doctrinæ ponitur informatio.

In prima autem tria sunt : opportunitas scilicet sumpta ex loco, ex quæstione, et ex facto.

Dicit igitur : « *Et venerunt,* » Christus et discipuli, « *Capharnaum* : » quæ *villa pinguedinis* vel *pulchritudinis* interpretatur, ubi Christus plurimas virtutes præclarissimas ostendit. Luc. IV, 23 : *Quanta audivimus facta in Capharnaum !* Ibi ergo, ubi virtus ejus tot experimentis signorum ostensa fuit, locus conveniens doctrinæ fuit.

« *Qui cum domi essent,* » in secreto hospitii, ne coram multis redarguti confunderentur Apostoli. Matth. XVIII, 15 : *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum.*

« *Interrogabat eos.* » Non ignorans, sed ut ex responsione occasionem convenientem acciperet docendi, dicens :

« Quid in via tractabatis ? »

In via tractare consueverant de verbis auditis a Domino : nunc autem deprehensi sunt alia quidem inter se tractare. Et hoc, ut dicit Glossa, viæ conveniens fuit. Quia etiam Prælatio via quædam est instabilis, et dum tenetur labitur : et incertum est, in qua mansione, id est, qua die finiatur. Job, XIV, 2 : *Numquam in eodem statu permanet.* Eccli. X, 11 : *Omnis potentatus brevis vita.*

« At illi tacebant, »

Videntes se esse deprehensos, et nihil dicere valentes. Genes. XX, 16 : *Quocumque perrexeris, memento te deprehensam.*

« *Siquidem* » (verba sunt Evangelistæ). « *Inter se,* » ut dicit Chrysostomus, aliquid humanum passi : « *inter se,* » non apud Dominum, quia apud illum confundebantur de hoc disputare, « *disputaverant* » contentiose. Luc. XXII, 24 : *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* Luc. IX, 46 : *Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset.*

Et hoc est quod subdit :

« Quis eorum major esset »

Apud Dominum. Glossa : Hinc orta videtur disputatio, quia viderant Petrum, et Jacobum, et Joannem seorsum ductos in montem : et aliquod secretum ibi eis creditum. Et Petro dixerat claves regni cœlorum esse promissas, et Ecclesiam supra petram fidei, a qua ipse nomen acceperat, ædificandam [2]. Putabant ergo, vel alios tres cæteris, vel Petrum omnibus esse prælatum. Chrysostomus autem videtur dicere probabilius, quod sicut dicitur, Matth. XX, 20 et seq.,

[1] Matth. XVI, 23.

[2] Cf. Matth. XVI, 19.

Euntes in Jerusalem, putabant regnum Christi per apertam et sæcularem potestatem illico fore inchoandum : et in via mater filiorum Zebedæi petebat ut duo filii ejus sederent, unus ad dexteram, et alter ad sinistram in regno illo, in quo Petrus quasi princeps futurus erat : reliqui autem indignati sunt de duobus fratribus, et ideo in hanc venerunt disputationem : quæ bene *disputatio* vocatur, quia de vana mundi dignitate accepit exordium. Eccle. VI, 11 : *Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem.* Si enim de hoc disputassent tantum quod Petrus omnibus præferretur, vel quod illi tres omnibus aliis erant præpositi, ex hoc a Christo non essent redarguti : sed potius ad reverentiam ædificati, quia hoc verum fuit, et ad gradus Ecclesiasticæ dignitatis pertinuit. Dicit tamen Ambrosius, quod non disputabant ita quod quilibet præferri niteretur, et ex contentione melior alio fieri : sed potius ita quod reverentiam illis tribus tamquam præferendis dicebant exhibendam esse. Ad Roman. XII, 10 : *Honorē invicem prævenientes.* Chrysostomi expositio est litteralior : et huic continuatur textus sequens :

34 « Et residens vocavit duodecim, et ait illis : Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister. »

Hæc instructio duo continet, scilicet doctrinam, et exemplum.

De doctrina dicit : « *Et residens,* » ut quieto animo, et non ex commotione animi loqui videretur. Isa. XLII, 2 : *Non clamabit, nec accipiet personam, nec audietur vox ejus foris.*

« *Vocavit ad se duodecim,* » quia illi disputaverant. Alii enim discipuli non erant electi ad dignitates majores, sed potius in partem sollicitudinis erant vocati, sicut dicitur, Luc. X, 1.

« Et ait illis, »

Instruendo ad formam humilitatis :

« Si quis vult. »

Qui tamen rarus est, quia omnes cum diabolo petunt ascendere. Isa. XIV, 13 et 14 : *In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis... Similis ero Altissimo.* Et perrarus est qui cum Christo descendere velit et humiliari. Luc. XIV, 10 : *Recumbe in novissimo loco.*

« *Si* » ergo est « *quis,* » qui rarus est : qui « *vult* » ex propria electione et prompto (alias, proprio) animo. II ad Corinth. VIII, 12 : *Si voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est.* Nihil autem ita habet in promptu sicut humilitatem, quia causam humiliationis habet in seipso. Eccli. X, 9 : *Quid superbit terra et cinis ?*

« *Primus esse,* » apud Patrem et apud me : « *erit,* » reputatione sua, « *omnium novissimus.* » Matth. XX, 16 : *Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi.* Sic enim erit Christo similior, de quo dicitur, ad Philip. II, 8 : *Semeptisum exinanivit, formam servi accipiens.* Sic doctrinæ, ejus discipulus, Matth. X, 29 . *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.* Sic ad gratiam Dei Patris idoneus, Jacob. IV, 6, et I Petr. V, 5 : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Sic deitatis receptaculum et templum, Luc. I, 48 : *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Sic locus beatorum Dei pedum, si se ex humilitate omnibus præbeat conculcandum : et ideo dicitur, Ezechiel. XLIII, 7 : *Locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israel.* Hic locus pedum meorum, est locus humilis scabelli infimi cordis, quod omnibus se præbet conculcandum. Isa. LXVI, 1 et 2 : *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Quæ*

est ista domus quam ædificabitis mihi? et quis est iste locus quietis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, et facta sunt universa ista, dicit Dominus. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu, et trementem sermones meos? Sic ergo et istis de causis fit novissimus.

« *Et omnium minister,* » officio et actu : ut corde sit novissimus, et actione minister. Augustinus : « Honore coram vo« bis Prælatus sit, vobis timore coram « Deo substratus sit pedibus vestris. Mi« nister autem est formam servi acci« piens, et transiens, et ministrans. » Luc. xx, 27 : *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Numer. viii, 26 : *Levitæ erunt ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis.* I ad Corinth. iv, 1 : *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.*

35 « Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum : quem cum complexus esset. »

Doctrina est humilitatis per exemplum.

Dicit autem tria ; pueri istius merito ipsius humilitatis acceptationem, et in exemplum commune positionem, et dilectionis ad ipsum complexum ostensionem.

De primo dicit : « *Et accipiens puerum,* » hoc est, acceptum merito humilitatis ostendens. Dicitur enim a Principibus quod puer iste beatus fuit Martialis Lemovicensium Apostolus, qui in virtute humilitatis præ omnibus excellere videbatur, et puritate simplicitatis inter alios eminere. Unde, Matth. xviii, 3 : *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Pueri enim hæc est humilitas, quod a servo non differt (qui tamen infimus est domus) cum secundum jus hæreditatis Dominus sit omnium. Et secundum hoc vere humilis est, qui licet sit magnus dignitatis merito, tamen voluntarie descendit ad ministerium, et actum servorum. Ad Galat. iv, 1 : *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium.* Hic est servus sublimis et infimus, de quo dicitur, Isa. lii, 13 et 14 : *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros adspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum.* Iste enim quo major est, et sublimior est merito, et throno dignitatis, tanto humiliorem se reputat inter homines. Puer quidem et parvulus malitia, sed sensibus et sapientia perfectus. I ad Corinth. xiv, 20 : *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote.* Iste est de quo dicitur, Eccli. iii, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* De quo dicit Ptolemæus in Almagesto : « Qui inter sapientes est humilior, inter sapientes est sapientior. Sicut lacunæ profundiores plures capiunt aquas. » Iste enim non delectatur in throno dignitatis, cui præsidet : sed sollicitus est ministrare his quibus præponitur. I Petr. v, 3 : *Non ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Et Ptolemæus : « Est major in omnibus, qui non curat in cujus manu sit mundus. » Hoc ergo merito puerum istum acceptavit.

« *Statuit eum in medio,* » per exemplum cui quilibet se commensuraret, sic ut et de seipso dicit, Luc. xxii, 27 : *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat,* hoc est, qui habitum et actum servi accepit in cordis, et corporis, et operis humilitate.

« Quem cum complexus esset. »

Ostensione dilectionis ad ipsum : strinxit enim humilem ad osculum. Hoc significatum est, Genes. xliii, 29, ubi dixit magnus Joseph : *Iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi?* Et

rursum : *Deus, inquit, misereatur tui, fili mi.* Et, Genes. XLV, 14 : *Cum amplexatus recidisset in collum Benjamin fratris sui, flevit.* Benjamin autem fratrum suorum erat minimus. Minimos enim suos reputat, et quidquid illis fit, sibi reputat esse factum. Matth. XXV, 40 : *Quamdiu uni ex fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis.* Hic igitur Marcus omittit exempli istius doctrinam, quam positam scivit, Matth. XVIII, 4 : *Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.*

Sed de jure susceptionis istorum, qui sic humiles mittuntur a Christo, subjungens dicit :

« Ait illis :

36 Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit : et quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me. »

« *Ait illis,* » Apostolis, quibus sumptus ab his quibus prædicabant, debebantur : « *Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit,* etc. »

Dicit autem tria de recipientium merito, scilicet, quod ipse et Pater in talibus recipiuntur : quod sane docentes quamvis non bene viventes, a tali receptione non excluduntur : et quod receptio non in delictis, sed in facultate recipientis, attenditur.

Dicit ergo : « *Quisquis unum ex hujusmodi pueris,* » a puritate dictis de humilitate, et a me missis, « *receperit in nomine meo,* » ad sumptus ministrandos in prædicatione Evangelii, et in corde verbum recipiendo per devotionem fidei, « *me recipit :* » quia eum qui me portat, et loco juvat, et corpore et hospitio recipit. Luc. X, 16 : *Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit.* Sic Abraham recipiens Angelos, hoc est, Dei nuntios, Deum recipit benedictionem consequendo [1]. Sic Lot Angelos Dei nuntios recipiens, Deum recipit liberationem ab incendio promerendo [2]. Sic Rahab meretrix, recipiens Dei nuntios, annumerata est populo Dei excidium peccatorum evadendo [3]. Ad Hebr. XIII, 2 : *Hospitalitatem nolite oblivisci : per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio receptis.*

« Et quicumque me suscipit, »

In talibus parvulis, « *non me suscipit* » tantum, « *sed eum qui,* » prima auctoritate « *me misit :* » quia ille in me manens omnia opera facit. Joan. XIV, 10 : *Pater in me manens ipse facit opera.* Attendere autem debent Prælati Ecclesiarum, quod ut parvuli recipiuntur : parvuli autem non recipiuntur in equis plurimis, et apparatu magno : et ideo Prælati in magna pompa venientes non sunt nuntii Christi, sed potius nuntii Nabuchodonosor regis, qui Holofernem in tanta misit virtute, quod terra non potuit eum sustinere [4]. Sed in parvulis Pater et Filius suscipiuntur, numquam sunt sine Spiritu sancto, quem mittunt omnibus se suscipientibus. II ad Corinth. XII, 14 : *Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos : et non ero gravis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos.* Non enim multo apparatu venit, qui tertio veniens gravis non fuit.

« Respondit illi Joannes, dicens : 37
Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, et prohibuimus eum.

38 Jesus autem ait : Nolite prohibere

[1] Genes. XVIII, 2 et seq.
[2] Genes. XIX, 1 et seq.
[3] Josue, II, 2 et seq.
[4] Cf. Judith, II et III.

eum. Nemo est enim qui facit virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me.

39 Qui enim non est adversum vos, pro vobis est. »

Hic tangitur implicite quod si aliquis venit in doctrina sana parvulorum, quamvis non habeat vitam, acceptione et ministerio sumptuum non est arcendus : et hoc est quod hic intelligitur. Et ideo duo hic dicuntur, scilicet, perversus intellectus Apostolorum, quod tales sint arcendi : et correctio perversitatis ad rectitudinem veritatis Evangelii.

Dicit igitur : « *Magister,* » cujus doctrinæ est standum, « *vidimus,* » quia Joannes hic vice omnium loquebatur Apostolorum, « *quemdam,* » nomine non dignum. Psal. xv, 4 : *Non memor ero nominum eorum per labia mea.*

« *In nomine tuo,* » hoc est, in fide nominis tui : et hoc non potuit esse nisi in doctrina sana, « *ejicientem dæmonia :* » sic in digito Dei, hoc est, in demonstratione virtutis divinæ dæmonia ejecit. Luc. xi, 20 : *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.*

« *Qui non sequitur,* » merito virtutis et imitatione sanctitatis, « *nobiscum,* » te quem nos sequimur, « *et prohibuimus eum,* » volentes ut quicumque te annuntiat, habeat idoneitatem Apostolicam, tam ex virtutis merito quam ex doctrina sana veritatis in verbo. Hoc autem magnum damnum generaret in Ecclesia : quia multi annuntiant Christum non ex vitæ merito, et tamen multa bona faciunt in Ecclesia : unde, ad Philip. i, 17 : *Quidam ex contentione Christum annuntiant non sincere.* Et, post pauca, ℣. 18 : *Quid enim ? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuntietur : et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.* Et ideo hunc errorem corrigit Christus in Apostolis.

Et hoc est :

« Jesus autem ait »

Illis, docens tales esse tolerandos : « *Nolite prohibere eum,* » quia licet sibi noceat, multis tamen prodest in Ecclesia. Matth. xxiii, 3 : *Quæcumque dixerint, facite : secundum opera vero eorum nolite facere.* Isti enim in laude Dei linguis loquuntur Angelorum, et doctrina fidei linguis loquuntur hominum : sed non habentes charitatem, verbo suo quo aliis prosunt, se ipsos percutiunt. I ad Corinth. xiii, 1 : *Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.*

« *Nemo enim est qui facit virtutem,* » sive signum, « *in nomine meo,* » notam faciens de me in doctrina sua, « *et possit,* » convenienter, « *cito male loqui de me :* » quia nisi pervertat doctrinam, male loqui non potest : et hoc cito fieri non potest quamdiu nomen Christi invocat. Matth. vii, 22 et 23 : *Domine, Domine, nonne in nomine tuo multas virtutes fecimus ? Et tunc confitebor illis : Quia numquam novi vos.*

« Qui enim non est adversum vos, »

Doctrinæ perversitate, « *pro vobis est :* » quia idem docet vobiscum. Et ideo, ut dicit Glossa, non est arcendus ab eo quod habet, sed provocandus ad id quod non habet. Luc. ix, 50 : *Nolite prohibere : qui enim non est adversum vos, pro vobis est.* Econtra autem si esset adversarius doctrinæ sanæ perversa docendo, prohibendus esset : quia de illo dicitur, Matth, xii, 30, et Luc. xi, 23 : *Qui non est mecum, contra me est : et, qui non colligit mecum, dispergit.*

« Quisquis enim potum dederit vo- 40
bis calicem aquæ in nomine meo,

quia Christi estis, tamen dico vobis, non perdet mercedem suam. »

Tangit hic tertium quod receptio constituitur in facultate recipientis.

Et hoc est : « *Quisquis enim,* » homo, « *potum dederit vobis,* » ad refrigerium in evangelizando ut sustentemini, « *calicem :* » vas in quo propinatur hic aqua, *calix* vocatur, quia in calore charitatis administratur et suscipitur, « *aquæ frigidæ* : » omne quod appetitum naturalis desiderii famis et sitis refrigerat, hic dicitur *aqua frigida:* « *in nomine meo,* » hoc est, in honore nominis mei et notitia, « *quia Christi estis,* » hoc est, uncti ad evangelizandum. Isa. LXI, 1 : *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me : ad annuntiandum mansuetis misit me.*

« *Amen dico vobis,* » hoc est, vere dico vobis, « *non perdet mercedem suam,* » quia inde recipiet vitam æternam. Glossa dicit *calicem aquæ frigidæ* : ne paupertate et penuria lignorum aliquis se excuset, quibus aquam calefaciat. Sic, III Reg. XVIII, 4, Abdias pane et aqua pascebat centum Prophetas Domini, et spiritum meruit Prophetiæ. Sic et Ramalech Æthiops pascens et liberans Jeremiam Prophetam, liberatus est a Chaldæis [1]. Sic, III Reg. XVII, 10 et seq., Mulier vidua pascens Eliam meruit quod non defecit tempore famis. Matth. X, 41 : *Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* Jerem. XXXI, 16 : *Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis : quia est merces operi tuo.* Ad Hebr. VI, 10 : *Non injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministratis.*

Hoc est ergo quod dicit.

40 « Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me, bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur. »

Hoc est tertium de diligentissima scandali pusillorum vitatione. Exaggerat autem hic scandali vitationem per duos modos, quorum unus est magnitudo pœnæ : et alter magnitudo damni, quod subeundum est antequam aliquis scandalizetur.

Dicit igitur : « *Et quisquis,* » hoc est, quicumque sine personarum acceptione, « *unum de pusillis istis.* » Pusilli hic dicuntur modicæ adhuc fidei, qui scandalizari possunt, hoc est, qui adhuc sunt in fide infirmi, et de levi ad illicita per mala Prælatorum exempla provocati. I ad Corinth. VIII, 12 : *Sic peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.*

« *Credentibus in me,* » quamvis non perfectam et confortatam devotione charitatis adhuc habeant fidem, « *scandalizaverit,* » hoc est, malo verbo vel facto occasionem ruinæ dederit. Matth. XVIII, 7 : *Væ mundo a scandalis.* Et, ibidem, ℣. 6 : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt.* Et, infra, ℣. 10 : *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis.* Herodiana enim malitia est necare parvulos in Christo recenter renatos.

« *Bonum est ei magis,* » hoc est, melius est ei, « *si circumdaretur,* » fune, « *mola asinaria,* » hoc est, mola quam asinus trahere consuevit, « *in collo ejus,* » ut vitales partes superiores in profundum trahantur, « *et,* » sic cum mola ligatus, « *in mare* » profundum « *mitteretur,* » ad litteram, quia sic submersus in peccato suo moreretur : et non puniretur propter hoc quod efficitur causa ruinæ multorum, pro quibus omnibus punitur. Matth. XVIII, 6 : *Expedit*

[1] Jerem. XVIII et XIX.

ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Et ut dicit Glossa, loquitur secundum morem provinciæ. Hæc enim pœna majorum (alias, malorum) criminum erat. Et revera, melius est innoxium pœna atrocissima temporaliter finire vitam corporalem, quam lædendo fratrem mortem animæ mereri perpetuam. Alia autem Glossa dicit : « Nota quod in bono opere nostro aliquando cavendum est scandalum proximi, aliquando pro nihilo habendum. In quantum enim sine peccato possumus, vitare scandalum debemus : si autem de veritate scandalum est, utilius irasci permittitur, quam veritas relinquatur : sed in hac Glossa, *scandalum* dicitur quæcumque conturbatio proximorum pusillorum. Quæstionem autem de scandalo nos jam notavimus [1].

42 « Et si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam : bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inexstinguibilem,

43 Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur.

44 Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum : bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inexstinguibilis,

45 Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur.

46 Quod si oculus tuus scandalizat te, ejice eum : bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis,

Ubi vermis eorum non moritur, et **47**
ignis non exstinguitur. »

Secundum est, in quo exaggeratur scandalum per damnum, quod potius quam scandalum est subeundum : et tangit tria : de manu scilicet, pede, et oculo.

De *manu* quidem dicit : « *Et si scandalizaverit te,* » hoc est, si causam vel occasionem ruinæ, verbo vel facto minus recto tibi dederit, « *manus tua,* » hoc est, ille qui pro te operatur sicut manus tua, et qui te defendit sicut dextera tua, « *abscinde eam,* » per separationem tui ab ipso, et relinque illum. Non enim loquitur de membrorum corporalium detruncatione, sed potius de scandalizantium nobis conjunctorum separatione. Matth. XVIII, 8 : *Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, et projice abs te.*

Et subjungit rationem : « *Bonum,* » hoc est, utilius « *est tibi debilem,* » hoc adjutorio amici temporalis destitutum, « *introire in vitam,* » scilicet æternam, in quam intrabis si causam cadendi in peccatum a nullo accipies, « *quam duas manus,* » hoc est, duo adjutoria, « *habentem,* » tuum scilicet, et amici, « *mitti,* » propter causam ruinæ, « *in gehennam ignis,* » hoc est, in infernum. Hoc verbum, ut dicit Hieronymus, novum in Evangelio Salvator posuit pro inferno, quod ante eum in nullo auctore positum invenitur. Sumptum est autem a Josue XVIII, 16, quia quidam Ennom habuit vallem, in quam jugis erat ignis sacrificiorum idolorum. Unde *gehennom* est idem quod vallis Ennom [2] : et quia ibi multus et jugis erat ignis, propter hoc ignem dæmonum infernalem ab illa valle denominavit. Jerem. VII, 31 et 32 : *Ædificaverunt excelsa Topheth, quæ est in valle filii Ennom : ut incenderet filios*

[1] Cf. Enarrationes in Matthæum, XVIII, 6 et seq. Tom. XX hujusce editionis.

[2] Josue, XVIII, 16 : *Descenditque in Geennom (id est, vallem Ennom) juxta latus Jebusæi ad austrum,* etc.

suos et filias suas igni : quæ nec præcepi, nec cogitavi in corde meo. Ideo ecce dies venient, dicit Dominus, et non dicetur amplius Topheth, et vallis filii Ennom, sed Vallis interfectionis.

Hac ergo similitudine dicit : « *In gehennam ignis inexstinguibilis,* » quia ignis ille a verbo sententiæ Domini sumit virtutem. Et quia verbum suum nihil habet contrarium, ideo ignis ille exstingui non poterit. Ignis enim ille nec virtutem consumendi ea quæ cremat, nec naturam illuminandi habet, ut dicit Gregorius, nisi ad ea quæ molesta sunt et invite videntur : sed a sententia Domini habet virtutem affligendi reum. Isa. XXVI, 11 : *Ignis hostes tuos devoret.* Deuter. XXXII, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.*

« Ubi vermis eorum non moritur. »

Vermis hic dicitur conscientiæ remorsus, qui non cessabit in eis.

« *Et ignis,* » afflictivus, non consumptivus, « *non exstinguetur,* » quia ex quo non consumit, numquam ei deerit materia. Judith, XVI, 21 : *Dabit ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum.* Eccli. VII, 19 : *Vindicta carnis impii ignis et vermes.*

« Et si pes tuus, »

Hoc est, ille qui te portat sicut pes, et supportat te in labore vel sollicitudine, « *scandalizat te,* » verbo vel facto minus recto tibi dat causam ruinæ vel occasionem, « *amputa illum,* » per tuam ab ipso sequestrationem : hoc est enim periculum in falsis fratribus. Jerem. IX, 4 et 5 : *Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam : quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet : et vir fratrem suum deridebit, et veritatem non loquentur.* Hic ergo talis pes est scandalizans. Proverb. XXV, 19 et 20 : *Dens putridus, et pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ, et amittit pallium in die frigoris.* Talis enim pes et supportationem subtrahit in die angustiæ, et pallium charitatis non expandit in die tentationis, quando refrigescit charitas multorum.

Et hic ergo pes amputandus est, quia « *bonum,* » hoc est, utile « *est tibi claudum,* » tali amico te supportante carentem, « *introire in vitam æternam,* » in qua supportante te de cætero non indigebis, et quia Angeli te supportabunt. Luc. XVI, 22 : *Factum est ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Vel, « *in vitam* » gratiæ in quam te Sancti portabunt. Ad Roman. XV, 1 : *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere.* Ad Galat. VI, 2 : *Alter alterius onera portate.*

« *Quam duos pedes habentem,* » hoc est, duas supportationes, tuam et amici scandalizantis, « *mitti,* » per ruinæ causam, vel occasionem, « *in ignem æternum.* » Isa. XXX, 33 : *Præparata est ab heri Topheth, a rege præparata, profunda, et dilatata. Nutrimenta ejus, ignis et ligna multa : flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.*

Et hoc est quod subdit : « *Inexstinguibilem,* » quem flatus Domini, hoc est, spiritus iræ Domini continue succendit.

« Ubi vermis eorum non moritur. »

Isa. XIV, 11 : *Subter te sternetur tinea, et operimentum tuum erunt vermes.*

« *Et ignis non exstinguetur.* » Isa. L, 11 : *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis : de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.*

« Quod si oculus tuus, »

Hoc est, consultor, vel provisor, vel gubernator, qui tibi est pro oculo, « *scandalizet te,* » verbo vel facto minus recto : tibi dat causam casus, vel occasionem. Thren. III, 51 : *Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.* Matth. VI, 23 : *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.*

« *Erue eum,* » per tui ab ipso separationem. Numer. XVI, 26 : *Recedite a tabernaculis hominum impiorum.*

« *Bonum est tibi,* » hoc est, utile, « *luscum,* » sive monoculum : ut non nisi tuam ipsius providentiam, et consilium, et gubernationem, in temporalibus habeas, « *introire in regnum Dei,* » ubi multi tibi providebunt, et consulent : de quibus dicitur, Ezechiel. I, 18, quod plena sunt animalia oculis ante et retro.

« *Quam duos oculos,* » hoc est, duplicem provisionem vel consilium, *habentem,* » tuum proprium, et mali amici. Luc. XVI, 8 : *Filii hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.*

« *Mitti,* » propter peccatum cui ille dat causam, vel occasionem, « *in gehennam ignis.* » Matth. XXV, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus.*

« Ubi vermis eorum non moritur. »

Tunc dentem acuit in æternum. Job, XXI, 26 : *In pulvere dormient, et vermes operient eos.*

« *Et ignis non exstinguetur,* » quia nec materia ejus consumitur, nec contrarium habet a quo corrumpatur. Isa. LXVI, 24 : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur : et erunt usque ad satietatem visionis omni carni,* hoc est, beatis.

« Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur. **48**

Bonum est sal : quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis ? **49**

Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos. » **50**

Hoc est quartum de habenda discretione circa regnum subditorum.

Dicuntur autem hic tria : quorum primum est, de salis utilitate : secundum, de salis sanctificatione: tertium autem, de salis insulsi nocivitate. Glossa autem quædam dicenda dictis continuat, dicens : « Quia tertio mentionem facit ignis et vermis, ostendit quomodo utrumque valeamus vitare : ut vermes sale arceantur, et ignis inferni igne sancti Spiritus depellatur. »

Et hoc est quod dicit : « *Omnis enim,* » supple, homo, vel Dei « *victima,* » quæ se ipsam in sacrificium Deo obtulerit, sicut dicitur, ad Roman. XII, 1 : *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.*

Talis igitur omnis homo, et omnis hostia, ad hoc ut Deo placeat, « *igne salietur.* » Effectum ponit pro causa per metonymiam : quia sal exsiccat et purgat : unde sensus est : Igne exsiccatur et purgatur : nihil enim ita purificat corpora putrescentia, sicut ignis : quia ignis humorem putridum de profundo extrahit, et consumit : et partes quæ humorem putridum generant abjiciendo constringit, ne iterum putredinem vel regenerare, vel emittere possint. Volens ergo Dominus per simile in spiritualibus ostendere Apostolis et Prælatis, qualiter sapienter et discrete regant subditos, ita quod omnino sint bonus odor Deo, docet quod igne arceant, tam in se quam in aliis, fœtorem putrescentis concupiscentiæ : et omnia quæcumque cogitant et loquuntur vel operantur, sale condiantur sapientiæ.

Ignis autem est quadruplex : sed primus causa est trium aliorum ignium.

Primus quidem est ignis Spiritus sancti, Act. II, 3 : *Apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum*, scilicet Spiritus sanctus. Deuter. IV, 24 : *Deus tuus ignis consumens est.*

Secundus ignis est fervor charitatis, Luc. XII, 49 : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ?* Ezechiel. I, 13 : *Hæc erat visio discurrens in medio quatuor animalium, splendor ignis, et de igne fulgur egrediens.*

Tertius ignis est fervor devotionis in affectu orationis. Psal. XXXVIII, 4 : *Concaluit cor meum intra me : et in meditatione mea exardescet ignis.* Iste est ignis sacrificii et holocausti, quod Deo incenditur. Levit. VI, 12 : *Ignis in altari semper ardebit.*

Quartus ignis est iræ per zelum bonum, vindicantem et urentem in se quod dolet admisisse. Psal. XXV, 2 : *Ure renes meos, et cor meum : et vide si via iniquitatis in me est*[1]. Psal. XVI, 3 : *Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.* Eccli. XXVII, 6 : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.* Tribulatio autem ista, vel est a se facta, aut in se ex zelo vindicat quod dolet admisisse, vel ab alio illata patienter suffertur, ut per tribulationem ab admissis malis expurgetur. Sapient. III, 6 et 5 : *Tamquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holocausti hostiam accepit illos, et invenit illos dignos se.*

Igitur ignis Spiritus sancti purificat spiritum, cui illabitur : ignis autem charitatis purificat affectum, quando affectus charitate informatur : ignis autem devotionis purificat desiderium, ut Deo dignum sacrificium offeratur : ignis autem tribulationis vindicantis purificat loca delectationum, ne in peccatis quis delectetur : et sic secundum unam quamdam, quæ ibidem est Glossam, illud Apostoli, I ad Corinth. III, 13, intelligitur : *Uniuscujusque opus quale sit ignis probabit.* Et infra, ℣. 15 : *Si cujus opus arserit*, quod super fundamentum fidei ædificavit, *detrimentum patietur : ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Sic ergo legenda est littera :

« *Omnis* » homo, vel « *omnis* » hostia, « *igne* » isto quadruplici « *salietur*, » hoc est, ad saporem suavitatis divinæ, et exsiccationem et restrictionem fœtoris deducetur. Genes. VIII, 21 : *Odoratus est Dominus odorem suavitatis*, et benedixit eis.

« *Et omnis* » homo, vel « *victima sale*, » sapientiæ et discretionis, « *salietur*, » hoc est, omnis victima sale debet esse salita. Levit. II, 13 : *In omni oblatione tua offeres sal.* Quia nihil oblatum Deo placet, quod sale discretionis et sapientiæ divinæ omnia condientis, non est salitum. Job, VI, 6 : *Numquid poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum ?* Attende autem, quod etiam nimis salsum habet saporem abominabilem : et ita innuitur quando in rebus tanta adhibetur discretio, quantam natura negotii exigit : et tanta sapientia, tunc sufficit : et si magis aliquis adhibeat quam exigit negotii qualitas, abominabile est. Ad Roman. XII, 3 : *Dico per gratiam Dei, quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Matth. V, 13 : *Vos estis sal terræ*, quia Apostolica sapientia cuncta sunt condienda : fatuus enim *insulsus* vocatur.

« Bonum est sal, »

Hoc est cunctis condiendis est utile sal. Unde Ambrosius : « Inter omnia quæ creasti, non minimam gratiam con-

[1] Cf. Psal. CXXXVIII, 24.

ferre dignatus es sali : ut ex illo possint universa condiri. » Et hoc significatum est, IV Reg. II, 20 et seq., ubi Eliseus sanavit aquas per immissionem salis, ita quod non erat ultra in eis mors vel sterilitas : quia insipida humanæ conversationis condivit sale discretionis et sapientiæ divinæ : ut de cætero nec mortem proferret in peccatis, nec sterilitatem pateretur in otiosis et fatuis. Sic ergo bonum est sal.

« *Quod si sal insulsum fuerit.* » Sal est insulsum quando non condit : et hoc est quando Prælatus ad communem populi sæcularis convertitur insipiditatem. Matth. V, 13 : *Quod si sal evanuerit*, etc. [1].

« *In quo illud* » sal « *condietis,* » quo ad saporem salis revertatur ? Ac si dicat : In nullo : quia si salis est sal, tunc ut probat Philosophus, ibitur in infinitum, et sic numquam devenitur ad condiens primum : et sic intolerabile damnum est, si sal sit insulsum. Cavete ergo ne sal insulsum efficiatur. Ad Coloss. IV, 6 : *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus.*

« Habete »

Ergo « *sal in vobis,* » ut in vobis sapor sit sapientiæ, quæ magis dicitur a *sapore* quam a *sapere* : ut in vobis nullus sit fœtor libidinis, nihil insulsum fatuitatis : quia sic alios condietis. Unde, IV Reg. II, 20 : *Afferte mihi vas novum, et mittite in illud sal.* Vas enim innovatum, spiritus est innovatus, qui debet esse sal ne fœtorem contrahat, et ut habeat unde alios condiat : quia aliter Prælatus esse non potest.

« Et pacem habete in vos, »

Quia salis sapor asper est aliquando, et purgativus : ideo monet ut quando alios condiunt, diligenter caveant ne pacem unitatis Ecclesiæ rumpant : quia (sicut diximus) si nimis aliquid saliatur, abominabile efficitur : unde Glossa : « Qui sapienter loquitur, magnopere metuat, ne ejus eloquio audientium unitas rumpatur. » Nolite rumpere pacem, sed estote *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* [2]. Sic conditos esse et condire alios jubet Apostolus, ad Galat. VI, 1 : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite illum in spiritu lenitatis : considerans teipsum, ne et tu tenteris.* Quod enim dicit, *præoccupatum in aliquo delicto,* notat insulsum. Quod autem addit, *instruite illum,* notat salis apponendum condimentum. Quod vero subdit, *in spiritu lenitatis,* etc., notat sollicitos esse debere, ne per nimiam salis appositionem provocent ad amaritudinem : et sic pacis violent unitatem. Hoc est ergo quod dicitur hic Apostolica idoneitate.

[1] Luc. XIV, 34 : Si *autem sal evanuerit*, etc. Alia versio habet : *Quod si sal infatuatum fuerit*, etc.

[2] Ad Ephes. IV, 3.

CAPUT X.

Nullo modo dimittendam uxorem adstruit aliam ducendo : parvulos complexus, benedicit eis : dives qui præcepta a juventute observarat, non amplectitur Christi consilium de omnibus divendendis : quid referent præmii qui omnia relinquunt : rursum suam prædicit passionem : occcasione ambitionis filiorum Zebedæi docet discipulos quod non ostensione dominii, sed officio ministerii debeant esse majores : Bartimæum cæcum sanat.

1. Et inde exsurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem [1] : et conveniunt iterum turbæ ad eum, et sicut consueverat iterum docebat illos.
2. Et accedentes Pharisæi interrogabant eum : Si licet viro uxorem dimittere, tentantes eum.
3. At ille respondens, dixit eis : Quid vobis præcepit Moyses ?
4. Qui dixerunt : Moyses permisit libellum repudii scribere, et dimittere [2].
5. Quibus respondens Jesus, ait : Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud.
6. Ab initio autem creaturæ, masculum et fœminam fecit eos Deus [3].
7. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit ad uxorem suam [4],
8. Et erunt duo in carne una [5]. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.
9. Quod ergo Deus conjunxit homo non separet.
10. Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum.
11. Et ait illis : Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam.
12. Et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, mœchatur.
13. Et offerebant illi parvulos ut tangeret illos : discipuli autem comminabantur offerentibus.
14. Quos cum videret Jesus, indigne tulit, et ait illis : Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos : talium enim est regnum Dei.
15. Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.
16. Et complexans eos et imponens manus super illos, benedicebat eos.
17. Et cum egressus esset in viam, procurrens quidam, genu flexo ante eum, rogabat eum : Magister bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam [6] ?
18. Jesus autem dixit ei : Quid me dicis bonum ? Nemo bonus, nisi unus Deus.

[1] Matth. XIX, 1.
[2] Deuter. XXIV, 1.
[3] Genes. I, 27.
[4] Genes. II, 24 ; Matth. XIX, 5 ; I ad Corinth. VII, 10 ; ad Ephes. V, 31.
[5] I ad Corinth. VI, 16.
[6] Matth. XIX, 16 ; Luc. XVIII, 18.

19. Præcepta nosti : Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum et matrem [1].
20. At ille respondens, ait illi : Magister, hæc omnia observavi a juventute mea.
21. Jesus autem intuitus eum, dilexit eum, et dixit ei : Unum tibi deest : vade, quæcumque habes vende et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me.
22. Qui contristatus in verbo abiit mœrens : erat enim habens multas possessiones.
23. Et circumspiciens Jesus, ait discipulis suis : Quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt!
24. Discipuli autem obstupescebant in verbis ejus. At Jesus rursus respondens, ait illis : Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire!
25. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei.
26. Qui magis admirabantur, dicentes ad semetipsos : Et quis potest salvus fieri?
27. Et intuens illos Jesus, ait : Apud homines impossibile est, sed non apud Deum : omnia enim possibilia sunt apud Deum.
28. Et cœpit ei Petrus dicere [2] : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te.
29. Respondens Jesus, ait : Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me et propter evangelium,
30. Qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus, et in sæculo futuro vitam æternam.
31. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi [3].
32. Erant autem in via ascendentes Jerosolymam : et præcedebat illos Jesus, et stupebant, et sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ essent ei eventura [4] :
33. Quia ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis, et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus :
34. Et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum : et tertia die resurget.
35. Et accedunt ad eum Jacobus et Joannes [5], filii Zebedæi, dicentes : Magister, volumus, ut quodcumque petierimus facias nobis.
36. At ille dixit eis : Quid vultis ut faciam vobis?
37. Et dixerunt : Da nobis ut unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua.
38. Jesus autem ait eis : Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibo? aut baptismo quo ego baptizor baptizari?
39. At illi dixerunt ei : Possumus. Jesus autem ait eis : Calicem quidem quem ego bibo bibetis, et baptismo quo ego baptizor baptizabimini :
40. Sedere autem ad dexteram meam

[1] Exod. xx, 13. et seq.
[2] Matth. xix, 27; Luc. xviii, 28.
[3] Matth. xix, 30.
[4] Luc. xviii, 31.
[5] Matth. xx, 20.

vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est.

41. Et audientes decem, cœperunt indignari de Jacobo et Joanne.

42. Jesus autem vocans eos, ait illis : Scitis quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis, et principes eorum potestatem habent ipsorum [1].

43. Non ita est autem in vobis : sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister :

44. Et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus.

45. Nam et Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis.

46. Et veniunt Jericho [2] : et proficiscente eo de Jericho, et discipulis ejus, et plurima multitudine, filius Timæi, Bartimæus cæcus, sedebat juxta viam mendicans.

47. Qui cum audisset quia Jesus Nazarenus est, cœpit clamare et dicere : Jesu, fili David, miserere mei.

48. Et comminabantur ei multi ut taceret. At ille multo magis clamabat : Fili David, miserere mei.

49. Et stans Jesus præcepit illum vocari. Et vocant cæcum, dicentes ei : Animæquior esto : surge, vocat te.

50. Qui, projecto vestimento suo, exsiliens venit ad eum.

51. Et respondens Jesus dixit illi : Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei : Rabboni, ut videam.

52. Jesus autem ait illi : Vade, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, et sequebatur eum in via.

IN CAPUT X MARCI

ENARRATIO.

« Et inde exsurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem. »

Tangit hic communem omnium instructionem pertinentem ad salutem.

Dividitur autem hæc pars in duas : in quarum prima perfectam omnium eorum, quæ ad salutem pertinent, ponit doctrinam. In secunda autem, ad faciem Leonis se convertens, per miraculum ponit doctrinæ confirmationem, ibi, ℣. 46 : « *Et veniunt Jericho*, etc. »

Prima harum adhuc duas habet partes : in quarum prima, ponit ea quæ ad salutem exiguntur ex parte nostra : in secunda autem, ponit ea quæ salutem perficiunt ex parte sua, ibi, in medio ℣. 32 : « *Et assumens iterum duodecim*, etc. »

Adhuc autem prior harum in tres dividitur partes : in quarum prima, ponitur doctrina salutis secundum legem naturæ, instituta in paradiso : in secunda, ponitur doctrina simplicis humilitatis, ostensa in Salvatoris exemplo, ibi, ℣. 13 : « *Et offerebant illi parvulos*, etc. » In tertia, ponitur doctrina salutis cum perfectionis fastigio, ibi, ℣. 17 : « *Et cum egressus esset in via*, etc. »

In prima harum tria continentur, scilicet, occasio hujus doctrinæ salutis ex parte turbæ ad salutarem doctrinam confluentis : in secunda, ponitur occasio

[1] Luc. II, .

[2] Matth. XX, 29 ; Luc. XVIII, 35.

ejusdem ex parte Pharisæi tentantis : et in tertia, occasionata ponitur doctrina salutis.

In primo horum quatuor dicuntur, scilicet, loci in quo discipulos specialiter docuerat relictio : loci competentis ad salutis doctrinam petitio : turbæ requirentis doctrinam devotio : et consueta doctoris doctrinæ salutis propositio.

Dicit igitur :

« Et exinde, »

Hoc est, de Galilæa, « *exsurgens,* » ut aliis prodesset qui in aliis locis morabantur : unde Glossa : « Hucusque ea quæ in Galilæa fecit et docuit. Hic narrat quæ in Judæa fecit, et docuit, et passus est : et primo quæ trans Jordanem ad Orientem : deinde quæ extra Jordanem quando venit Jericho, et Bethaniam, et Jerusalem. » Et est hæc Glossa continuans gesta quæ narrat Marcus secundum locorum in quibus facta sunt successionem.

Spiritualiter tamen doctor salutis Dominus (inquam) exsurgit, quia corda audientium sursum erigit, sicut sol se exaltans cuncta ad se trahit quæ lumine suo tangit. Eccle. I, 5 : *Oritur sol, et occidit : et ad locum suum revertitur.* Eccli. XLIII, 2 : *Sol, vas admirabile opus Excelsi.*

Sic ergo, « *exinde exsurgens,* » et se exaltans in lumine, quædam loca relinquit, et ad quædam accedit. Relicta vel despiciens, propter indevotionem : vel sibi relinquens, ad propriæ fragilitatis considerationem : vel tentationi exponens, propter virtutis exercitationem.

De primo horum dicitur, Matth. XXIII, 38 et 39 : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, non me videbitis amodo.* Job, XXIV, 13 : *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* Tales sol exsurgens deserit, sicut lumen deserit cæcos a se aversos : quosdam autem deserit ad suæ fragilitatis considerationem. Cantic. I, 7 : *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum.* Hoc est, si tu, quæ pulcherrima es pulchritudine et compositione virtutis, ignoras te per oblivionem propriæ fragilitatis, egredere, hoc est, egredieris de sereno tuæ lucis quæ te tenet et venustat : et statim relicta sequeris vestigia gregum ad modum bestiarum : et abi dissoluta effecta, et pasces sensuum delectatione hœdos fœtidos, et pecorinos motus, juxta tabernacula pastorum, hoc est, ad similitudinem aliorum pastorum pecorinos motus pascentium. Psal. LXXX, 13 : *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum : ibunt in adinventionibus suis.* Sic Paulus de lumine æternæ contemplationis projectus est in stimulum carnis [1]. Quosdam autem deserens, tentationi exponit ad virtutis exercitationem, Tobiæ, XII, 13 : *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* In hoc sensu dicitur, Mich. VII, 8 : *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.* In tenebris enim tentationis caute et patienter sedens, ad lucem pro certo consolationis deveniet. Tob. III, 21 et 22 : *Hoc pro certo habet omnis qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur : si autem in tribulatione fuerit, liberabitur : et si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris : quia post tempestatem, tranquillum facis : et post lacrymationem et fletum, exsultationem infundis.* In hoc sensu dictum est illud Psalmi CXXXVIII, 12 et 11 : *Nox sicut dies illuminabitur : et nox illuminatio mea in deliciis meis.* Psal. XVII, 29 et 30 : *Deus meus, illumina tenebras meas : quoniam in te eripiar a tentatione.*

Sic ergo exinde exsurgens,

[1] Cf. II ad Corinth. XII, 7.

« Venit in fines Judææ ultra Jordanem. »

Describit locum ad quem venit doctor salutis, ut ex loci congruitate intelligatur opportunitas doctrinæ. Unde Glossa : « Cum omnis Judæorum provincia generaliter ad discretionem aliarum gentium Judæa dicta sit, specialius tamen meridiana plaga dicitur Judæa, ad distinctionem Galilææ, et Decapoleos, et cæterarum in eadem provincia regionum. »

In hujus ergo plagæ meridianæ « *fines venit* » Jesus causa docendæ salutis. Joan. x, 40 : *Abiit iterum trans Jordanem in eum locum, ubi erat Joannes baptizans primum, et mansit illic.* Illuc autem venit tam propter prophetiæ vaticinium, quam propter Joannis testimonium. De primo dicitur, Isa. ix, 1, 2 : *Trans Jordanem Galilææ gentium, populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam.* De secundo dicitur, Joan. x, 41 et 42 : *Multi venerunt ad eum, et dicebant : Quia Joannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.*

Et hoc est quod sequitur :

« Et conveniunt iterum turbæ ad eum, et sicut consueverat iterum docebat illos. »

Hic tangitur doctrinæ occasio sumpta ex turbarum devotione.

Dicuntur autem hic tria : turbarum ad audiendum devotio, consueta Domini ad docendum dignatio, et doctrinæ salutis impertitio.

De primo dicitur : « *Et convenerunt* » in cor unum et animam unam, « *iterum turbæ ad eum,* » sicut sæpius fecerant turbæ : quæ quamvis per errorem Pharisæorum se turbarent, tamen turbationem erroris eorum vincentes, conveniunt ad eum sicut ad salutis doctorem. Genes. xlix, 2 : *Congregamini, et audite, filii Jacob, audite Israel patrem vestrum.* Eccli. li, 31 : *Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum* doctrinæ et *disciplinæ.* Deuter. xxxiii, 3 : *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.*

Convenerunt autem turbæ tripliciter : primo, per principia fidei adjuvante intellectu ex ipsis errorum varietatibus. II ad Corinth. x, 5 : *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Sic congregari oravit qui dixit, Psal. cv, 47 : *Congrega nos de nationibus,* hoc est, de errore nationum : *ut confiteamur nomini sancto tuo* (libera confessione fidei), *et gloriemur in laude tua.* Secundo, convenerunt adunatione sensuum in puram cordis contemplationem. Isa. xlvi, 8 : *Redite, prævaricatores, ad cor.* Redite, inquam, per sensuum exteriorum a mundi vanis spectaculis aversionem. Et iterum : Redite per aversionem sensuum interiorum (qui sunt sensus communis, imaginatio, phantasia, æstimativa, et memoria) ad intellectum simplicem. Psal. lxxxiv, 9 : *Loquetur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.* Sicut, Joan. iv, 16, mulieri audituræ verba Domini (quæ ante per quinque viros dissoluta, lascivia ferebatur) dicitur : *Voca virum tuum,* unica unicum, *et veni huc.* Tertio, convenerunt omnem vim cordis per intentionem adunantes in Christi verbum. Nehem. seu II Esdræ, viii, 3 : *Aures omnis populi erant erectæ,* hoc est, ad superiora actæ : quia totam mentis convolutionem, ut dicit Dionysius, adunaverant in Deum.

« Et ideo sicut consueverat. »

Consuetæ enim benevolentiæ exhibuit effectum. Eccli. xxiv, 46 : *Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam.* Antequam enim ad ipsum lux cordis, et intelligentiæ nostræ sibi præbeatur, ipse prævenit docens : probans illud Joannis, i, 9, esse verum : *Erat lux vera, quæ*

illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Unde sicut consuetum est luci lucere, sic consuetum erat Christo docere.

Sic ergo

« Docebat illos. »

Docere autem, ut dicit Chrysostomus, est id quod suadetur et proponitur, humanis exemplis et rationibus probare et credibile facere. » Isa VIII, 1 : *Scribe in eo stylo hominis*, hoc est, quod humanus possit accipere intellectus. Habacuc, II, 2 : *Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat qui legerit eum.* Quidam autem hoc non faciunt, sed alta docent : et dicunt quæ docere similitudinibus et rationibus intelligibilibus sibi fastum excitant, et non auditoribus utilitatem faciunt. Contra quod dicitur, I ad Corinth. II, 4 : *Non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus.* Isa. XXXIII, 19 : *Populum impudentem non videbis, populum alti sermonis, ita ut non possis intelligere disertitudinem linguæ ejus, in quo nulla est sapientia.* Quidam autem loquentes non docent nisi opiniones contentiosas, quæ doceri non possunt : quia phantasticæ sunt, et erroribus vicinæ : cujus signum est, quia sunt singulares et Christianæ fidei non concordantes. II ad Timoth. II, 14 : *Noli contendere verbis : ad nihilum enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* Et ideo verbum Dei modo hominis doceri debet, et digito Dei cordibus inscribi. Modo hominis, sicut dicitur, II Esdræ, VIII, 8 : *Legerunt in Libro Esdras et Nehemias et Levitæ distincte, et aperte ad intelligendum : et intellexerunt audientes, cum legeretur.* Ad hoc in Ecclesia datur clericis Ordo, qui vocatur *Lectorum.* Digito autem Dei scribitur, quando indicio expresso divinæ virtutis et Spiritus sancti hoc quod dicit confirmatur. I ad Corinth. II, 13 : *Loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes.* Sic, Exod. XXXIV, 29, descendit Moyses de monte, populo quem docturus erat, per modum docendi se coaptans. Sic portavit in manibus, hoc est, in operibus tabulas digito Dei conscriptas.

Sic ergo, « *sicut consueverat docebat illos* : » aliter enim indocti a sapientia sua recessissent.

« Et accedentes Pharisæi interrogabant eum : Si licet viro uxorem dimittere, tentantes eum. » 2

Tangitur hic hujus doctrinæ occasio sumpta ex malitia tentantis. Sicut enim docendo ex charitate, profuit studiosis : ita ex veritate retundit dentem rabidi canis, ne lacerare possit doctrinam conventus malignantium, error professus, et interrogando malignus syllogismus cornutus, et quarto, perversus intentionis eorum conatus.

Primum notatur in hoc quod dicit : « *Et accedentes,* » scilicet, ad se invicem et ad multitudinem, ut se armarent : et ad turbas, ut studiosos se callide simularent : et ad Christum, ut pietatem falsam prætenderent, sub cujus pallio facilius decipere possent. De primo dicitur, Matth. XXII, 15 et 16 : *Abeuntes Pharisæi, consilium inierunt ut caperent Jesum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis.* Ubi dicit Chrysostomus : « A veritate se nudos esse professi sunt, qui multitudine se armaverunt. » Sic ergo ad se accesserunt, ut sibi fierent mutuæ malitiæ præsidium. Psal. LXVII, 31 : *Congregatio taurorum in vaccis populorum.* Ad turbas autem accesserunt, ut amorem studii mentirentur : unde Glossa : « Magna est distantia inter turbas, et Pharisæos : hæ conveniunt ut doceantur et infirmi curentur, sicut aperte dicit Matthæus, XX, 29 et seq., et Matth. XII, 23 et 24, ubi turbæ attribuerunt virtutes Christo filio David in lege promisso : Pharisæi autem e con-

tra spiritui immundo. Illi autem, hoc est Pharisæi, ut tentando decipiant accedunt. Has enim devotio pietatis, illos adducit stimulus livoris.» Matth. VII, 15 :*Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Job, I, 6 : *Quadam die cum venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.* Accesserunt etiam ad Christum, ut pietatem falsam prætenderent. II ad Timoth. III, 5 : *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Eccli. I, 40 : *Accessisti maligne ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo et fallacia.*

« Pharisæi. »

Ecce malignantium error professus. Exsecrata enim invidia sub falso nomine religionis, veniunt in hypocrisi mendacium loquentes. Pharisæi enim *divisi* interpretantur : quia specie falsæ religionis, vel potius superstitionis, ab aliis se diviserant : sicut qui majus studium haberent, propter quod hypocritæ sæpe vocantur [1]. Proverb. XI, 9 : *Simulator ore decipit amicum suum : justi autem liberabuntur scientia.* Job, XXXVI, 13 : *Simulatores et callidi provocant iram.*

« Interrogabant eum. »

Ecce interrogando malignus syllogismus cornutus. Cornutus enim syllogismus est, qui quidquid dicatur ad contradictionem tentat arguere : quem Philosophi *elenchum* vocare consueverunt. Dicuntur autem hic duo, scilicet, modus, et syllogismus. Modus innuitur in hoc quod dicit : « *Interrogabant eum.* » Interrogatio enim propositio est quærens, et eliciens respondentis consensum. Eccli. XIII, 14 et 15 : *Ne credas multis verbis illius : ex multa enim loquela tentabit te, et subridens interrogabit te de absconditis tuis. Immitis animus illius conservabit verba tua, et non parcet de malitia et de vinculis.*

« Si licet. »

Hæc enim est materia cornuti syllogismi : unde Glossa : Cornuto syllogismo tentant, et quidquid respondeat capere putant. Si dicit dimittendam, et aliam ducendam, pudicitiæ prædicator sibiipsi videtur contraire : si non dimittendam, reus sacrilegii et contra doctrinam Moysi, et per Moysen contra doctrinam Dei facere. In hoc autem cornuto syllogismo significatur, Genes. XLIX, 17 : *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro.* Dan enim est, ex quo semen procedit Antichristi : quod in veritate fuerunt Pharisæi colubri, quia umbras latebrarum insidiando semper coluerunt. Cerastes autem sunt, per cornutum syllogismum quo tentant, quia cerastes serpens est cornutus. Hi momorderunt ungulas equi, quia vectorum Dei semper observaverunt vestigia per insidias detrahentes : et quam potuerunt etiam ipsum ascensorem Christum cadere facere conati sunt. Psal. LXXIV, 11 : *Cornua peccatorum confringam : et exaltabuntur cornua justi.*

Dicunt ergo, si licet

« Viro uxorem dimittere. »

Matth. XIX, 3 : *Si licet homini uxorem suam dimittere quacumque ex causa?* Quia secundum traditiones Hebræorum diversis ex causis dimiserunt. Deuter. XXIV, 1 : *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua.* Super hanc igitur legem fundant quæstionem, non curantes discere, sed

[1] Cf. Matth. XXIII, 14 et seq.

potius salutis doctorem in sermone capere, et reprehensibilem coram turba facere : et sic salutis fructum in turba impedire. Psal. x secundum Hebræos, 9 : *Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua. Insidiatur ut rapiat pauperem : rapere pauperem dum attrahit eum.* Proverb. xi, 27 : *Qui investigator malorum est, opprimetur ab eis.*

Est autem notandum quod quamvis in jure matrimonii ad paria judicentur vir et mulier, tamen lex non facit mentionem de muliere, quod possit dimittere virum propter aliquam fœditatem : quamvis a Judæis semper observetur, sic quod æqualiter possit uxor dimittere virum sicut vir uxorem. Et hoc est factum tribus de causis : quarum una est, quia non adeo fortis et dura est indignatio uxoris in virum, sicut viri in uxorem : et ideo non ita in periculo est vir ex odio uxoris, sicut uxor ex odio viri : et ideo tacuit lex de muliere quando permisit libellum repudii : mulier enim mollis est, et cordis humidi, et de facili placatur : et hoc significatum est, Genes. xxxiv, 3, ubi corruptam Dinam Sichem tristem delinivit blanditiis, ita quod adhæsit ei contra patrem, et matrem, et fratres : et contra consuetudinem suæ religionis. Alia causa est, quia viro per legem datur, quod sit caput uxoris, quod regere vel reficere habet corpus : et non e converso. Genes. iii, 16 : *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* Tertia causa, quia mulier per se subjacens multis fœditatibus, et laxam habens carnem et non porosam, non ita corrumpitur fœditatibus viri, sicut vir propter oppositam complexionem corrumpitur fœditatibus mulieris : et ideo in dimittenda uxore mentio fit de viro et non de uxore. Ezechiel. xvi, 7 : *Eras nuda, et confusione plena.*

Adhuc autem notandum, quod secundum antiquam legem Romanorum, non dimittebatur uxor nisi ex unica causa : si scilicet sterilis ad unum et non ad alium esse credebatur. Tunc Imperator et Senatus, cujus erat intentio populare regnum, permisit dimitti uxorem : et sic Marcia separata fuit a Catone : et sic aliquando fuit in lege naturali : et de hoc secundum litteralem sensum loquitur beatus Job, xxiv, 20 et 21, ubi loquitur de maledictione ejus, qui in nuptiis quærit sterilem, et abjicit fœcundam, dicens : *Non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum. Pavit enim sterilem quæ non parit, et viduæ bene non fecit,* hoc est, ei quam a se separavit, ut suæ libidini cum sterili vacaret, sicut *equus et mulus quibus non est intellectus* [1]. Ex omnibus his patet quod non fuit umquam intentio legislatoris per se de libello repudii, sed per accidens : et hoc posterius erit manifestum.

Hoc est igitur quod dicunt : « *Si licet viro uxorem dimittere?* » Et quia permissio hæc legis multorum malorum fuit occasio in populo, eo quod multi dimittebant uxores suas, et alias ducebant, ideo Dominus hanc legem quasi arguere videtur, Malach. ii, 13 et 14 : *Operiebatis lacrymis altare Domini fletu, et mugitu, ita ut non respiciam ultra ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra. Et dixistis : Quam ob causam? Quia Dominus testificatus est inter te et uxorem pubertatis tuæ, et quam tu despexisti : et hæc particeps tua, et uxor fœderis tui.* Ac si dicat : Sub prætextu repudii violatis fœdera sacramenti a Deo instituta, et uxoris sic per calumniam dimissæ, plorantis ante altare meum : et ideo vobis placari non possunt : sed propter duritiam odii vestri ad eas, permissum est vobis, ne occidatis eas : sed coram Deo peccatum est, qui propter sacrificia non placatur. Hæc omnia attendentes Pharisæi perplexam et cornutam ex perplexa et cornuta lege proponunt quæstionem.

[1] Psal. xxxi, 9.

« Tentantes eum. »

In quo intelligitur perversus intentionis eorum conatus : non enim intentione discendi, sed tentandi quæstionem proposuerunt. Matth. XXII, 18 : *Quid me tentatis, hypocritæ ?* Psal. LXXVII, 41, et CVI, 11 : *Conversi sunt et tentaverunt Deum : et consilium Altissimi irritaverunt.* Contra hoc quod dicitur, Deuter. VI, 16 : *Non tentabis Dominum Deum tuum.* « Tentator autem est, ut dicit Hugo de sancto Victore, qui quærit movere et inducere ad aliquod illicitum. » I ad Corinth. X, 9 : *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt.* Congrue autem tentatores perierunt a serpentibus, quia serpentes primi fuerunt tentatores.

3 « At ille respondens, dixit eis : Quid vobis præcepit Moyses ?

4 Qui dixerunt : Moyses permisit libellum repudii scribere, et dimittere. »

Occasionata ex præmissis ponitur doctrina salutis.

Dividitur autem in partes tres : in quarum prima, de Scriptura legis quæritur ut doctrinæ detur occasio : in secunda, doctrinæ veritatis ponitur promulgatio : in tertia, doctrinæ non satis intellectæ ponitur plena interpretatio.

In primo horum tria dicuntur, scilicet, Christi ad tentantes responsio, præcepti Moysi inquisitio, et ipsius præcepti per Pharisæos propositio.

Et hoc est quod dicit : « *At ille,* » doctor veritatis, « *respondens, dixit eis.* » Sic dicit Glossa : « Dominus sic temperat responsum, ut transeat decipulam. » Proverb. I, 17 : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.*

« Quid vobis præcepit Moyses ? »

Inquisitio est præcepti Mosaici. Dicit autem : « *Quid vobis præcepit Moyses ?* » et non dicit, quid vobis præcepit Deus ? Quia istud non a Deo, neque secundum Dei intentionem, et justitiæ ordinem, et legis intentionem spiritualem processit : sed potius malitia carnalium, et concupiscentia carnis hoc extortum est : unde Glossa : « Sane intellectam in testimonium adducit naturalem legem, primamque Dei sententiam secundæ opponens, quæ non voluntate Dei, sed peccantium necessitate concessa est. » Eccli. XXIV, 33 : *Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum.* Joan. IX, 28 : *Tu discipulus Christi sis, nos autem Moysi discipuli sumus.*

« Qui dixerunt. »

Præceptum Moysi adducunt in medium tamquam legis zelum habentes :

« *Moyses permisit.* » Coacti ipsa veritate dicunt Moysem hoc permisisse. Quod autem sic permittitur, a necessitate peccantium extorquetur, ne pejus aliquod fiat : sicut et lex humana (sicut dicit Augustinus) permittit meretricem, et usuras : et quæ sic permittuntur, sic fiunt ut temporaliter a judice non puniantur, sed æternum et divinum judicium non evadunt : unde doctorum distinctio est, quod quædam præcipiuntur, et quædam conceduntur, quædam autem indulgentur, et quædam permittuntur. Præcipiuntur quidem, sine quibus non est salus : conceduntur autem specialia privilegia pro dignitate personarum et meritorum, sicut dicitur, I Machab. II, 54 et seq. : *Phinees, pater noster, zelando zelum Dei, testamentum sacerdotii æterni. Jesus, dum implevit verbum, factus est dux in Israel. Caleb, dum testificatur in ecclesia, accepit hæreditatem. David, in sua misericordia, consecutus est sedem regni in sæcula. Elias, dum zelat zelum legis, receptus est in cœlum. Ananias, et Azarias, et Misael, credentes, liberati sunt de flamma. Daniel, in sua simplicitate, liberatus est de ore leonum.*

Quod autem indulgetur est veniale, sicut dicit Augustinus : sicut ex libidine uxorem cognoscere : et ideo dicit Apostolus de talibus, I ad Corinth. VII, 6 : *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Permissum autem in lege a legislatore, extortum est, ne pejus aliquid fiat : sicut libellus repudii : quia sicut dicitur, Jerem. V, 8 : *Equi amatores et emissarii facti sunt : unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat* [1]. Et amore secundarum nuptiarum primas uxores occidebant. Et ideo ne occiderentur, maluit Moyses ut sub fœditatis nomine dimittentur : et ideo lacrymas uxorum dimissarum Dominus improperat Judæis, Malach. II, 13 et 14, dicens : *Operiebatis lacrymis altare Domini fletu, et mugitu, ita ut non respiciam ultra ad sacrificium vestrum... Et dixistis : Quam ob causam ? quia Dominus testificatus est inter te et uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti : et hæc particeps tua, et uxor fœderis tui.*

Adhuc autem quædam consulit lex, et quædam in exemplum proponit, et quædam laude magna extollit. Consulit autem, sicut consilia ad quæ non omnes obligantur, sicut virginitatem, viduitatem, et voluntariam paupertatem. I ad Corinth. VII, 25 : *De virginibus autem præceptum Domini non habeo : consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino.* In exemplum proponit eximiæ sanctitatis viros, propter quorum merita aliis parcitur. Exod. XXXII, 13 : *Recordare Abraham, Isaac, et Israel quibus jurasti per temetipsum,* etc. [2]. Laudat vero opera supererogationis, Luc. X, 35 : *Quodcumque supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi.* II ad Corinth. XII, 15 : *Ego libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris.*

Sic ergo Pharisæi non intelligentes dicunt veritatem, dicentes : « *Moyses permisit libellum,* » in memoriam facti, ne postea negari posset, «*repudii,* » quia causam repudii continebat, quæ secundum legem erat aliqua fœditas conjunctionem maritalem impediens : sicut est maxime sterilitas, vel arctitudo, propter quam cognosci non poterat, vel immunditia continui fluxus menstrui, vel putredinis in inguinibus : hæc enim et alia impediebant conceptum, et abominabilem reddebant uxorem : et has fœditates postea carnalis populus ad solum odium convertit, propter odium uxorem dimittens : unde, Malach. II, 15 et 16 : *Custodite spiritum vestrum, et uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere. Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel.* Odium autem cum sit inveterata ira, causa est homicidii : et adhuc si mulier certitudinaliter experta est odium viri quærentis eam occidere, non teneretur viro cohabitare durante tali odio, nisi cautionem præstaret quod eam nec affligeret, nec occideret. Non enim fides thori servatur ab eo, qui uxorem ad thorum ideo afficit et recipit, ut eam in thoro occidat. Et ideo uxoricidæ secundum antiquas leges puniebantur in matrimonio contra quod deliquerunt, ut scilicet deinceps uxores non acciperent.

Hac ergo de causa permisit libellum repudii « *scribere,* » in quo fœditates superius inductæ scribebantur : et quas vir de muliere probare tenebatur : « *et* » sic « *dimittere* » a thoro per divortium. Et sic per odium multæ bonæ mulieres dimittebantur, quod erat contra fidem matrimonii, et contra substantiam sacramenti : cujus substantialis diffinitio est, quia est legitimarum personarum conjunctio, individuam vitæ consuetudinem retinens. Et erat contra hoc bonum matrimonii, quod bonum Sacramenti vocatur : quod est signum individuæ conjunctionis spiritus creati cum increato : quæ unitas nullo modo est dividenda : unde

[1] Cf. Ezechiel. XXII, 11.

[2] Cf. Exod. XIII, 5. Cf. etiam Genes. XII, 7 ; XV, 7 et XLVIII, 16.

de talibus conqueritur Dominus, Malach. II, 11 et 12: *Contaminavit Judas sanctificationem Domini, quam dilexit, et habuit filiam dei alieni. Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum*, scilicet in Israel. Sanctificatio enim Domini, quam dilexit Dominus, est castitas matrimonialis, individuitatem spiritus creati cum increato significans. Hoc autem contaminatur quando propter libidinem alterius mulieris, separatio quæritur. Et filia dei alieni ducitur, quando alia quæ divisionem libidinis, et non unitatem spiritus designat. Hoc est enim fornicari a Domino. Psal. LXXII, 27: *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Divisio enim in plures indicat fornicationem et divisionem spiritus a Domino : qui in plures spargitur alliciente libidine.

5 « Quibus respondens Jesus, ait : Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud.

6 Ab initio autem creaturæ, masculum et fœminam fecit eos Deus.

7 Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit ad uxorem suam.

8 Et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. »

Tangit doctrinæ veritatis probationem, et veritatis probatæ conclusionem.

In probatione veritatis dicit tria, scilicet, duritiæ cordis extorquentis libellum repudii, detestationem : ad naturalem legem, repudii discrepationem : ad legem disciplinæ in Paradiso ante peccatum datam, dissimilitudinem.

Dicit igitur : « *Ad duritiam*, etc. » Unde, Matth. XIX, 8, dicitur sic : *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras.* Et est sensus : « *Ad duritiam cordis vestri* » cogentem et extorquentem permissionem legis, « *scripsit* » Moyses « *vobis*, » non Deo vel legislatori, « *præceptum istud.* » Jerem. XVII, 1 : *Peccatum Juda scriptum est in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum.* Unde Glossa : *Moyses dicit*, quasi dicat : Hominis est consilium, non Dei, hoc est, Moyses tunc humane consuluit uxoribus dimittendis : et non attendit fidem, et significatum sacramenti, et naturæ legem, et institutionem : quia illa tempore Moysi peccatum vitiaverat : et ideo oportuit ut intentio legislatoris aliquantulum cederet iniquitati et furori concupiscentiæ, tempore non revelatæ gratiæ : unde Dominus ratione talium carnalium legum dicit corrigendam esse legem. Jerem. XXXI, 31 et 32 : *Feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt : et ego dominatus sum eorum.* Quod Apostolus exponens, ad Hebr. VIII, 7 et seq., ait : *Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit : Ecce dies venient, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel, et super domum Juda, testamentum novum : non secundum testamentum quod dedi patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti : quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus.* Ex quo patet quod tales leges negligunt observantem, et non beatificant : quia per necessitatem peccati sunt exortæ, ne pejus aliquid committeretur.

Hoc est igitur quod dicit : « *Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis* Moyses *præceptum istud.* » Deuter. XXXI, 27 : *Scio contentionem tuam, et cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me et ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum : quanto magis cum mortuus fuero ?* Isa. XLVIII, 8 : *Scio quia prævaricans prævaricaberis, et trans-*

gressorem ex ventre vocavi te. Act. VII, 51 : *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis.*

« Ab initio autem, etc. »

Scilicet, non fuit sic.

Inducit ad legem de libello repudii naturalis legis discrepationem.

Dicit ergo : « *Ab initio autem creaturæ,* » cum Deus ad imaginem suam crearet hominem, et institueret eum lege naturali, « non fuit sic : » quia naturalis lex omnino ad licita instituit hominem : de qua dicitur in Psalmo IV, 6 et 7 : *Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona ? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Ac si dicat : Non oportet quod sequamur ignorantiam multorum quærentium : quis ostendit nobis bona facienda, vel mala vitanda ? quia lumen vultus tui in lumine naturalis legis signatum et descriptum est super nos, hoc est, in ratione mentis nostræ quæ super nos est : quod docet quæ secundum intentionem Dei facienda sunt, et quæ peccatis hominum permittuntur : hæc enim ratio dictat fidem uxoriam, et fœdus matrimonii non esse violandum : et ideo, Malach. II, 15, ubi de eadem lege loquitur, mittit nos ad spiritum mentis et rationis dictantem quid de talibus sit tenendum, dicens : *Custodite spiritum vestrum, et uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere.*

Et hoc est « *ab initio creaturæ.* » Et hoc est, quando in natura nihil fuit nisi quod Deus creavit. Eccle. VII, 30 : *Fecit Deus hominem rectum : et ipse se infinitis miscuit quæstionibus.* Eccli. XVII, 1 et 2 : *Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum. Et iterum convertit illum in ipsam, et secundum se vestivit illum virtute.*

Et hoc est quod intendit per hoc quod sequitur : « *Masculum,* » unicum, « *et fœminam,* » unicam, « *fecit eos Deus.* » Non enim fecit uni fœminæ duo masculos, vel plures : nec uni masculo fecit duas, vel plures fœminas : ut cum repudiaret unam, assumeret aliam. In quo facto ostendit fœminam per fidem et legem Dei conjunctam masculo numquam esse repudiandam. Hoc enim omni naturæ consonum est, sicut naturæ ab ipso Creatore inditum, et insitum et inseminatum. Nullum enim mobile plus habet quam unum motorem immediatum : nec aliquod patiens plus habet, quam unum agens proximum : et in omnibus animalibus (cum quidem distincti sexus) in ipsis embryonibus, et ovis eorum, non nisi duo sexus congregantur. Quia sexus masculinus est ingrediens in guttam fœminæ, sicut spiritus in corpus, ut dicit Philosophus, nec umquam duo spiritus in unum corpus ingrediuntur : nec duo corpora uni aptantur spiritui.

Si autem objicitur quod est in uno conceptu : sed nihil prohibet unam fœminam successive concipere a duobus viris, et sic separari ab uno, et conjungi alii. Dicemus ad hoc quod natura hominis alia est, quam natura alterius animalis : natura enim hominis ratio est, et ideo rationes vocis naturales dicuntur, quia sunt homini naturales : unde Tullius dicit in fine Primæ Rhetoricæ, quod « jus naturale est, quod non opinio ge« nuit : sed innata quædam vis inseruit. » Natura autem homini dictat, non tantum de generatione prolis, sed etiam de cura et educatione prolis, usque ad perfectionem virium et ætatis, quousque curare possit de se ipsa : ad hoc autem exigitur quod pater certitudinem habeat de nato quod suus sit, et de corpore suo exierit. Quia ex hoc dictat ei natura, sicut dicit Philosophus, quod sicut de corpore exivit cum parte substantiæ corporis, per quam negotiari potuit in substantia nutrimentali ad corporis perfectionem, ita exire deberet de domo cum parte facultatum domus patris, per quam negotiari possit ad perfectionem suæ domus : quia sic natus, pignus naturæ mortalis vocatur : et sic homo naturaliter est animal conjugale, et œconomicum, et civile.

Talis autem cura de nato non potest esse patris, nisi certa sit uxor : quia si certa sit uxor, tunc fide uxoris certificatur suus esse natus. Certa autem non potest esse uxor, nisi per thori fidem : et sic fides thori facit matrimonium. Fides autem thori est de individuitate vitæ : individuitas autem vitæ, non nisi ad unam haberi potest : et ideo nisi per dispensationem aliter fiat, secundum legem naturæ non potest esse nisi unica unius. Dispensationem autem dicimus sicut factum fuit tempore non revelatæ gratiæ, quando pauci erant fideles : tunc enim dispensabatur quod unus fœcundaret plures, ut cum propagatione seminis fieret etiam propagatio religionis. Et hoc est quod ex ordine naturæ hic probat summa sapientia Christus, quod « *ab initio creaturæ masculum* » unum, « *et* » unam « *fœminam fecit Deus.* »

Et addit :

« Propter hoc, »

Scilicet matrimonium, « *relinquet homo patrem et matrem,* » ita quod filia relinquet patrem, ne sibi matrimonialiter societur : et filius relinquet matrem, ne eam ducat in matrimonium. Et est hæc lex disciplinæ matrimonii : quia naturale non est quod pater et mater qui de suo habent in natis, jungantur ei quod suum est. Hoc enim in nulla natura contingit, quod aliquid ei quod suum est iterum conjungatur. Jam enim id quod patris est, ei quod matris est in procuratione prolis est conjunctum : et ideo non amplius conjungendum.

Dicit autem : « *Relinquet,* » non relinquit : quia Heva de costa Adæ accepta fuit, et quasi filia Adæ fuit, et illi conjuncta : sed ulterius filia patri conjungenda. Et hæc sola persona in lege naturæ a conjugio excipiebatur, scilicet, quod filia non accepit patrem, et filius non accepit matrem : et hoc ideo, quia naturæ fugientis per mortalitatem pignus est nata vel natus : nec retineri potest natura in parentibus, quæ fugit et deficit : et ideo per pignus ordine retinenda est in aliis posteris, abeuntibus parentibus : sicut succus a radice propagatur in ramos, ut dicit Augustinus, et non e converso : unde, Levit. xx, per decursum, præcipit Dominus, quod pater et mater natis in matrimonio vel concubitu non conjungantur.

« Et adhærebit, »

Per individuam vitam, quæ cum pluribus esse non potest, « *uxori suæ,* » cujus et ipse est vir : suus autem, et per reciprocam servitutem esse non potest duarum. I ad Corinth. vii, 4 et 5 : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem.* Si autem haberet duas, si poneretur quod simul uno tempore peterent debitum, oporteret quod altera a suo debito defraudaretur. Adhuc autem, sicut dicit Aristoteles, quod veros amicos decet esse non multos, eo quod ea quæ pro amicis sunt facienda, multis non possunt exhiberi : sic etiam uxores non decet esse multas : quia fides thori, et uxorius affectus, et redditio debiti, et procuratio domus, et cura natorum et familiæ non possunt multis exhiberi. Matrimonium enim est officium civile, et ad beatitudinem civium in cura domus est exhibendum, ut dicit Aspasius.

Sunt enim quatuor in matrimonio attendenda, scilicet quod est officium naturæ, quod est bonum mortalis vitæ, et quod est officium civile, et quod est sacramentum Ecclesiæ. In hæc enim quatuor genera incidit matrimonium. In officium naturæ est simpliciter institutum in paradiso : et sic est unica uni : hoc enim sufficit ad naturæ generationem : et sicut dicit Philosophus, « natura numquam « deficit in necessariis, et numquam « abundat superfluis. » Et si dicitur quod masculus naturaliter movetur ad

plures. Hoc sicut dicit Philosophus, per accidens est, scilicet, ex humoris abundantia superflua, quæ non convenit homini secundum statum naturæ primum et simplicem : et sic loquitur hic Dominus, et Matth. XIX, 9.

Secundum autem, quod ipsum est bonum mortalis vitæ, sicut dicit Augustinus in libro de *Bono conjugali*, sic ipsum est ad solam prolis procreationem, in qua tamquam in pignore, natura fugiens teneatur ne deficiat : et hoc modo attendendum est, quod non est proles, quæ statum naturæ dissipat et confundit, et quæ humanis non studet, sicut Plato in *Politegiis* (alias, *Politegnis*) dicit : sed illa est pignus naturæ, quæ parentem restituit in omni bono humano, hoc est, quæ justitiam amat, et pietatem colit, et intellectualibus (quæ sola humana sunt) dat operam et studium impendit.

Hanc autem prolem tam in profusione seminis, quam in casu seminis in matricem, et in toto tempore imprægnationis, et in cibis matris, et in exitu de matrice, et in omni educatione oportet esse perfectam : quia aliter nec complexionem, nec compositionem membrorum, nec vires animæ, nec operationes habebit ad justitiæ amorem, et ad pietatis cultum, et studium intellectualium perfectionum. Talis autem cura non potest pluribus impendi uxoribus : ex coitu enim multo cum pluribus mulieribus virtus in masculis destituitur, et efficitur semen immaturum. Si autem mulier sæpe cum pluribus coeat, pro certo sterilis efficitur : quia sæpe in matrice semen fusum, per frequentem coitum exsiccata, non retineretur ; sed exstillatur et ejicitur : et sic ad talem prolem pertinet, quod una sit unius, secundum quod matrimonium est bonum naturæ, et officium civile : quod per constructionem domus est populans civitates.

Jam ex prædictis patuit, quod unus non sufficit ad plures domos procurandas. In domo enim, sicut dicit Aristoteles, paterfamilias est sicut Imperator et Rex : et uxor, sicut Imperatrix et Regina : et nati sunt sicut principes : et clientuli, sicut vasalli. Et ideo sicut corruptio urbanitatis et regni est plures simul imperare, sic corruptio boni œconomi est plures viros conjungi in una domo, vel plures uxores jungi uni viro in una domus dispensatione. Et ideo conditores antiquarum legum Romanorum præceperunt, quod una esset unius uxor, et non plures : sicut dicunt Cetina et Achalus antiquissimi Pontifices Romanorum in libro quem de Religione deorum conscripserunt. Hac ergo de causa quamvis gentes Babylonicæ et Persarum et Græcorum, quæ civilitatem colebant, plures habere concederent uxores, tamen una sicut domina domus præ aliis habebatur, ne dispensatio domus per plures dissolveretur. Sic legitur Judic. v, 29, de Sisara cui erat *una sapientior cæteris uxoribus ejus*. Hac ergo de causa Assuerus præ cæteris coronavit primum Vasthi [1] : et postmodum illa repudiata coronavit Esther, cum tamen plurimas haberet uxores. Sic etiam dictum est illud, Cantic. VI, 7 et 8, secundum sensum litteralem : *Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea.*

Quartum autem est, quod cadens matrimonium in genere sacramenti, sic fundatur super fidem Christi implicitam vel explicitam : et sic consensus legitimarum personarum ad contrahendum efficit ipsum, et copula carnalis perficit ipsum : ita quod ex tunc non pari voto continentiam solemniter voventium potest separari : quæ perfectio in matrimonio ex solo consensu non fuit, cum ante carnalem copulam alter conjugum etiam reclamante alio ad frugem melioris vitæ poterat convolare, et alteri dabatur nu-

[1] Cf. Esther, I et II, 17.

bendi licentia. Et sic matrimonium est in duplici usu : prout enim est Ecclesiasticæ congregationis, sic per fidem thori honestas conservatur officii : per bonum prolis multiplicatio fit fidelium, quia bonum prolis est quod in fide et timore Dei suscipitur, et ad religionis Christianæ observantiam educatur : et per bonum sacramenti, hoc est, signi illius quod est individuitas personarum, deservit fidei Christianæ : quia sic præsignat individuam unionem spiritus creati et increati ad perfectam omnium bonorum fœcunditatem tam in gratia quam in gloria, sicut dicitur, I ad Corinth. VI, 17 : *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Et hic est usus matrimonii in bonum. Alium autem usum habet in ordine a malo : sic est in medicinam, ut dicit Augustinus : quia morbida concupiscentia, quæ ruitura esset in præceps per solutum concubitum, per medicamentum matrimonii honestate excipitur nuptiarum : et sicut dicit Apostolus, I ad Corinth. VII, 2 et 5 : *Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque virum suum habeat... Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Hoc igitur modo accipiendo matrimonium, sic cum tempore fuit sacramentum Ecclesiæ : quia Ecclesia numero fidelium numquam deficit, ex quo esse mundus incepit : sed non fuit in medicinam actualem, nisi post statum vel lapsum peccati. Si autem isto quarto modo consideretur, non potest esse nisi unica unius : quia individuitas sacramenti ad plures salvari non potest.

Omni ergo modo consideratum matrimonium, si secundum perfectum et optimum statum suum consideretur, semper requirit quod una sit unius : et sic Dominus dicit :

« Et erunt duo, »

Agens, et patiens : imprægnans, et imprægnatum : unum ad spiritum, et alterum ad corpus : unum regens, et alterum rectum : unum ex se in altero generans, et alterum in se ex altero suscipiens generationem, « *in carne una* » conceptæ prolis. Quia quamvis sexus distincti sint in conjugibus, vires tamen et humiditates sexuum uniuntur in carne susceptæ prolis : et gutta maris ingreditur in guttam fœminæ, sicut spiritus pulsans et vitalis ingreditur in corpus : quia in vitalem pulsantem spiritum convertitur semen, quod est gutta viri. Et ex paucioribus quam duobus una caro prolis constitui secundum naturam non potest. Ex pluribus etiam quam talibus fieri non potest : quia duæ (alias, duo) agentes se invicem corrumpunt, et nihil efficiunt secundum naturam. Similiter duæ guttæ patientes non movent se invicem, sed coadunatæ simul, putrescunt et corrumpuntur. Duæ etiam guttæ agentes in uno et eodem patiente, et se et patiens corrumpunt secundum naturam. Et ideo quando duæ guttæ ex uno et eodem coitu dividuntur in matrice, oportet dividi sanguinem matris, ut gemini nascantur : quod utraque gutta divisim habeat suum patiens, ne monstruosa fiat generatio, et corrupta. Et si ex duobus coitibus duas concipiat mulier guttas vel plures, oportet etiam successive ministrato sanguine menstrui, fieri imprægnationem super imprægnationem. Et ideo in generatione gutta viri est faciens : et in adjutorium assumitur gutta fœminæ, in qua gutta viri perficiat convenientem sibi generationem. Genes. II, 18 : *Non est bonum esse hominem solum : faciamus ei adjutorium simile sibi.* Tob. VIII, 8 : *Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adjutorium Hevam.*

Hæc est igitur expositio litteralis.

Tamen quædam Glossa dicit, quod « *erunt duo in carne una,* » hoc est, in uno carnali opere : vel « *una carne,* » hoc est, in una reciproca carnali servitute. Sed prima expositio litteralior est :

quia et una carnalis commistio, et reciproca servitus ordinantur (ut ad finem) ad unitatem carnis in prole constituta : unde Glossa Interlinearis : « Præmium nuptiarum est, e duobus unam carnem fieri : castitas juncta spiritui efficitur unus spiritus. » Alia Glossa dicit : « *in carne una,* » faciendo unam carnem viri, et fœminæ.

« Itaque jam non sunt duo, sed una caro. »

Conclusio est ex inductis necessario consequens.

Et dicuntur hic duo, scilicet, matrimonii individuitas, et responsio solvens objectionem Pharisæorum.

De individuitate dicit concludendo : « *Itaque,* » ex quo Deus dicit, et matrimonii societas hoc requirit, « *jam,* » ex quo matrimonialiter conjuncti sunt, « *non sunt duo,* » divisa jura, vel corpora, ab invicem habentes : vel divisa jura censentes : « *sed una* » individua « *caro.* » Semper in omni natura agens proximum et movens individuum est a patiente et moto, sicut patet in primis generantibus, quæ sunt plantæ : in quibus unum generans conjunctum est uni imprægnabili per ipsum, et numquam duo in talibus conjunguntur nisi per adulterinam insertionem : et tunc male proficiunt. Levit. XIX, 19 : *Agrum tuum non seres diverso semine.*

9 « Quod ergo Deus conjunxit homo non separet. »

Conclusio est manifestans solutionem objectionis Pharisæorum.

Dicit ergo : « *Quod ergo,* » matrimonium unius ad unam, « *Deus conjunxit,* » per suam quæ plena auctoritate est institutionem, « *homo,* » qui de humo est et humum in concupiscentia sapit, « *non separet,* » quia individuitatem sacramenti separaret. I ad Corinth. III, 3 : *Nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis ?* Homo enim de divinis non debet per humanum sensum se intromitterre, quia divina sunt super hominis sensum et rationem. Sapient. IX, 14 et 15 : *Cogitationes mortalium sunt timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam : et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Ad Roman. IX, 20 : *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo ? Numquid dixit figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic ?* Temerarius est homo qui mutat ea quæ instituit Deus : cum etiam par in parem non habeat potestatem, quanto magis inferior non habet potestatem in superiorem.

« Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum. **10**

Et ait illis : Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. **11**

Et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, mœchatur. » **12**

Hic incipit doctrina veritatis facta ad discipulos interpretatio.

Dicuntur autem duo, scilicet studiosorum iterata interrogatio, et benigni doctoris facta ad quæstionem explanatio.

Dicit igitur : « *Et in domo,* » ubi familiariter cum Magistro convenerant. Sapient. VIII, 16 : *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa,* scilicet sapientia : *non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius.*

« *Iterum,* » quia studiosi erant frequenter de verbis Domini meditantes. Psal. I, 2 : *In lege Domini meditabitur die ac nocte.*

« *Discipuli ejus,* » disciplinis ejus imbuendi. Joan. VIII, 31 et 32 : *Si vos manseritis in sermone meo, vere disci-*

puli mei eritis : et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.

« *De eodem,* » non plene intellecto, « *interrogaverunt eum,* » quia frequens interrogatio, una clavium est scientiæ. Eccli. VI, 36 : *Si videris sensatum, evigila ad eum : et gradus ostiorum illius exterat pes tuus.*

« Et ait illis, »

Dignis qui perfectiora aliis audirent documenta. Supra, IV, 34 : *Seorsum discipulis suis disserabat omnia* [1].

« Quicumque, »

Cujuscumque conditionis, « *dimiserit uxorem suam,* » quam consensus secundum legem contrahentium suam fecit. Matth. V, 32, additur : *Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa.* Sed excludit Marcus per hoc quod addit : « *Et aliam duxerit,* » quia qui propter incontinentiam et adulterium a thoro separat uxorem, non potest aliam ducere illa vivente. I ad Corinth. VII, 10 et 11 : *Præcipio... uxorem a viro non discedere : quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*

Et hoc est quod addit :

« Adulterium committit super eam. »

Hæc est enim doctrina veritatis tempore revelatæ gratiæ, discipulis promulganda. I ad Corinth. II, 6 et 7 : *Sapientiam loquimur inter perfectos : sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur : sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.* Hæc enim duro populo non erat propalanda, ne pejus eveniret de occisione uxorum, ut superius dictum est. Matth. VII, 6 : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Si qui autem devoti erant in illo populo, et ex fide matrimonii intelligebant uxores non nisi propter fornicationem esse dimittendas, et corporales fœditates, quæ in eis erant : has propter fidem thori intelligebant esse tollendas. Dicunt tamen quod sicut sub dispensatione divina tunc plures habebantur uxores (quod tamen fuit contra matrimonii individuitatem), ita etiam dispensatione tunc dabatur libellus repudii, quod fuit contra thori fidem. Causa autem dispensationis fuit duritia populi, cui ex operibus legis gratia non conferebatur.

«Et si uxor dimiserit virum suum : »

Quia ad paria in jure matrimonii judicantur vir et mulier. Dimittit autem uxor virum, si excepta causa fornicationis recedit a viro, dans ei libellum repudii.

« *Et alii nupserit.* » Hoc dicit, quia propter adulterium dimitti potest, sed non potest alius duci, primo vivente. Et si alii nupserit, « *mœchatur,* » hoc est adulterium committit. Proverb. II, 16 et seq. : *Ut eruaris a muliere aliena, et ab extranea quæ mollit sermones suos, et relinquit ducem pubertatis suæ, et pacti Dei sui oblita est.*

« Et offerebant illi parvulos ut tangeret illos : discipuli autem comminabantur offerentibus. **13**

Quos cum videret Jesus, indigne tulit, et ait illis : Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos. » **14**

Hic ponitur doctrina simplicissimæ humilitatis ostensa in exemplo Salvatoris.

Dividitur autem in quatuor paragraphos : in quorum primo continetur devotio eorum qui parvulos offerebant, ex quo sumitur hujus doctrinæ occasio : in

[1] Cf. Matth. XIII, 36.

secundo, discipulorum ex compassione prohibitio : in tertio, erroris discipulorum correctio : in quarto, doctrinæ istius promulgatio.

Dicit igitur : « *Et offerebant,* » homines ex devotione, « *illi,* » Salvatori, « *parvulos.* » Glossa : Forsan quia parvulum statuerat in medio discipulorum, quem Jesus complexatus fuerat, sicut dicitur, Matth. XVIII, 2 : *Advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio discipulorum :* quem doctores dicunt fuisse beatum Martialem Lemovicensium Apostolum.

Hoc autem videntes homines de turba, qui jam fidem inceperunt habere, suos parvulos certatim Domino offerebant, « *ut tangeret illos,* » tactu corporis, in quo latebat divinitatis substantia. Psal. XXVIII, 1 : *Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum,* » hoc est, ducum gregis dominici filios, quos fide imbuerunt, et domino offerunt benedicendos. Numer. VI, 27 : *Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis.* Genes. XXVII, 21 : *Accede huc, ut tangam te, fili mi.* Daniel. VIII, 18 : *Tetigit me, et statuit me in gradu meo.* Ideo dicit, quod intendebant ad offerentes Domino parvulos, ut manu benediceret eis. Ad tactum enim vis divinitatis operabatur ad gratiam, et fomitis mitigationem : sicut ad tactum fugabat infirmitatem corporalem. Matth. VIII, 3 : *Extendens Jesus manum, tetigit leprosum, dicens : Volo, mundare.* Luc. VII, 14 et 15, tetigit loculum, et revixit mortuus. Tangit igitur Dominus gratiam conferendo. Jerem. I, 9 : *Misit Dominus manum suam, et tetigit os meum, et dixit Dominus ad me : Ecce dedi verba mea in ore tuo,* hoc est, do tibi gratiam prophetalem. Tangit etiam aliquando flagellando. Job, XIX, 21 : *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Tangitur autem Dominus per fidei devotionem. Luc. VIII, 46 : *Tetigit me aliquis, nam ego cognovi virtutem de me exisse* [1]. Tenetur autem Deus orationis devotione. Genes. XXXII, 26 : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Isa. LXIV, 7 : *Non est qui invocet nomen tuum : qui consurgat, et teneat te.* Vulneratur autem fervore charitatis, et simplicitate intentionis. Cantic. IV, 9 : *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa : vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.*

« Discipuli autem, etc. »

Secundus est paragraphus.

« *Discipuli autem,* » compatientes lassitudini Domini, qui in turba per doctrinam afflictus fuerat, « *comminabantur.* » Non pœnam comminantes, sed a lasso prohibentes : unde, Matth. XIX, 13 : *Discipuli autem increpabant eos.* Sic ergo, non aliter, comminabantur « *offerentibus.* » Glossa : Non quia nollent eis et manu et voce Salvatoris benedici : sed nondum plenam fidem habentes, putabant eum more hominum, offerentium importunitate lassari. Et in hoc laudatur compassio et reverentia discipulorum, quamvis non esset secundum scientiam. Ad Roman. X, 2 : *Testimonium perhibeo illis quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.*

« Quos cum vidisset Jesus, »

Discipulos suos prohibentes. Et hic est tertius paragraphus. Sapient. IV, 15 : *Respectus ejus in electos ejus.*

« *Indigne tulit,* » hoc est, ad modum indignantis se habuit propter imperitiam, et modicitatem fidei discipulorum. Matth. XV, 16 : *Adhuc et vos sine intellectu estis ?*

Et corrigendo errorem eorum subdit : « *Et ait illis,* » discipulis :

[1] Cf. Marc. V, 30.

« Sinite parvulos venire ad me, »

Et subservite ut veniant. Psal. VIII, 3 : *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos.* Isa. VIII, 18 : *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus.*

« *Et ne prohibueritis eos,* » obstaculo aliquo vetantes accessum. Chrysostomus. « Si sanctificaturi sunt, quid vetatis « ad patrem venire filios. Si peccatores « futuri sunt, ut quid sententiam con- « demnationis profertis antequam cul- « pam videatis. Quales modo sunt, « meum est : quales futuri sunt, ipsorum. « Quod meum est, honorate : quod ipso- « rum erit, miseremini. » Ad Roman. XIV, 4 : *Tu quis es, qui judicas alienum servum ? domino suo stat, aut cadit ; stabit autem, potens est enim Deus statuere illum.* Ad Roman. XIV, 13 : *Hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum.* Matth. XVIII, 10 : *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis : dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* [1]. Et ideo ne prohibueritis eos.

« Talium est enim regnum Dei. »

Doctrina veritatis. Quartus paragraphus ponitur hic de simplicitate humilitatis.

Dicuntur autem hic tria, scilicet ostensio humilitatis per similitudinis exemplum, generalis doctrina promulgata per veritatis verbum, et ostensio veritatis dictorum per charitatis signum.

Dicit igitur : « *Talium,* » non istorum solum, sed his similium. Proprietates enim bonæ in pueris sunt novem, quas qui imitatur, regnum Dei consequitur : quæ sunt innocentia, munditia, obedientia, simplicitas, humilitas, veritas, malorum illatorum immemoratio, fortuitorum nulla reputatio, et præsentium et valde parvorum ad sufficientiam acceptatio.

De *innocentia* quidem dicitur, Psal. XXIV, 21 : *Innocentes et recti adhæserunt mihi.* Psal. XXV, 6 : *Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine.*

De *munditia* mentis et corporis, Apocal. III, 4 : *Qui non inquinaverunt vestimenta sua,* scilicet cum mulieribus, *ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Matth. V, 8 : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

De *innocentia* simul et *munditia* dicitur, Job, XXII, 30 : *Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum.*

De *obedientia* autem, ad Galat. IV, 1 et 2 : *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus et actoribus est usque ad tempus præfinitum a patre.* Ad Ephes. VI, 1 : *Filii, obedite parentibus vestris in Domino : hoc enim justum est.* Ad Hebr. XIII, 17 : *Obedite præpositis vestris, et subjacete illis : ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

De *simplicitate* dicitur, Proverb. III, 32 : *Cum simplicibus sermocinatio ejus.* Matth. VI, 22 : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Sapient. I, 1 : *In simplicitate cordis quærite illum.* Ad Roman. XVI, 19 : *Volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo.* I ad Corinth. XIV, 20 : *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote.*

De *humilitate* autem dicitur, Matth. XVIII, 4 : *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.* Matth. XI, 29 : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Eccli. III, 20 : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.*

De *veritate* autem dicitur, Apocal. XIV, 5 : *In ore eorum non est inventum men-*

[1] Cf. Psal. XXXIII, 8.

dacium. Ad Ephes. IV, 25 : *Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra.*

De *malorum illatorum immemoratione*, Luc. XXIII, 34 : *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Act. VII, 60 : *Ne statuas illis hoc peccatum.*

De *nulla reputatione fortuitorum*, ad Philip. III, 8 : *Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* I Reg. XII, 3 : *Si de manu cujusquam munus accepi, contemnam illud hodie, restituamque vobis.* Luc. XIX, 8, dixit Zachæus, qui statura pusillus erat : *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus : et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.*

De hoc autem quod præsentia etiam valde parva acceptant tamquam sufficientia dicitur, ad Hebr. XIII, 5 : *Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus : ipse enim dixit : Non te deseram, neque derelinquam.* I ad Timoth. VI, 7 et 8 : *Nihil intulimus in hunc mundum : haud dubium quod nec auferre quid possumus. Habentes igitur alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.*

Hac igitur de causa dicit : Non tantum horum, sed « *talium est enim regnum Dei.* » Regnum autem istud est in quo regnat Deus : quod consistit in decore justitiæ, et confirmata potestate, et beatitudinis opere. Hoc enim regnum Dei est, quo Deus regnat in nobis, hic per gratiam, et in futuro per gloriam. Luc. XVII, 21 : *Regnum Dei intra vos est.* Matth. VI, 10 : *Adveniat regnum tuum.* Dionysius in libro de *Divinis nominibus :* « Regnum Dei est omnis finis, et legis, « et ordinis distributio. » Ad Roman. XIV, 17 : *Non est regnum Dei esca, et potus : sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.* Hoc enim regnum Dei maxime est talium, qui sunt sicut parvuli. Luc. XII, 32 : *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.*

« Amen dico vobis, quisquis non re- **15**
ceperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.

Et complexans eos et imponens ma- **16**
nus super illos, benedicebat eos. »

Ponit doctrinam generalem ad similitudinem sumptam a parvulis, et utitur confirmatione dicens : « *Amen dico vobis,* » quia dicit Chrysostomus, quod « ab « Apostolis errorem aufert, qui putabant « ut corpore tantum mundos laudaret, et « non corde. »

Et ideo generalem infert doctrinam dicens : « *Quisquis,* » juvenis vel senex. Sapient. VI, 8 : *Pusillum et magnum ipse fecit : et æqualiter cura est illi de omnibus.*

« *Non receperit regnum Dei,* » per gratiam et gloriam, « *velut parvulus,* » in præinductis proprietatibus parvuli existens, « *non intrabit in illud.* » Numer. XIV, 31 : *Parvulos vestros*, qui nesciunt boni et mali distantiam, *introducam, ut videant terram quæ vobis displicuit* I Petri, II, 2 : *Sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis.* Sicut enim dicitur, Matth. VII, 14 : *Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam ! et pauci sunt qui inveniunt eam.* Magni autem impingunt in eam et excluduntur.

« Et complexans eos, »

Per signum charitatis ad parvulos ostensum : probat doctrinam, ut Glossa, dicit. Ut significet tales sua dilectione et gratia et benedictione esse dignos. Cantic. II, 9 : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* Genes. XLVI, 29 : *Videns eum, irruit super collum ejus, et inter amplexus flevit.*

« *Et imponens manus super eos.* » Actuum, VIII, 18, ut per impositionem manuum daretur Spiritus sanctus ad robur. A quo initium sumpsit confirmatio ab Episcopis facta, quia etiam ab ipso Domino est celebrata. Act. VIII, 17 : *Imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Marc. XVI, 18 : *Super ægros manus imponent, et bene habebunt.*

« *Benedicebat eos,* » aliqua vocali benedictione quæ non est scripta. Eccli. XLIV, 25 : *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus : et testamentum confirmavit super caput Jacob.* Genes. XLVIII, 15 et 16 : *Deus in cujus conspectu ambulaverunt patres mei Abraham et Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem, Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, et invocetur super eos nomen meum.*

17 « Et cum egressus esset in viam, procurrens quidam, genu flexo ante eum, rogabat eum : Magister bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam ? »

Hic ponitur doctrina salutis cum fastigio perfectionis.

Dividitur autem in partes duas : in quarum prima totam promulgat doctrinam. In secunda, doctrinæ hujus ostendit difficultatem, ibi, ℣. 23 : « *Et circumspiciens Jesus ait,* etc. »

Prima harum dividitur in partes duas : in quarum prima ostenditur perfectio vitæ, quæ est in observantia mandatorum. In secunda autem ponitur fastigium perfectionis in observantia consiliorum, ibi, ℣. 21 : « *Jesus autem intuitus eum,* etc. »

Adhuc in prima dicuntur quatuor : scilicet, salutaris doctrinæ inquisitio : erroris in requirente reprehensio : salutis in observantia mandatorum declaratio : et obedientiæ ad mandata professio.

In primo horum paragraphorum dicuntur tria : scilicet, devotio interrogantis, reverentia ad responsionem provocantis, et sapientia interrogantis.

Dicit igitur : « *Et cum ingressus esset in viam,* » ubi liber accessus ad salutis doctorem habebatur. Psal. CXLII, 2 : *Notam fac mihi viam in qua ambulem : quia ad te levavi animam meam.* Psal. XXIV, 4 : *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me.* Psal. XVI, 5 : *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Via enim pedum occasio fuit ostendendi viam morum. Proverb. IV, 11 et 12 : *Ducam te per semitas æquitatis : quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui.*

« Præcurrens quidam. »

Devotio interrogantis ostenditur hic in quinque : in fervore devotionis, in dignitate petentis, in reverentia se ad Christum humiliantis, in supplicitate orantis, et in sapientia orationis.

Dicit igitur :

« *Præcurrens.* » Hæc autem præventio in cursu fervorem devotionis et charitatis significat. Psal. CXVIII, 32 : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Joan. XX, 4 : *Currebant duo simul, et ille alius discipulus præcucurrit citius.* Et ideo dicit Augustinus : « Velocius cucurrit qui prius dilexit. » Beatus Bernardus : « Qui plus dilexit, « velocius et citius pervenit. »

« *Quidam,* » specialis dignitatis et vitæ eximioris. Eccli. XLIV, 1 : *Laudemus viros gloriosos.* Et post pauca, ℣. 6 : *Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes.*

« *Genuflexo ante eum,* » ecce reverentia. Flectebat enim genu ante eum, ut cognoscere faceret quia eum qui per peccatum nutaverat et declinaverat, nemo nisi Christus posset erigere. Ad Ephes. III, 14 et 15 : *Hujus rei gratia flecto genua mea*

ad Deum, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur. Ad Philip. II, 10 et 11 : *In nomine Domini Jesu Christi omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum : et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.* Orat. Manassæ, sub finem : *Et nunc, Domine, flecto genu cordis mei, precans a te bonitatem.*

« *Rogabat eum.* » Ecce supplicitas petentis. Osee, XII, 4 : *Flevit, et rogavit eum.* Luc. XVIII, 1 : *Quoniam oportet semper orare, et non deficere.* I ad Thessal. V, 17 : *Sine intermissione orate.*

« Magister bone. »

Ecce sapientia orationis, quæ notatur in quatuor : in professione sapientiæ, in confessa bonitate, in quæstionis intentione, et in quæstionis fine.

De primo dicit : « *Magister,* » in quo sapientiam profitetur. Tamquam enim sapientem novit per doctrinam. Joan. III, 2 : *Scimus quia a Deo venisti Magister.* Matth. XXII, 16 : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo : non enim respicis personam hominum* [1].

« *Bone.* » Bonus enim magister est qui cum ratione persuadet, et exemplo quæ dicit confirmat. Ad Roman. XV, 18 : *Non audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus.* Act. I, 1 : *Cœpit Jesus facere, et docere.* Matth. VII, 28 : *Erat docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisæi.* Talem enim bonum magistrum vitæ Jesum esse putavit, qui et persuaderet quod diceret (alias, doceret) et exemplis confirmaret. Psal. CXVIII, 68 : *Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas.*

« Quid faciam ? »

Ecce quæstionis intentio, in qua quærit de opere, et non de faceta et lepida oratione. I ad Corinth. II, 5 : *Fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Philosophus in III *Ethicorum* : « Sunt quidam ad orationem confugien-
« tes, qui quærunt philosophari et esse bo-
« ni : aliquid simile facientes ægris, qui me-
« dicos quidem audiunt studiose, faciunt
« autem operandorum nihil : et quem-
« admodum numquam bene habebunt
« corpus sic curati, sic nec isti animam
« sic philosophantes. » Luc. XVIII, 18 : *Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo ?* Luc. X, 28 : *Hoc fac, et vives.* Joan VI, 28 : *Quid faciemus ut operemur opera Dei ?* Jacob. I, 22 : *Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos.*

« Ut vitam æternam percipiam. »

Ecce optimus finis quæstionis : ut sine fine duraturam vitam æternam percipiam, et non humanam laudem cum his qui omnia faciunt ut videantur ab hominibus . Glossa audierat istos tantum qui volunt parvulis esse similes introitu regni cælestis esse dignos : et ideo certior esse desiderat et non per parabolas, sed quibus operibus vitam æternam consequi possit. Matth. VI, 33 : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* Scivit enim iste quod dicitur, Sapient. XV, 3 : *Scire justitiam et virtutem tuam, radix est immortalitatis.* Et ideo justitiam et virtutem Dei in operibus quærit quæ vitam conferat æternam.

« Jesus autem dixit ei : Quid me dicis bonum ? Nemo bonus, nisi unus Deus. » **18**

Ecce correctio erroris : hic enim eum non bonum simpliciter, sed magistrum

[1] Cf. Marc. XII, 14.

[2] Matth. XXIII, 3.

bonum dixerit. Quæcumque autem tali accidentali prædicatione prædicantur, sicut dicit Philosophus, non licet dividere : quia non sequitur, si sit sutor bonus, quod sit et sutor, et sit bonus. Et sic iste magistrum bonum dixerat, quasi non esset Magister et bonus.

Et ideo istum reprehendit, dicens : « *Quid me dicis bonum?* » hoc est, quare me accidentaliter dicis bonum ut magistrum bonum, quasi non sim divisim perfectus sapientia, et perfectus essentiali bonitate : sed sim bonus magister ut doctor quidam veritatis, qui perfecta ratione hoc quod doceo persuadeam, et exemplo confirmem. Hæc enim tua confessio imperfecta est de me, qui sum sapientia Patris etiam essentialis, et bonitas ipsius. Unde Glossa : « Quid me dicis bonum? quia magistrum nominaverat bonum et non Deum vel Dei Filium : quamvis hominem sciret comparatione Dei non esse bonum. » De quo, Psal. CV, 1, et alibi : *Confitemini Domino quoniam bonus.*

« Nemo bonus, nisi unus Deus. »

Non Pater solus, sed Filius qui dicit, Joan. X, 11 : *Ego sum pastor bonus* : et Spiritus sanctus bonus, de quo, Luc. XI, 13 : *Pater de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se.* Una scilicet, et individua Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus solus et unus Deus bonus est. Non igitur se bonum esse negat, sed se Deum esse significat : nec se magistrum bonum non esse, sed absque Deo nullum bonum esse testatur.

« *Nemo bonus,* » simpliciter et essentialiter, et sicut omnis boni causa, « *nisi solus Deus,* » qui est omnis boni bonum, ut dicit Augustinus. Matth. XIX, 17 : *Unus est bonus, Deus.* Et, Luc. XVIII, 19 : *Nemo bonus, nisi solus Deus.* In nulla enim natura pura est bonitas nisi in Deo, quia quidquid privationi et peccato permistum est, puram non habet bonitatem : sicut enim dicit Philosophus, « privatio semper machinatur ad maleficium. » Et ideo, Luc. XI, 13, etiam de Apostolis Dominus dicit : *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo* (supple, qui pure bonus est) *dabit spiritum bonum petentibus se?* Thren. III, 25 : *Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.*

Hoc est ergo quod dicit : « *Nemo bonus, nisi unus Deus.* »

« Præcepta nosti : Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum et matrem. » 19

Salutis est doctrina in observantia mandatorum consistens.

Dividitur autem hæc pars in tres partes : in quarum prima ostenditur in quibus consistit doctrina salutis : in secunda, ostenditur ad mandata obedientia salutaris : in tertia, signum ad sic mandata observantes divinæ dilectionis.

Dicit igitur : « *Præcepta nosti.* » Sub uno sensu potest legi et interrogative et remissive : sed melius legitur remissive ut sit sensus : « *Præcepta* » salutis sunt in corde tuo descripta : et ideo ea « *nosti,* » et quoad hæc de via salutis interrogare te non oportet : et ideo etiam quasi sub reprehensiene dictum fuit ei : *Quid me interrogas de bono*[1] ? Dicitur autem *præceptum* quasi præ aliis ad regulam morum captum, velut principium dirigit in moribus, sicut dicit Cassianus. Baruch, IV, 3, 4 : *Animæquior esto, populus Dei : quia quæ Deo placent, manifesta sunt nobis.* Psal. CXLVII, 20 : *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.* Hoc significatum est, Exod. XX, 18, ubi dicitur quod *cunctus*

[1] Matth. XIX, 17.

populus audiebat voces, quia ea quæ in notitia omnium debent esse descripta ab omnibus dicuntur audita : et quia præceptum dirigit sic ut principium et lucerna in opere. Ideo dicitur, Proverb. VI, 23 : *Mandatum lucerna est, et lex lux, et via vitæ increpatio disciplinæ.*

Et exsequitur particulariter præcepta ea quæ sunt secundæ tabulæ : quæ magis pertinent ad propositum, dicens :

« Ne adulteres. »

Non omittit autem hic præceptum, *Non occides*, sed transponit propter tres causas : quarum una est quia de hoc apud omnes erat manifestum, neque aliquis de hoc poterat dubitare. Secunda causa est, quia de hoc a principio Pharisæorum quæstio non erat : qui de libello repudii quærebant, et non de homicidio : et cum iste unus fuerit Pharisæus, specialiter isti revocat ad memoriam quod dixerat, quod mœchatur qui super dimissam ducit aliam : et qui absque causa fornicationis dimittit uxorem, facit eam mœchari, sicut dicitur, Matth. V, 32. Tertia causa est, quia castitas est de proprietatibus puerilis innocentiæ, ex cujus laude (alias, causa) iste ad hanc provocatus est quæstionem. Unde Glossa : « Hæc est puerilis innocentiæ castitas, quæ nobis imitanda proponitur, si regnum Dei intrare velimus. » Notandum sane quod justitia legis suo tempore custodita non solum bona temporalia, sed et vitam conferebat æternam : et ideo dicit : *Quid faciam ut vitam æternam percipiam ?* Sed hoc intelligitur de justitia legis naturalis : aut si etiam de justitia legis Mosaicæ intelligitur, tunc intelligitur de justitia legis observata fide et devotione justorum dictam justitiam facientium.

Cum autem dicit : « *Ne adulteres,* » intelligitur prohibitum esse omnem mœchalem concubitum : hic autem cum adulterio convenit in hoc quod non sua cognoscitur. Exod. XX, 14 : *Non mœchaberis.* Mœchia autem hæc generalis duobus modis contingit, scilicet voluntate et opere : unde, Matth. V, 28 : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

« Ne occidas. »

Tangit mandatum quod notat nocumentum in corpore proximi : quod etiam fit voluntate et opere. Opere autem duplici, completo scilicet, quando occiditur proximus : et incompleto, quoniam, Psal. LIV, 24 : *Dolosi non dimidiabunt dies suos.* Daniel. XIII, 53 : *Innocentem et justum non interficies.* Exod. XX, 13 : *Non occides.*

« Ne fureris. »

Hoc est contra nocumentum proximi in bonis fortunæ, ad sustentationem vitæ ordinatis. Furtum autem hic dicitur omnis illicita contrectatio rei alienæ : et aliena res dicitur omnis illa quam ex lege convenit repetere postquam ab alio accepta est. Et sic usura cadit sub furto, quia lex usurarum concedit repetitionem. Exod. XX, 15 : *Non furtum facies.* Joan. X, 10 : *Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat.*

« Ne falsum testimonium dixeris, »

Tam in verbo communi, quam etiam in judicio. Et prohibetur hic omne mendacium : sed primo et principaliter prohibetur perniciosum : et consequenter prohibetur etiam jocosum, sive libidinosum, et officiosum. Sapient. I, 11 : *Os quod mentitur, occidit animam.* Psal. V, 7 : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Ex patre enim Diabolo est mendacium, et mendax. Joan. VIII, 44 : *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus.* Proverb. XIX, 9 : *Falsus testis non erit impunitus.* Deuter. XIX, 18 ad finem : *Qui cum diligentissime perscrutantes, invenerint falsum testem dixisse contra fra-*

trem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, et auferes malum de medio tui, ut audientes cæteri timorem habeant, et nequaquam talia audeant facere. Non misereberis ejus, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.

« Ne fraudem feceris. »

Hoc per verba in Exodo xx, 15, non continetur : sed per hoc intelligit duo quæ in corde consistunt, scilicet, non concupisces rem, et non concupisces uxorem : quia cupiditas causa est fraudis. Isa. xxxii, 7 : *Fraudulenti vasa pessima sunt : ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii, cum loqueretur pauper judicium.* Proverb. xii, 5 : *Consilia impiorum fraudulenta.*

« Honora patrem tuum et matrem. »

Præceptum affirmativum quod in Exodo primum est, hic ultimo ponit propter tres causas : quarum una et prima, quia cum loquatur hic de his quæ erant in notitia istius, ordinat ea hic secundum quod plus et minus sunt nota carnaliter legem intelligenti : prohibitiones autem in talium cordibus sunt notiores quam affirmationes : et ideo præordinantur. Secunda causa est, quia prohibitiones majoris sunt obligationis quam affirmationes : prohibitiones enim obligant semper, et ad semper : affirmationes autem obligant semper, et non ad semper : igitur inter obligantia præcepta prohibitiones præordinantur. Tertia causa est, quia justitia Pharisæorum plus consistebat in vitando malum, quam in faciendo bonum : quia pauca bona faciebant, multa autem mala vitabant propter homines, ut boni viderentur : et ideo in responsis (alias, præceptis) prohibitiva præordinantur affirmativis. Luc. xviii, 11 : *Non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.*

Quod autem dicit : « *Honora patrem tuum et matrem,* » intelligitur generaliter de parentali bono honorando. Parentale autem bonum est naturæ, et gratiæ : naturæ, in imagine : gratiæ autem, in gratuitis superadditis : bonum matris etiam Ecclesiæ, quæ charitate et castitate concipit in gratia adoptionis formans filios, in compassione parturit, et per conversionem parit ad lucem filios Dei. Et hoc modo omnis homo intelligitur esse in parentali bono : et ideo omnis homo est honorandus. In honore autem intelligitur et exhibitio reverentiæ, et subministratio obsequii et necessariorum secundum facultatem facientis et indigentiam patientis. Ad Roman. xv, 1 et 2 : *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem.* Ad Galat. vi, 2 : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Ad Hebr. xii, 9 : *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, et reverebamur eos.*

Attendendum autem quod de mandatis primæ tabulæ non facit aliquam mentionem, quia justitia Pharisæorum tota in exteriori justitia consistebat : impletio autem mandatorum primæ tabulæ, tota fuit in interiori et spirituali justitia : et quia hic Pharisæis in uno respondit Pharisæorum, ideo de mandatis primæ tabulæ nullam facit mentionem. Matth. xxiii, 27 : *Similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa : intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia.* Matth. xxiii, 5 : *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.*

« At ille respondens, ait illi : Magister, hæc omnia observavi a juventute mea. » 20

Tangitur hic ad mandata obedientia salutaris.

Tanguntur autem hic tria, professio sapientiæ, generalitas obedientiæ, et perseverantia in bonis operibus a juventute.

Dicit igitur : « *Magister*, » in quo perfectæ fidei existens, magistrum vocat ut sapientem aliquem doctorem. Joel, II, 23 : *Exsultate et lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ.*

« *Hæc omnia observavi.* » Ecce generalitas obedientiæ. Exod. XXIV, 7 : *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes.* Psal. CXVIII, 6 : *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.*

« *A juventute mea.* » Perseverantia tangitur. Dicit autem : « *A juventute*, » quia dissolutio juventutis avertit ab obedientia mandatorum. Psal. XXIV, 7 : *Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris.* Et ideo magis se exhibet commendabilem, quia dissolutio juventutis ipsum ab observatione mandatorum non avertit. Psal. LXX, 5 et 6 : *Domine, spes mea a juventute mea. In te confirmatus sum ex utero : de ventre matris meæ tu es protector meus.* Job, XXIII, 11 et 12 : *Vestigia ejus secutus est pes meus : viam ejus custodivi, nec declinavi ex ea. A mandatis labiorum ejus non recessi.*

21 « Jesus autem intuitus eum, dilexit eum. »

Tangitur hic signum dilectionis ad sic mandata observantes.

Tanguntur autem duo signa : quorum unum est intuitus cordis conscius, et alterum dilectionis affectus justitiæ declaratæ exhibitus nuntius.

Dicit igitur : « *Jesus autem*, » absconditorum conscius. I Reg. XVI, 7 : *Dominus intuetur cor.* »

« *Intuitus eum.* » Sapient. IV, 15 : *Respectus ejus in electos ejus.* Psal. C, 6 : *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum.* Sic intuitus est Nathanaelem, Joan. I, 47, quando dixit : *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.*

« *Dilexit eum*, » propter præsentis justitiæ declarationem quam semper Dominus diligit. Proverb. VIII, 16 : *Ego diligentes me diligo : et qui mane vigilant ad me, invenient me.*

Objicitur autem contra ea quæ dicta sunt. Quia dicit Hieronymus in Glossa Matth. XIX, 20, super illud : *Omnia hæc custodivi*, etc. : « Mentitur : si enim di- « ligeret proximum sicut seipsum, non « esset tristis, cum sua pauperibus dare « juberetur. Videtur quod Dominus qui « odit hypocritas, justum non dilexit. » Contra hoc est Glossa Bedæ quæ hic ponitur : quæ dicit : « Non putandus est « voto tentantis, ut quidam putant, Do- « minum interrogasse, et de sua vita « mentitus esse, cum se legis mandata « custodire dixerit : sed simpliciter con- « fessus. Si enim mentiretur, numquam « arcana cordis ejus intuitus, eum dili- « gere diceretur. Jesus enim diligit eos « qui mandata legis etiam minora custo- « diunt : et quod in lege minus fuerat, « his qui perfecti esse desiderant ostendit : « quia non venit solvere legem, sed « adimplere. Unde addit : « *Vade, quæcumque habes vende*, etc. »

Ad istam autem quæ inducta est contrarietatem, duæ sunt responsiones : quarum una est, quod primo iste hoc dixit modo tentantis : et postea visa benignitate Christi, corde conversus est : et hoc respexit Dominus quando eum intuitus est et dilexit. Primum ergo respicit Hieronymus : secundum autem respicit Beda. Alia autem responsio est, quod iste simpliciter confessus est perfectionem vitæ in observantia mandatorum : sed multi sunt prompti ad custodiam mandatorum, qui tamen non sunt parati ad perfectionem consiliorum : et ideo iste non de mandatorum, sed de consiliorum observatione tristabatur : et Dominus in eo dilexit communem observantiam mandatorum. Et quod dicit Hieronymus, quod mentitus est, quia si proximum ut

seipsum diligeret, non tristaretur sua pauperibus erogare. Dicendum, quod hoc verum est: quia non tristabatur pauperibus erogare quod superfuerat, et hoc sufficit ad proximi dilectionem. Luc. XI, 41: *Quod superest, date eleemosynam: et ecce omnia munda sunt vobis.* Sed tristabatur de abjectione omnium et mendicatione: et hoc non est saluti contrarium, sed perfectioni secundum statum maximæ paupertatis. Et quod Hieronymus dicit hunc esse mentitum, Dicendum, quod non est mentitus simpliciter, sed quoad statum maximæ charitatis proximi: quia secundum illum statum omnia proximo impenduntur.

« Et dixit ei: Unum tibi deest: vade, quæcumque habes vende et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo: et veni, sequere me.

22 Qui contristatus in verbo, abiit mœrens: erat enim habens multas possessiones. »

Addit fastigium perfectionis in observantia consiliorum.

Dividitur autem in duo: in quorum primo, in observantia mandatorum ostendit esse defectum perfectionis: in secundo, ostenditur sublimior via perfectionis.

Dicit igitur: « *Unum tibi deest.* » Glossa: Ad perfectionem. Ad Philip. III, 12: *Non quod jam acceperim, aut quod jam perfectus sim.* Psal. CXXXVIII, 16: *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Daniel. V, 27: *Appensus es in statera, et inventus es minus habens.*

« Vade, quæcumque, etc. »

Sex autem dicit ad perfectionem pertinentia: in quorum primo notatur virtutis profectus: in secundo, generalitas abdicationis terrenæ facultatis: in tertio, ponitur bonitas erogationis: in quarto, directio intentionis: in quinto, devotio imitationis: in sexto autem, perfectio insecutionis Christi in hoc opere præ cunctis.

Dicit igitur: « *Vade,* » non passibus pedum, sed plus passibus virtutum. Psal. LXXXIII, 8: *Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.* Ezechiel. I, 14: *Animalia ibant in similitudinem fulguris coruscantis.*

« *Quæcumque habes vende,* » si ea habes in potestate tua. Hieronymus: « Si habes in potestate tua rem tuam, « vende: si non habes, projice. Credenti « totus mundus divitiarum est: infidelis « etiam obolo indiget. » Luc. XII, 33: *Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam.* Luc. XVI, 9: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

« *Et da pauperibus.* » Ecce bonitas erogationis. Pauperi enim dandum est qui non habet unde retribuat, non diviti. Tob. IV, 9: *Si multum tibi fuerit, abunddanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Isa. LVIII, 7: *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam.* Psal. CXI, 9: *Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi.*

« *Et habebis thesaurum in cœlo.* » Ecce directio intentionis. Matth. VI, 20: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo: ubi nec ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Thesauri autem isti sunt accumulationes sanctorum meritorum, et præmiorum. II ad Timoth. I, 12: *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem*

« *Et veni,* » per imitationem. Jerem. LI, 50: *Venite, nolite stare: recordamini procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum.* Matth. XI, 28: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*

« *Sequere me,* » per perfectam insecutionem. Matth. IV, 19: *Venite post me.*

Glossa : « Sicut ego ambulo ambulate. » I Joan. II, 6 : *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.*

« Qui contristatus verbo, »

Hoc est, in verbo, « *abiit mœrens.* » Signum est imperfectionis ad consiliorum observationem. Bene autem dicit quod « *abiit,* » quia a re divini intuitus et dilectionis, recessit ad curam rei familiaris. Ezechiel. III, 14 : *Abii amarus in indignatione spiritus mei.*

Et causam mœstitiæ subjungit, dicens : « *Erat enim habens,* » et habitus ab eis, « *multas possessiones.* » Vere possessiones in quibus quiete penitus fuit ad manendum. Matth. XIX, 22 : *Cum audisset verbum adolescens, abiit tristis : erat enim habens multas possessiones.* Hieronymus in Glossa : « Quasi spinas nascentes et tribulos, quæ sementem dominicam suffocaverunt. »

23 « Et circumspiciens Jesus, ait discipulis suis : Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt !

24 Discipuli autem obstupescebant in verbis ejus. »

Hic ostendit Dominus hujus doctrinæ difficultatem et altitudinem.

Dividitur autem in partes duas : in quarum prima difficultatem hujus doctrinæ declarat : in secunda autem (quia difficile altiori præmio remunerandum est) ostendit quanto præmio talis perfectio remuneratur, ibi, ℣. 28 : « *Et cœpit ei Petrus dicere,* etc. »

Adhuc autem dividitur prima harum partium in duas : in quarum prima difficultatem ostendit absolute. In secunda autem eamdem declarat sub comparatione et quadam explanatione, ibi, ℣. 24 : « *At Jesus rursus respondens, ait,* etc. »

Adhuc autem in prima sunt tria : in quorum primo, ipsa circumspectione ostendit eorum qui talem doctrinam observant raritatem : in secundo, doctrinæ tangit difficultatem : in tertio, de hoc tangit audientium stuporem.

Dicit igitur : « *Et circumspiciens Jesus,* » utrum aliquis talis doctrinæ remaneret observator, quia adolescens tristis desperaverat. Psal. XIII, 2 et 3 : *Non est intelligens aut requirens Deum : omnes inutiles facti sunt.* II ad Timoth. IV, 9 : *Demas me reliquit, diligens hoc sæculum.*

« *Ait discipulis suis,* » specialiter hujus doctrinæ observatoribus. Luc. XXII, 28 : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Hi sunt qui dicunt, I Paralip. XII, 18 : *Tui sumus, o David, et tecum, fili Isai.*

« Quam difficile, etc. »

Infinitam ponit comparationem, ut ostendatur magna esse difficultas. « *Qui pecunias habent.* » Habent autem pecuniam, qui habent eam ut futuræ necessitatis fidejussorem, sicut dicit Philosophus : quia hæc ad omnia promittit sufficientiam. Et tales sunt qui amant eam non ad necessitatem, sed sufficientiam quærentes ex ea. Sic enim habens pecuniam habetur ab ea. IV Reg. V, 1 : *Naaman erat vir fortis et dives, sed leprosus.* Appetitus enim pecuniæ, et sollicitudo sunt lepræ divitibus adhærentes.

« *In regnum Dei,* » gratiæ et gloriæ, « *introibunt.* » Sicut enim sæpe diximus, regnum est confirmata potestas, in qua regnum confirmatur in homine secundum justitiæ decorem, et virtutem, et opera tam in gratia quam in gloria. Ab hac autem confirmata potestate impedit sollicitudo divitiarum : quia illæ cum labore acquiruntur, et cum timore et sollicitudine retinentur, et cum magno dolore expenduntur, vel perduntur : et ideo significantur per spinas verbum Dei

suffocantes [1] : quia spinæ, et pungunt, et retinent transeuntes. Isa. VII, 23 : *In spinas et in vepres erunt.* Significantur etiam per lutum tenax et densum, quod quasi gluten tenet pedes transeuntium, Habacuc, II, 6 : *Væ ei qui multiplicat non sua ! Usquequo et aggravat contra se densum lutum ?* Matth. XIX, 23 : *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum.* Luc. XVIII, 24 : *Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt !*

« Discipuli autem obstupescebant in verbis istis. »

Stupor est motus cordis secundum systolen in admirationem ducti : quia videbant quasi nullos esse qui voluntate divites non essent : et David, et alios sanctos patres divites fuisse legerant : et ideo verum intellectum verbi Domini non capiebant : et ideo præ admiratione stupebant. Jerem. II, 12 : *Obstupescite, cœli, super hoc, et portæ ejus, desolamini vehementer.* Jerem. V, 30 : *Stupor et mirabilia facta sunt in terra.*

« At Jesus rursus respondens, ait illis : Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire ! »

« *At Jesus rursus respondens,* » admirationi discipulorum, « *ait illis,* » difficultatem doctrinæ sub comparatione et quadam explanatione ostendens.

Tanguntur autem hic tria, scilicet, quædam dictorum explanatio : difficultatis ad id quod secundum naturam est impossibile, comparatio : et audientium major quam prius suspensio, et admiratio.

Dicit duo circa primum, scilicet benignitatis signum ad observantes, et doctrinæ quamdam explanationem.

Benignitatis signum est quod dicit : « *Filioli.* » Dicit enim Priscianus, quod diminutiva aliquando notant dilectionis amorem. Quasi dicat : Dilectissimi filii mei, speciales in paupertate voluntaria imitatores, hæc verba vobis dicuntur. Deuter. XXXIII, 12 : *Benjamin ait : Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo : quasi in thalamo tota die morabitur.* Hi enim omnia derelinquentes sunt filii dexteræ Dei vocati.

« Quam difficile est confidentes in pecuniis, etc. »

Ecce explanatio : quia eos quos primo dixit habere pecuniam, nunc exponendo dicit esse qui confidunt in pecuniis : unde Glossa : « Qui multiplicandis divitiis incumbunt, patet quia vitæ alterius gaudia quærere contemnunt. » Sed aliud est pecuniam habere, aliud amare. Multi habent, et non amant : multi non habent, et amant : alii autem et habent et amant : alii vero nec habere, nec amare se gaudent, qui certiores sunt : qui cum Apostolo dicere possunt, ad Galat. VI, 14 : *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Unde Salomon ait, Eccle. V, 9 : *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis,* quia vanæ sunt.

Sed ipse Dominus de his verbis obstupescentibus discipulis exponit, dicens : « *Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire!* » I ad Timoth. VI, 9 : *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.* Ideo dicit, Psal. LXI, 11 : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Ibidem etiam dicit Apostolus, I ad Timoth. VI, 17 : *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum.* Isti enim sunt confidentes in divitiis, et difficile est tales in regnum Dei intrare hoc

[1] Cf. Matth. XIII, 7.

modo, prout regnum Dei est diffinitum.

25 « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei.

26 Qui magis admirabant, dicurrentes ad semetipsos : Et quis potest salvus fieri ?

27 Et intuens illos Jesus, ait : Apud homines impossibile est, sed non apud Deum : omnia enim possibilia sunt apud Deum. »

Tangit hic comparationem ad id quod secundum naturam est impossibile.

Et hoc est quod dicit : «*Facilius est camelum per foramen acus transire.* » Camelus oneriferum est animal et gibbosum : et hoc onere, et gibbo retento, secundum naturam impossibile est transire per foramen acus, tribus de causis : quarum una est quantitas, et altera gibbus, et tertia acus. Sed in talibus non obstat ei natura : et talia quæ impossibilia sunt secundum naturam, apud Deum sunt possibilia. Qui enim se claustris virginis, et signaculis sepulcri irreseratis traduxit, retenta naturali quantitate : et se, quantitate proprii corporis retenta, induxit in domum ad discipulos, ipse etiam camelum gibbosum et oneratum potest per foramen acus traducere : quia natura ei non obstat qui auctor est naturæ. Luc. I, 37 : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Genes. XVIII, 14 : *Numquid Deo quidquam est difficile ?* Natura enim suo obedit Factori. Sapient. XVI, 24 : *Creatura enim tibi Factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos, et lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.* Quod autem amans pecuniam intret in regnum Dei, est contra justitiam divinam, quæ multo fortius ordinem suum servat quam natura. II ad Timoth. II, 13 : *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest,* hoc est, negare non potest justitiam suam.

Et hoc est :

« Quam divitem intrare in regnum Dei. »

Ad hoc significandum dixit, Matth. V, 3 : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Pauperes enim spiritu sunt qui quantumlibet multum de terrenis habeant, tamen non confidentes in terrenis se deficere sciunt, nisi cœlestia acquirant. Et quia pauperum est regnum cœlorum, per oppositum confidentes in pecuniis, qui divites in pecuniis sunt, excluduntur a regno cœlorum : et hoc est significatum, Luc. XVI, 22 et 23, ubi dives mortuus, sepultus est in inferno : mendicus autem in sinum Abrahæ est receptus.

Hæc est expositio litteralis.

Sunt tamen et alii qui exponunt quod acus sit nominata quædam porta Jerusalem arcta valde et angusta, per quam cameli onerati transire non poterant, nisi gibbo deposito, hoc est, sarcina quæ posita fuit super gibbum, et tunc transibant. Unde dicunt quod intendit Dominus dicere, quod sicut camelus non potest transire per illam portam quæ *foramen acus* vocatur, nisi deposita sarcina, ita non potest transire dives in regnum cœlorum, nisi deposito onere amoris et cupiditatis pecuniarum. Ad Hebr. XII, 1 : *Deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.* Isa. LVIII, 6 : *Dissolve colligationes impietatis..., et omne onus dirumpe.*

« Qui magis admirabantur, »

Hoc est, discipuli adhuc carnales, et intellectum illuminatum non habentes. Matth. VII, 28 et 29 : *Admirabantur su-*

per doctrina ejus. Erat enim docens eos sicut potestatem habens [1].

Et quia hoc tam constanter iteravit, et confirmavit, mirabantur, « *dicentes ad semetipsos :* » quia, sicut dicitur, Joan. VII, 39 : *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus,* scilicet in cordibus eorum.

« Et quis potest salvus fieri ? »

Cum penes omnes cupiant fieri divites. Cum enim plures sint pauperes quam divites, non hoc dixissent, nisi ad divitum numerum pertinere intellexissent cunctos qui divitias adipisci voluissent.

« Et intuens illos Jesus, »

In quos erat dilectio ejus : quia amoris nuntius est oculus. Psal. C, 6 : *Oculi mei ad fideles terræ.*

« *Ait* » illis, ponens suorum sufficientem explanationem dictorum : « *Apud homines,* » hoc est, humum sapientes, « *impossibile est,* » quia humanus homo habens divitias, amat eas : et cum tali amore impossibile est intrare in regnum Dei : « *sed apud Deum,* » qui omnia potest, « *non* » est impossibile : quia ille per gratiam separare potest affectum a divitiis, sicut fecit in Abraham, et David, et Zachæo [2]. Ad Philip. III, 7 et 8 : *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta..., et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Psal. LXXII, 25 : *Quid enim mihi est in cœlo ? et a te quid volui super terram ?* Tob. V, 25 : *Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus hoc,* etc.

28 « Et cœpit ei Petrus dicere. »

Hic ostendit quam alto præmio talis est remuneranda perfectio.

Dicuntur autem hic tria : in operibus (quod est summæ perfectionis) a vertice Apostolorum propalatio : et ejusdem perfectionis digna remuneratio : et remunerationis in discipulis admiratio.

Dicit igitur : « *Et,* » post tantam laudem perfectionis : quia, sicut dicit Philosophus, circa difficile et bonum est ars et virtus : « *cœpit ei Petrus,* » vertex Apostolorum pro se et aliis loquens. Dicit autem quod *cœpit,* quia de uno tantum loquens (quod præcipuum aliorum est) de multis aliis intellexit. Psal. LXXVI, 11 : *Dixi : Nunc cœpi : hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

« *Dicere,* » non jactando, sed desiderans ut sua, et aliorum spes per præmii expressionem ad meliora provocaretur. Ad Hebr. VI, 18 et 19 : *Fortissimum solatium habeamus qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.*

« Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. »

Duo tangit : dimissionem impedimenti ad bonum, et imitationem boni.

In abdicatione impedimenti dicit tria : evidentiam paupertatis, dimissionem cupiditatis, et generalitatem sive universalitatem in dimittendo rem quæ est impedimentum perfectionis.

Dicit igitur : « *Ecce.* » Quasi dicat : Evidens est per signum voluntariæ paupertatis, quod quasi lux omnibus lucet in nobis. Matth. V, 16 : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis, est.* Cantic. VII, 1 : *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum ?* Sulamitis *captiva* interpretatur : et significat egenos et pauperes Christi, in quibus de rebus mundi nihil videtur : sed chori castrorum cœlestium præsidiorum, quibus semper immisti sunt, videntur in eis, et nihil aliud.

[1] Cf. Marc. I, 22.

[2] Luc. XIX, 8 et seq.

« *Nos dimisimus.* » Non enim nos dimiserunt res, sed nos voluntarie dimisimus ipsas, non tantum ut teneamus habitas, sed etiam ut non sequamur habendas res hujusmodi. Unde Hieronymus[1] : « Grandis fiducia : Petrus piscator erat, « dives non fuerat, victum manu et arte « quærebat : et tamen loquitur confiden- « ter, *Dimisimus omnia,* » quia omnium dimisit cupiditatem. Gregorius : « Tanta « a sequentibus Christum dimissa sunt, « quanta a non sequentibus concupisci « potuerunt. » Matth. XIX, 27 : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis ?* Beatus Bernardus : « Bene, Petre : et non ad insipientiam « tibi, omnia dimisisti : quia eum qui « exsultavit ut gigas ad currendam viam, « oneratus sarcina cupiditatis, sequi non « poteras. » Jerem. II, 23 : *Cursor levis explicans vias suas.*

« *Omnia,* » nihil de omnibus cupientes. Psal. LXXII, 25 : *Quid enim mihi est in cœlo ? et a te quid volui super terram ?* Isa. LII, 11 : *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere.* Apocal. XVIII, 4 : *Exite de illa, populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis.* Causa enim delictorum Babylonis sunt bona fortunæ : et hæc sunt propter quæ plagantur. Isa. XXXIII, 15 et 16 : *Qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum : iste in excelsis habitabit.* Excutiens enim manus ab omni munere, nihil accipit eorum quæ mundus offerre potest : et qui obturat aures ne audiat sanguinem, nulli propter sua per fraudes insidiatur : et qui claudit oculos ne videat malum, vanitates et spectacula mundi cum dilectione non considerat : et ideo dignus est ut in excelsis habitet.

Sic ergo omnia discipuli dimiserunt.

« Et secuti sumus te. »

Hieronymus : « Non dixit, *Qui reli-* « *quistis omnia* : hoc enim et Crates « fecit Philosophus, et multi alii divitias « contempserunt : sed adjungit quod « perfectum est, *Secuti sumus te.* » Sequi enim Christum, est cum fidei dilectione et devotione Christum imitari. Et hoc est perfectionis, et dignitatis, et beatitudinis. Perfectionis quidem, quantum ad virtutem : dignitatis, quia privilegii singularis : beatitudinis autem, quia est Angelicæ felicitatis mortalem hominem de solatiis mortalis vitæ nihil appetere. Propter primum dicitur, Job. XXIII, 11 : *Vestigia ejus secutus est pes meus : viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea.* Quod autem dignitatis sit, dicitur, Eccle. II, 12 : *Quid est homo ut sequi possit regem Factorem suum ?* De insecutione felicitatis, Eccli. XXIII, 38 : *Gloria magna est sequi Dominum : longitudo enim dierum assumetur ab eo.* Sic igitur sequi Dominum est perfectionis, secundum virtutem : dignitatis, secundum excellentiam singularem : et beatitudinis, secundum gloriæ felicitatem. Hoc est igitur quod dicit : « *Secuti sumus te.* »

Matth. XIX, 27, additur : *Quid ergo erit nobis ?* Hieronymus : « Quasi dicat : « Fecimus quod jussisti, quid ergo dabis « nobis præmii ? »

« Respondens Jesus, ait : Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me et propter Evangelium, **29**

Qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et **30**

[1] S. HIERONYMUS, Lib. III in Matth. cap. 19.

agros, cum persecutionibus, et in sæculo futuro vitam æternam.

31 Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi. »

Tangit dictæ perfectionis congruam remunerationem.

Tangit autem tria. Primo enim repetit operis per singula perfectionem : secundo, tangit in præsenti eam quæ competit remunerationem, et in futuro. In tertio autem, tangit eorum qui pertingunt ad hanc remunerationem, idoneitatem et ordinem.

Dicit igitur assertionem præmittens : « *Amen dico vobis,* » hoc est, vere dico vobis. Psal. xcii, 5 : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Tob. xiv, 6 : *Non excidit verbum Domini.*

« *Nemo est,* » masculus, vel fœmina : nobilis, vel ignobilis : dives, vel pauper. Ad Roman. x, 12 : *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.*

« *Qui reliquerit,* » per affectum hæreditatis habendam, « *domum,* » per quam omne id quod per dilectionem inhabitatur intelligitur. Jerem. xii, 7 : *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam : dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.*

« *Aut fratres,* » qui nolunt credere in Christum per fidem operantem dilectionem. Cantic. i, 5 : *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Jerem. ix, 4 : *In omni fratre suo non habeat fiduciam.*

« *Aut sorores,* » nolentes cum eo pergere ad Deum. Matth. x, 36 : *Inimici hominis, domestici ejus.*

« *Aut patrem, aut matrem,* » fidem in ipso impugnantes. Deuter. xxxiii, 9 : *Qui dixit patri suo et matri : Nescio vos : et fratribus suis : Ignoro vos : et nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum servaverunt.* Psal. xliv, 11 : *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui.*

« *Aut filios,* » ad fidei devotionem converti nolentes. Deuter. xiii, 6 et seq. : *Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens : Eamus, et serviamus diis alienis, quos ignaras tu, et patres tui, cunctarum in circuitu gentium, quæ juxta vel procul sunt, ab initio usque ad finem terræ : non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miserearis et occultes eum, sed statim interficies.*

« *Aut agros.* » Genes. xii, 1 : *Egredere de terra tua, et de cognatione tua.* Act. iv, 34 et 35 : *Quotquot possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum.*

« Propter me, »

Hoc est, propter devotionem fidei meæ. Proverb. xii, 26 : *Qui negligit damnum propter amicum, justus est.*

« *Et propter Evangelium,* » hoc est, bonum nuntium, quod spiritualia temporalibus præponi docet. Psal. xvi, 4 : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.*

« Qui non accipiat centies tantum, »

In spiritualibus : quia illa quidem perfecta accipit in decem mandatis, et retributionem decem mandatorum : quorum quodlibet decuplum efficitur, dum quodlibet in admirabili dilectione Dei, et in ardore devotionis, et luce veritatis, et tranquillitate mentis, et altitudine cordis (quod omnibus infimis superponitur, et ad nulla conculcanda inclinatur), et in virtute divina invincibili, et in potestate liberæ severitatis quæ omnia legi Dei contraria corripit, et in rectitudine legis, et in mobilitate consilii danti, et in forma perficit virtutis. Hæc enim decem nisi cuilibet adsint præcepta, non impletur

secundum spiritualem observationem. Et sic decem in centum multiplicantur : quia perfectionem operum docet, et formam accipit virtutis, et doctrinam consilii, et rectitudinem legis, ut id quod facit sit licitum, a Deo consultum, et virtuosum : virtus autem in qua facit opus sit alta, nulli subjecta, sit vigorosa, sit a contrario expedita et remota : affectus autem quo facit, sit fervidus, lucidus, et tranquillus : et finis sit admirabiliter purus et delectabilis. Sic enim hic accipiet centum pro uno quod dimisit. Genes. XXVI, 12 : *Sevit Isaac in terra illa, et invenit in ipso anno centuplum.* Matth. XIX, 29 : *Centuplum accipiet.*

Et hoc accipiet,

« Nunc in tempore hoc, »

In gratiæ delectatione. Luc. VI, 36 : *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.*

« *Domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros :* » quia pro quolibet quod reliquisse se gaudet, centuplum invenit in spiritualibus. Mercedem etiam dictis centum quæ induximus : divina enim et Angelorum novem ordinum dona, et gaudia jungit decuplo operum perfectioni.

« *Cum persecutionibus.* » Duo enim remunerantia adjungit, unum quidem promissionem spiritualium quæ dicta est : et aliud quod pungit ad exeundum, sicut filios Israel promissionibus vocavit Dominus de Ægypto, et verberibus pupugit Pharaonis ad exeundum : sic enim persecutio bona est quæ compellit ad exeundum de mundo. Deuter. XXXIII, 19 : *Qui inundationem maris quasi lac sugent, et thesauros absconditos arenarum.* Suguntur enim quasi lac inundationes maris, quando dulces reputantur propter nomen Domini nostri. Matth. Luc. VI, 22 et 23 : *Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis. Gaudete in illa die, et exsultate, ecce enim merces vestra multa est in cœlo* [1].

« Et in sæculo futuro, »

Quod erit post mortem in terra viventium. Psal. XXVI, 13 : *Credo videre bona Domini in terra viventium.*

« *Vitam æternam.* » Vita hæc continuus est deliciarum increati spiritus influxus in spiritum creatum in admirabilibus, puris, et firmis contemplationibus, et delectationibus ex his provenientibus, nullum contrarium habentibus. Hic est enim vita beatitudinis, in quo totum est vita de fonte vitæ sincere bibita. De quo dicitur, Joan. XIV, 19 : *Videtis me, quia ego vivo, et vos vivetis.* Apocal. VII, 17 : *Agnus qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Hic est fons vitæ, in Psalmo XXXV, 10 : *Domine, apud te est fons vitæ : et in lumine tuo videbimus lumen.* Hæc est aqua vitæ de qua dicitur, Joan. IV, 14 : *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Æterna autem est propter tria, scilicet immutabilitatem, simultatem, et simplicitatem. De immutabilitate quidem dicit Augustinus, quod « vera æternitas est vera incommutabilitas. » Et ideo tota in ea absorbetur mors, sicut dicit Apostolus, *ut absorbeatur quod mortale est a vita* [2]. Quia, sicut dicit Augustinus, quamvis mutabilis sit per naturam spiritus creatus, tamen a Deo glorificatus et beatificatus, numquam mutabilitatem et mortalitatem suam exerit, undique fonte vitæ repletus. I ad Corinth. XV, 54 : *Absorpta est mors in victoria.* I ad Timoth. XI, 16 : *Solus habet immortali-*

[1] Cf. Matth. V, 11 et 12.

ad Corinth. V, 4.

tatem, et lucem inhabitat inaccessibilem.

Talis immutabilitatis continuus influxus ab immutabili spiritu, facit immutabilem spiritum creatum : eo quod numquam mutabilitatem exerere potest in ipso natura creata. Simultas autem est, quod in Deo non est successio vicis hujus, totum quod in eo est, stat simul : et sic se influit in spiritum creatum : et hoc dicit Apostolus, I ad Corinth. xv, 28 : *Erit Deus omnia in omnibus.* Jacob. II, 17 : *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis abumbratio.* De simplicitate est, quod licet multis illuminationibus et attributis percipiatur, tamen omnia hæc sunt unum simplex immediate spiritui creato influxum : sicut una natura simplex est ignis, quæ influxa est candenti ferro : quæ tamen in multis proprietatibus a ferro percipitur, scilicet, caloris adustione, luminis claritate, accensione, attractione, et multis aliis similitudinibus. Sic enim illapsus spiritus simplex in spiritum creatum, trahit ad seipsum spiritum creatum : et trahendo eum ad se, unum simplex vivificat et simplificat ipsum, ne in plura de cætero dividatur. Et hoc est quod dicit Philosophus in libro de *Causis,* quod intelligentia magis accedens ad unum primum, magis efficitur una et simplex. Isa. LXVI, 12 : *Ecce ego declinabo in vos quasi fluvium pacis, et quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis.* Hæc igitur est vita de qua dicitur, Joan. x, 10 : *Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.* Hæc igitur vita est quam in præmio accipiunt perfectionem Apostolicam imitantes.

« Multi autem primi erunt novissimi. »

Tangit ordinem veniendi ad hanc mercedem. Adolescens enim cum toto populo Judæorum in observatione mandatorum videbatur esse primus, et ad hoc præmium perfectionis Apostolicæ factus est novissimus : et gentilis qui novissimus videbatur, assumendo fidem factus est primus.

Et hæc est expositio litteralis.

Tamen novissimus veniet ad eam : et ideo est sensus : *Multi autem primi,* » Judæi promissionibus et observatione legis primi, « *erunt novissimi,* » in fine mundi redeuntes. Ad Roman. XI, 25 et 26 : *Cæcitas contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret : et sic omnis Israel salvus fieret.* Matth. XX, 8 : *Voca operarios, et redde illis mercedem suam incipiens a novissimis usque ad primos.* Et, ibidem, ℣. 16 : *Erunt novissimi primi, et primi novissimi.* Hæc est expositio litteræ.

Dicit autem hic Glossa, quia multi incipiunt et non perficiunt. Et hæc est terribilis sententia : unde Judas inceptione primus, traditione factus est novissimus : et latro malis demeritis novissimus, factus est confessione primus. Sed hæc expositio non est litteralis, quia novissimus hic a pervenientibus est exclusus : et sic non sonat novissimus, quia novissimus unus est de pervenientibus sicut primus. Tamen hæc Glossa est secundum alium Evangelistam qui dicit, Matth. XX, 16 : *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi,* non electi autem sunt exclusi.

Alia expositio est, quod aliquando signo perfectionis primi sicut Religiosi, et Prælati, fiunt in præmio novissimi : quia minori coram Deo præmio digni sunt propter fastum superbiæ quo inflantur. Et sæculares signo virtutis novissimi, fiunt apud Deum secretorum cognitorem primi. Luc. XIV, 11 : *Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.* Matth. XX, 14 : *Volo et huic novissimo dare sicut et tibi.*

« Erant autem in via ascendentes Jerosolymam, et præcedebat illos Je- 32

sus, et stupebant, et sequentes timebant. »

Tangitur hic admiratio discipulorum ordinem divinæ sapientiæ audientium.

Tanguntur autem duo, scilicet, qualiter in omni perfectione Christus discipulos præcessit : et qualiter sequentes eum discipuli in his stupebant, et sibi timemebant.

Dicit igitur : « *Erant autem,* » doctor salutis et discipuli, « *in via,* » quæ significat viam ad vitam. Psal. LXXVI, 20 : *In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis : et vestigia tua non cognoscentur :* hoc est, via tua est in abysso sapientiæ et amaritudinis in difficultate : et semitæ consiliorum sunt in diluvio persecutionum, et ideo a paucis cognoscuntur cognitione beneplaciti. Matth. VII, 14 : *Pauci sunt qui inveniunt eam, scilicet viam.*

« *Ascendentes Jerosolymam,* » quando hoc dixit, ut ibi pateretur pro nobis : et signat tendentes ad visionem pacis in qua est vita æterna. Isa. LXVI, 13 et 14 : *In Jerusalem consolabimini, videbitis, et gaudebit cor vestrum.*

« *Et præcedebat illos Jesus,* » sicut in via pedum, ita etiam in omnis vitæ bonæ perfectione. Mich. II, 13 : *Ascendet pandens iter ante eos.* Isa. XLV, 2 : *Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo.* Psal. XVIII, 6 : *Exsultavit ut gigas ad currendam viam.* Ad Hebr. XII, 1 et 2 : *Curramus ad propositum nobis certamen : adspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet.* Ideo dicitur, I ad Corinth. IV, 16 : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.*

« *Et stupebant,* » in verbis sapientiæ ipsius. Luc. V, 9 : *Stupor circumdederat Petrum, et omnes qui cum illo erant.*

« *Et timebant,* » ne a tanto fastigio perfectionis exciderent. Ad Hebr. II, 1 : *Propterea abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus, ne forte perefluamus.* Ad Roman. XI, 20 : *Noli altum sapere, sed time.*

« Et assumens iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ essent ei ventura. »

Hic tangit Christus ea quæ exiguntur ad salutem ex parte sua.

Habet autem hæc pars duas partes : in quarum prima tanguntur Sacramenta causantia nostram salutem : in secunda, quia tangit gloriam suæ resurrectionis, ponitur quæstio de exaltatione duorum discipulorum præ cæteris exaltari cupientium, ibi, ℣. 35 : « *Et accedunt ad eum,* etc. »

In prima harum duo dicuntur : in quorum primo intimorum amicorum quibus omnia revelanda sunt, continetur secreta assumptio : in secundo, tangitur secretorum revelatio.

De primo dicit sic : « *Et assumens iterum duodecim,* » qui speciales erant Ecclesiæ fundatores, et fundamenta : et ideo specialiter erant instruendi. Psal. LXXXVII, 2 : *Fundamenta ejus in montibus sanctis.*

« *Cœpit Jesus,* » doctor salutis, « *docere,* » quia ita grandia fuerunt, verba, quod ad perfectum non poterant audire : et ideo « *cœpit,* » principia docendo, sed non usque ad perfectum. Ad Hebr. V, 11 : *De quo nobis grandis sermo, et ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* Joan. XVI, 12 : *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.*

« *Quæ essent ei ventura,* » ad salutem nostram pertinentia secundum ordinationem sapientiæ divinæ. Luc. XXIV, 44 : *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.*

« Quia ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur Prin- 33

cipibus sacerdotum, et Scribis, et Senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus:

34 Et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum: et tertia die resurget. »

Revelationem ponit sacramentorum ex parte Christi salutem nostram causantium.

Duo autem dicit: primo enim ostendit hæc in proximo esse ventura: et secundo, dicit quæ ventura sunt ei per speciem et numerum determinata.

Dicit igitur: « *Quia ecce.* » Quasi dicat: Jam in evidenti est et instat tempus quo omnium salus procurabitur. Joan. XII, 31: *Nunc judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Joan. XVI, 32: *Venit hora, et jam venit.*

« *Ascendimus,* » jam in via existentes, qua vado ad patiendum: quæ tamen passio licet videatur descensio et minoratio, tamen secundum veritatem ascensio est: quia omnes de morte ad vitam, de exsilio ad patriam, de inferno ad cœlum faciet ascendere. Psal. LXXXIII, 6 et 7: *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.*

« *Jerosolymam,* » ad locum passionis. Luc. XIII, 33: *Non capit Prophetam perire extra Jerusalem.* Matth. XXIII, 37: *Jerusalem, Jerusalem quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt.* Quæ licet olim nomine et significatione vocata fuerit Jerusalem, tamen propter iniquitates suas nomen mutavit. Apocal. XI, 8: *Vocatur spiritualiter Sodoma, et Ægyptus, ubi et Dominus Prophetarum occisus est.* Isa. I, 21: *Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.*

« Et Filius hominis tradetur. »

A Juda Judæis: et a Judæis « *Principibus sacerdotum.* » *Filius hominis* dico, ut dicit Glossa, ad quem pertinet pati, et tradi, et cædi: quia non potest divinitas pati, vel tradi, vel cædi. Matth. XXVI, 15, dixit Judas principibus sacerdotum: *Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam?* Principibus autem sacerdotum fuit tunc utraque data potestas: spiritualis scilicet, et sæcularis in populo: quamvis super eos dominium Romani in populo Dei usurpassent.

« *Et senioribus,* » qui *senatus* dicebantur: et in eis erat perfectio consilii publicorum negotiorum.

« *Et Scribis,* » in quibus fuit auctoritas litteratæ scientiæ: ut omnes in quibus aliquid fuit præeminentiæ partem habeant in reatu sanguinis Christi. Jacob, II, 6: *Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi pertrahunt vos ad judicia?* Isa. I, 23: *Principes tui infideles, socii furum:* quia fuerunt socii furis Judæ. Joan. XI, 47 et 48: *Collegerunt Pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.*

« Et damnabunt, »

Hoc est, accusationes condemnationis quærent contra eum. Matth. XXVI, 59: *Principes sacerdotum, et omne concilium, quærebant falsum testimonium, contra Jesum, ut eum morti traderent.*

Et hoc est quod dicit: « *Damnabunt eum morte:* » quæ tamen condemnatio, nostra fuit a morte liberatio. Osee, XIII, 14: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos.* Genes. L, 23: *Post mortem meam Deus visitabit vos.*

« Et tradent eum gentibus, »

Quia accusatione mortis quæsita contra eum, tradiderunt gentilium sive Romanorum potestati, ut sententia mortis proferretur in eum. Joan. XVIII, 35: *Gens*

tua, et Pontifices tui tradiderunt te mihi : quid fecisti ?

« Et illudent ei, »

Tam Judæi quam gentiles. Thren. III, 14 : *Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.* Psal. LXVIII, 10 : *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Job, XII, 4 et 5 : *Deridetur justi simplicitas : lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum.*

Et conspuent eum, »

Tamquam immundum. Job, XXX, 10 : *Abominantur me, et longe fugiunt a me : et faciem meam conspuere non verentur.*

« Et flagellabunt eum, »

Flagellis cædent eum. Isa. LIII, 5 : *Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus.* Psal. XXII, 4 : *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.*

« Et interficient eum »

Tandem. Daniel. IX, 26 : *Occidetur Christus, et non erit ejus populus qui eum negaturus est.* Matth. XX, 19 : *Tradent eum Gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum.*

« Et tertia die resurget. »

Sicut tristia dixit discipulis ignorantibus, ne videntes passionem ejus de ipso diffiderent, sed scirent quod voluntarie pateretur qui hoc præsciens prædixisset : ita læta prædicit quæ tristes ad spem gaudii certificarent. Psal. III, 6 : *Ego dormivi, et soporatus sum : et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.* Osee, VI, 3 : *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos : et vivemus in conspectu ejus. Sciemus, sequemurque ut cognoscamus Dominum.* Joan. X, 17 et 18 : *Ego pono animam meam ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso : et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.*

« Et accedunt ad eum Jacobus et Joannes, filii Zebedæi, dicentes : Magister, volumus ut quodcumque petierimus, facias nobis. **35**

At ille dixit eis : Quid vultis ut faciam vobis ? **36**

Et dixerunt : Da nobis ut unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua. » **37**

Tangitur hic duorum discipulorum ad consortium regni indiscreta petitio.

Et habet tres partes : in quarum prima indiscretæ petitionis continetur reprehensio : in secunda, aliorum decem Apostolorum indignatio : et in tertia, qualiter ad regnandum cum Christo procedatur communis instructio.

In primo horum tria dicuntur, scilicet, petitio indiscreta in communi, et ejusdem specificatio in speciali, et reprehensio indiscretionis.

De primo dicit duo : familiaris audaciæ duorum discipulorum ad Christum accessum, et indiscretum ambitionis eorum petitum.

Dicit igitur : « *Et accedunt ad eum,* » hoc est, ad Christum ausu familiari tamquam consanguinei : filii scilicet materteræ suæ, « *Jacobus et Joannes, filii Zebedæi,* » qui et consanguinei erant : et patrem, et omnia propter eum ad unius vocationis vocem reliquerant.

« *Dicentes,* » ausu familiari postulantes. Glossa super Matth. XX, 20 et seq., dicit matrem postulasse : sed Marcus dicit ipsos discipulos petiisse, desiderium eorum volens aperire quorum consilio mater petebat. Et in utroque Evange-

lista Dominus discipulis, non matri respondit : quia in veritate mater petitionem proposuit, sed hoc fecit mater consilio et suasu discipulorum. Sicut enim Lucas refert [1], a discipulis putabatur communiter quod regnum Christi terrenum, et in hoc sæculo illico esset manifestandum : et quod discipuli statim essent cum Domino regnaturi. Et ideo in regno illo duo isti discipuli cupiebant esse proximæ dignitatis cum Rege suo.

Et hoc est :

« Magister, volumus, etc. »

Magistrum profitentur cujus disciplinam se gloriantur esse secutos. « *Volumus,* » quasi pro mercede a te recipere, « *ut quodcumque* a te *petierimus, facias nobis.* » Dixisti, Matth. VII, 7 : *Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis.* Et, Joan. XVI, 24 : *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo : Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit pleuum.* Matth. XVIII, 19 : *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo.* Celant autem petitum, et a discipulis ne indignentur : et quia adhuc rudes, Deo tamquam homini loquebantur.

« At ille dixit eis : »

Non ignorans quid petere vellent, sed ut ex dictis eorum, opportune reprehensionem acciperet carnalis intellectus eorum.

« *Quid vultis ut faciam vobis?* Ac si dicat : Ex quo non committitis remunerationem vestram gratiæ meæ, videte quid velitis. Glossa : Interrogat, ut stultitiam confessos corrigat. Luc. XIX, 22 : *De ore tuo te judico.*

« Et dixerunt. »

Carnaliter Christum in hoc mundo illico regnaturum credentes, et visibilia invisibilibus præferentes. Joan. XII, 37 : *Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.*

« *Da nobis,* » tamquam ex singulari privilegio præ aliis munera nos, « *ut unus,* » ex nobis, « *ad dexteram tuam,* » proximus, « *et alius ad sinistram,* » proximus tibi in terra regnanti, « *sedeamus,* » ut principes, « *in gloria tua,* » terrenæ et regiæ tuæ dignitatis. Magna elatio istorum et stultitia fuit, super alios in terreno regno super consortes velle inthronizari : in hoc enim non sequebantur Magistrum, qui dixit, Joan. VIII, 50 : *Ego non quæro gloriam meam : est qui quærat, et judicet.*

« Jesus autem ait eis : Nescitis quid petatis. » **38**

Tangitur hic stultæ petitionis reprehensio.

Et dicuntur duo : in quorum primo reprehensio ponitur : in secundo, via ad regnandum cum Christo ostenditur.

Dicit igitur : « *Nescitis quid petatis,* » in hoc quod sine meritis mecum regnare præsumitis, sicut Lucifer qui per seipsum ascendere voluit, Isa. XIV, 13 : *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum : sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Et sicut primi parentes qui ex seipsis voluerunt esse sicut dii, scientes bonum et malum [2]. Sed alius modus fuit quo peccaverunt isti, et alius quo peccaverunt primi parentes : sed idem fuit genus superbiæ in his tribus. Isti enim in hoc elati fuerunt, quod absque merito ad thronum honoris ascendere quærebant, primi autem parentes per vetiti gustum hoc obtinere putabant : quod etiam fuit cum demerito velle exaltari. Sed Lucifer quærebat hoc obtinere propria virtute, et non per Deum. Hi ergo quia absque ordine sine

[1] Cf. Luc. XXIV, 21.

[2] Genes. III, 5 et 6.

meritis ascendere cupiunt, reprehenduntur : unde Glossa : « Regnare vultis qui non meruistis culmen honoris. » Et ideo, « *Nescitis quid petatis*, » regnum quærendo sine exercitio laboris. Psal. xxxv, 12 et 13 : *Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris non moveat me. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare*; scilicet, Angelus, et primi parentes. Et ideo neque vos in hoc pede stabitis. Eccli. vii, 4 : *Noli quærere a domino ducatum, neque a rege cathedram honoris.* Sed potius in devotione verborum Christi delectati, et in cultu per sapientiam ipsius dicere habebant illud Judicum, ix, 13 : *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines, et inter ligna cætera promoveri ?*

« Potestis bibere calicem quem ego bibo ? aut baptismo quo ego baptizor baptizari?

39 At illi dixerunt ei : Possumus. »

Tangit hic viam ad regnandum.

Et tanguntur tria, scilicet, quæstio de experientia passionis patiendæ, responsio inexpertorum, et benigna instructio stultorum de suis viribus præsumentium.

Dicit igitur : « *Potestis bibere*, etc. ? »

Duas tangit quæstiones sub metaphora passionem significantes. Prima est quod dicit : « *Potestis*, » hoc est, potestisne « *bibere*, » hoc est, faciliter sicut potum gluttiendo, non masticando, bibere « *calicem*, » qui ex charitate fervente *calida potio* vocatur, « *quem ego*, » pro vobis et pro multis, « *bibo*, » hoc est, ex charitate bibiturus sum voluntarie, nullam comminationem, nullam defensionem exhibendo : sed ita de facili me ad patiendum exhibendo ac si bibam illam passionem ut delectabilem calicem. Ad hoc enim Christus, Matth. xxvi, 27, calicem quem bibit, discipulis etiam propinavit : ut eos communicare Passioni suæ debere doceret, dicens : *Accipite, et bibite ex hoc omnes.* Psal. cxv, 13 : *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Ac si dicat : Probate vires vestras, quia per Passionem venitur ad regnum. I Petr. i, 11 : *Prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones, et posteriores glorias.* Ad Roman. viii, 17 : *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur.* Ad Philip. iii, 10 et 11 : *Configuratus morti ejus, si quomodo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.*

« Aut baptismo »

Martyrii, « *quo ego baptizor* » pro vobis, ut sordes vestræ abluantur, « *baptizari ?* » Magis enim debetis velle baptizari pro me baptismo sanguinis (qui baptismus, ut dicit Damascenus, secundis sordibus non inquinatur) ut sordes vestræ laventur, quam ego, qui sanguine baptizari habeo pro vobis, ut vestræ sordes laventur, non meæ, qui sordes nullas habeo, et ego, urgente me charitate, sic volo baptizari pro vobis. Probate ergo vos : utrumne vos simili charitate per sanguinem mundari velitis ? Luc. xii, 50 : *Baptismo habeo baptizari : et quomodo coarctor usquedum perficiatur ?* Ad Roman. vi, 4 : *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem : ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.*

Hæc est expositio litteralis.

Est autem in Scriptura sacra *calix* in diversa significatione, bona et mala. In bona quidem significatione est calix eruditionis sacræ Scripturæ, Psal. xxii, 5 : *Calix meus inebrians, quam præclarus est !* Est calix benedictionis, Eucharistia, I ad Corinth. x, 16 : *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ?* Est calix salvationis per pœnitentiam et devotionem Christi Passionis, Psal. cxv, 13 :

Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Est calix passionis, mortis angustia in charitate suscepta, Matth. XXVI, 42 : *Pater, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Et, Joan. XVIII, 11 : *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum ?*

Calix autem in malo, est calix mundanæ voluptatis, Jerem. LI, 7 : *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram.* Et calix pœnæ inflictæ per sententiam, Psal. LXXIV, 9 : *Calix in manu Domini vini meri plenus misto... Verumtamen fæx ejus non est exinanita : bibent omnes peccatores terræ.* Est calix ebrietatis mundanorum gaudiorum, Proverb. XXIII, 29 et 30 : *Cui suffusio oculorum ? Nonne his qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis.*

Similiter etiam baptismus est in diversa significatione : sed tantum in bona est significatione. Est enim baptismus in verbo, Joan. XV, 3 : *Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Et idem est : Vos mundi estis, quia vos baptizati estis : in aqua, unde, Joan. I, 26 : *Ego baptizo in aqua.* In aqua et Spiritu, Joan. III, 5 : *Nisi quis renatus, fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* In Spiritu tantum, Act. I, 5 : *Vos autem baptizamini Spiritu sancto non post multos hos dies.* In igne præsentis tribulationis, Isa. IV, 4 : *Si abluerit* (alia translatio) si baptizaverit *Dominus sordes filiarum Sion..., in spiritu judicii, et spiritu ardoris.* In morte, Luc. XII, 50 : *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usquedum perficiatur ?*

« At illi dixerunt ei, »

Scilicet duo discipuli « *Possumus* : » inexperti propriarum virium. Cantic. I, 7 : *Si ignoras te, o pulcherrima mulierum, egredere, et abi post vestigia gregum.* Et ideo stulti fuerunt, quia sui ipsius nescierunt propriam quantitatem. Ptolomæus Philosophus : « Insipiens est « qui suiipsius nescit quantitatem, hoc « est, quantum de viribus suis præsume- « re debeat. »

« Jesus autem ait eis : Calicem quidem quem ego bibo bibetis, et baptismo quo ego baptizor baptizabimini. »

Sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est. « 40

« *Jesus autem ait illis* : « corrigens inexperientiam, et docens corregnandi viam, et prædicens futuram eorum, quando per Spiritum instructi erant, passionem.

Dicit igitur quid passuri sunt pro nomine ejus : « *Calicem quidem meum,* » hoc est, Passionem voluntariam, « *bibetis,* » hoc est, ex charitate patiemini. Matth. XXVI, 27, et Luc. XXII, 17 : *Bibite ex hoc omnes.*

« *Et baptismo quo ego baptizor,* » voluntarii in Spiritu sancto « *baptizabimini,* » vel voluntate et actu. I ad Corinth. X, 2 : *Omnes baptizati sunt in nube, et in mari.* In nube quidem, propter spiritus mundationem : in mari, propter pœnitentiæ amaritudinem : in Mari rubro, propter sanguinis Christi et martyrii rubricationem. Sic ergo « *baptizabimini,* » hoc est, mundabimini.

« Sedere autem, »

Propter hæc omnia, « *ad dexteram meam,* » in gaudio æternitatis. Ad Coloss. III, 1 et 2 : *Ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite.*

« *Vel ad sinistram,* » in perfruitione humanitatis. Proverb. III, 16 : *Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra illius divitiæ et gloria.*

« *Non est meum,* » cum quidem sit ex auctoritate ; sed « *non est meum,* » ex

ordine justitiæ quæ respondet meritis, « *sed quibus*, » ex ordine meritorum, « *paratum est*, » hoc est, propter merita ab æterno dispositum a Patre meo, sicut dicitur, Matth. xx, 23. Æterna enim sapientia illud præparavit. Apocal. xiv, 13 : *Opera enim illorum sequuntur illos*. Et ideo stultum est quod illud appetitis sine meritis. Jacob. iv, 3 : *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis*. Ad Roman. viii, 26 : *Quid oremus sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*.

41 « Et audientes decem cœperunt indignari de Jacobo et Joanne. »

Hic tangitur indignatio aliorum Apostolorum. Indignatio autem eorum fuit de indiscreta petitione duorum, qui ignorantes mensuram suam, immoderata ardebant cupiditate regnandi super alios. Zachar. iv, 7 : *Quid tu, mons magne, coram Zorobabel ? in planum*.

« *De Jacobo et Joanne*, » qui aliis præferri in regno terreno cupiebant. Job, xx, 12 et 13 : *Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos ? Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo hujuscemodi sermones ?* Causa autem fuit, quia in via disputaverant quis eorum videretur esse major, sicut dicitur, Luc ix, 46, et Matth. xviii, 1, et Luc. xxii, 24.

42 « Jesus autem vocans eos, ait illis : Scitis quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis, et principes eorum potestatem habent ipsorum.

43 Non ita est autem in vobis : sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister :

Et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus. 44

Nam et Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis. » 45

« *Jesus autem vocans eos*, » tamquam benignus doctor humilitatis, « *ait illis*. »

Et tangitur hic communis omnium salutis instructio contra fastum tumoris, qui eis surrepserat : et ostenditur via salutaris ad regnandum cum Christo.

Tanguntur autem hic tria, scilicet, fastus gentium in regno terreno : dissimilitudo ad illos regnantium cum Christo : et exempli subjectio in Dei Filio.

Dicit igitur : « *Scitis*, » quia per ea quæ in mundo videtis hoc scire potestis, « *quia hi qui videntur* » (hoc dicit quia dominatus sæcularis magis est umbra et phantasma quam veritas) « *principari gentibus*, » sine legibus gentium, sicut ordinati in principes, sed per tyrannidem opprimunt pauperes, sicut Nemrod [1], « *dominantur eis*, » violenta dominatione et ambitione dominatus et potestatis. Isa. xix, 4 : *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, et rex fortis dominabitur eorum*. Amos, vi, 14 : *Quæ lætamini in nihilo, qui dicitis : Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua ?*

« *Et principes eorum*, vel potius tyranni oppressorum, « *potestatem habent ipsorum*, » quam pro viribus et non secundum judicium et justitiam exercent in eos. Luc. xxii, 25 : *Reges gentium dominantur eorum, et qui potestátem habent super eos, benefici vocantur*.

« Non ita est autem in vobis. »

« Doctrina est viæ ad regnandum cum Christo per viam humilitatis. Et ideo

[1] Cf. Genes. x, 8 et 9.

dicit : « *Sed quicumque,* » scilicet inter vos discipulos meos, « *voluerit fieri major,* » in gloria mea, « *erit vester minister,* » sicut minor, qui ad obsequia est deputatus. Luc. XXII, 26 : *Qui major est in vobis, fiat sicut minor : et qui præcessor est, sicut ministrator.* Matth. XVIII, 4 : *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.*

« *Et quicumque voluerit in vobis primus esse,* » dignitate in gloria regni mei, ille per actum humilitatis et ministerii « *erit omnium servus,* » quantum ab obsequium. Et, Luc. XVIII, 14 : *Qui se humiliat, exaltabitur.* Proverb. XV, 33 : *Gloriam præcedit humilitas.* Eccli. XI, 1 : *Sapientia humiliati exaltabit caput illius, et in medio magnatorum consedere illum faciet.* Job, XXII, 29 : *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.*

« Nam et Filius hominis. »

Ponit seipsum in exemplum. « *Filius hominis non venit,* » in carnem et in mundum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, exinaniens semetipsum [1] : et ideo, « *non venit ut ministretur ei,* » hoc est, ut serviatur ei, « *sed ut ministraret* » aliis. Luc. XXII, 27 : *Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat ? Nonne qui recumbit ? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.* Isa. LII, 13 : *Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, et elevabitur, et sublimis erit valde.*

Et tangit maximum quod exhibuit ministerium : et dicit : « *Et daret animam suam,* » in pignus, « *redemptionem pro multis* » efficaciter, sed pro omnibus sufficienter. Psal. CXXIX, 7 : *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.* Jerem. XII, 7 : *Dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus.* I Joan. II, 2 : *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

« Et veniunt Jericho : et proficiscente eo de Jericho, et discipulis ejus et plurima multitudine, filius Timæi, Bartimæus cæcus, sedebat juxta viam mendicans. » 46

Hic ad faciem Leonis se convertens Marcus, ponit per miraculum doctrinæ præhabitæ confirmationem.

Dividitur autem in quatuor particulas : in quarum prima ponuntur antecedenter impetrantia miraculum : in secunda, ponuntur miraculum impetrantia ex parte ejus in quo perfectum est miraculum : in tertia, ponuntur ea quæ circumstant miraculi perfectionem ex parte Salvatoris : in quarta autem et ultima, tangitur miraculi fructus.

In prima tanguntur quatuor : locus, et iter, discipulorum ædificatio, et turbæ comitantis eum multitudo.

De primo dicit : « *Et veniunt,* » itinerando versus Jerusalem, « *Jericho.* » Omittit autem hic Marcus quod et Matth. XX, omiserat : quod Lucas refert, XVIII, 35 et seq., quod Salvator veniendo Jericho unum cæcum in via illuminavit : et, Luc. XIX, 1 et seq., quod veniens Jericho Zachæum allocutus est, et apud eum hospitatus : qui etiam merito suæ hospitalitatis est secundum nomen suum tunc justificatus. Hæc enim omnia competunt, quia Jericho *luna* interpretatur : luna autem est quæ suum lumen continuo mutuat a sole : sicut etiam a sole justitiæ cæcus mutuato lumine illuminatur, et Zachæus justificatur. Eccli. XLIII, 7 : *A luna signum diei festi : luminare quod minuitur in consummatione.* Psal. LXXXVIII, 38 : *Et luna testis in cœlo fidelis.*

[1] Ad Philip. II, 7.

« Et proficiscente eo, »

Christo, « *de Jericho.* »

Tangit iter ad Jerusalem quo festinabat ad passionem. In hoc enim nobis dedit exemplum. Ad Hebr. XII, 2 : *Adspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta,*

« *Et discipulis ejus,* » qui et instruendi et confortandi erant per miraculum. Joan. II, 11 : *Hoc fecit initium signorum Jesus* coram discipulis suis : *et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus.*

« *Et plurima turba,* » quæ ex devotione cum eo ad diem festum cum Domino ascendebat, et per miraculum ad fidem ædificabatur. Apocalyps. VII, 9 : *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, stantes ante thronum.* Isa. II, 3 : *Ibunt populi multi et dicent : Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus.*

« Filius Timæi. »

Tangit ea quæ impetrant miraculum ex parte ejus in quo factum est : et sunt tria, scilicet, pristinæ felicitatis prosperitas, instantis miseriæ infelicitas, et instanter ad se clamantis supplicitas. Attende autem quod Matth. XX, 30 et seq., dicitur, quod duo fuerunt cæci illuminati a Domino, sed Marcus unum ponit, qui notæ fuit famæ : et de altero non negat, sed tacet : unde Beda in Glossa : « Matthæus in hoc loco dicit duos cæcos « secus viam sedentes illuminatos : Lu- « cas, cum appropinquaret Jericho unum « illuminatum pari ordine : sed Lucas « scribit quod Matthæus omisit. Quod « autem hoc loco Matthæus duos dicit, « Marcus dicit unum, et alterum non ne- « gat, sciendum est unum eorum fuisse « notissimum : unde et nomen ejus et « patris Marcus commemorat, quod in « aliis non facit, nisi cum Jairum nomi- « ne expressit : quia sicut ille nobilis « fuit, ita et iste ex aliqua felicitate de- « jectus, notissimæ et famosæ miseriæ « fuit, qui non solum cæcus, verum « etiam mendicus sedebat. » Hujus ergo illuminationem Marcus describit, quia miraculo majorem famam comparavit.

Hoc est igitur quod dicit : « *Filius Timæi,* » nobilis viri, nomine « *Bartimæus,* » qui *filius pinguedinis* interpretatur : ex quo nomine præterita prosperitas significatur. Job, XVI, 13 : *Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum.* Luc. I, 51 : *Deposuit potentes de sede.*

« Cæcus, »

Ex tanta prosperitate dejectum tangit in duplicem miseriam incidisse. « *Cæcus,* » luminibus privatus, ut vias ad quærendum necessaria non videret : et ideo « *sedebat,* » duces per vias non habens. Thren. III, 2 : *Me minavit et adduxit in tenebras, et non in lucem.*

« *Juxta viam,* » non in via, ne offendiculum esset transeuntibus, et tamen a transeuntibus videretur. Matth. XX, 30 : *Duo cæci sedentes secus viam.* Isa. LIX, 9 : *Exspectavimus lucem, et ecce tenebræ : splendorem, et in tenebris ambulavimus.* Forsitan enim iste quia prosperitate abusus fuit, incidit in miseriam cæcitatis et mendicæ paupertatis. Deuter. XXXIII, 29 : *Palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, et non dirigas vias tuas.*

« *Mendicans,* » hoc est, extensione manus paupertatem suam dicens, et in miseria corporis nulla habens vitæ solatia, et miseriæ temperamenta. Job, XXX, 3 : *Egestate et fame steriles, squalentes calamitate et miseria.* Eccle. V, 12 et 13 : *Est et alia infirmitas quam vidi sub sole : divitiæ conservatæ in malum domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima : generavit filium qui in summa egestate erit.*

47 « Qui cum audisset quia Jesus Nazarenus est, cœpit clamare et dicere : Jesu, fili David, miserere mei. »

Tangit instantiam supplicantis. Et dicit duo : supplicationem, et instantiam.

In supplicatione dicit tria, scilicet excitationem ad petendum, intensionem ad clamandum, discretionem ad impetrandum.

Dicit igitur : « *Qui cum audisset,* » a transeuntibus : quia, sicut dicit Luc. XVIII, 36 et 37 : *Cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret.*

Et hoc est : « *Quia Jesus Nazarenus,* » omni flore vernans, « *est,* » qui transiret : sperans de misericordia et bonitate et largitate ejus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, excitatus est ad petendum ab eo, de quo dicitur, Luc. I, 79 : *Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent : ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

Et hoc est : « *Cœpit clamare,* » cum magna desiderii et intentionis et vocis intensione. Psal. XVII, 7 : *Clamor meus introivit in aures ejus.* Psal. CXVIII, 145 : *Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine.* Baruch, III, 1 : *Anima in angustiis et spiritus anxius clamat ad te, Domine.*

« *Et dicere.* » Tangit discretionem petitionis ad exaudiendum.

« Jesu, fili David, miserere mei. »

Jesum nominat Salvatorem, cujus et officium et actus semper fuit ad salvandum. In oratione Manassæ, sub finem : *Indignum salvabis me secundum magnam misericordiam tuam.*

« *Fili David,* » manu fortis, qui salvare potest : affectu desiderabilis, qui ex benignitate cunctis exhibet vultum gratiosum : divitis regis, qui habet unde salvare possit : misericordis etiam in inimicos, quem aliena miseria in corde afficit et cogit ad miserendum. Tu qui filius hujus es, et hæreditate cuncta ista accepisti, « *miserere mei.* » De primo dicitur, Eccli. XLVI, 1 et 2 : *Jesus Nave... qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei.* De secundo, Joel, II, 13 : *Benignus et misericors est..., et præstabilis super malitia.* Esther, XV, 17 : *Valde mirabilis es, domine, et facies tua plena gratiarum.* Et ideo omnes in facie ejus gratiam inveniunt. De tertio, I ad Corinth. I, 5 : *In omnibus divites facti estis in illo.* Et sequitur, ℣. 7 : *Ita ut nihil desit vobis in ulla gratia.* Ad Roman. X, 12 : *Dives in omnes qui invocant illum.* De quarto, Psal. CXXIX, 7 : *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.*

Ergo, « *miserere mei,* » tua compassione, utramque meam miseriam corporis et fortunæ removendo. Psal. L, 3 : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam : et secundum multitudinem miserationum tuarum.* Isa. LXIII, 15 : *Ubi est zelus tuus, et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, et miserationum tuarum ? super me continuerunt se.*

48 « Et comminabantur illi multi ut taceret. At ille multo magis clamabat : Fili David, miserere mei. »

Tangit hic ad petendum instantiam. Et tanguntur tria quæ instantiam important, scilicet increpantium comminatio, qui a clamore hunc avertere non poterant : clamoris per omnia momenta accumulatio : et petitionis ingeminatio.

Dicit igitur : « *Et comminabantur ei multi,* » nolentes inquietari Dominum, « *ut taceret* » a clamore. Luc. XVIII, 39 : *Qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat.* Et

tales signant eos qui retrahunt a bono opere. Proverb. III, 27 : *Noli prohibere benefacere eum qui potest : si vales, et ipse benefac.*

« *At ille multo magis clamabat.* » Ad Coloss. IV, 2 : *Orationi instate, vigilantes in ea.* Luc. XVIII, 1 : *Oportet semper orare et non deficere.* Thren. II, 18 : *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem : non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.*

« *Fili David, miserere mei.* » Ecce petitionis ingeminatio. Matth. XV, 22 : *Miserere mei, Domine, fili David.* Facilis enim et mollis ad placandum fuit David, cujus tu es hæres. II Reg. XXIII, 8 : *Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.* Habacuc, I, 2 : *Usquequo, Domine, clamabo, et non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, et non salvabis ?*

49 « Et stans Jesus præcepit illum vocari. Et vocant cæcum, dicentes ei : Animæquior esto : surge, vocat te.

50 Qui, projecto vestimento suo, exsiliens venit ad eum.

51 Et respondens Jesus dixit illi : Quid tibi vis faciam ? Cæcus autem dixit ei : Rabboni, ut videam.

52 Jesus autem ait illi : Vade, fides tua te salvum facit. Et confestim vidit, et sequebatur eum in via. »

Tangit hic ea quæ circumstant istius miraculi perfectionem.

Sunt autem septem, quorum primum est status transeuntis, cum dicit : « *Et stans Jesus,* » ut eum cæcus consequi posset : stetit enim ex misericordia exspectans eum, quem desidem transiverat ex justitia. Isa. XXX, 18 : *Exspectat Dominus ut misereatur vestri.* Cantic. II, 9 : *En ipse stat post parietem nostrum.* Et quid mirum quod stat exspectans, quia ante stetit pulsans.

Secundum est adducendi cæci ad se præceptum : unde dicit : « *Præcepit illum vocari,* » ut Deo et lumini æterno appropinquaret. Psal. XXXIII, 6 : *Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur.* Genes. XLIV, 21 : *Adducite eum ad me, et ponam oculos meos super eum.*

Tertium est quod juxta Christi imperium cæcus vocatur. « *Et vocant cæcum,* » ministri illuminationis et intercessores, « *dicentes ei,* » cæco jam statim illuminando. II ad Corinth. II, 8 : *Confirmetis in illum charitatem.*

« *Animæquior esto.* » Tobiæ, V, 13 : *Forti animo esto, in proximo est ut a Deo cureris.* Baruch, IV, 5, 4 : *Animæquior esto, populus Dei, quia quæ Deo placent manifesta sunt nobis.*

Ergo « *surge,* » hoc est, sursum ad cœli lumen age te. Ad Ephes. V, 14 : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.*

« *Vocat te.* » Ad Roman. IV, 17 : *Qui vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt.*

Quartum est cæci ad lumen acceleratio, et hoc est :

« Qui, projecto vestimento suo, »

Ut reverentiam exhiberet, et pristini erroris per confessionem conversationem deponeret. Cantic. V, 3 : *Ex spoliavi me tunica mea, quomodo induar illa ?* Ad Ephes. IV, 22 : *Deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris.*

« *Exsiliens,* » præ gaudio quod concepit spe sanitatis percipiendæ. Cantic. II, 8 : *Ecce iste venit, saliens in montibus, transiliens colles :* quia etiamsi claudus fuisset, præ gaudio saltasset : et hoc fuit signum perfectæ fidei, quia aliter gaudium tantum non concepisset. Isa. XXXV, 6 : *Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.*

« *Venit ad eum,* » Salvatarem et illu-

minatorem omnium. I Regum. xxv, 8 : *In die bona venimus ad te.*

« Et respondens Jesus dixit illi. »

Quintum est, in quo per quæstionem intendit Dominus aliis hujus cæci ostendere affectum. « *Quid tibi vis faciam ?* » Hoc quærit non ignorans, sed ut aliis ostendatur quod non carnale aliquid, sed perceptionem luminis interioris et exterioris habet in desiderio. Tob. v, 12 : *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cæli non video ?*

« *Cæcus autem dixit ei,* » de videndo lumine suum exclamans desiderium. Eccle. xi, 7 : *Dulce lumen et delectabile est oculis videre solem.*

« *Rabboni,* » dulcissime magister, qui veritate tua omnes illuminas, qui dixisti, Joan. viii, 12 : *Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ :* qui dixisti adhuc, Joan. ix, 39 : *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant.*

« *Ut videam.* » Luc. xviii, 41 : *Domine, ut videam* [1]. Psal. xvii, 29 : *Deus meus, illumina tenebras meas.*

« Jesus autem ait illi, »

Fons veræ lucis. Sapient. vii, 26 : *Candor est lucis æternæ, et speculum sine macula.*

« *Vade,* » illuminationis profectu. Et hoc est sextum. Psal. lxxxviii, 16 et 17 : *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt : et in nomine tuo exsultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur.* Baruch, iii, 14 : *Disce ubi sit lumen oculorum et pax.*

« *Fides tua,* » qua me posse hoc tibi facere credis, « *te salvum fecit.* » Luc. vii, 50 : *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.*

« Et confestim vidit. »

Hoc est septimum. « *Confestim,* » quia nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Et ne putetur per medicinam curatus, statim in momento factum est. Confestim ergo vidit. Psal. cxviii, 18 : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.* Act. ix, 18 : *Ceciderunt ab oculis ejus tamquam squamæ, et visum recepit.* Mich. vii, 8 : *Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est.*

« Et sequebatur eum in via. »

Fructus est miraculi et utilitas. Matth. viii, 19 : *Sequar te quocumque ieris.* Hic enim de cætero lumen sequebatur, ne in tenebris impingeret. Joan. xii, 36 : *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.* Ad Ephes. v, 8 : *Ut filii lucis ambulate.* Hoc enim est primum lucis beneficium ut sequamur lucem.

[1] Matth. xx, 33 : *Dicunt illi : Domine, ut aperiantur oculi nostri.*

CAPUT XI.

Super pullum asinæ cum honore Jerusalem ingreditur : ficum maledicendo arefacit : ementes ac vendentes de templo ejicit : efficaciam fiduciæ in Deum ostendit, dicens fratri remittenda quæ in nos commisit : Scribis non dicit qua potestate hæc faciat, eo quod nec illi responderent ad propositam de Joannis baptismo quæstionem.

1. Et cum appropinquarent Jerosolymæ et Bethaniæ ad montem Olivarum, mittit duos ex discipulis suis [1],
2. Et ait illis : Ite in castellum quod contra vos est, et statim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit : solvite illum et adducite.
3. Et si quis vobis dixerit : Quid facitis? dicite : Quia Domino necessarius est : et continuo illum dimittet huc.
4. Et abeuntes, invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio : et solvunt eum.
5. Et quidam de illic stantibus dicebant illis : Quid facitis solventes pullum?
6. Qui dixerunt eis sicut præceperat illis Jesus, et dimiserunt eis.
7. Et duxerunt pullum ad Jesum, et imponunt illi vestimenta sua, et sedit super eum [2].
8. Multi autem vestimenta sua straverunt in via : alii autem frondes cædebant de arboribus et sternebant in via.
9. Et qui præibant et qui sequebantur clamabant, dicentes : Hosanna [3].
10. Benedictus qui venit in nomine Domini : benedictum quod venit regnum patris nostri David. Hosanna in excelsis.
11. Et introivit Jerosolymam in templum [4] : et circumspectis omnibus, cum jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.
12. Et alia die cum exirent a Bethania, esuriit.
13. Cumque vidisset a longe ficum habentem folia [5], venit si quid forte inveniret in ea : et cum venisset ad eam, nihil invenit præter folia : non enim erat tempus ficorum.
14. Et respondens dixit ei : Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant discipuli ejus.
15. Et veniunt Jerosolymam. Et cum introisset in templum, cœpit ejicere vendentes et ementes in templo : et mensas nummulariorum et cathedras vendentium columbas evertit.

[1] Matth. xxi, 1 ; Luc. xix, 29.
[2] Joan. xii, 14.
[3] Psal. cxvii, 26 ; Matth. xxi, 9 ; Luc. xix, 38.
[4] Matth. xxi, 10.
[5] Matth. xxi, 19.

16. Et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum :
17. Et docebat, dicens eis : Nonne scriptum est : Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus [1] ? vos autem fecistis eam speluncam latronum.
18. Quo audito, principes sacerdotum et scribæ quærebant quomodo eum perderent : timebant enim eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus.
19. Et cum vespera facta esset, egrediebatur de civitate.
20. Et cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam a radicibus.
21. Et recordatus Petrus, dixit ei : Rabbi, ecce ficus cui maledixisti aruit.
22. Et respondens Jesus, ait illis : Habete fidem Dei [2].
23. Amen dico vobis quia quicumque dixerit huic monti : Tollere et mittere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei.
24. Propterea dico vobis : Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis [3].
25. Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem [4], ut et Pater vester qui in cœlis est dimittat vobis peccata vestra.
26. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester qui in cœlis est dimittet vobis peccata vestra.
27. Et veniunt rursus Jerosolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, et scribæ, et seniores,
28. Et dicunt ei : In qua potestate hæc facis [5] ? et quis dedit tibi hanc potestatem ut ista facias ?
29. Jesus autem respondens, ait illis : Interrogabo vos et ego unum verbum, et respondete mihi : et dicam vobis in qua potestate hæc faciam.
30. Baptismus Joannis, de cœlo erat, an ex hominibus ? Respondete mihi.
31. At illi cogitabant secum, dicentes : Si dixerimus : De cœlo, dicet : Quare ergo non credidistis ei ?
32. Si dixerimus : Ex hominibus, timemus populum : omnes enim habebant Joannem quia vere propheta esset.
33. Et respondentes dicunt Jesu : Nescimus. Et respondens Jesus, ait illis : Neque ego dico vobis in qua potestate hæc faciam.

[1] Isa. LVI, 7 ; Jerem. VII, 11.
[2] Matth. XXI, 21.
[3] Matth. VII, 7 et XXI, 22.
[4] Matth. VI, 14 et XVIII, 35 ; Luc. XI, 9.
[5] Luc. XX, 2.

IN CAPUT XI MARCI

ENARRATIO.

« Et cum appropinquarent Jerosolymæ et Bethaniæ ad montem Olivarum. »

Ab hoc loco agere incipit de electione quorumdam ad regnum Leonis pertinentium, et de reprobatione aliorum.

Continentur autem in ea tria capitula : in quorum primo sub metaphora describitur Synagogæ reprobatio, et Ecclesiæ de gentibus electio : in secundo autem meritum reprobationis ostenditur, quod est hujus libri capitulum duodecimum : in tertio autem, hoc est, tertiodecimo hujus libri capitulo, modus reprobationis Synagogæ determinatur.

Istud autem capitulum in duas dividitur partes : in quarum prima duplex metaphora reprobandæ Synagogæ inducitur : in secunda autem quæstio de potestate hujus reprobationis determinatur, ibi, ℣. 27 : « *Et veniunt rursus Jerosolymam*, etc. »

Prima harum adhuc secundum duplam reprobationis metaphoram in duas partes distribuitur, quarum prima est metaphora inducens inobedientiam legis, propter quam Synagoga reprobatur : secunda autem, ariditatem dulcedinis intellectus spiritualis, propter quam per panem condemnatur sterilitati : quæ incipit ibi, ℣. 12 : « *Et alia die cum exirent a Bethania, esuriit.* »

Adhuc autem prior harum in tres scinditur partes : in quarum prima per adductionem pulli indomiti Gentium vocatio, et reprobatio Judæorum præsignatur. In secunda, per processionem una fides Patrum et Gentium vocatarum ostenditur, ibi, ℣. 8 : « *Multi autem vestimenta sua straverunt*, etc. » In tertia, desiderium salutis Judæorum in Christo, et ingratitudo eorumdem demonstratur, ibi, ℣. 11 : « *Et introivit Jerosolymam in templum : et circumspectis*, etc. »

In prima harum patrium tres sunt paragraphi : in quorum primo discipulorum missio continetur : in secundo, obedientia discipulorum perfecta describitur : et in tertio, electionis Gentium metaphora per sessionem aselli demonstratur.

In primo horum paragraphorum duo dicuntur, scilicet, discipulorum missio, et legationis injunctio.

Circa missionem duo attenduntur, scilicet, loci unde mittuntur opportunitas, et nuntiorum idoneitas.

De loci opportunitate tria dicuntur : describitur enim opportunitas ex viæ termino : et describitur opportunitas ex loci in quo missio ordinata est mysterio : et tertio, describitur ex loci a quo missio est facta proprio significato.

Dicit igitur : « *Et cum* » (quinque diebus ante Pascha, hoc est, die dominica palmarum) « *appropinquarent*, » hoc est, Jesus et discipuli appropinquare inciperent, « *Jerosolymæ*, » ad quam Jesus tendebat tamquam ad locum passionis. Luc. XVIII, 31 : *Ecce ascendimus Jerosolymam : et consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis* [1]. Luc. XIII, 33 : *Non capit Prophetam perire extra Jerusalem.* Hic autem locus opportunus fuit passioni, quia per passionem introitus est ad æternæ pacis visionem, quod Jerusalem interpretatur. Ad Galat. IV, 26 : *Illa, quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra.* Isa. LXVI, 13 et 14 : *In Jerusalem consolabimini, videbitis, et gaudebit cor vestrum.*

« *Et Bethaniæ.* » Locus est in quo or-

[1] Cf. Matth. XX, 18 et Marc. X, 33.

dinatum est de missione ista. Joan. XII, et seq. : *Jesus ergo, ante sex dies Paschæ, venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi: et Martha ministrabat. Lazatus vero erat unus de discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi : et unxit pedes Jesu, et extersit pedes ejus capillis suis : et domus impleta est ex odore unguenti.* Et ibi proditor pro unguenti recuperatione concepit proditionem : et Christus ibi ordinavit electorum, per discipulorum legationem, vocationem : et hoc fuit sabbato ante palmas. Hic autem locus non nisi duodecim stadiis distabat a Jerusalem. Opportunus autem fuit, quia Bethania *domus obedientiæ* interpretatur, et per obedientiam Patris ordinatum est vocationis electorum officium. Ad Philip. II, 8: *Factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis.*

« *Ad montem Olivarum.* » Matth. XXI, 1 : *Cum venissent Bethphage ad montem Oliveti.* Bethphage enim casale parvum erat in latere montis Oliveti situm : opportunus autem locus fuit unde talis missio fieret : unde Glossa : « Hæc in monte Oliveti posita esse dicitur, ut Ecclesia per gratiam Dei esse salvanda signetur : quam unctione spiritualium charismatum, et scientiæ et pietatis luce fovet. » Mons enim Oliveti spiritualium distributor gratiarum esse signatur : et ne absconderetur civitas supra hunc montem posita, *mittit duos ex discipulis suis*, dicens illis : *Ite in castellum quod contra vos est.* Sic ergo patet hujus loci, unde facta est, ad ipsam legationem convenientia. Matth. V, 14 : *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Mons enim est elevatio potestatis ecclesiasticæ : et fructus olivæ signat gratiarum in Ecclesia ubertatem. Cantic. I, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.* Eccle. IX, 8 : *Oleum de capite tuo non deficiet.*

« Mittit duos ex discipulis suis. »

Tangitur hic legatorum sive nuntiorum idoneitas.

Duo autem tanguntur circa hoc, scilicet mysterium, et informatio æternæ veritatis.

Dicit igitur : « *Mittit,* » auctoritatem dans legationis. Matth. X, 16 : *Ecce ego mitto vos sicut oves.* Luc. X, 3 : *Ite : Ecce ego mitto vos.*

« *Duos,* » propter geminæ charitatis affectum, sicut dicit Gregorius, quia « Charitas non minus quam inter duos « haberi potest. » Vel, sicut dicit Glossa, propter veritatis scientiam, et operis munditiam. Proverb. XVIII, 19 : *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Eccle. IV, 9 : *Melius est duos esse simul quam unum : habent enim emolumentum societatis suæ.*

« *Ex discipulis suis,* » quos æternæ informaverat veritatis institutis. Joan. VIII, 31 et 32 : *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.*

« Et ait illis : Ite in castellum quod contra vos est. »

« *Et ait illis.* » Injungens illis suæ legationis officium. II ad Corinth. V, 20: *Legatione fungimur tamquam Deo exhortante per nos.*

« *Ite in castellum.* » Injuncta hæc tangitur discipulis legatio.

Quatuor autem dicit : legationis processum, legatorum eventum, legationis officium, et legationis injunctæ statim ad movendum impedimentum.

Primum tangit cum dicit : « *Ite,* » procedendo legationis processu et profectu. Marc. XVI, 15 : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Job, XXXVIII, 35 : *Numquid mittes fulgura, et ibunt, et revertentia dicent tibi : Adsumus ?* Ac si dicat : Non

tu facies hoc, sed ego. Fulgura enim sunt Apostoli tonantes prædicatione, et micantes coruscatione, et ferventes comminatione, et blandientes leni lumine, æternæ vitæ promissione.

« *In castellum,* » quod jam propter iniquitatem, ea quæ erat metropolis civitas, in castellum humile sit conversa. Isa. I, 21 : *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii? justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ.* Incastellata autem est armis contra Deum ordinatis. Thren. III, 7 : *Circumædificavit adversum me, ut non egrediar.* Psal. LIX, 11 : *Quis deducet me in civitatem munitam?*

« *Quod contra vos est,* » quia tota se totam paraverat civitas contra Salvatorem. Psal. LIV, 11 et 12 : *Vidi iniquitatem et contradictionem in civitate. Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas :... et non defecit de plateis ejus usura et dolus.* Hæ sunt munitiones contra quas mittuntur Apostoli. II ad Corinth. X, 4, 5 : *Consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.*

« Et statim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit : solvite illum et adducite.

3 Et si quis vobis dixerit : Quid facitis? dicite : Quia Domino necessarius est : et continuo illum dimittet huc. »

Tangit hic legatorum eventum.

Dicit igitur : « *Et statim,* » in ipso urbis promurali, « *introeuntes,* » quia statim occurrit eis quod quærebant. Genes. XXVII, 20 : *Voluntas Dei fuit, ut cito occurreret mihi quod volebam.*

« *Illuc,* » hoc est, inibi, « *invenietis pullum.* » Luc. XIX, 30 : *Invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo umquam hominum sedit.* Qui nullo fræno domitus et attractus gentilem significat populum, qui nulla lege frænatus fuerat. Job, XI, 12 : *Vir vanus, in superbiam erigitur, et quasi pullum onagri se natum liberum putat.* Putabat enim gentilis populus se natum ad libertatem, et ideo nulla lege se frænari permisit.

« *Ligatum,* » multorum vinculis peccatorum. Proverb. V, 22 : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur.* Psal. CXVII, 6 : *Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.* Et, Psal. CXVIII, 61 : *Funes peccatorum circumplexi sunt me,* etc.

« *Super quem,* » regendum ad honestatem legum, « *nemo adhuc hominum,* » ratione utentium, « *sedit,* » domandum et regendum : sed in barbaris scientia (alias, scientiis) vivit vagans per campos licentiæ. Psal. LXXX, 13 : *Ibunt in adinventionibus suis.* Job, XXXIX, 5 : *Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit?* Onager est asinus agrestis cui nullus rationabilium insedit doctorum, ut dicit Glossa.

« Solvite illum, »

A vinculis peccatorum. Matth. XVI, 19 : *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Psal. CXLV, 7 et 8 : *Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos.*

Et absolutum a vinculis peccatorum « *adducite mihi* » insidendum et regendum. Et hæc est injuncta legatio. Joan. I, 42 : *Adduxit eum ad Jesum.* Isa. LX, 5 : *Tunc videbis et afflues, mirabitur et dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.* Omnes enim illi per pullum significantur, adducendi per Apostolos.

« Et si quis vobis dixerit, »

Hoc est, si aliquis vobis aliquid dixerit objiciens contra pulli solutionem : totus enim mundus contra solutionem

pulli istius rationibus armabatur, solutioni contradicens. Ezechiel. III, 12 : *Audivi post me vocem commotionis magnæ.* Psal. XCII, 3 : *Elevevarunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam,* hoc est, defluentes temporaliter infideles. Sic eductioni populi de Ægypto Ægyptii contradixerunt. Sic Pharao contemptus surgit in scandala. Luc. XIX, 31 : *Si quis vos interrogaverit,* dicens :

« *Quid facitis ?* » hoc est, quare hoc facitis ? Sicut multi quærunt rationem, quare a libertate vocetur aliquis ad fidem vel religionem ? Isa. LVIII, 2 : *Scire vias meas volunt.* Exod. V, 2 : *Nescio Dominum, et Israel non dimittam.*

« *Dicite,* » hoc est, rationes fidei ostendite : « *Quia Domino* » regendus pullus « *necessarius est.* » Non necessitate Domini, sed necessitate pulli, quia aliter indomitus periret. I Petr. III, 15 : *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe,* et etiam fide.

« *Et continuo,* » audita fidei ratione, « *illum* » pullum « *dimittet huc,* » adducendum ad me. Isa. XLV, 2 : *Ego ante te ibo, et gloriosos terræ humiliabo : portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam.* Dominus enim assignata rationabili ratione fidei, humiliat intellectum audientium, et humiliat gloriosos terræ Philosophos. Et confringit portas æreas, quando frangit Oratorum eloquentiam per orbem sonantem. Et vectes ferreos confringit, quando acutos syllogismos dialecticæ fidei subdit. Et tunc dimittitur ab eis adducendus ad Dominum, qui ante rationibus phantasticis detinebatur.

4 « Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio : et solvunt eum.

5 Et quidam de illic stantibus dicebant illis : Quid facitis solventes pullum ?

Qui dixerunt eis sicut præceperat illis Jesus, et dimiserunt eis. » 6

Tangitur hic discipulorum simplex obedientia.

Et dicuntur hic quinque : profectus, sermonis prædicti effectus, præcepti impletio, præsentium adstantium contradictio, et pulli ad Dominum adductio.

Dicit igitur : « *Et abeuntes,* » discipuli a Domino ad obedientiæ perfectionem. Ezechiel. I, 14 : *Animalia ibant in similitudinem fulguris coruscantis.* Nulla enim erat dubitatio, nulla interrogatio, quo minus injunctæ obedientiæ opus non statim perficeretur in impetu charitatis et fervore spiritus.

« *Invenerunt pullum* » liberum, nullo jugo obedientiæ pressum, nullo fræno alicujus legis frænatum : « *ligatum* » loris suorum peccatorum et lasciviarum. Osee, IV, 19 : *Ligavit eum spiritus in alis suis,* hoc est, spiritus fornicationis et lasciviæ. Orat. Manassæ versus medium : *Incurvatus sum multo vinculo ferreo..., et non est respiratio mihi.*

« *Ante januam,* » hoc est, ante fidei principia et articulos per quos est ingressus in Ecclesiam. Joan. X, 9 : *Ego sum ostium : per me si quis introierit, salvabitur, et pascua inveniet.* Genes. XXIV, 31 : *Ingredere, benedicite Domini, cur foris stas ?* Quia foris est qui est ante principia fidei et ante Christum.

« *In bivio,* » hoc est, in libertatis arbitrio : quia poterat intrare et divertere prout volebat. Eccli. XV, 18 : *Ante hominem vita et mors, bonum et malum : quod placuerit ei, dabitur illi.* Ad litteram tamen, sicut alibi diximus, erant ibi ligata animalia onerifera : ut pauperes qui ad diem solemnem ascenderant, et lassati in via perficere iter non poterant illis veherentur. Vel si forte onera habebant ad ritus sacrificiorum pertinentia, animalibus illis communibus veherentur : ut sacrificiorum usus in tanta haberetur solemnitate. Sed primum est, quod mysterium est de intentione Domini.

« Et solvunt eum. »

Ecce obedientia. Psal. CXV, 16 et 17 : *Dirupisti vincula mea : tibi sacrificabo hostiam laudis.*

« Et quidam de illic stantibus dicebant. »

Sicut Athenienses dixerunt Paulo, Act. XVII, 19 et 20 : *Possumus scire quæ est hæc nova, quæ a te dicitur, doctrina? Nova enim quædam infers auribus nostris.*

« *Quid facitis solventes pullum?* » hoc est, quare hoc facitis? quia paternas leges et consuetudines relinquitis, et nova quædam et hactenus inaudita servare vultis. Joan. IX, 28 et 29 : *Tu discipulus illius sis, nos autem Moysi discipuli sumus. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit.*

« Qui, »

Scilicet discipuli, « *dixerunt illis,* » taliter objicientibus, « *sicut præceperat Dominus,* » omnem objectionem eorum et laqueum dissolventes. Psal. XIV, 4 : *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus : timentes autem Dominum glorificat.*

« *Et dimiserunt eos,* » nihil ulterius objicientes. I Reg. II, 9 : *Impii in tenebris,* scilicet ignorantiæ, *conticescent, quia non in fortitudine sua roborabitur vir.*

7 « Et duxerunt pullum ad Jesum : et imponunt illi vestimenta sua, et sedit super eum. »

Perfectio est obedientiæ discipulorum. Psal. XXXV, 7 et 8 : *Homines et jumenta salvabis, Domine : quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus.* Psal. LXXII, 23 : *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.* Pullus enim licentiose liber, quem nullum præceptum legis divinæ domuerat, et quem nulla lex humana ordinaverat ad disciplinam : adducitur autem, quando frænum legis imponitur, et regimini divino præparatur. Hoc significatur, Joan. I, 41 et 42, ubi dicit Andreas fratri suo Simoni : *Invenimus Messiam,* qui dicitur Christus : *et adduxit eum ad Jesum.* Ad litteram etiam Philippus putatur fuisse unus ex discipulis qui missi fuerunt ad pullum adducendum, quia ipse primus gentilem adduxit eunuchum reginæ Candacis [1]. Alter autem putatur fuisse Petrus, qui adduxit Cornelium centurionem [2].

Tanguntur autem tria adhuc, scilicet pulli adductio, stramenti præparatio, et Domini insessio. Primum fit per fidei prædicationem, secundum per exempli et virtutis informationem, tertium autem per Domini in regimine gubernationem.

Dicit igitur : « *Et duxerunt pullum ad Jesum,* » fidem gentibus prædicando, « *et imponunt illi,* » pullo pro stramento, « *vestimenta sua,* » ut in eis Dominus molliter sederet. Vestimentum autem quod sic ad substernendum est aptum vocatur *stragulum,* a stramento sic vocatum. Proverb. XXXI, 22 : *Stragulatam vestem fecit sibi.* Hoc autem spiritualiter fit, quando Doctor talia exhibet exempla, quæ super alio poni possunt per impositionem. I Regum, XVIII, 4 : *Exspoliavit se Jonathas tunica sua, usque ad gladium et balteum.* Quia gladium verbi Dei in prædicationis officio, et balteum in prælationis Ecclesiasticæ fastigio Prælatus subdito communicare non debet. Quædam tamen Glossa dicit, quod vestimenta significant corpora Sanctorum : quæ pro confirmatione multi martyres straverunt, ut viam gentilibus ad fidem præpararent. Proverb. XXXI, 22 : *Byssus et purpura indumentum ejus.* Byssus in

[1] Cf. Act. VIII, 26 et seq.

[2] Cf. Act. X, per decursum.

candore innocentiæ, et purpura in sanguinis rubore. Apocal. III, 4 : *Qui non inquinaverunt vestimenta sua,* scilicet cum mulieribus, *ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.*

« *Et sedit* Dominus *super eum,* » hoc est, pullum, de cætero fræno Domini regendum. Zachar. IX, 9 : *Exsulta satis, filia Sion, jubila, filia Jerusalem. Ecce Rex tuus veniet tibi justus, et Salvator : ipse pauper, et ascendens super pullum filium asinæ.* Isti sunt nitentes asini, quibus insident pugnatores Diaboli doctrinis et exemplis Apostolicis strati. Judicum, V, 10 : *Qui ascenditis super nitentes asinos, et sedetis in judicio, et ambulatis in via, loquimini.*

8 « Multi autem vestimenta sua straverunt in via : alii autem frondes cædebant de arboribus et sternebant in via. »

Tangitur hic ordinata Domini processio, per quam una fides gentium vocatarum et Patriarcharum demonstratur, ut inserti sciantur esse in radicem olivæ. Ad Roman. XI, 17 : *Tu cum oleaster esses, insertus es in illis,* scilicet in ramis bonæ olivæ, *et socius radicis et pinguedinis olivæ factus es.*

Habet autem hæc processio tres partes : quidam enim viam præparando suavem viam fecerunt, alii viam ornaverunt, tertii laudes unitatem fidei declarantes decantaverunt.

De primis dicit : « *Multi autem,* » procedentium cum Domino ad festum Paschæ, « *straverunt vestimenta,* » indumentorum, vel exemplorum, vel corporum, « *in via,* » ut molliter et pulchre jumentum incederet vehens Dominum, et ad duritiem et inæqualitatem lapidum sub Domino non calcitraret : unde Glossa, « ut noffenso pede pullus transirét. » Per indumentum enim pullus non calcitrat, et per virtutis exemplum asininus homo rudis molliter in vita Ecclesiastica pedem ponit, et per corpora martyrum ne cadat in fide confirmatur. Isa. XL, 3 : *Parate viam Domini.* Job, XXXVII, 17 : *Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro* ? Apocal. XVI, 14 : *Beatus qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.* Eccle. IX, 8 : *Omni tempore sint vestimenta tua candida.*

« Alii autem cædebant frondes »

Virides « *de arboribus,* » ut viam ornarent, « *et sternebant in via.* » Hæ autem frondes signant virides Patrum sententias de Christo promulgatas, et flores virtutum. Eccli. XXIV, 22 : *Rami mei honoris et gratiæ.* Matth. XXI, 8 : *Alii cædebant ramos de arboribus,* etc. [1]. Levit. XXIII, 40 et 41 : *Sumetis vobis fructus arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, et ramos ligni densarum frondium, et salices de torrente, et lætabimini coram Domino Deo vestro : celebrabitisque solemnitatem.*

« Et qui præibant et qui sequebantur clamabant, dicentes : Hosanna ! 9

Benedictus qui venit in nomine Domini : benedictum quod venit regnum patris nostri David. Hosanna in excelsis. » 10

Hic tangit de laude. Tangit autem duo : diversitatem laudantium, et unitatem laudis.

De primo dicit : « *Et qui præibant,* » in via ante Dominum, qui signant Patres præcedentes primum adventum. Genes. XXXII, 16 : *Antecedite me, et sit spatium inter gregem et gregem.* « Decebat enim, ut dicit Augustinus, ut magnus rex ve-

[1] Cf. Joan. XII, 13.

niens, multis antecedentibus eum præconibus prænuntiaretur. »

« *Et qui sequebantur,* » Christi in carne adventum usque in finem sæculi. Daniel. III, 41 : *Nunc sequimur te in toto corde, et timemus te, et quærimus faciem tuam.*

« Clamabant dicentes. »

Tangitur hic unitas laudis in tribus, scilicet in prædicatione venientis, et in prædicatione potestatis, et in desiderio salutis.

In primo dicuntur tria : intensio devotionis, præconium venientis, confessio majestatis.

De primo dicit : « *Clamabant,* » quod intensionem significat devotionis. Isa. VI, 4 : *Commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis.* Quia iste clamor novæ gratiæ commotionem et finem significabat templi Synagogæ. Psal. XXVI, 6 : *Circuivi et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis : cantabo et psalmum dicam Domino.*

« *Dicentes,* » in desiderio salutis :

« Hosanna ! »

Glossa : « Hosanna verbum Hebræum, et compositum ex integro et corrupto. *Osi* enim salva, vel salvifica : *anna* autem interjectio est deprecantis. Denique in Psalmo CXVII, 25, ubi Septuaginta interpretes transtulerunt : *O Domine, salvum me fac,* ibi in Hebræo habetur Anna, Adonai, Hosanna. Quod noster Hieronymus ita transtulit : Obsecro, Domine, salva, obsecro. Idem ergo est *osi,* Domine, per interjectionem obsecrantis, quod obsecro, Domine, per ipsum verbum obsecrationis [1]. » Hæc Glossa videtur esse magistralis : et secundum hanc expositionem vox clamantium in desiderio salutis videtur alludere nomini Salvatoris : Jesum enim Salvatorem deprecantur ut salvificet, ne significatio nominis ab effectu cadat Salvatoris. Orat. Manassæ sub finem : *Indignum salvabis me secundum magnam misericordiam tuam.* Hæc autem salus facta est per Passionem ad quam ibat. Psal. XLIII, 8 : *Salvasti enim nos de affligentibus nos, et odientes nos confudisti.*

« Benedictus. »

Præconium est venientis. Dicitur autem *benedictus* non passive, quod ab aliquo ut majore acceperit benedictionem, sed quia ut omni benedictione plenus, etiam in maledictis benedictio ab ipso profluxit. Eccli. XXXIX, 27 et 28 : *Benedictio illius quasi fluvius inundavit. Quomodo cataclysmus aridam inebriavit ?* Hæc autem benedictio tria facit, scilicet, quia maledictum primum in benedictionem commutat. Genes. XXVII, 13 : *In me sit ista maledictio : tantum pergens affer quæ dixi.* Secundo, omnibus bonis nos implet : quia sicut dicit Gregorius : « Benedictio Dei est bonorum col-« latio, et eorumdem multiplicatio. » Unde etiam ipse veritatis inimicus hæc dicit, Job, I, 10 : *Operibus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra.* Deuter. XXXIII, 23 : *Nephthali abundantia perfruetur, et plenus erit benedictionibus Domini.* Nephthali *latitudo* interpretatur : quia bonis Domini dilatamur. Tertio, benedictio Domini munit et tutat contra hostem : unde, Genes. XXXII, 26 et 28, cum Jacob timeret hostes, dixit Domino : *Non dimittat te nisi benedixeris mihi.* Et benedixit eum in eodem loco, dicens : *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis ?* Sic ergo clamant eum benedictum, omnibus benedicentem. Genes. XII, 3 : *In te benedicentur omnes gentes.*

[1] Vide quæ diximus super hoc verbum *Hosanna* in nota super Matthæum, XXI, 9, page 10 hujusce tomi.

« Qui venit. »

In præterito quidem venit in mundum, sed modo venit ad patiendum et immolandum : et per resurrectionem ad regnandum. Psal. CXVII, 26 et 27 : *Benedictus qui venit in nomine Domini ! Deus Dominus, et illuxit nobis.*

« In nomine Domini. »

Professio est majestatis. In nomine enim Domini venire est notam divini dominii in se omnibus ostendere, sicut Christus venit in omni majestate Patris, notata et expressa per modum signorum : hæc enim fecit absque clave supplicationis sicut potestatem habens. I ad Timoth. VI, 15 : *Beatus et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium.* Apocal. XIX, 16 : *Habens in vestimento, et in femote suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.* Sic ergo venit in nota et nomine Domini, omnibus superpositis dives in omnes in omni gratia : et non nutantis virtutis qui suos continere valeat, ne umquam ad scabellaria, quæ conculcanda sunt, inclinentur. De primo horum dicitur, Psal. VIII, 7 et 8 : *Constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* De secundo, I ad Corinth. I, 5, 7 : *In omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia...* : *ita ut nihil desit vobis in ulla gratia.* De tertio, ibidem, ℣. 8 : *Qui et confirmabit vos usque in finem sine crimine.* Hæc enim tria (ut dicit Dionysius) sonat nomen Domini : dicit enim sic : « Dominus est non pejorum sive inferio-« rum excessus tantum, sed et omnium « pulchrorum et bonorum possessio fir-« ma, et non cadere valens fortitudo. »

Sic ergo venit in nomine Domini : et hoc est præconium venientis.

« Benedictum quod venit regnum. »

Hæc est prædicatio potestatis. Regnum enim nihil aliud est nisi completa et unica in omnes potestas continendi in legibus, et officiorum ordine, et virtutibus et potestatibus omnes subjectos. Dicit enim Dionysius, quod « regnum est « omnis finis, et ordinis, et legis distri-« butio. » Hoc ergo incipit in gratia in Christo in quo sui continentur et reguntur in omnis finis et boni perfectione, et in omni graduum et dignitatum et officiorum divinorum ordine, et in omni divinarum legum honestissima distributione, quæ pro locis et temporibus et personis unicuique secundum propriam dignitatem distribuuntur. Psal. CXLIV, 13 : *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum : et dominatio tua in omni generatione et generationem.*

Hoc regnum dicitur esse

« David patris nostri »

Quia in ipso est præfiguratum, qui est secundum cor Dei electus [1]. Act. XIII, 22 : *Inveni David,... virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Et in nomine David est perfectum : quia ut manu fortis suos continet, et in adspectu desiderabilis plenas omnibus largitur donationes gratiarum. Et de fortitudine quidem dicitur, Isa. XIX, 4 : *Rex fortis dominabitur eorum.* Exod. XV, 11 : *Quis similis tui in fortibus, Domine ?* De desiderio autem benignam et largissimam faciem ejus videndi dicitur, Esther, XV, 17 : *Valde mirabilis es, domine, et facies tua plena est gratiarum.* Et hoc dictum est de eo de quo dicitur, Esther, II, 18 : *Dona largitus est juxta magnificentiam principalem.* Ad Ephes. IV, 8 : *Dedit dona hominibus.*

Sic igitur : Benedictum est quod venit in Christo regnum patris nostri David, quia rex iste non ut tyrannus opprimit,

[1] Cf. I Reg. XIII, 14 et XVI, 13 ; Psal. LXXXVIII, 21.

sed in affectu patris suos diligit. Jerem. III, 19 : *Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis.* Isa. LXIV, 8 : *Pater noster es tu, nos vero lutum : et fictor noster tu, et opera manuum tuarum omnes nos.* Joan. VIII, 41 : *Unum patrem habemus Deum.* Unde Glossa : Hoc consonat Gabrieli qui ait : *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus* [1] : ut scilicet, gentem quam David temporaliter rexit, et cui exempla justitiæ præbuit, et spiritualibus hymnis ad fidem et Dei timorem accendit : ipse factis, verbis, donis, et promissis ad regnum cœleste regeret, et ad regnum cœleste introduceret.

« Hosanna in excelsis. »

Ingeminatio est desiderii salutis. Quod dicit : « *In excelsis,* » signum est quod in inferioribus non est salus, sed multiplex periculum : sed in excelsis (quæ sola cœlestia sunt) salus sine periculo invenitur. Job, XVII, 3 : *Libera me, Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me.* Vel, per hoc quod dicitur : « *In excelsis,* » hic signatur per primum Hosanna, quod Christus rex est in terra universa per fidem et gratiam. Per hoc autem quod additur hic : « *In excelsis,* » significatur quod non tantum in terris, sed etiam in cœlestibus Christus regnat : quia per eum ea quæ in terris et in cœlo sunt instaurantur [2]. Unde Glossa : Per hoc quod jungitur, « *Hosanna in excelsis,* » quod est salus, significat quod adventus Christi non solum hominum salus, sed totius mundi : terrena jungens cœlestibus, ut ei omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum [3].

Sic igitur dicitur : « *Hosanna in excelsis.* » Et hic terminatur laus istius processionis.

Multa autem de his notata sunt, Matth. XXI, 1 et seq., Luc. XIX, 29 et seq., et Joan. XII, 12 et seq., quæ ibi requiri habent, quia magis ibi competunt quam hic : hæc historia enim de primo est canone, in quo omnes Evangelistæ conveniunt. Factum autem est istud in die palmarum, quinque diebus ante Pascha Judæorum.

« Et introivit Jerosolymam in templum : et circumspectis omnibus, cum jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim. »

Hic ostenditur desiderium salutis Judæorum in Christo, et ingratitudo Judæorum ad tantum beneficium.

Dicuntur autem hic duo : quorum unum est beneficium quod impedit Dominus ad salutem procurandam : secundum autem est ingratitudo quam Judæi impenderunt Salvatori.

Dicit igitur : « *Et intravit* » Jesus ut exhiberet salutem, « *Jerosolymam,* » ubi fuit metropolis Judæorum, « *in templum,* » in quo fuit exhibenda Judæis salus. Psal. XLVII, 10 : *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* Malach. III, 1 : *Statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, et Angelus testamenti quem vos vultis.* In hoc autem introitu, sicut dicitur, Matth. XXI, 12, et Joan. II, 13 et 16, et Luc. XIX, 45, ejecit vendentes et ementes, sicut infra continetur : et in loco solemni se exhibuit ad docendum salutis viam. Isa. II, 3 : *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Joan. XVIII, 20 : *Ego semper docui in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil.*

[1] Luc. I, 32.

[2] Ad Ephes. I, 10 : *Instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt, in ipso.*

[3] Ad Philip. II, 10.

« Et circumspectis omnibus. »

Tangitur hic Judæorum ingratitudo, quia Doctorem salutis etiam hospitio recipere noluerunt. Et hoc est : « *Circumspectis omnibus.* » Omnes circumspicit qui nihil habuit de proprio ubi hospitaretur, sed omni benevolentia indiguit. II ad Corinth. VIII, 9 : *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* Psal. LXXXVII, 16 : *Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea.* Matth. VIII, 20 : *Vulpes foveas habent et volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* Hieronymus : « Ergo circumspicit si quis sit tantæ « egestatis auxiliator et consolator. » Psal. LXVIII, 21 : *Consolantem me quæsivi, et non inveni.* Eccli. LI, 10 : *Respiciens eram ad adjutorium hominum, et non erat.*

« *Cum jam vespera esset,* » quod erat tempus declinandi ad hospitium. Luc. XXIV, 29 : *Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies.* Tunc enim, ut dicit Glossa circumspexit, si quis eum hospitio susciperet. Tantæ enim paupertatis fuit ut hospitio indigeret : et ita nulli adulatus, ut in tanta urbe nullum hospitium inveniret.

Et ideo, « *cum jam vespera esset hora,* » et nullus eum colligeret, « *exiit in Bethaniam,* » ubi recipi consuevit in domum Marthæ et Mariæ et Lazari : quinque enim diebus semper in sero exiit in Bethaniam in vespera, et iterum mane rediit ad templum ad docendum.

« *Cum duodecim,* » qui magis quam alii erant instruendi. In mane autem semper venit ad templum. Psal. V, 8 : *Adorabo ad templum sanctum tuum.* Unde Glossa : « Exemplum dedit nobis, ut quocumque veniremus, primum ad domum orationis, si ibi est, divertamus : et cum nos per orationis studium commendaverimus, ad ea propter quæ venimus agenda secedamus. » Matth. VI, 33 : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.*

« Et alia die cum exirent a Bethania, esuriit. 12

Cumque vidisset a longe ficum habentem folia, venit si quid forte inveniret in ea : et cum venisset ad eam, nihil invenit præter folia : non enim erat tempus ficorum. 13

Et respondens dixit ei : Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant discipuli ejus. » 14

Hic per similitudinem ficus aridæ reprobatio inducitur Synagogæ.

Dividitur autem pars ista in tres partes : in quarum prima per similitudinem ficus, maledictionem inducit Synagogæ : in secunda autem causam istius inducit maledictionis, ibi, ℣. 15 : « *Et veniunt Jerosolymam,* etc. » In tertia autem ex hoc inducit instructionem Prælatorum et Ecclesiæ, ibi, ℣. 19 : « *Et cum vespera facta esset,* etc. »

Adhuc autem in prima harum sunt quinque : in quorum primo desiderium salutis Synagogæ exprimitur in Domino : in secundo, promissio fructus significatur in Synagoga : in tertio, sterilitas et evacuatio dulcedinis demonstratur : in quarto, sterilitati perpetuæ addicitur : et in quinto, discipuli hoc ad instructionem suam audisse perhibentur.

Dicit igitur : « *Et alia die,* » hoc est, alia die, cum secunda lux fulgeret in prædicatione discipulorum quæ primo fulserat in prædicatione ipsius, « *cum* » Christus luce prædicationis discipulorum, « *exiret* » iterum ad notitiam hominum, « *a Bethania,* » sicut per obedientiam injunxerat ei Pater, « *esuriit* » salutem Judæorum et dulcedinem intelle-

ctus spiritualis. Mich. VII, 1 : *Præcoquas ficus desideravit anima mea.*

« Cumque vidisset. »

Secundum est. « *Cum vidisset,* » quasi a lumine suo, « *a longe,* » per peccatum elongatam. Psal. CXVIII, 155 : *Longe a peccatoribus salus.*

« *Ficum,* » hoc est, ficulneam, « *habentem folia,* » quorum viriditas fructum promittit. Quia, sicut dicit Philosophus, « Folia plantis ad cooperiendum fructus data sunt. » Matth. XXI, 19 : *Nihil invenit in ea.* Folia enim quæ sunt verba litteræ, dulcedinem promittentis significant Synagogæ.

Quia igitur foliis fructum promisit, « *venit,* » visitando per se, et visitando Synagogam per Apostolos, « *si quid* » fructus dulcis, « *forte,* » quod significat arbitrii libertatem, « *inveniret in ea.* » Isa. V, 2 : *Exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas.* Jerem. XVII, 6 : *Erit quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum : sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis et inhabitabili.*

« Et cum venisset ad eam, »

In Prophetis, et in se, et in Apostolis, tamquam tribus annis continuis. Luc. XIII, 7 : *Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio : succide ergo illam : ut quid etiam terram occupat ?*

« *Nihil invenit,* » de fructu, « *præter folia* » verborum, quæ et ipsa sine fructu erant defluentia. Proverb. XIV, 23 : *Ubi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas est in opere.*

« *Non enim erat tempus ficorum.* » Hic quamvis sit ficus sine culpa, quia quando non est tempus, fructum non habet : tamen Synagoga est per culpam, quod culpa sua tempus fructificationis neglexit. Luc. XIX, 44 : *Non cognovisti tempus visitationis tuæ.* Et quia hoc ex culpa neglexit, propter quod maledicenda fuit : tamen ex dispensatione Domini aliud tempus fructificationis ei ordinatum fuit, hoc est, finis mundi, in quo fructificabit. Ad Roman. XI, 25 et 26 : *Cæcitas contigit in Israel donec plenitudo gentium intraret : et sic omnis Israel salvus fieret.* Et pro his duobus temporibus dicit, Jerem. XXIV, 3 : *Quid tu vides, Jeremia ? Et dixi : Ficus, ficus bonas, bonas valde : et malas, malas valde, quæ comedi non possunt, eo quod sint malæ.*

« Et respondens »

Jesus virori in foliis sine fructu dulcedinis spiritualis, « *dixit ei,* » ficulneæ : « *Jam non amplius in æternum,* » spem ponens in ceremoniis tuis, « *ex te quisquam fructum manducet,* » tuæ scilicet observationis et cultus, quia in Passione Domini facta sunt ceremonialia mortua : et postquam hoc prædicatione Apostolorum vulgatum est, facta sunt etiam mortifera : et hoc significatum est, IV Reg. IV, 40 : *Mors in olla, vir Dei !* Quia mortua sunt ceremonialia in Synagogæ olla decocta, et facta sunt mortificantia : et ideo nisi farina spiritus immittatur in ollam, in dulcedinem refectionis converti non potest.

« Et audiebant discipuli ejus, »

Hoc est, per auditum verbi virtutem acceperunt : quia ex hoc fuerunt instruendi. Ad Roman. X, 17 : *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Et hoc est quod intendit. Quod ergo ficus sic aruit, est quod dicitur, Job, V, 3 : *Ego vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim.* Psal. XXXVI, 35 et 36 : *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani : et transivi, et ecce non erat : et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.*

15 « Et veniunt Jerosolymam. Et cum introisset in templum, cæpit ejicere vendentes et ementes in templo : et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit.

16 Et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum. »

Hic ostenditur causa quare maledicta est inducta ficus, et qualiter meruit addictionem perpetuæ sterilitatis : quia scilicet, sacramenta Dei et templi in lucrum convertit suæ avaritiæ et cupiditatis. Osee, IX, 16 : *Percussus est Ephraim, radix eorum exsiccata est : fructum nequaquam facient.* Psal. LI, 7 : *Evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium.*

Dicuntur autem hic principaliter tria : in quorum primo tangit perversorum propter avaritiam in templo inordinationem : secundo, zelum Christi inordinationem illam evertentem et ulciscentem : tertio, tangit ad suam ultionem Scripturam concordantem.

Dicit autem : « *Et veniunt Jerosolymam,* » in tanta processionis et laudis prosecutione.

« *Et cum introisset in templum,* » secundum suam consuetudinem : quia semper locum Dei visitare consuevit. Genes. XXVIII, 16 : *Vere Dominus est in loco isto.* Psal. LXVII, 6 : *Deus in loco sancto suo.*

« Cœpit ejicere. »

Propter festum enim multi convenerant vendentes in atrio templi exterioris ea quæ ad ritus sacrificiorum pertinebant : et hoc Sacerdotes procurabant et sinebant, ut lucrum acciperent sacrificiorum. Alii autem emebant qui de longe venerant, et secum animalia ad ritum sacrificiorum pertinentia adducere non poterant : sed appensa pecunia ea inibi comparabant.

Et hoc est quod dicit : « *Cæpit ejicere vendentes et ementes,* » qui simoniacos in Ecclesia Dei designant. Psal. LXX, 15 et 16 : *Quoniam non cognovi negotiationem* [1], *introibo in potentias Domini : Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.* Chrysostomus : « Qui negotiator est, ejiciatur de Ecclesia : quoniam scriptum est : *Quoniam non cognovi negotiationem,* etc. » Difficile negotians exuitur a negligentia. Chrysostomus : « Sicut cum cribratur triticum, in fine nihil remanet nisi pulvis : sic inter emptionem et venditionem in contractibus mercatorum, tandem nihil remanet nisi peccatum. » Eccli. XXVII, 5 : *Sicut in percussura cribri remanebit pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius.*

« *Et mensas nummulariorum evertit :* » qui ibi sedebant ut ad usuram accommodarent his qui non habebant de promptu sacrificia comparare. Horum ergo mensas evertit et æs effudit. Joan. II, 15 : *Nummulariorum effudit æs.*

« *Et cathedras,* » hoc est, sedes, « *vendentium columbas,* » ad ritus sacrificiorum pertinentes, « *ejecit.* » Qui significant eos qui vendunt dona Spiritus sancti in dignitatibus ecclesiasticis. Glossa : « Qui honores vendunt et gradus emunt. » Act. VIII, 20 : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.*

« Et non sinebat, »

Zelo Dei succensus, facto flagello de tribus funiculis. Psal. LXVIII, 10 : *Zelus domus tuæ comedit me.*

« *Ut quisque transferret vas per templum.* » Glossa : « Commune immundum mercandi gratia : non Deo dicatum. » Isa. LII, 11 : *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Psal. XCII, 5 : *Domum tuam*

[1] Vulgata habet, *litteraturam.*

decet sanctitudo, Domine, in longitudine dierum.

17 « Et docebat, dicens eis : Nonne scriptum est : Quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus ? Vos autem fecistis eam speluncam latronum.

18 Quo audito, principes sacerdotum et Scribæ quærebant quomodo eum perderent : timebant enim eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus. »

« *Et docebat, dicens eis* » Scripturam ad ultionem suam concordantem.

Habet autem duos paragraphos : in quorum primo confirmans factum Domini Scriptura inducitur : secundo, malignitas Scribarum et Pharisæorum contra factum Domini excitatur.

Dicit ergo : « *Nonne scriptum est.* » Isa. LVI, 7 : *Lætificabo eos in domo orationis meæ : holocausta eorum et victimæ eorum placebunt mihi super altari meo, quia domus orationis vocabitur cunctis populis*[1].

« *Quia domus mea,* » in qua invocatum est nomen meum, « *domus orationis vocabitur,* » sicut et Salomon dedicavit eam longa oratione[2], « *omnibus gentibus.* » Augustinus in Regula : « In orato- « rio nemo aliud agat nisi ad quod factum « est : unde et nomen accepit. » Psal. CXXXVII, 2 : *Adorabo ad templum sanctum tuum.* Act. III, 1 : *Petrus et Joannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam.* Daniel. VI, 13, Daniel tribus vicibus per diem oravit contra templum.

Quod autem dicit : « *Omnibus gentibus,* » statum futuri templi Ecclesiæ significat : quia in templo Synagogæ gentes non adorabant. Isa. II, 2 : *Erit mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles : et fluent ad eum omnes gentes.* Isa. LX, 3 : *Ambulabunt gentes in lumine tuo.*

« Vos autem fecistis eam. »

Increpatio est Sacerdotum et Pharisæorum qui sedentes in templo per dispensationem sacramentorum insidiabantur bursis simplicium. Jerem. VII, 11 : *Numquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris ?* Isa. V, 23 : *Justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo.* Isa. I, 23 : *Principes tui infideles, socii furum : omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Osee, VI, 9 : *Quasi fauces virorum latronum, particeps sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem : quia scelus operati sunt.* Intendit dicere quod comedebant pauperes, et mandebant pro sacrificiis et oblationibus, sicut pauperes comeduntur a viris, hoc est, virilibus et violentis latronibus : et quod participant hoc vitio cum latronibus Sacerdotes, qui socii furum erant, et in via eos qui ad templum ibant in solemnitatibus interfecerunt, ut auferrent ab eis pecuniam quam ad solemnitatem deferebant : et hoc non prohibebant Sacerdotes, quia cum latronibus participabant : et hoc est quod dicit : « *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* » Psal. X secundum Hebræos, 9 : *Quasi leo in spelunca sua insidiatur ut rapiat pauperem : rapere pauperem dum attrahit eum.* I Reg. II, 16 et 17 : *Nunc dabis, alioquin tollam vi.* Ita dicebant filii Heli, *retrahentes homines a sacrificio Dei.*

« Quo audito. »

Hic in malitia resurgunt contra patrem paterne filios corrigentem, sicut filii adulterini qui in disciplina patris esse renuerunt. Ad Hebr. XII, 8 : *Quod si extra*

[1] Cf. Jerem. VII, 11.

[2] III Reg. VIII, 23-54.

disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri, et non filii estis.

« *Principes Sacerdotum,* » summi Pontifices Annas et Caiphas, qui tunc erant in potestate summi sacerdotii. Daniel. XIII, 5 : *Egressa est iniquitas a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum.* I Esdræ, IX, 2 : *Manus magistratuum fuit in trangressione hac prima.*

« *Et Scribæ,* » qui falso nomine scientiæ gloriabantur. I ad Corinth. VIII, 1 : *Scientia inflat.* Eccle. I, 18 : *In multa sapientia multa est indignatio : et qui addit scientiam, addit et laborem.*

« *Quærebant* » modum et occasionem et opportunitatem, « *quomodo,* » opportune eis, « *eum perderent,* » et traderent publicæ potestati condemnandum. Matth. XXVI, 3 et 4 : *Principes sacerdotum et seniores populi..... consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, et occiderent.* Amos, V, 10 : *Odio habuerunt corripientem in porta, et loquentem perfecte abominati sunt.*

« *Timebant enim eum :* » quia sicut dicitur, Sapient. XVII, 10 : *Timida est nequitia,* quia veritatem et justitiam non habet se fulcientes. Luc. XXII, 2 : *Timebant vero plebem.*

« *Quia universa turba,* » simplicis populi, « *admirabatur,* » suspensa ad veritatem : nullus enim admiratur ad puram falsitatem et mendacium : « *super doctrina ejus,* » quia sicut dicitur, Matth. VII, 29 : *Erat docens eos sicut potestatem habens.* Psal. CXXXVIII, 6 : *Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, et non potero ad eam.*

In hac parte ex præinductis instructionem inducit prælatorum Ecclesiæ.

Habet autem tres paragraphos : in quorum primo inducitur manifestus verbi Domini effectus : in secundo, de hoc tangitur admiratio Principis Apostolorum et totius Apostolici cœtus : in tertio, ex his inducitur instructio veri intellectus.

Dicit igitur in primo horum tria, hospitalitatis Judæorum redargutionem, Domini instantiam ad salutis oblationem, et verbi quod dixerat manifestam verificationem.

Dicit ergo : « *Et cum vespera esset,* » et hora hospitandi : nullo eum vocante ad hospitium, « *egrediebatur de civitate,* » ut non collectus ad hospitium. Matth. XXV, 43 : *Hospes eram, et non collegistis me.* Judicum, XIX, 18 : *Nunc vadimus ad domum Dei, nullusque sub tectum suum nos vult recipere.*

« Et cum mane transirent, »

De Bethania versus Jerusalem salutis monita ingratis offerre et ingerere, « *cum discipulis* » qui ex omnibus instruendi erant, « *viderunt* » discipuli « *ficum,* » hoc est, ficulneam, « *aridam factam,* » omni humore fœcundæ, dulcedinis destitutam a radicibus, hoc est, a fundamentis quæ erant Sacerdotes et Scribæ. Jerem. XXIII, 15 : *A Prophetis Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram.* Ezechiel. XVI, 3 : *Radix tua de terra Chanaan.* Isa. XL, 24 : *Neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum : repente flavit in eos, et aruerunt.* In canonica Judæ, ℣. 12 : *Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ. Bis mortuæ* dicit, quia in naturali lege, et lege scripta mortui erant : et ideo dicitur, Luc. III, 9 : *Jam securis ad radicem arborum posita est : omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.*

19 « Et cum vespera facta esset, egrediebatur de civitate.

20 Et cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam a radicibus.

21 Et recordatus Petrus, dixit ei : Rabbi, ecce ficus cui maledixisti aruit. »

« Et recordatus Petrus. »

Matth. XXVI, 75 : *Recordatus est Petrus verbi Jesu quod dixerat.*

« *Dixit ei,* » Christo pro se et pro omnibus aliis :

« *Rabbi.* » Magistrum vocat cujus cupit instrui disciplinis. Joan. III, 2 : *Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister.*

« *Ecce,* » in evidenti est per effectum demonstratum, « *ficus cui maledixisti,* » per imprecationem et prædictionem sterilitatis. Jerem. XVII, 6 : *Non videbit cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate, in terra salsuginis, et inhabitali.*

« *Aruit.* » Sapient. IV, 3 : *Spuria vitulamina non dabunt radices altas.*

22 « Et respondens Jesus ait illis : Habete fidem Dei.

23 Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti : Tollere et mittere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei.

24 Propterea dico vobis : omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. »

Hic inducitur instructio Apostolorum ex ficulnea arefacta.

Et habet in se tria : in quorum primo juxta factum inductum generale dat fidelium documentum : in secundo, ex illo infert specialem Apostolorum orationis effectum : in tertio, ut efficaciter impetrent docet orationis modum. Et hæc patent in littera.

Dicit igitur in primo tria : primo enim quia secundum humanum judicium, hoc quod dicit habet dubitationem in sermone, præmittit confirmationem : secundo, inducit majoris miraculi promissionem : tertio, dicit fidei in qua totum hoc impetratur firmitatem.

Dicit igitur : « *Habete fidem Dei,* » hoc est, fidem quæ est in Deum, et de Deo, et quam dedit Deus. I ad Corinth. XIV, 2 : *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam.* Fides enim eo quod omnipotentiæ innititur, omnia potest in operibus miraculorum.

« Amen dico vobis. »

Utitur confirmatione : et loquitur de fide formata et opportunitate temporis, quando necessarium est fieri miracula.

« *Quia quicumque dixerit,* » fidem formatam habens in tempore quo hoc opportunum est Ecclesiæ, « *huic monti,* » quem impossibile est moveri per fortitudinem humanam : « *Tollere,* » ad litteram per loci mutationem, « *et mittere,* » per Dæmones vel Angelos, « *in mare,* » ut mare impleatur. Matth. XVII, 19 : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illuc, et transibit : et nihil impossibile erit vobis.* Luc. XVII, 6 : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro : Eradicare, et transplantare in mare, et obediet vobis.*

Si autem aliquis objiciat quod modo ad petitionem fidelium miracula non fiunt. Dicimus quod modo non est tempus, quia jam plantata est Ecclesia. Alia etiam causa est, quam dicit Damascenus : « Quia indignos nos voluptatum passionibus fecimus : et ideo nec ex parte facientium, neque ex parte eorum pro quibus fiunt, modo possunt fieri miracula. » Adhuc quia, sicut dicit Apostolus, I ad Corinth. XIV, 22 : *Linguæ in signum sunt non infidelibus, sed fidelibus.* Et ideo multiplicatis jam fidelibus, signa sunt subducta non in toto, sed quod crebra jam non sunt ut fuerunt. Quædam tamen Glossæ exponunt illud mystice : quod videlicet, mons sit superbus dæmon in corde. Jerem. LI, 25 : *Ecce ego ad te, mons pestifer, qui corrumpis universam terram : et evolvam te de petris tuis,* hoc est, de duris cordibus. Huic ergo monti dicunt fideles verbo prædicationis igniti

eloquii, quod transplantetur de duris cordibus hominum in mare amaritudinis pœnitentiæ vel inferni : et fit frequenter hoc quod dicitur in Psalmo LXVII, 23 : *Dixit Dominus : Ex Basan convertam, convertam in profundum maris.*

In tali autem petitione fides impetrans est causa : et hoc est quod dicit :

« Et non hæsitaverit in corde suo. »

Per fidei dubitationem vel modicitatem. Jacob. I, 6 et 7 : *Postulet in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino.* Propterea dicit Petro, Matth. XIV, 31 : *Modicæ fidei, quare dubitasti ?*

« *Sed crediderit.* » Marc. V, 38 : *Noli timere, tantummodo crede.* II Paralip. XX, 17 : *Confidenter state, et Dominus pugnabit pro vobis.* Marc. IX, 22 : *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Hoc autem habet fides potius quam spes, vel charitas : quia fides innititur omnipotentia, quod nulla alia facit virtus : et ideo veritas omnipotentiæ in ipsa operatur, et per opera omnipotentiæ fides probatur : sicut et charitas probatur per bonitatem, et spes per largitatem.

Si ergo quis sic credens petierit, « *quodcumque,* » orando Patri cœlesti, « *dixerit fiat, fiet ei,* » aut in ipsa re petita, si est opportunum et utile : aut in æquivalente, si forte hoc quod petit non est opportunum et utile tunc, pro temporibus, et locis, et personis pro quibus petitur. Matth. XVIII, 19 : *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint fiet illis a Patre meo qui in cœlis est.* Ad Roman. VIII, 26 : *Quid oremus sicut oportet nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Sic Paulus in hoc quod petiit in fide nihil hæsitans, non est exauditus [1], sed tamen in æquivalente gratiam sibi gratum facientem accepit.

« Propterea dico vobis. »

Secundum est, quod est specialis modus Apostolorum. « *Omnia quæcumque orantes petitis,* » non simpliciter, sed « *orantes.* » Jacob. IV, 3 : *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis.* Orando enim petere, est (quando pius affectus mentis in Deum est directus) secundum affectum in Deum directum petere : ille autem affectus non petit nisi ad salutem pertinens, et cum proposito perseverandi. Talis autem affectus nihil in se habet contrarium petitioni suæ : et ideo petit pro se : et si pro alio petit, petit hoc secundum consonantiam providentiæ et justitiæ divinæ : et hoc est quod dicunt Doctores quod oratio exaudibilis quatuor habet : quod scilicet, pie, perseveranter, et ad salutem pertinens, et pro se petat. Joan. XIV, 23 : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Hoc et innuit Dominus, Luc. XI, 13, ubi instruit nos quid orantes a Patre cœlesti possimus obtinere, dicens : *Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se.* Et ante, ℣℣. 11 et 12, dixit quod pro ovo non porrigat scorpionem, et pro pisce non dabit serpentem, et pro pane non largitur lapidem. In quibus intelligitur quod petenti nihil largitur eorum quæ sunt nociva.

« *Credite,* » firma et formata fide, « *quia accipietis,* » vel in se, vel in æquivalente, vel meliori. Jerem. XXXIII, 3 : *Clama ad me, et exaudiam te.* Proverb. X, 24 : *Desiderium suum justis dabitur.*

« *Et evenient vobis* » petita. Ad Hebr. V, 7 : *In omnibus exauditus est pro sua reverentia.* Hoc enim dixit caput pro se, et pro membris. Joan. XI, 42 : *Ego sciebam quia semper me audis.* Et parum ante illud, ibidem, ℣. 22 : *Scio quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.*

[1] II ad Corinth. XII, 8 et 9.

25 « Et cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester qui in cœlis est dimittat vobis peccata vestra.

26 Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester qui in cœlis est dimittet vobis peccata vestra. »

Tangit hic modum orationis qui debet esse ex parte orantis.

Dicit antem duo : unum, quod oratio in cœlestia in orante dirigatur : secundum autem, quod impedimenta orationis auferantur.

De primo dicit : « *Et cum stabitis.* » Stans enim sursum erigitur : et omnia membra dirigit, et in ordine ponit. Qui ergo cor ad cœlum dirigit, qui conversationem totam ad lineam virtutis in rectum ponit, qui ordinem naturalem superpositionis et suppositionis servat : hic recte stat. Qui aliquid istorum corrumpit, ille non stat. I ad Timoth. II, 8 : *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione.* Ad Coloss. IV, 2 : *Orationi instate, vigilantes in ea.* Unde Glossa : « *Cum stabitis ad orandum,* » recti corde. Psal. XXXII, 1 : *Rectos decet collaudatio.*

« Dimittite, »

In ablatione impedimenti exauditionis.

Tangit duo : doctrinam, et comminationem.

Doctrina est quod dicitur : « *Dimittite* » debitum vobis, « *si quid habetis adversus aliquem,* » pusillum vel magnum. Quod autem dicit : « *Si quid habetis,* » intelligitur : si quid habetis justæ querelæ. Querela enim dimittitur (etiamsi justitia coram judice requiratur) si ante rancor dimittatur in proximum : quia aliter malefactoribus per hoc licentia malignandi daretur. Luc. XI, 4 : *Dimitte nobis peccata nostra, siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis.* Act. VII, 60 : *Ne statuas illis hoc peccatum.* Luc. XXIV, 34 : *Ignosce illis : non enim sciunt quid faciunt.*

« Ut Pater vester. »

Ratio est quare debitum dimitti debet : ut scilicet « *Pater vester,* » qui noster et illius cui dimittimus Pater est : et sic vult filio dimitti, et vult in affectu fratris illum a nobis diligi. Malach. II, 10 ; *Numquid non pater unus omnium nostrum?* Joan. VIII, 41 : *Unum Patrem habemus Deum.*

« *Qui in cœlis est,* » et ideo hæreditas nostra est in cœlis, et a Patre cœlesti cœlestia sunt petenda. Matth. VI, 9 : *Pater noster qui es in cœlis.*

« *Dimittat vobis peccata vestra,* » quæ peccastis in eum. Eccli. XXVIII, 2 : *Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur.* Matth. V, 23 et 24 : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te : relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo.*

« Quod si vos non dimiseritis. »

Comminatio est. « *Nec Pater vester, qui in cœlis est,* » cœlestia libenti dans animo, « *dimitet vobis peccata vestra.* » Eccli. XXVIII, 3 : *Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam?* Luc. VI, 37 et 38 : *Dimittite, et dimittemini... Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Matth. XVIII, 32 et 33 : *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me : nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum ?*

27 « Et veniunt rursus Jerosolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, et Scribæ, et seniores,

28 Et dicunt ei : In qua potestate hæc

facis? et quis dedit tibi hanc potestatem ut ista facias? »

Hic incipit pars illa quæ est de inquisitione potestatis.

Dividitur autem in tres partes : in quarum prima ponit occasionem ex circumstantia loci et temporis qua deventum est ad istam quæstionem : in secunda, inducit de potestate quæstionem ipsam : et in tertia, ponit implicitam quæstionis solutionem.

In prima tangit temporis et loci circumstantiam simul, dicens : « *Et veniunt,* » Jesus et discipuli ejus, « *rursus,* » hoc est, iterato, « *Jerosolymam,* » a Bethania. Et hoc fuit in feria tertia ante Pascha : quia sabbato cœnam accepit in Bethania : Dominica, processione venit Jerusalem, et in sero exivit in Bethaniam : in secunda feria, ficulneæ maledixit : et in tertia feria, iterum docturus Jerusalem redivit : eo quod adhuc multi erant in civitate, qui se ad festi futuram præparabant solemnitatem, quos docere utile fuit.

« Et cum ambularet, »

Per circuitum omnibus offerens doctrinam salutis, « *in templo,* » hoc est, in atrio templi exteriori, « *accedunt,* » congregati malitia, « *ad eum,* » in dolo. Isa. xxix, 13 : *Appropinquat populus iste ore suo, cor autem ejus longe est a me.*

« *Summi sacerdotes,* » qui suam timebant amittere potestatem et locum et gentem, sicut dicitur, Joan. xi, 48. « *Et Scribæ,* » qui fastum in falsitate scientiæ per ipsum minui videbantur, « *et seniores,* » qui loco Senatorum erant, et tempore consilii ex nomine vocabantur : qui sicut profecerant ætate et humana sapientia, ita experti erant in malitia. II ad Timoth. III, 13 : *Mali homines proficiunt in pejus, errantes, et in errorem mittentes.*

« Et dicunt ei, »

Domino, arbitrantes a se debere recipere potestatem multitudinem convocandi, et docendi. Joan. x, 36 : *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis : Quia blasphemas, quia dixi : Filius Dei sum.*

« In qua potestate, etc. ? »

Duas faciunt quæstiones : unam de potestate, et aliam de auctoritate.

De potestate dicunt : « *In qua potestate ?* » Sciebant enim quod potestas sua non erat humana : nec volebant credere quod esset divina. Quærunt ergo quæ sit hæc potestas? utrum scilicet, sit potestas sicut Sanctorum, qui miracula per invocationem Dei fecerunt? vel, utrum sit diabolica? Et si esset Sanctorum potestas, volebant minorationem : quod scilicet non se deberet dicere Filium Dei. Et si diceret, blasphemaret. Matth. xxvi, 65 : *Blasphemavit : quid adhuc egemus testibus?* Et sic occasionem accusationis ad mortem contra eum quærebant : unde, Joan. x, 33 : *Tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Si autem diceret quod esset potestas dæmoniaca, volebant eum reddere abominabilem populo. Joan. x, 20 : *Dæmonium habet, et insanit : quid eum auditis?*

« Et quis dedit tibi hanc potestatem ut ista facias? »

Quætio est de origine potestatis. Dicitur enim, ad Roman. xiii, 1, quod ea quæ sunt, a Deo ordinata sunt ad unum. Et hoc modo volebant quod vel Cæsaris ostenderet auctoritatem, vel summi Sacerdotis, et tunc compesceret eum vel per Centurionem et Præsidem Cæsaris, vel per auctoritatem summi Sacerdotis : contra quod dixerat Dominus, Joan. v, 41 : *Claritatem ab hominibus non accipio.* Isa. lxi, 1 : *Spiritus Domini super*

me, eo quod unxerit Dominus me : ad annuntiandum mansuetis misit me.

29 « Jesus autem respondens, ait illis : Interrogabo vos et ego unum verbum, et respondete mihi : et dicam vobis in qua potestate hæc faciam.

30 Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus ? Respondete mihi.

31 At illi cogitabant secum, dicentes : Si dixerimus : De cœlo, dicet : Quare ergo non credidistis ei ?

32 Si dixerimus : Ex hominibus, timemus populum : omnes enim habebant Joannem quia vere propheta esset.

33 Et respondentes dicunt Jesu : Nescimus. Et respondens Jesus, ait illis : Neque ego dico vobis in qua potestate hæc faciam. »

Occulta solutio est inductæ quæstionis per quæstionem factam Sacerdotibus et Scribis.

Et habet quatuor particulas : in quarum prima obligatio est sub conditione ad responsionem quæstionis : in secunda, subtilitas factæ quæstionis : in tertia, intellectus innuitur subtilitatis : in quarta, professio malitiosa ignorantiæ simulatæ calliditatis.

Dicit igitur : « *Jesus autem,* » summa sapientia Patris. Ad Roman. XI, 34 : *Quis cognovit sensum Domini ? aut quis consiliarius ejus fuit*[1] *?*

« *Respondens ait eis : Interrogabo vos et ego.* » Cum statim respondere poterat, interrogat : ut ex responsis illorum solutionem quæstionis contra malignantes concludat. Ille enim optimus modus respondendi, et concludendi contra malignantes : quando ex suis propriis verbis et responsis arguuntur. Luc. XIX, 22 ; *De ore tuo te judico, serve nequam.* Prov. XXVI, 5 : *Respondē stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.*

« *Unum verbum,* » a cujus responsione totius solutio dependet quæstionis : « *et respondete mihi.* » Obligatio est ex parte Sacerdotum.

« *Et dicam vobis :* » obligatio est ex parte Domini, « *in qua potestate hæc faciam.* » Job, XXXVIII, 3 : *Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, et responde mihi.* Multum enim virilis et accinctor lumborum esse debet, qui disputare cum Deo desiderat. Job, IX, 3 : *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.*

« Baptismus Joannis. »

Quæstio est, ex cujus responsione dependet solutio quæstionis. « *De cœlo erat,* » per institutionis auctoritatem. Joan. III, 31 et 32 : *Qui de cœlo venit, super omnes est : et quod vidit et audivit, hoc testatur.*

« *An ex hominibus ?* » Joan. III, 31 : *Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur.*

« *Respondete mihi,* » qui ex vestro responso, dicere contra veritatem non prius a vobis concessam cum clamore contenditis, sicut protervi contra veritatem. Psal. LXI, 10 : *Mendaces filii hominum in stateris : ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Statera enim hominis mendax est : quæ non secundum rem ipsam, sed secundum affectum proprium loquitur ad quæsita Joan. VIII, 44 : *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur : quia mendax est, et pater ejus.*

« At illi cogitabant, »

Hoc est, ratiocinatione quæsitum cogitabant, videndo quid ex quæsito inevitabiliter sequeretur, « *secum in cordi-*

[1] Cf. Isa. XL, 13.

bus suis, » quia conferre aperte de hoc non audebant, « *dicentes,* » conferendo in cordibus suis : quia conscientia propria convicti erant et confutati. Psal. xxxv, 5 : *Iniquitatem meditatus est in cubili suo, adstitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non audivit.*

« Si dixerimus, »

Veritatem sequendo, « *de cœlo* » erat baptismus Joannis : quia de cœlo erat auctoritatem accipiens. Psal. lxxxiv, 12 : *Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit.*

« *Dicet,* » contra nos concludendo solutionem quæstionis a nobis propositæ. « *Quare ergo non credidistis ei,* » testimonium mihi de potestate perhibenti? Joan. i, 33 : *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto,* in vera purificatione. Et hic de cœlo habet potestatem et potestatis originem.

« *Si dixerimus,* » aliam partem divisionis accipendo : quia falsitatis fuerunt amici. Isa. xxviii, 15 : *Posuimus mendacium spem nostram : et mendacio protecti sumus.* Unde exclamat Propheta : *Ut quid diligitis vanitatem et quæritis mendacium*[1] ?

« *Ex hominibus,* » qui nusquam cum Joanne in eremo apparuerunt, ut eum ad hæc quæ fecit agenda subordinarent : tamen hoc libenter mendaciter dixissent, ut testimonium quod Christo perhibuit labefactare potuissent, si timore humano et mundano retracti non fuissent.

Et hoc est quod sequitur : « *Timemus populum.* » Et causam timoris subjungit. Non enim timebant mendacium hostes veritatis.

« Omnes enim, »

Parvi et magni de populo, « *habebant Joannem,* » in ea venerationis veritate, « *quia vere propheta esset.* » Sed contra hoc videtur esse quod dicitur, Joan. i, 21 : *Propheta es tu ? Non.* Sed dicendum, quod in hoc non fuit Propheta quia prophetaret in futurum gratiam Christi, quem digito demonstravit in præsenti. Matth. xi, 13 : *Omnes Prophetæ, et Lex usque ad Joannem.* Tamen in hoc fuit Propheta, quod ex inspiratione divina sibi veritatem enuntiavit. Luc. i, 76 : *Tu puer, Propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.*

« Et respondentes, »

Hostes veritatis, « *dicunt Jesu,* » potius mentientes quam contra invidiam propriam confitentes veritatem, videntur esse conclusi. III Reg. xxii, 22 : *Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus.*

« *Nescimus :* » cum tamen ratione convicti bene scirent.

« Et respondens Jesus ait illis, »

Ex modo obligationis superius inductæ. I Reg. xxviii, 17 : *Quod pateris fecit tibi Dominus hodie.*

« *Neque ego dico vobis,* » quia dictum meum quod ex responsione vestra non eliceretur, non valeret nisi ad proterviendum contra illud, « *in qua potestate,* » hominis, an Dei, an Diaboli, « *hæc faciam :* » quia, supra iii, 23 et seq., et Matth. xii, 28, probavi quod in potestate Dei omnia facio. Luc. xi, 20 : *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* Isa. xxiv, 16 : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.*

[1] Psal. iv, 3.

CAPUT XII.

Parabolam narrat de vinea agricolis elocata, qui servos ac filium patrisfamilias occiderunt : tentatur a Pharisæis de censu Cæsari solvendo : et a Sadducæis de resurrectione : interrogatur a scriba de primo mandato : ipse véro rogat quo modo scribæ dicant Christum filium esse David, docens ab ipsis cavendum : viduam laudat ob duo minuta in gazophylacium missa.

1. Et cœpit illis in parabolis loqui : Vineam pastinavit homo [1], et circumdedit sepem, et fodit lacum, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est.
2. Et misit ad agricolas in tempore servum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ.
3. Qui apprehensum eum ceciderunt, et dimiserunt vacuum.
4. Et iterum misit ad illos alium servum, et illum in capite vulneraverunt, et contumeliis affecerunt.
5. Et rursum alium misit, et illum occiderunt : et plures alios, quosdam cædentes, alios vero occidentes.
6. Adhuc ergo unum habens filium carissimum, et illum misit ad eos novissimum, dicens : Quia reverebuntur filium meum.
7. Coloni autem dixerunt ad invicem : Hic est hæres : venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas.
8. Et apprehendentes eum, occiderunt, et ejecerunt extra vineam.
9. Quid ergo faciet Dominus vineæ? Veniet, et perdet colonos, et dabit vineam aliis.
10. Nec Scripturam hanc legistis : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli [2] :
11. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris ?
12. Et quærebant eum tenere, et timuerunt turbam : cognoverunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt.
13. Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis et Herodianis, ut eum caperent in verbo [3].
14. Qui venientes dicunt ei : Magister, scimus quia verax es et non curas quemquam : nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces. Licet dari tributum Cæsari, an non dabimus?
15. Qui sciens versutiam illorum, ait illis : Quid me tentatis? afferte mihi denarium ut videam.
16. At illi attulerunt ei. Et ait illis : Cujus est imago hæc et inscriptio? Dicunt ei : Cæsaris.
17. Respondens autem Jesus dixit il-

[1] Isa. v, 1 ; Jerem. II, 21 ; Matth. XXI, 33 ; Luc. XX, 9.

[2] Psal. CXVII, 22 ; Isa. XXVIII, 16 ; Matth. XXI, 42 ; Act. IV, 11 ; Ad Roman. IX, 33 ; I Petr. II, 7.

[3] Matth. XXII, 15 ; Luc. XX, 20.

lis : Reddite igitur quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo [1]. Et mirabantur super eo.

18. Et venerunt ad eum Sadducæi [2], qui dicunt resurrectionem non esse, et interrogabant eum, dicentes :

19. Magister, Moyses nobis scripsit ut si cujus frater mortuus fuerit, et dimiserit uxorem, et filios non reliquerit, accipiat frater ejus uxorem ipsius, et resuscitet semen fratri suo [3].

20. Septem ergo fratres erant : et primus accepit uxorem, et mortuus est non relicto semine.

21. Et secundus accepit eam, et mortuus est : et nec iste reliquit semen. Et tertius similiter.

22. Et acceperunt eam similiter septem, et non reliquerunt semen. Novissima omnium defuncta est et mulier.

23. In resurrectione ergo cum resurrexerint, cujus de his erit uxor? septem enim habuerunt eam uxorem.

24. Et respondens Jesus, ait illis : Nonne ideo erratis, non scientes Scripturas neque virtutem Dei?

25. Cum enim a mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli in cœlis.

26. De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum, quomodo dixerit illi Deus, inquiens : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob [4]?

27. Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multum erratis.

28. Et accessit unus de Scribis qui audierat illos conquirentes [5], et videns quoniam bene illis responderit, interrogavit eum quod esset primum omnium mandatum.

29. Jesus autem respondit ei : Quia primum omnium mandatum est : Audi, Israel : Dominus Deus tuus Deus unus est [6] :

30. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum.

31. Secundum autem simile est illi : Diliges proximum tuum tamquam teipsum [7]. Majus horum aliud mandatum non est.

32. Et ait illi Scriba : Bene, magister, in veritate dixisti quia unus est Deus, et non est alius præter eum :

33. Et ut diligatur ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex tota anima, et ex tota fortitudine : et diligere proximum tamquam seipsum majus est omnibus holocautomatibus et sacrificiis.

34. Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi : Non es longe a regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare.

35. Et respondens Jesus dicebat, docens in templo : Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse David?

36. Ipse enim David dicit in Spiritu sancto : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum [8].

37. Ipse ergo David dicit eum Domi-

[1] Ad Roman. XIII, 7.
[2] Matth. XXII, 23 ; Luc. XX, 27.
[3] Deuter. XXV, 5.
[4] Exod. III, 6 ; Matth. XXII, 32.
[5] Matth. XXII, 35.
[6] Deuter. VI, 4.
[7] Levit. XIX, 18 ; ad Galat. V, 14 ; Matth. XXII, 39 ; ad Roman. XIII, 9 ; Jacob. II, 8.
[8] Psal. CIX, 1 ; Matth. XXII ; 44 ; Luc. XX, 42.

num, et unde est filius ejus? Et multa turba eum libenter audivit.

38. Et dicebat eis in doctrina sua : Cavete a Scribis, qui volunt in stolis ambulare, et salutari in foro [1],

39. Et in primis cathedris sedere in synagogis, et primos discubitus in cœnis :

40. Qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis : hi accipient prolixius judicium.

41. Et sedens Jesus contra gazophylacium [2], adspiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium ; et multi divites jactabant multa.

42. Cum venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans.

43. Et convocans discipulos suos, ait illis : Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit qui miserunt in gazophylacium.

44. Omnes enim ex eo quod abundabat illis miserunt : hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit misit, totum victum suum.

IN CAPUT XII MARCI

ENARRATIO.

« Et cœpit illis in parabolis loqui. »

Hic tangitur de merito reprobationis et electionis.

Habet autem duas partes, secundum quod hoc meritum dupliciter describitur. Primo enim describit absolute : et secundo, describit respective, ibi, ℣. 41 : « *Et sedens Jesus contra gazophylacium*, etc. »

Adhuc autem prima pars, in qua describitur meritum reprobationis absolute, dividitur in duas partes : in quarum prima describit demeritum : in secunda, ab hoc demerito dicit esse cavendum, ibi, ℣. 38 : « *Et dicebat eis in doctrina sua : Cavete a Scribis*, etc. »

Adhuc autem prior istarum dividitur in duas : in quarum prima ostendit demeritum illorum in observatione legis et intellectu, quæ ducunt ad cognitionem Dei et redemptoris : in secunda autem ostendit hoc demeritum in ignorantia ejus, qui est finis legis, ibi, ℣. 35 : « *Et respondens Jesus dicebat, docens in templo*, etc. »

Adhuc autem prior in duas partes dividitur : in quarum prima demeritum reprobationis ostendit in genere, hoc est, in perversa legis observatione : in secunda autem ostendit hoc idem demeritum in specie, ibi, ℣. 13 : « *Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis*, etc. »

Adhuc autem prima harum partium dividitur in duas partes : in quarum prima ponit parabolam, malos de malo merito erudientem : in secunda autem mali meriti eorum per effectum ponit reprobationem, ibi, ℣. 12 : « *Et quærebant eum tenere*, etc. »

Adhuc autem parabola prima in quatuor dividitur paragraphos : in quorum primo describit Dei providentiam et curam in salutis procuratione. In secundo, malum meriti ostendit Synagogæ in talis procurationis ingratitudinem, et hanc immiscet in partem primam. In tertio, ostendit judicium reprobationis, ibi, ℣. 9 : « *Quid ergo faciet Dominus vineæ*,

[1] Matth. XXIII, 5 ; Luc. XI, 43 et XX, 46.

[2] Luc. XXI, 1.

etc. » In quarto, inducit consonantiam Scripturæ, ibi, ℣. 10 : « *Nec Scripturam hanc legistis*, etc. »

Adhuc autem in prima parte tria dicuntur : præmittitur enim generalis modus doctrinæ, qui congruit infidelibus : secundo, proponit metaphoram vineæ : tertio autem ostenditur reprobatio in fructus negatione.

Dicit igitur : « *Et cœpit illis*, » ut ostendat illis periculum ipsorum. Act. xx, 26 et 27 : *Mundus sum a sanguine omnium. Non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Isa. xvi, 7 : *His qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas.* Coctus enim later est suffragium, in quo quis sperat et non prodest.

« *Parabolice loqui* : » ut per similitudinem intelligere possent, et tamen non aperte intelligerent. Glossa : « Duabus de causis scientia veritatis occultatur quærentibus : ut, aut qui quærit minus inveniat : aut odio sive contemptu veritatis, est indignus cui debeat secretum aperiri. » Propter alterum horum dicitur : *Adhuc multa habeo vobis dicere* [1]. Propter alterum vero : *Nolite dare sanctum canibus* [2]. Matth. xiii, 13 : *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt.*

« Vineam pastinavit homo, et circumdedit sepem, et fodit lacum, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est. »

Hic describit providentiam et curam Dei in salutis Judæorum procuratione.

Dicit autem quinque : plantationem, distinctionem, munitionem, cultum, et peregrinationem.

Dicit igitur : « *Vineam*, » hoc est Synagogam, sicut vineam electam ex personis Patriarcharum et Prophetarum, sicut ex viribus optimis. Jerem. ii, 21 : *Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum.*

« *Pastinavit*, » hoc est, plantavit. Pastina est surculus vitis plantatus, a quo vitis surgit. Exod. xv, 17 : *Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es, Domine.*

« *Homo*, » Deus : qui non a natura, sed ab affectu humano *homo* dicitur : quia perhumanum, hoc est, pium et benevolum habet affectum : unde de Spiritu Dei dicitur, Sapient. vii, 23 : *Humanus, benignus, stabilis, securus.* Unde Glossa : « *Homo*, Deus Pater humano affectu. » Isa. v, 7 : *Vinea Domini exercituum domus Israel est, et vir Juda germen ejus delectabile.*

« Et circumdedit sepem. »

Ecce distinctio, quia terminis latissimis et uberrimis distinxit eam ab aliis gentibus. Amos, vi, 2 et 3 : *Transite in Chalane, et videte, et ite inde in Emath magnam, et descendite in Geth Palæstinorum, et ad optima quæque regna horum : si latior terminus eorum termino vestro est. Qui separari estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis*, etc. Psal. lxxix, 10 et seq. : *Plantasti radices ejus, et implevit terram. Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei. Extendit palmites suos usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus.* Latissimos enim terminos et fertiles habuit Juda juxta latitudinem septem gentium. Deuter. xxxii, 8 : *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.* Quædam tamen Glossa dicit, quod sepes est custodia Angelorum. Psal. xc, 11 : *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omni-*

[1] Joan. xvi, 12.

[2] Matth. vii, 6.

bus viis tuis. Isa. v, 5, maceriam circumdedit ei [1].

« Et fodit lacum. »

Tangit munimentum vineæ duplex : munimentum ad utilitatem fructus, scilicet « *fodit lacum.* » Litteraliter autem lacus hic dicitur torcular, quia in modum lacus fusum et expressum a botris, in se diffusum congregat vinum : et hoc torcular significat legem animæ impressam, exprimens vinum gaudii spiritualis intelligentiæ et spiritus occulta legis revelans. Isa. LXIII, 3 : *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.* Thren. I, 15 : *Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda :* quia non est exprimens legis intellectum nisi Dominus per Spiritum suum.

« Et ædificavit turrim, »

Munitio est contra exteriores : turris autem hæc est regni et sacerdotii fastigium. Psal. CXXI, 7 : *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis.* Cantic. IV, 4 : *Turris David ædificata est cum propugnaculis : mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Isa. v, 2 : *Ædificavit turrim in medio ejus, et torcular exstruxit.*

« Et locavit eam, »

Sub parte fructuum et in pretio, « *agricolis,* » Judæis colonis. Matth. XXI, 33 : *Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis.*

« Et peregre profectus est. »

Peregrinatus enim est a mentibus et adspectibus nostris, quando se propter peccatum subduxit in cœlo cum Angelis suis agens illuminationes. Luc. XX, 9 : *Homo plantavit vineam, et locavit eam colonis, et ipse peregre fuit multis temporibus :* quia non sinebant eum intra se quiescere propter idololatriæ multiplex peccatum. Ezechiel. III, 12 : *Benedicta gloria Domini de loco suo,* supple, proficiscetur. Et hanc peregrinationem plangit Jeremias, XIV, 8, dicens : *Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum ?* Ad hanc enim peregrinationem Judæi compulerunt Dominum.

« Et misit ad agricolas in tempore servum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ. **2**

Qui apprehensum eum ceciderunt, et dimiserunt vacuum. » **3**

Hic similiter tangit fructuum requisitionem, et colonorum ingratitudinem sub duplici differentia. Primo enim sub triplici differentia mittit servos : et secundo sub simplici differentia mittit filium unicum. Et ad quamlibet istarum missionum se ingratos exhibuerunt.

Primam autem servorum differentiam tangit cum dicit : « *Et misit,* » auctoritatem suam nuntio committens, « *ad agricolas,* » hoc est, Judæos de cultura Dei gloriantes, « *in tempore* » recipiendorum fructuum de observatione legis secundum intellectum spiritualem, « *servum,* » Moysen legislatorem cum his qui cum eo erant. Michææ, VI, 4 : *Misi ante faciem tuam Moysen, et Aaron, et Mariam.*

« *Ut ab agricolis acciperet,* » servus a populo Synagogæ, « *de fructu vineæ,* » in obedientia mandatorum et intellectu spiritualium ceremoniarum. Proverb. XXXI, 31 : *Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus.* Dulcis enim in opere est fructus

[1] Isa. v, 5 : *Diruam maceriam ejus,* etc.

obedientiæ, dulcis etiam in littera est fructus intelligentiæ.

« *Qui,* » agricolæ (et tangit hic ingratitudinem) « *apprehensum eum,* » Moysen, quem sæpe circumdederunt ac si tenerent apprehensum, « *ceciderunt,* » verbis et factis provocantes. Psal. CV, 16 : *Irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini.*

Et sic sine fructus assignatione, « *dimiserunt eum vacuum,* » casso labore legationis suæ, sicut dicitur, Isa. V, 2 : *Exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas.* Ita enim statim respersa fuit ista vinea spinis contradictionum, et urticis concupiscentiarum, quod Moyses ex labore suo cassatus est. Isa. XLIX, 4 : *In vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi.* Proverb. XXIV, 30 et 31 : *Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti : et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ.*

4 « Et iterum misit ad illos alium servum : et illum in capite vulneraverunt, et contumeliis affecerunt. »

Secunda differentia est missorum. Et hic missus significat David cum aliis Psalmistis, qui multi erant valde. David enim præcinebat in musicis : et quatuor concinebant, et quatuor millia succinebant : et sub his consonabat totus populus. Unde Glossa : David misit Dominus et alios Psalmistas, qui missi sunt post Moysen, ut cultores vineæ ad exercitium boni operis excitarent. Sed ipsum quoque David, qui caput psalmodiæ et fons claruerat in Spiritu sancto, abjecerunt dicentes : *Quæ nobis pars in David ? vel quæ hæreditas in filio Isai* [1] ?

Et hoc est quod dicit, « *Et iterum,* » secundo modo missionis, « *misit ad illos,* » vineæ cultores, « *alium servum,* » qui alio modo venit. Moyses enim venit in terrore legis, David autem in suavitate metrici dictaminis, et musicorum numeris : ut sic corda territa per legem demulceret suavitate dictaminis, et musicorum organis ad exercitium bonorum operum. Psal. CXLVI, 1 : *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus.* Psal. LVI, 9 : *Exsurge, gloria mea, exsurge, psalterium et cithara, exsurgam diluculo.* Hieronymus in *proœmio Galeato primo :* « David noster symphonides Chri« stum lyra prædicat, et ab inferis exci« tat dormientem. »

« *Et illum,* » ordinem Psalmistarum, « *in capite,* » hoc est, in eo qui caput erat omnium, hoc est, in David, « *vulneraverunt* » regnum quod integrum erat, quasi corpus David scindentes in duo, sicut patet, III Regum, XII, 16, ubi recedentes ab imperio David dixerunt : *Nunc vide domum tuam, David.* Isa. VIII, 6 : *Eo quod abjecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, et assumpsit magis Rasin, et filium Romeliæ.*

« *Et contumeliis affecerunt,* » ejicientes eum de regno : et filium stultum sibi præfecerunt [2]. Psal LXVIII, 13 : *Adversum me loquebantur qui sedebant in porta, et in me psallebant qui bibebant vinum.*

« Et rursum alium misit, et illum occiderunt : et plures alios : quosdam cædentes, alios vero occidentes. 5

Adhuc ergo unum habens filium charissimum, et illum misit ad eos novissimum, dicens : Quia reverebuntur filium meum. » 6

« *Et rursum misit.* » Tertia est differentia missorum. « *Alium,* » hoc est, totum cuneum Prophetarum cum Isaia duce in eruditionem populi venientium. Glossa : « Prophetarum chorum cum suis sociis, qui suis attestationibus popu-

[1] III Reg. XII, 16.

[2] Cf. II Reg. XVI et seq.

lum convenerunt, et mala huic vineæ ventura prædicaverunt. » Jerem. VII, 25 : *Misi ad vos omnes servos meos Prophetas per diem, consurgens diluculo, et mittens.*

« *Et illum,* » qui dux Prophetarum fuit, Isaiam scilicet, « *occiderunt,* » cum serra lignea dividentes eum per medium. Ad Hebr. XI, 37 : *Secti sunt, in occisione gladii mortui sunt.*

« *Et alios plures,* » ut Jeremiam lapidantes, et Amos in tempore perforantes. « *Cædentes quosdam,* » virgis et flagellis. II ad Corinth. XI, 25 : *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum.*

« *Alios vero,* » de sociis eorum occidentes. Matth. XXIII, 37 : *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt.* Act. VII, 52 : *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri ? et occiderunt eos qui prænuntiaverunt de adventu Justi, cujus vos nunc proditores, et homicidæ fuistis.* Glossa : « His servorum gradibus tribus omnes Doctores qui sub lege fuerunt intelliguntur. » Unde alibi, Luc. XXIV, 44 : *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.*

Hi tres servi etiam nobis mittuntur, dum lex de observantia mandatorum admonet : psalmus ad jubilandum Deo in laude provocat : prophetia autem monet per cautelam vel spem futurorum suppliciorum vel præmiorum. De primo dicitur, Psal. XXXIX, 9 : *Legem tuam in medio cordis mei.* De secundo item, Psal. LXXXVIII, 16 : *Beatus populus qui scit jubilationem.* De tertio, Eccli. XXXVI, 18 : *Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur.*

« Adhuc ergo unum habens filium, »

Unigenitum, et ideo « *charissimum.* » Matth. III, 17 : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* [1].

« *Et,* » hoc est, etiam, « *illum misit,* » in carnem, ut nihil omitteret de pertinentibus ad conversionem agricolarum. Isa. V, 4 : *Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei ?* Genes. XXXVII, 13, filio quem præ cunctis dilexit, dixit : *Veni, mittam te ad eos.* Ad Galat. IV, 4 et 5 : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.*

« *Ad eos,* » Judæos agricolas. Ad Hebr. II, 16 : *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Joan. IV, 22 : *Salus ex Judæis est.* Matth. XV, 24 : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.*

« *Novissimum,* » in novissimo tempore, post quod alia non erit renovatio. Genes. XXXVII, 3 : *Israel diligebat Joseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum.* Qui significat Christum quem in ultima mundi ætate Pater de virgine nasci fecit.

« *Dicens,* » hoc est, ad modum deliberantis quid faceret se habens : et apud se « *dicens,* » in cordibus rationabilium hominum :

« *Quia* forte *reverebuntur filium meum.* » Quod dicit : *Forte* [1], liberi arbitrii ipsorum notat mobilitatem : unde Glossa : « Non hoc ignorando dicit, qui omnia novit, sed propter hoc ambigere dicitur Deus, ut libera voluntas hominum servetur. »

« Coloni autem dixerunt ad invicem : Hic est hæres : Venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas. 7

Et apprehendentes eum, occiderunt, et ejecerunt extra vineam. » 8

Tangitur ingratitudo colonorum.

Et hoc est : « *Coloni autem dixerunt ad invicem,* » conceptam malitiam confe-

[1] Cf. Luc. IX, 35.

[1] *Forte* non est in Vulgata, sed subauditur.

rentes. Sapient. II, 1 : *Dixerunt impii cogitantes apud se non recte.*

« *Hic est hæres.* » Hoc enim probabiliter cognoverunt per opera, quod Christus fuit unicus hæres totius vineæ, et omnis paternæ gloriæ. Joan. I, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Psal. VIII, 8 : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Et hoc cognoverunt quando dixerunt, Joan. XII, 19 : *Videtis quia nihil proficimus ? ecce mundus totus post eum abiit.*

« *Venite,* » per consensum malitiæ ad invicem concordatæ. Genes. XXXVII, 20 : *Venite, occidamus eum : et tunc apparebit quid illi prosint somnia sua*, hoc est, visiones Prophetarum qui dicunt quod ipse mundum hæreditabit.

« *Et nostra erit hæreditas.* » Hoc est, per hoc retinebimus nostrum locum et gentem, quæ perdemus si dimittimus eum vivere. Joan. XI, 50 : *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.* Et supra, ℣. 48 : *Et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem.* Jerem. XI, 19 : *Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius,* hoc est, ubi in mensa comedimus cum eo panem, ibi tractemus de suspendio crucifixionis suæ in ligno. Psal. XL, 10 : *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Proverb. I, 14, 13 : *Sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum... Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis.*

« Et apprehendentes eum, »

Per proditionem Judæ Iscariot.

« *Occiderunt.* » Daniel. IX, 26 : *Occidetur Christus : et non erit ejus populus qui eum negaturus est.* Act. III, 14 et 15 : *Petistis virum homicidam donari vobis : auctorem vero vitæ interfecistis.* Hoc et nos facimus quoties gratiam Christi nobis oblatam abjicimus et conculcamus, et extra vineam cordis, in qua virtutes gaudium germinantes plantari deberent. Ad Hebr. X, 28 et 29 : *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur : quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum, duxerit in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit ?* Ad Hebr. VI, 6 : *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes.*

« Et ejecerunt extra vineam, »

Linguis et opere : linguis quidem, quia dixerunt, Joan. VIII, 48 : *Samaritanus es tu, et dæmonium habes.* Et sic eum de consortio Judæorum ejecerunt. Isa. LVII, 4 : *Super quem dilatastis os, et ejecistis linguam ?* Opere autem, quia eum et gentilium potestati extra suam potestatem tradiderunt, et extra portam Jerusalem tamquam extra vineam crucifixerunt. De primo enim dicitur, Matth. XX, 19 : *Tradent eum Gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum.* De secundo, ad Hebr. XIII, 12 : *Extra portam passus est.* Joan. XIX, 17 : *Bajulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum.* Et hoc est quod dicit : « *Ejecerunt extra vineam,* » tamquam ad se non pertinentem.

« Quid ergo faciet dominus vineæ ? Veniet, et perdet colonos, et dabit vineam aliis. »

« *Quid ergo faciet dominus vineæ ?* Commune faciet judicium : et hæc est tertia pars, ut ore suo proprio condemnentur : et subinfert judicium illud, quod omni humanæ rationi est notum. Dicit tamen Matthæus, quod hoc judicium

Judæi ore proprio protulerunt [1]. Et hoc est verum quod corde concesserunt. Lucas autem, xx, 16, dicit : *Absit,* scilicet quod ori exteriori procaciter contra mentem mentientes negaverunt. Hic autem dicitur quod illud Dominus quasi concessum ab ipsis intulit veritatem, dicens : « *Veniet,* » ad judicium cum Romanis. Isa. III, 14 : *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, et principibus ejus : vos enim depasti estis vineam, et rapina pauperis in domo vestra.*

« *Et perdet colonos,* » temporaliter per Romanos, et æternaliter per seipsum si in malitia perseveraverint. Matth. XXI, 41 : *Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* Et hoc est : « *Et dabit vineam,* » in his qui ex Judæis convertuntur, « *aliis,* » hoc est, gentilibus. Matth. XXI, 31 : *Publicani et meretrices præcedent vos in regnum Dei.*

10 « Nec Scripturam hanc legistis : Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli :

11 A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris ?

12 Et quærebant eum tenere, et timuerunt turbam : cognoverunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo, abierunt. »

Hic quarto loco Scripturam inducit concordantem : et hoc est de psalmo [2].

Dicit igitur : « *Nec Scripturam hanc* » psalmi « *legistis* » ad intellectum : « *Lapidem quem reprobaverunt,* etc. » Cum templum ædificaretur, lapis magnus et miræ pulchritudinis inventus est, qui nusquam aptari potuit in ædificio : tandem inventus est locus in summo ædificii, ubi duo parietes convenerunt, ubi seipsum lapis aptum præbuit : et ibi positus est ad duos parietes in conjungendo : et hoc est : « *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes* » templum, qui Scribas et Sacerdotes et Phærisæos significant, qui Dominum nostrum Jesum Christum reprobaverunt : « *hic,* » in summo ædificio et in Ecclesia, in qua duo parietes conveniunt Judæi et Gentiles, « *factus est in caput* » summi culminis « *anguli,* » duos parietes in se conjungentis. Ad Roman. III, 30 : *Unus est Deus, qui justificat et circumcisionem ex fide, et præputium per fidem.* Ad Ephes. II, 15 : *Ut duos condat in unum.*

Et ne dicatur hoc casu factum, inducit sequentem Scripturam quæ dicit :

« A Domino factum est istud, »

Et non ab homine et divinatione, « *et est,* » hoc est, quamvis sit « *mirabile in oculis nostris,* » quia judicia Dei abyssus multa, quibus hoc ita voluit præfigurari. Psal. CXVIII, 129 : *Mirabilia testimonia tua : ideo scrutata est ea anima mea.*

» Et quærebant eum tenere. »

Psal. XXXIV, 12 : *Retribuebant mihi mala pro bonis.* Et ideo quia prædixit eis pericula eorum, mala intentant Domino majestatis : et ideo dolo quærebant eum tenere et captivare ad mortem.

« *Et timuerunt turbam.* » Luc. XXII, 2 : *Quærebant Principes Sacerdotum et Scribæ quomodo Jesum interficerent, timebant vero plebem.*

Et subjungit causam tantæ malitiæ : « *Cognoverunt enim,* » ex ipsis parabolarum similitudinibus, « *quoniam diceret ad eos,* » hoc est, contra eos parabolam.

[1] Matth. XXI, 41 : *Aiunt illi : Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.*

[2] Cf. Psal. CXVII, 22.

Marc. IV, 11 : *Illis qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt* [1].

« Et relicto eo, »

Hoc est, abjecto ut ad gentes transiret, « *abierunt,* » a præsentia Christi in diversos errores. Act. XIII, 46 : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes.*

13 « Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis et Herodianis, ut eum caperent in verbo.

14 Qui venientes dicunt ei : Magister, scimus quia verax es et non curas quemquam : nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces. Licet dari tributum Cæsari, an non dabimus ? »

Hic incipit ostendere causam reprobationis in particulari : hæc autem maximæ est tentatio observationis, quasi accusabilem eum reddere cupiebant.

Dividitur autem in duas partes : in quarum prima tentant eum in his in quibus homo ad hominem, inferior ad superiorem ordinatur : in secunda autem, tentant in his in quibus homo ad Deum ordinatur, ibi, ℣. 18 : « *Et venerunt ad eum Sadducæi*, etc. »

Prima autem istarum partium dividitur in tres paragraphos : in quorum primo describitur quærentium et tentantium versutia : in secundo, inducitur quæstionis callida malitia : in tertio vero subjungitur in solvendo quæstionem mira sapientia.

In primo horum tria continentur : malorum associatio, dolositatis maligna intentio, et subdola apud eum quem hominem purum putabant astuta adulatio.

Dicit igitur : *Et mittunt ad eum,* » scilicet Sacerdotes, « *quosdam,* » exceptæ malitiæ et simulatæ religionis, « *ex Pharisæis,* » qui præ cæteris religionem prætendebant. Matth. VII, 15 : *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

« *Et Herodianis,* » qui conducti ab eis fuerant a potestate : ut religione Pharisæorum simulata pateret veritas, et ex potestate regali humana cogeretur fragilitas.

« *Ut eum caperent in sermone.* » Ecce dolosa malitia. Luc. XIV, 1 : *Et ipsi observabant eum.*

« Qui venientes dicunt ei. »

Ecce dolosa et palpans adulatio : « *Magister.* » Magistrum profitentur, ut dicit Chrysostomus, cujus nolunt esse discipuli.

« *Scimus quia verax es,* » quia causam criminis vel falsitatis quantumcumque conarentur imponere sibi non potuerunt. Joan. VIII, 46 : *Quis ex vobis arguet me de peccato ?* Deuter. XXXII, 4 : *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate, justus et rectus.* Proverb. VIII, 8 : *Justi sunt omnes sermones mei, et non est in eis pravum quid, neque perversum.*

« *Et non curas quemquam,* » ut a veritate devies. Matth. XXII, 16 : *Non est tibi cura de aliquo.*

« *Nec enim vides,* » visione personarum acceptionis, « *in faciem hominis,* » in qua multi decipiuntur attendentes exteriora quæ parent, et humana sunt, et multos decipiunt. Jacob. II, 1 : *Nolite in personarum acceptione fidem habere Domini nostri Jesu Christi gloriæ.* Act. X, 34 et 35 : *Non est personarum acceptor Deus : sed in omni gente qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi.*

« *Sed in veritate* » triplici : vitæ, doc-

[1] Cf. Matth. XIII, 11.

trinæ, et judicii, « *viam Dei doces,* » hoc est, doces viam quæ ducit ad Deum. Matth. XXII, 16 : *Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo : non enim respicis personam hominum.*

« Licet dari tributum Cæsari, »

A populo libero qui decimas et primitias solvit et vota offerens et sacrificia, et soli Deo se per legem subjecit, « *an non dabimus* » censum, istis rationibus? Ecce quæstio dolo plena : ut si dicat, quod census dandus est, contra libertatem populi et privilegium cultus divini loqui videatur in conspectu Pharisæorum, qui plus cæteris pro cultu legis et libertate populi loquebantur. Si autem diceret, quod non licet, a militibus Herodis, qui principatum sub Cæsare habuerunt accusabilis teneatur. Psal. XXXV, 3 et 4 : *Dolose egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium. Verba oris ejus iniquitas, et dolus.*

15 « Qui sciens versutiam illorum, ait illis : Quid me tentatis? afferte mihi denarium ut videam.

16 At illi obtulerunt ei. Et ait illis : Cujus est imago hæc et inscriptio? Dicunt ei : Cæsaris.

17 Respondens autem Jesus dixit illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo. Et mirabantur super eo. »

Tangit hic versutæ quæstionis solutionem. Et tanguntur hic sex. Primum quidem ut Dominus et Deus tangit cordium eorum deprehensam malitiam, cum dicit : « *Qui,* » scilicet Jesus ut Deus, « *sciens versutiam eorum.* » Psal. XCIII, 11 : *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Eccli. XXII, 28 : *Oculi Domini... circumspicientes omnes vias hominum.*

« *Ait illis.* » Secundum est : reprehensio de hoc quod habebant quærendo intentionem perversam : « *Quid me tentatis,* etc. »Matth. XXII, 18 : *Quid me tentatis, hypocritæ ?* Psal. LXXVII, 41 : *Conversi sunt et tentaverunt Deum : et sanctum Israel exacerbaverunt.*

« Afferte mihi, etc. »

« Tertium est, in quo versutam eorum convincit nequitiam. Dicit igitur : « *Afferte mihi denarium ut videam.* » Matth. XXII, 19 : *Ostendite mihi numisma census* : quia ex hoc quod usum mercationis habebant, jus Cæsaris proferre volebat.

« At illi obtulerunt ei, »

Supple, denarium : et hoc est quartum in quo ipsi denarium offerunt, in quo convincat Christus intentionem eorum perversam.

« *Et ait illis.* » Hoc est quintum ex quo per responsum eorum convincit ipsorum malitiam. Quærit ergo non ignorans, sed ut ex verbis suis propriis convincantur : « *Cujus est imago hæc et inscriptio* » litterarum ? Apocal. XIII, 17 : Nemo poterat vendere vel emere nisi haberet characterem bestiæ in manu sua [1].

« *Dicunt ei,* » Pharisæi et Herodiani : « *Cæsaris,* » qui sicut Dominus imprimitur in numismate : et superscribitur nomen suæ majestatis.

[1] Apocal. XIII, 16 et 17 : *Et faciet omnes,* scilicet Antichristus, *habere characterem* bestiæ *in manu sua, aut in frontibus suis : et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus.*

« Respondens autem Jesus ait illis, »

Ex propriis eorum concludens. Psal. XXXVI, 15 : *Gladius eorum intret in corda ipsorum, et arcus eorum confringatur.*

« *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari,* » quia qui pace et foro Cæsaris gaudetis, justum est ut stipendia persolvatis. Ad Roman. XIII, 7 : *Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal : cui timorem, timorem : cui honorem, honorem.*

« *Et quæ sunt Dei,* » reddite « *Deo,* » cujus decimas et primitias accipitis, vel in cujus lege gloriamini. Matth. XVIII, 26 et 29 : *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.*

« *Et mirabantur omnes,* » generaliter, « *super eum :* » et hoc est sextum. Quid autem mirantur ? super sapientiam. Luc. II, 47 : *Stupebant super prudentia et responsis ejus.*

Hoc est igitur quod dicit in hac parte.

18 « Et venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse, et interrogabant eum, dicentes :

19 Magister, Moyses nobis scripsit ut si cujus frater mortuus fuerit, et dimiserit uxorem, et filios non reliquerit, accipiat frater ejus uxorem ipsius, et resuscitet semen fratri suo. »

In speciali ostendit causam reprobationis Synagogæ.

Dividitur autem in duas partes secundum duas tentationes quas inducunt. Prima enim tentatio est de credendis, in qua convincuntur de hæresis infidelitate : secunda est tentatio de faciendis, in qua convincuntur de operis perversitate, ibi, ℣. 28 : « *Et accessit unus de Scribis,* etc. »

Prima pars dividitur in duas : in quarum prima quæstio tentativa proponitur : in secunda, quærentes de errore convincuntur, ibi, ℣. 24 : « *Et respondens Jesus, ait illis : Nonne ideo,* etc. »

Prima harum habet quatuor particulas : scilicet, a quibus ista quæstio proponitur : secundo, causa quæstionis subjicitur : tertio, casus exponitur : et quarto, quæstio subinfertur.

Dicit igitur : « *Et venerunt ad eum,* » tentatores, « *Sadducæi,* » hæretici. Quia in tres sectas Synagoga scissa erat : Pharisæorum scilicet, Sadducæorum, et Essæneorum. Primi corporum resurrectionem credebant, sed alia corpora cibis utentia futura esse dicebant. Sadducæi corporum resurrectionem omnino negabant, sed tamen spiritus cum Deo post mortem esse dicebant. Spiritus autem illos dicebant esse Angelos bonos, et malas animas hominum sicut et jumentorum interire cum corporibus affirmabant. Essænei autem nullum penitus spiritum separatum a corpore esse credebant, dicentes pro solis temporalibus deo esse serviendum.

« *Sadducæi* » ergo « *qui dicunt resurrectionem* » corporum « *non esse,* » venerunt : « *et interrogabant eum,* » tentando, « *dicentes.* » Matth. XXII, 18 : *Quid me tentatis, hypocritæ ?* Deuter. VI, 16 : *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

« Magister. »

Secundum est in quo causa quæstionis et dubitationis describitur.

Dicit igitur : « *Magister.* » Chrysostomus : « Magistrum nominant cujus non « volunt esse discipuli. » Laudant igitur adulando ut decipiant. Psal. CI, 9 : *Qui laudabant me, adversum me jurabant.*

« *Moyses,* » qui tantæ fuit auctoritatis quod sibi ore ad os loquebatur Deus, sicut solet homo loqui ad amicum suum [1],

[1] Numer. XII, 8.

« *nobis scripsit,* » in lege (Deuter. xxv, 5) « *ut si cujus,* » hoc est, alicujus hominis, « *frater,* » uxoratus, « *mortuus fuerit,* » sine hærede, « *et dimiserit uxorem,* » quæ introducta est in partem suæ hæreditatis, et jam libera est ab ipso per mortem viri sui. I ad Corinth. vii, 39 : *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit : quod si dormierit vir ejus, libera est a lege viri.*

« *Et filios,* » ex illa uxore genitos, « *non reliquerit* » superstites, qui suam percipiant hæreditatem, « *accipiat frater ejus,* » vel propinquior in genere suo, « *uxorem ipsius,* » cum hæreditate ipsius, « *et resuscitet semen fratri suo,* » filio primo quem ex ea genuerit imponens nomen fratris defuncti : quia ille filius quasi adoptivus est fratris defuncti : et naturalis est filius ejus qui accepit uxorem, ne nomen defuncti pereat in Israel. Hoc etiam observatum fuit a Judæis ante legem : unde, Genes. xxxviii, 8, 11, dixit Judas ad Onan filium suum ut acciperet uxorem Her sine liberis defuncti, et mortuo Onan dixit eam debere reservari in viduitatis habitu, donec cresceret Sela filius suus junior, qui acciperet eam, et suscitare deberet semen duobus fratribus sine liberis defunctis.

20 « Septem ergo fratres erant : et primus accepit uxorem, et mortuus est non relicto semine.

21 Et secundus accepit eam, et mortuus est : et nec iste reliquit semen. Et tertius similiter.

22 Et acceperunt eam similiter septem, et non reliquerunt semen. Novissima omnium defuncta est et mulier. »

Hic tertio ponitur casus de facto super quod est quæstio fundanda.

Dicit igitur : « *Septem ergo fratres erant,* » apud nos : sicut Job septem filios habuit [1]. Et, Tob. xiv, 5, septem juvenes filii Tobiæ junioris steterunt ante Tobiam seniorem avum suum.

« *Et primus,* » primogenitus, « *accepit uxorem,* » quia antiqua patrum consuetudo erat ut primogeniti primo uxores ducerent, et sic deinceps secundum ordinem ætatis. Genes. xxix, 26 : *Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias.* Hic ergo primus duxit uxorem, « *et,* » accepta uxore, « *mortuus est,* » soluto matrimonio, « *non habens semen,* » hoc est prolem quæ partem suæ hereditatis acciperet.

« Et secundus, »

Frater secundo genitus, « *accepit eam,* » ut semen defuncti suscitaret, « *et mortuus est,* » absque liberis, et hoc est : « *Nec iste* » secundus « *reliquit semen.* »

« *Et tertius similiter,* » accepta eadem uxore mortuus est nullo relicto semine.

« Et similiter »

Omnes « *septem,* » successive accepta eadem uxore, « *non reliquerunt semen,* » ad posteritatem hæreditatis, nec ab alio postea ducta est : quia « *novissima omnium,* » post mortem septem maritorum, « *mortua est,* » sine liberis, « *et* » hoc est, etiam « *mulier,* » quæ septem sine fructu viros emolliverat.

« In resurrectione ergo cum resurrexerint, cujus de his erit uxor ? septem enim habuerunt eam uxorem. » 23

Quartum est propositio quæstionis. Supponitur autem hic quod unusquisque resurget in suo ordine. I ad Corinth. xv, 23 : *Unusquisque in suo ordine resurget.*

[1] Job, i, 2.

Dicit ergo secundum hoc : « *In resurrectione* » communi, « *cum resurrexerint,* » ad unam domum paternam omnes isti septem fratres, eo quod alia domus de his fratribus nulla ædificata sit, « *cujus de his* » septem in unam domum intrantibus, « *erit uxor ?* »

Et causam quæstionis subjungit : « *Septem enim fratres,* » sine liberis, « *habuerunt eam uxorem.* » Hoc autem dicebant, quia Dominus fidem resurrectionis adstruebat : et supponebant isti quod diceret resurrectionem futuram sicut Pharisæi, qui in aurea Jerusalem, et regno mille annorum, unumquemque dicebant resurgere ad suum domicilium : et ideo mirabilis confusio sequeretur, si in resurrectione illa omnium esset uxor, quod omnes simul ea abuterentur. Si autem unius tantum esset uxor futura, videretur quod alii dilectione uxoris carerent, et sic felicitas eorum completa non esset.

24 « Et respondens Jesus, ait illis : Nonne ideo erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei ? »

Incipit istius tentationis solutio. Habet autem tres particulas, scilicet, ignorantiæ increpationem, erroris eorum ostensionem, et resurrectionis mortuorum probationem.

Dicit igitur increpando : « *Nonne,* » etiam humano judicio, « *erratis nescientes Scripturas,* » de resurrectione mortuorum loquentes, quam putatis carnaliter debere intelligi, dicentes illud Apostoli, I ad Corinth. xv, 35 : *Quomodo resurgent mortui ? qualive corpore venient ?* Quia enim Pharisæi dicunt quod animali corpore venient cibis egentes, et sexus permiscentes : et quia vobis hoc videtur impossibile, ideo negatis resurrectionem, nescientes quid Scriptura loquitur, quod resurgent mortui cum corporibus immortalibus, qui cibis non egent, et sexus non permiscent : et ideo *erratis nescientes Scripturas* [1]. Isa. v, 13 : *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Isa. xxix, 11 et 12 : *Erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent : Lege istum : et respondebit : Non possum, signatus est enim.* Et *dabitur liber nescienti litteras, diceturque ei : Lege : et respondebit : Nescio litteras.* Ad Roman. i, 21 : *Obscuratum est insipiens cor eorum.* II ad Corinth. iii, 15 : *Usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.*

« *Neque virtutem Dei,* » quia infirmitatem morientium intuentes, non putabant mortuos posse resurgere, non intelligentes quod virtute Dei erit resurrectio communis. Matth. xxii, 29 : *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei.* Virtus enim Dei resuscitabit mortuos. Joan. v, 25 : *Mortui audient vocem Filii Dei : et qui audierint, vivent :* quia etiam insensibilia Deo, cui omnia obediunt, sensibilia efficiuntur. Ad Roman. iv, 17 : *Ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.* Hæc enim est virtus Dei quam Sadducæi ignoraverunt. I ad Corinth. xv, 34 : *Evigilate, justi : ignorantiam enim Dei quidam habent.* Sapient. ii, 21 et 22 : *Hæc cogitaverunt, et erraverunt : excæcavit enim illos malitia eorum. Et nescierunt sacramenta Dei ; neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum.*

« Cum enim a mortuis resurrexerint neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cœlis. » **25**

« Tangit hic secundo qualitatem veram resurgentium in duobus : in remotione erroris, et in doctrina veritatis.

[1] Matth. xxii, 29.

De primo dicit : « *Cum enim a mortuis,* » illi qui mortui sunt, « *resurrexerint,* » sive boni sive mali, « *neque nubent, neque nubentur.* » Glossa : « Græco idiomati Latina consuetudo non respondet : nubere enim proprie mulieres dicuntur, et viri uxores ducere : sed nos simpliciter dictum intelligamus sic, ut neque nubant viri, neque nubantur mulieres. » Unde Augustinus dicit, quod ibi erunt membra genitalia, non quæ libidinem provocent, sed quæ sapientiæ admirationem indicant. Matth. XXII, 30 : *In resurrectione neque nubent, neque nubentur :* sed omnis ibi fœcunditas est ex conjunctione spiritus creati cum increato.

« *Sed erunt.* » Tangit doctrinam veritatis dicens : « *Sed erunt,* » in futuro, « *sicut Angeli,* » non in natura Angeli, sed sicut Angeli in proprietate spiritualitatis et immortalitatis. Et quia nuptiæ sunt bonum mortalium, ideo neque nubent, neque nubentur.

« *In cœlis* » autem dicit, ne in terra in aurea Jerusalem resurrectio putetur esse futura. Luc. XX, 34, 35 et 36 : *Filii hujus sæculi nubunt, et traduntur ad nuptias : illi vero qui digni habebuntur sæculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores : neque enim ultra mori poterunt : æquales enim Angelis sunt, et filii sunt Dei, cum filii sint resurrectionis.* Unde Glossa : « Nemo ibi moritur, nemo ibi nascitur, nec infans nec senex ibi erit. »

26 « De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum, quomodo illi dixerit Deus, inquiens : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob ?

27 Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multum erratis. »

Tangit hic ultimo resurrectionis probationem.

Tangit autem tria : auctoritatis inductæ commendationem, scriptam a Deo auctoritatem, et erroris confutationem.

Dicit igitur : « *De mortuis autem quod resurgant.* » Hoc est quod probare intendit. Job. XIX, 25 et 26 : *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum :... et in carne mea videbo Deum meum.* Isa. XXVI, 19 : *Vivent mortui tui, Domine : interfecti mei resurgent.* Daniel, XII, 2 : *Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt : alii in vitam æternam, et alii in opprobrium ut videant semper.* Ezechiel. XXXVII, 12 : *Aperiam tumulos vestros, et educam vos de sepulcris vestris.* Sed has Scripturas Dominus non inducit, quia Sadducæi non recipiunt nisi quinque libros Moysi.

« *Non legistis,* » hoc est, nonne legistis ad intellectum verum, « *in libro Moysi,* » Exod. III, 5 et 6, quem pro maxima allegastis auctoritate, « *super rubum,* » in quo Deus ipse apparuit in igne deitatis : non consumens virorem virginitatis, sed consecrans : ita quod dixit : *Locus in quo stas, terra sancta est.* In qua visione tota legis auctoritas roboratur.

« *Quomodo,* » ore ad os, « *isti,* » Moysi, « *Deus* » de seipso « *dixerit : Ego sum Deus.* » Auctoritas est quam inducit : « *Ego sum Deus Abraham,* » hoc est, quo Abraham fruitur jam spe felici, et post modicum felicitate dulci in præsentia ipsius. « *Et Deus Isaac,* » quo similiter postmodum fruetur Isaac. « *Et Deus Jacob,* » ad quem Jacob omnem vitam suam direxit.

Et ex his concludit :

« Non est Deus »

Fruibilis « *mortuorum,* » in corpore et anima, quia tales nullo bono frui possunt, « *sed viventium,* » in anima ad minus. Et si anima vivit per justitiam Dei, probatur quod corpus aliquando resurget : quia cum anima vitam æternam promeruit, sicut dicit Glossa. Non enim

anima sola meruit, sed corpus animæ obediens, virtutibus operam dedit : et ideo radicem immortalitatis per virtutem acquisivit : et ideo de castitate, quæ potissimum est in corpore, dicitur, Sapient. IV, 1 : *Immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud Deum nota est et apud homines.*

« Vos ergo multum erratis. »

Confutatio est erroris. Matth. XV, 14 : *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Et, ibidem, ℣. 14 : *Cæci sunt, et duces cæcorum.*

28 « Et accessit unus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, et videns quoniam bene illis responderit, interrogavit eum quod esset primum omnium mandatum.

Tangitur tentatio hic de faciendis, per quam arguuntur de operis perversitate.

Dividitur autem in duas partes : in quarum prima tentatio proponitur : in secunda, tamquam victor ab omnibus derelinquitur tentatoribus.

Adhuc autem duo in prima parte dicuntur, scilicet, tentatio, et tentatoris in aliquo commendatio.

Quæstio autem tentativa tria habet, scilicet, quæstionem, solutionem, et solutionis commendationem.

In quæstione autem est commendatio quærentis, subtilitas audientis præcedentia, quæ induxit ad quæstionis propositionem.

Dicit igitur : « *Et accessit unus de Scribis.* » Unus, inquam, exceptæ auctoritatis, qui ab aliis ad quærendum est electus tamquam magis potens in scientia et sermonis facunditate. Joan. III, 10 : *Tu es magister in Israel, et hæc ignoras ?* « *De Scribis* » autem dicitur, quia in lege fuit doctissimus. Isa. XXXIII, 18 et 19 : *Ubi est litteratus ? ubi legis verba ponderans ? populum impudentem non videbis.*

« *Qui audierat,* » et intellexerat, « *illos,* » Sadducæos, « *conquirentes* » cum Domino. Matth. XXII, 34 et 35 : *Pharisæi audientes quod Jesus silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum : et interrogavit eum unus ex eis legis doctor tentans eum, et dicens.*

« Et videns quoniam bene responderit illis, »

Sadducæis, « *interrogavit eum,* scilicet Jesum, *quod esset primum omnium mandatum.* » Hoc est, quod esset principale inter omnia tam multa quæ in lege ponuntur mandata. Matth. XXII, 36 : *Magister, quod est mandatum magnum in lege ?* Dicit autem Chrysostomus, quod de mandato magno interrogat, qui nec minimum implevit : simplicissimus interrogator, et astutissimus observator.

« Jesus autem respondit ei : Quia 29
primum omnium mandatum est : Audi, Israel : Dominus Deus tuus Deus unus est :

Et diliges Dominum Deum tuum ex 30
toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. »

Hic incipit solutio maximæ subtilitatis et sapientiæ. Quia enim de faciendis iste quæsivit quod utile est ad vitam, quamvis tentando faceret : tamen benignus Magister plus respondet ad illuminationem, quam in quæstione exigatur ad tentationem. Et ideo habet duas partes : in quarum prima maximum declarat affectu mandatum : in secunda, docet maximum in effectu operis.

In prima tria dicit : primo enim repetit id de quo Scriba quærit : secundo, solvit : et tertio, confirmat solutionem.

Dicit igitur : « *Jesus autem respondit*

ei : Quia primum, » sive principale omnium mandatorum, « *mandatum est* » quod ad Dei pertinet dilectionem : et hoc est totum primæ tabulæ mandatum.

Et hoc est quod dicit : « *Audi,* » tamquam magnum aliquid quo nihil majus est, « *Israel,* » rectissime : qui ad mandata te rectificare quæris. Isa. XLIV, 2 : *Noli timere, serve meus Jacob, et rectissime, quem elegi.*

« *Dominus Deus tuus Deus unus est,* » hoc est, unicus et incommutabilis : et ideo totum affectum tuum in se vult dirigi. Isa. XLIV, 8 : *Numquid est Deus absque me, et formator quem ego non noverim ?* I ad Corinth. VIII, 5 et 6 : *Etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra, (siquidem sunt dii multi, et domini multi), nobis tamen unus est Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum.*

« Et diliges Dominum. »

Primum quod dixit, *Dominus Deus tuus Deus unus est* (quod continetur Exod. XX, 3) non inducitur hic sicut mandatum, sed potius sicut causa et ratio mandati istius, quod dicitur, Deuter. VI, 5 : *Diliges Dominum Deum tuum.*

Dicit autem tria : ex quali, et quid, et ex quanto diligendus.

Ex quali enim ametur affectu, notatur cum dicit : « *Diliges,* » quod componitur ex præpositione *de* diversitatem propositorum notante, et *eliges* verbo electionis, hoc est, Dominum Deum tuum ex omnibus eliges quem ames. Cantic. V, 10 : *Dilectus meus candidus, et rubicundus : electus ex millibus.* Eligitur enim ad amandum quod præ omnibus amatur : sicut et Deus est præ omnibus amandus. Psal. LXXII, 25 : *Quid mihi est in cœlo ? et a te quid volui super terram ?*

Quid autem ametur dicit :

« Dominum Deum tuum. »

Dominum, qui omnibus excellenti superpositione superponitur : qui omnium pulchrorum liberam et omnimodam habet possessionem : qui indeflexa virtute continet suam excellentiam, ne umquam ad scabellaria et conculcanda inclinetur. De primo dicitur, Psal. XCII, 4 : *Mirabilis in altis Dominus.* Luc. II, 14 : *Gloria in altissimis Deo.* De secundo, ad Roman. X, 12 : *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* Psal. CXI, 3 : *Gloria et divitiæ in domo ejus.* De tertio, Numer. XXIII, 8 : *Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis.* Exod. XV, 11 : *Quis similis tui in fortibus, Domine ?* Primum in Domino diligimus, ut exaltemur : secundum, ut præmiemur : tertium, ut contineamur et defendamur. De primo, I Petr. V, 6 : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* De secundo dicitur, I ad Corinth. I, 5, 6 et 7 : *In omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia : sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis : ita ut nihil desit vobis in ulla gratia.* De tertio dicitur in Psalmo XXVI, 1 : *Dominus protector vitæ meæ : a quo trepidabo ?*

« Deum. »

Quod, ut dicit Damascenus, sonat provisionem, circuitionem, et ignis ardorem. Θεωρέω enim est idem quod *video :* Thoriste [1] idem quod *circumeo :* et Thothy est *ardor* in Græco. Providet enim præscientia, circumit cura, et ardet in nos charitate. Ut ergo fruamur providentia, Deus diligitur : ut custodiamur, Deus amatur : et ut incendamur, charitas in Deum habetur. De primo horum dicitur, Eccli. XXIII, 28 : *Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum.* Genes. XVI, 13 :

[1] Θορειν, aor 2 verbi θρωσκω, circumeo.

Tu, Deus, qui vidisti me. De secundo dicitur, I Petr. v, 7 : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Psal. LIV, 23 : *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet.* De tertio dicitur, Deuter. IV, 24: *Deus tuus ignis consumens est.* Psal. XLIX, 3 : *Ignis in conspectu ejus exardescet.*

« *Tuum,* » cultu et servitute et possessione, ut ad nutum habeatur. Ad Hebr. XI, 16: *Non confunditur Deus vocari Deus eorum.* Exod. III, 6, 15 : *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob...: hoc nomen mihi est in æternum.* Apocal. XXI, 3 : *Ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.*

« Ex toto corde. »

Hic tangit ex quanto est diligendus. Cor autem quia principium est affectionum et motuum, ponitur pro voluntate, ut ex tota voluntate dulciter diligatur : ita quod nihil voluntatem ab ejus dilectione possit illicere et abstrahere. Cantic. VIII, 6 : *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Proverb. XXIII, 26 : *Præbe, fili, cor tuum mihi.* Psal. IX, 2 : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.* Cor etiam secundum Augustinum est principium conceptionum et cogitationum : et sic ex toto corde diligitur, quando toto intellectu diligitur ut nullo errore decipiatur : quia ipse ut lumen intellectus in diligendo habetur. Psal. XII, 4 : *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte.* Primo modo diligitur dulcedo bonitatis, et secundo lux veritatis.

Et ex tota anima tua. »

Anima hominis intellectualis est : quia dicit Philosophus, quod homo est solus intellectus. Et hoc modo ex tota anima diligere, est ex intellectu absque omni obnubilatione phantasmatum diligere. Sapient. VIII, 2 : *Sapientiam amavi, et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius,* quæ pulchra est absque nubilo. Sapient. VII, 26 : *Candor est enim lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.* Hæc est pulchra dilectio. Eccli. XXIV, 24 : *Ego mater pulchræ dilectionis.* Dicit tamen Augustinus, quod anima ponitur hic pro animo. Ut sit sensus : « *Ex tota anima,* » hoc est, ex toto animo, hoc est, voluntate sine contrarietate : quia tota voluntas et animus sic extenditur ad ipsum, quando nihil habetur in voluntate sibi contrarium. Hoc est interior homo de quo dicitur, ad Roman. VII, 22 : *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.* Sic ergo sapienter diligitur Deus.

« Et ex tota mente tua. »

Mens a metiendo est dicta, quia omnia ad veritatis regulam metitur. Et hæc est ratio, ut sic rationabiliter eum in mentis memoria ponamus, ut sine oblivione eum diligamus. Psal. CXXXVI, 6 : *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.* Isa. XLIX, 15 : *Ego non obliviscar tui.*

« Et ex tota virtute tua, »

Hoc est, fortitudine tua : ut omnes vires tuæ sibi serviant, et ad ipsum expendantur. Psal. LVIII, 10 : *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Et sic fortiter diligitur. Cantic. VIII, 6 : *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.*

Diligatur ergo ex toto corde dulciter, ex tota anima sapienter, ex tota mente constanter, et ex tota virtute fortiter.

« Hoc est primum mandatum. »

Certificatio est veritatis in responso. Sicut enim Deus primus est, et præcipuus, et unicus : ita affectus ordinatus in ipsum est primus, et unicus, et præci-

puus. Et ideo de isto dicitur, Cantic. VIII, 7 : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam :* quia nulla est comparatio ad Dei dilectionem.

31 « Secundum autem simile est illi. »

Benignus Magister in doctrina salutis plus respondet quam quærens exigat, ut perfecte viam salutis doceat.

Dicit autem tria : secundi ad primum similitudinem, non æqualitatem : et dat præcepti secundi descriptionem : et subinfert amborum præceptorum commendationem.

Dicit igitur : « *Secundum autem,* » quod implet præcepta secundæ tabulæ, « *simile,* » non æquale, « *est huic* » primo mandato. Simile autem est in tribus, scilicet, in dilecto (alias, dilectione), et forma dilectionis, et fine.

In dilecto (alias, dilectione) quidem, quia in proximo non diligitur nisi Deus : quia parentale bonum Patris cœlestis est in imagine sua ad quam factus est proximus. I Joan. IV, 20 : *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere ?* Deus enim invisibilis est et non videtur nisi in imagine sua. Unde sicut honor imaginis sanctorum ad prototypum refertur (ut dicit Damascenus) ita honor proximi et dilectio imaginis Dei, refertur ad honorem et dilectionem Dei.

In forma etiam dilectionis est simile : quia quamvis duo sint mandata dilectionis, Dei et proximi, tamen unus est habitus virtutis, et unus dator virtutis Spiritus sanctus, ex quo Deus et proximus diliguntur. Et hoc notatur, Joan. XIII, 35 : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionm habueritis ad invicem.* Ac si dicat : Ego sum fons dilectionis a quo continuis profectibus manat dilectio, quæ est Spiritus sanctus. Et si in nos rivus hujus fontis continuo manat, tunc omnibus apparet, quia fons in nos fluit dilectionis divinæ : quod non esset, si alia esset aqua fontis et rivorum. Et ita est a me fluens dilectio Dei, quæ in vos fluit in dilectione proximi. Sic ergo in forma dilectionis est simile, quamvis in affectu non sit æquale.

In fine etiam est simile : quia sicut diligitur Deus propter Deum, sic et proximus non nisi propter Deum diligitur. Unde Augustinus in libro II *Confessionum* : « Ille solus neminem odit qui « et amicum diligit in te, et inimicum « propter te. » Matth. V, 44 et 45 : *Ego dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos,... ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Inimicus autem diligitur nisi propter Deum : quia sicut secundum moralem philosophiam de naturali proprietate hominis est amicum diligere, ita (secundum eamdem) de natura hominis est inimicis male facere. Sic ergo *secundum simile est illi,* scilicet primo.

« Diliges proximum tuum tamquam teipsum. Majus horum aliud mandatum non est.

32 Et ait illi Scriba : Bene, Magister, in veritate dixisti quia unus est Deus, et non est alius præter eum :

33 Et ut diligatur ex toto corde, et ex tota intellectu, et ex toto anima, et ex tota fortitudine : et diligere proximum tamquam seipsum majus est omnibus holocaustomatibus, et sacrificiis.

34 Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi : Non longe es a regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare.

Descriptio est præcepti : « *Diliges proximum tuum tamquam teipsum.* »

Tria dicit : qualiter, et quis, et quantum diligatur.

Qualiter notatur in verbo diligendi : quia hoc diligitur, quod ex diversis eligitur. Et sicut in Deo et in Dei dilectione notatur ex verbo diligendi quod super omnia ametur, ita in proximo notatur ordo dilectionis qualiter ametur, quia aliter in unoquoque bonum amabile non eligitur, nisi quo ordine amandum sit perpendatur. Proximus igitur secundo post nos diligitur secundum gradum quo nobis appropinquat. Cantic. II, 4 : *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* I ad Corinth. XIV, 40 : *Omnia secundum ordinem fiant*, scilicet in vobis. Hos ordines ministrantium regina Austri mirabatur [1].

« *Proximum.* » Omnis homo proximus est, qui in primo gradu nobis appropinquat : et sic cum in omni homine parentis nostri imago sit ex eodem ex quo est in nobis, omnis homo nobis in primo gradu conjungitur : et ideo fratres vocamur. Matth. XXIII, 8 : *Omnes vos fratres estis.* Tamen secundum lineam carnis unus alio proximior est : et similiter secundum modum beneficiorum nostrorum plus appropinquat qui plura impendit beneficia. Luc. X, 36 et 37 : *Quis videtur tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones? At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus : Vade, et tu fac similiter.* Levit. XIX, 18 : *Diliges amicum tuum sicut teipsum.*

« *Sicut teipsum,* » hoc est, ad modum et formam quibus diligis teipsum : diligis autem te ad justitiam, et salutem : et hoc modo dilige proximum. Unde Tullius in libro de *Amicitia :* « Prima lex « amicitiæ seminatur, ut pro amicis « non nisi hŏnesta faciamus. » Deuter. XXXIII, 3 : *Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt*, hoc est, omnibus opera charitatis impendit, et ad sanctitatem diligit universos.

« Majus horum »

Præceptorum, « *aliud mandatum non est.* » Confirmatio est veritatis in responso. Est autem majus istud dilectionis duplex mandatum generalitate ambitus, et dignitatis excellentia, et permanentia æternitatis.

Ambit enim præceptum dilectionis Dei omnia primæ tabulæ mandata, sicut supra dictum est. Præceptum autem de dilectione proximi ambit et implet omnia mandata secundæ tabulæ. Ad Roman. XIII, 8 et seq. : *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis : qui enim diligit proximum, legem implevit : nam : Non adulterabis : Non occides : Non furaberis : Non falsum testimonium dices : Non concupisces : et si quod aliud est mandatum, in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum sicut teipsum... Plenitudo ergo legis*, hoc est, decalogi, *estdilectio.* Psal. CXVIII, 96: *Latum mandatum tuum nimis.*

De excellentia dignitatis est quod charitas omnia merita informat ad placentiam Dei. I ad Corinth. XII, 31 : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* Et loquitur de charitatis mandato, quod linguis præfertur Angelorum scientiæ, et Prophetiæ, et fidei quæ montes transfert, et etiam ipsi martyrio, et eleemosynis.

De majoritate autem permanentiæ in æternitate dicitur, I ad Corinth. XIII, 8 : *Charitas numquam excidit :* et parum post, ℣. 13 : *Nunc autem manent fides, spes, et charitas, tria hæc, major autem horum est charitas.* Ex primo habet, quod est majus ad merendum : ex secundo, quod est majus ad exaltandum : ex tertio, quod est majus ad benefaciendum.

« Et ait illi, »

Scilicet Jesu, « *Scriba,* » qui primo ten-

[1] Cf. III Reg. X, 5.

tando quæsierat : sed nunc convictus responsione tentantis et observantis malitiam deponebat, sicut dicit Glossa. « *Bene, Magister, in veritate dixisti.* » Matth. XXII, 16 : *Viam Dei in veritate doces.*

« *Quia unus est Deus,* » unice diligibilis præ omnibus, « *et non est alius præter eum,* » qui dilectionem cordis in se trahat : quia alii falsi dii sunt, et ideo non diligendi.

Et mandatum est, « *ut diligatur,* » intimo affectu, « *ex toto corde,* » quia ipse dulcedo est cordis, « *et ex tota mente,* » omnia diligibilia per rationem movente et mensurante, ut diligatur quantus est ipse, « *et ex toto intellectu,* » quia lux est intellectus sine obnubilatione, et ideo dilectio ejus non vult aliquid tetrum sibi admisceri, sed in lumine manifestari sine errore, « *et ex tota anima,* » quæ principium est et causa vitæ : ut tota vita referatur ad ipsum, qui vita est animæ nostræ. Act. XVII, 28 : *In ipso vivimus, et movemur, et sumus.* « *Et ex tota fortitudine,* ut nihil nos abstrahat ab ipso, sed omnes vires nostræ expendantur in ipso. Psal. LVIII, 10 : *Fortitudinem meam ad te custodiam.*

« *Et diligere proximum tamquam seipsum,* » secundo loco, « *majus est omnibus holocautomatibus,* » quæ tota incendebantur. Isa. I, 11 et 12 : *Adipem pinguium et sanguinem vitulorum nolui : quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis ?* Psal. XXXIX, 7 et 8 : *Holocaustum et pro peccato non postulasti : tunc dixi : Ecce venio.*

« *Et sacrificiis,* » quæ non tota incendebantur. Deuter. X, 12 : *Et nunc, Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut diligas eum ex toto corde tuo ?*

Sic ergo commendata responsione, et converso ad dilectionem tentatore,

« Jesus autem videns, »

Hoc est, videri faciens, « *quod sapienter respondisset,* » in commendatione dicti Salvatoris : quod non prætulit ceremonias legis mandato dilectionis, sicut Pharisæi et Sacerdotes fecerunt, qui suas traditiones Dei mandatis prætulerunt. Matth. XV, 6 : *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*

« *Ait illi,* » provocans eum ad meliorem veritatis cognitionem :

« *Non longe es,* » ex quo jam veritatem mandati Dei cognovisti, et traditiones hominum non prætulisti, « *non longe es,* » per intellectum, « *a regno Dei* » cognoscendo. Non enim distas, nisi quod metum hominum postponas, et illi quem cognovisti firmiter adhæreas. Iste enim fuit unus de illis de quibus dicitur, ad Hebr. II, 15 : *Timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti,* hoc est, servilis legis oneribus. Hoc est onus, quod *neque patres nostri, neque nos portare potuimus* [1].

« Et nemo jam audebat eum interrogare. »

Triumphus est victoris super tentatores : sicut, supra, I, 34 et 39, triumpharat super dæmones. Joan. XVI, 33 : *Confidite, ego vici mundum.* Tentator homo sicut Satanas jam desperans abscedit. Joan. XVI, 30 : *Et non opus est tibi ut quis te interroget.*

« Et respondens Jesus dicebat, docens in templo : Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse David ? **35**

Ipse enim David dicit in Spiritu sancto : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. **36**

[1] Act. XV, 10.

37 Ipse ergo David dicit eum Dominum, et unde est filius ejus ?

Tangit hic demeritum quod est ex ignorantia ejus qui est finis legis. Ad Roman. x, 4 : *Finis legis, Christus, ad justitiam omni credenti.*

Dicuntur autem hic tria : in quorum primo doctrina commendatur : in secundo, subtilitas veritatis ostenditur : in tertio, fructus doctrinæ in turba describitur.

Dicit igitur : « *Et respondens Jesus,* » ei qui jam veritatem faciendorum cognoverat, « *dicebat,* » etiam adjungens de veritate credendorum, « *docens in templo,* » publice et solemniter. Isa. XLV, 19 : *Non in abscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso.* Joan. XVIII, 20 : *Ego semper docui in templo quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil.*

« *Quomodo ergo.* » Tangit veritatis subtilitatem dicens : « *Ergo,* » ex quo tu jam intelligis traditiones et holocausta animalium nihil esse nisi in figura : ergo, « *quomodo,* » hoc est, quo intellectu, « *dicunt Scribæ,* » quorum tu unus es et præcipuus, Joan. III, 10 : *Tu es magister in Israel,* « *Christum esse filium David.* » Si enim, ut dicunt, unius, hoc est, humanæ naturæ est tantum, ita quod ut homo purus sit filius David, tunc obviat inconveniens, quia,

« Ipse enim David, »

Propheta inspiratus, « *dicit in Spiritu sancto,* » non in spiritu humano in quo est deceptio. Glossa : « Non errore, non propria voluntate. » II Petr. I, 21 : *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.*

« Dixit Dominus, »

Qui absolute Dominus est. Et hic est Pater qui dicit, Exod. x, 2, et in multis aliis locis : *Ego Dominus.* Esther, XIII, 11 : *Dominus omnium es.*

« *Domino meo :* » in quo modo locutionis notatur unus dicens, et alter ad quem dicit : qui de necessitate sunt duæ personæ : et ille ad quem dicit Dominus, fuit Dominus David, quem tantus rex Dominum cognovit esse in Spiritu sancto, et se esse servum ipsius : dicens, Psal. CXV, 16 : *O Domine, quia ego servus tuus : ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.*

« *Sede,* » quiete regni potitus. I Reg. II, 8 : *Ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.* Luc. I, 32 : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus : et regnabit in domo Jacob in æternum.*

« *A dextris meis,* » hoc est, in omni æqualitate principatus. Ad Coloss. III, 1 : *Ubi Christus est in dextera Dei sedens.*

« *Donec ponam,* » hoc est, donec subjiciendo perficiam, « *inimicos tuos,* » aut voluntarios, si se fidei tuæ et devotioni tuæ subjiciunt : aut involuntarios, si se tibi opponere nituntur, « *scabellum,* » hoc est, conculcationem, « *pedum tuorum.* » Voluntarii enim adorant in loco ubi steterunt pedes deitatis, cui in humana tua natura involuntarii aut victi conculcabuntur. Malach. IV, 3 : *Calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.* Hoc enim est tempus quod decurrit usque in diem judicii, quo omni tempore Christo inimici subjiciuntur. Quod autem dicit Pater Filio : « *Donec ponam,* » et non quod Filius ponat (ut dicit Glossa) non est infirmitatis Filii, sed ostendit quod alter in altero operatur. Nam et Filius subjicit inimicos Patri. Isa. XLV, 1 et 2 : *Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam... Et portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam.*

« Ipse ergo David dicit eum Dominum. »

Repetit id in quo est vis auctoritatis inductæ. Et arguit ex hoc dicens : « *Et unde est filius ejus ?* » Pater enim super Filium si ambo sint ex una et simplici natura non habet suppositionem, sed e converso : et sic in Spiritu sancto falsum diceret, si eum Dominum vocaret, ad quem ipse habet superpositionem. Et sic Scribæ falsum dicunt, dicentes Christum purum hominem.

« Et multa turba eum libenter audivit.

38 Et dicebat eis in doctrina sua : Cavete a Scribis, qui volunt in stolis ambulare et salutari in foro,

39 Et in primis cathedris sedere in synagogis, et primos discubitus in cœnis :

40 Qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis : hi accipient prolixius judicium. »

Hic dicit ab his causis reprobationis esse cavendum.

Dicit autem hic tria : devotionem audientium, cautelam Christi doctrinarum, et causam quare dicit esse cavendum.

Dicit igitur : « *Et multa turba,* » simplicium simplici veritati intendentium, « *eum libenter audiebat,* » propterea quia in potestate erat sermo ejus. Cantic. II, 14 : *Vox tua dulcis, et facies tua decora.* Cantic. IV, 11 : *Mel et lac sub lingua tua.*

« *Et* » ideo, propter devotionem ipsorum, « *dicebat illis,* » ad utilitatem eorum, hoc est, turbarum, « *in doctrina sua :* » et hæc est doctrina quam rudes in parabolis intelligere non poterant. Habacuc, II, 2 : *Explana visum super tabulas, ut percurrat qui legerit.*

« Cavete a Scribis qui, »

Hoc est, quia illi « *volunt in stolis ambulare.* » Stola est talaris vestis pretiosa, dicta a στόλον Græco quod Latine est *longum.* Luc. XVI, 19 : *Induebatur purpura et bysso.*

« *Et salutari in foro,* » solemni salutatione, quæ cum muneribus ab inferioribus superioribus consuevit exhiberi. Matth. XXII, 7 : *Amant salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi.*

« Et in primis cathedris, »

Dignitatum, « *sedere.* » Matth. XXIII, 2 : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi.*

« *In synagogis* » Pontificalibus. Psal. CVI, 32 : *Exaltent eum in Ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum.*

« *Et primos recubitus,* » in altiori loco eligere, « *in cœnis :* » contra hoc quod dicitur, Luc. VIX, 10 : *Recumbe in novissimo loco.*

« Qui devorant, »

Avido dente, « *domos viduarum,* » quæ præ cæteris pro animabus maritorum suorum oblationibus sunt intentæ, « *sub obtentu prolixæ* » et simulatæ « *orationis,* » hoc est, obtinentes hoc prolixa oratione. Glossa : « Quasi patroni in divino judicio futuri, ab infirmis et conscientia peccatorum turbatis pecuniam accipere non dubitant : cum commendet Deo orationem porrecta manus ad dandum, et non contracta ad accipiendum [1]. » Quibus illud congruit illud Psalmi CVIII, 7 : *Oratio ejus fiat in peccatum.* Matth. XXIII, 14 : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia com-*

[1] Cf. Eccli. IV. 36 : *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, et ad dandum collecta.*

editis domos viduarum, orationes longass orantes. Modo autem nostri Sacerdotes et Scribæ domos viduarum comedunt, non sub obtentu longæ orationis, sed sub violentia apertæ deprædationis. Isa. III, 14 et 15 : *Rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum,* etc. ?

« Hi accipient prolixius judicium »

Suæ condemnationis. Glossa : « Quam qui amant in angulis platearum orare. » Hi enim non solum laudem hominum quærunt, sed etiam pecuniam quærunt. Isa. XXVII, 8 : *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabis eam.* Apocal. XVIII, 7 : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Sapient. VI, 7 : *Potentes patenter tormenta patientur.*

Hoc est ergo quod intendit.

41 « Et sedens Jesus contra gazophylacium, adspiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium : et multi divites jactabant multa.

42 Cum venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans. »

Hic tangit causam reprobationis, quæ sumitur ex comparatione in operibus pietatis et misericordiæ.

Tanguntur autem hic tria : in quorum primo notatur approbatio generaliter omnium offerentium : in secundo, specialiter attenditur oblatio pauperum : in tertio autem, ex hoc accipitur instructio discipulorum.

Dicit igitur : « *Et sedens,* » hoc est, post detestationem avarorum et superborum quiescens in devotione fidelium. Psal. XXV, 4 : *Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo.* Cum his ergo non sedit. Psal. C, 6 : *Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum.*

« *Contra gazophylacium.* » Glossa : Φυλάσσειν Græce, *servare* Latine : *gaze* persice, *divitiæ* latine. Gazophylacium locus in quo divitiæ servantur. Erat autem arca in qua populi donaria congregabantur ad usus templi : unde, IV Reg. XII, 9 : *Tulit Joiada pontifex gazophylacium unum, aperuitque foramen desuper, et posuit illud juxta altare, ad dexteram ingredientium domum Domini : mittebantque in eo sacerdotes qui custodiebant ostia omnem pecuniam quæ deferebatur ad templum Domini.* Dicebatur etiam porticus quædam in qua fuit hoc gazophylacium : et contra illam sedebat Dominus quando ista dixit : unde, Joan. VIII, 20 : *Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio.*

« *Adspiciebat,* » per approbationem, « *quomodo turba jactaret æs in gazophylacium.* » I Paralip. XXIX, 17 et 18 : *Populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offere donaria. Domine Deus, custodi in æternum hanc voluntatem.*

« *Et multi divites,* » de hoc quod sibi abundavit, « *jactabant,* » in gazophylacium, « *multa.* » Tob. IV, 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.*

« Cum venisset autem, »

Ex devotione, « *una,* » in paupertate et devotione ab aliis excepta, « *vidua,* » solatio et lucro viri destituta, « *pauper,* » in rebus fortunæ non sibi sufficiens, « *misit duo minuta.* » Cum denarius usualis valuerit decem, duo minuta erant quinta pars denarii, ut videtur. Marcus tamen dicit : « *Quod est quadrans.* » « Glossa : « Quadrantem vocant calculatores quartam partem cujuslibet rei, scilicet, loci, temporis, pecuniæ : forsitan ergo hic quartam partem siculi, hoc est, quinque obolos signat. » Si au-

tem minuta erant quinta denarii, forsitan graviora fiebant ut quartam facerent, hoc est, quod habebant duas.

43 « Et convocans discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit qui miserunt in gazophylacium.

44 Omnes enim ex eo quod abundabat illis miserunt: hæc vero de pecunia [1] sua omnia quæ habuit misit totum victum suum. »

« *Et convocans discipulos,* » qui erant specialiter instruendi, tamquam Ecclesiæ Prælati futuri, « *ait illis.* »

Dicit autem duo: commendationem oblationis, et rationem commendationis.

Dicit igitur: « *Amen dico vobis.* » Affirmatione utitur: quia opinione hominum quantum et non ex quanto offeratur attenditur.

« *Quoniam vidua hæc,* » solatio patroni carens, « *pauper,* » sibi non sufficiens, « *plus omnibus misit,* » non effectu ponderis, sed affectu devotionis, « *qui miserunt* » suas « *in gazophylacium* » oblationes. Hieronymus: « Intimatur quam sit acceptabile Deo quod « offertur bono animo: qui non offerentium substantiam, sed pensat conscientiam: nec perpendit quantum offeras in ejus sacrificio, sed ex quanto. » Unde, Genes. IV, 4 et 5: *Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus: ad Cain vero et ad munera illius non respexit.*

« Omnes enim ex eo quod abundabat illis miserunt. »

Et hoc quidem est bonum, quamvis non sit perfectum. Luc. XI, 41: *Quod superest date eleemosynam: et ecce omnia munda sunt vobis.*

« *Hæc vero,* » vidua pauper, « *de pecunia sua* [2], » in qua sibi non sufficit. Job. XXXI, 17: *Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea.*

« *Omnia quæ* » ad manum « *habuit misit.* » Luc. XII, 33: *Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam.*

« *Totum victum suum,* » quem habuit pro viatico, dedit ad templum, se Deo in totum de cætero committens. Psal. XL, 2: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.*

Sic ergo causa reprobationis sufficienter est determinata.

[1] Vulgata habet, *de penuria sua.*

[2] Idem.

CAPUT XIII.

Templum dicit evertendum, prædicitque bella et varias afflictiones ac persecutiones, abominationemque desolationis : de pseudochristis et pseudoprophetis : post signa in corporibus cœlestibus veniet cum gloria Filius hominis : et hujus signum dat a ficu : quia autem nemo tempus novit, jubet omnes vigilare.

1. Et cum egrederetur de templo[1], ait illi unus ex discipulis suis : Magister, adspice quales lapides et quales structuræ.
2. Et respondens Jesus, ait illi : Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur[2].
3. Et cum sederet in monte Olivarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus, et Jacobus, et Joannes, et Andreas :
4. Dic nobis quando ista fient? et quod signum erit quando hæc omnia incipient consummari?
5. Et respondens Jesus, cœpit dicere illis : Videte ne quis vos seducat[3] :
6. Multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum : et multos seducent.
7. Cum audieritis autem bella, et opiniones bellorum, ne timueritis : oportet enim hæc fieri, sed nondum finis.
8. Exsurget enim gens contra gentem, et regnum super regnum, et erunt terræmotus per loca, et fames. Initium dolorum hæc.
9. Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis, et ante præsides et reges stabitis propter me, in testimonium illis.
10. Et in omnes gentes primum oportet prædicari evangelium.
11. Et cum duxerint vos tradentes[4], nolite præcogitare quid loquamini : sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini : non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus.
12. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium : et consurgent filii in parentes, et morte afficient eos.
13. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit.
14. Cum autem videritis abominationem desolationis stantem ubi non debet, qui legit intelligat[5] : tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes :
15. Et qui super tectum, ne descendat in domum nec introeat, ut tollat quid de domo sua :
16. Et qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum.

[1] Matth. XXIV, 1.
[2] Luc. XIX, 44 et XXI, 6.
[3] Ad Ephes. V et VI, 2; ad Thessal. II, 3.
[4] Matth. X, 19; Luc. XII, 11 et XXI, 14.
[5] Daniel. IX, 27; Matth. XXIV, 15; Luc. XXI, 20.

17. Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus!
18. Orate vero ut hieme non fiant.
19. Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ quam condidit Deus, usque nunc, neque fient.
20. Et nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro : sed propter electos quos elegit, breviavit dies.
21. Et tunc si quis vobis dixerit[1] : Ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis.
22. Exsurgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa et portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos.
23. Vos ergo videte : ecce prædixi vobis omnia.
24. Sed in illis diebus[2], post tribulationem illam, sol contenebrabitur, et luna non dabit splendorem suum,
25. Et stellæ cœli erunt decidentes, et virtutes quæ in cœlis sunt movebuntur.
26. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa et gloria.
27. Et tunc mittet Angelos suos[3], et congregabit electos suos a quatuor ventis, a summo terræ usque ad summum cœli.
28. A ficu autem discite parabolam : cum jam ramus ejus tener fuerit et nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit æstas :
29. Sic et vos cum videritis hæc fieri, scitote quod in proximo sit in ostiis.
30. Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant.
31. Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.
32. De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.
33. Videte, vigilate et orate[4] : nescitis enim quando tempus sit.
34. Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cujusque operis, et janitori præcepit ut vigilet.
35. Vigilate ergo : nescitis enim quando dominus domus veniat : sero, an media nocte, an galli cantu, an mane :
36. Ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes.
37. Quod autem vobis dico, omnibus dico : Vigilate.

IN CAPUT XIII MARCI

ENARRATIO.

1 « Et cum egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis: Magister, adspice quales lapides et quales structuræ.

Et respondens Jesus, ait illi : Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur. » 2

Tangitur hic reprobationis modus et effectus, quia in effectu ponderatur modus.

Et dividitur hæc pars in duas : in quarum prima describitur reprobatio Judææ

[1] Matth. XXIV, 23 ; Luc. XVII, 23 et XXI, 8.
[2] I Isa. XIII, 10 ; Ezechiel, XXXII, 7 ; Joel, II, 10.
[3] Matth. XXIV, 31.
[4] Matth. XXIV, 42.

et excidium in communi : et in secunda, in speciali, ibi, ℣. 3 : « *Et cum sederet in monte Olivarum*, etc. »

Adhuc autem prior in duas partes dividitur : in quarum prima demonstratio fit status templi et Synagogæ : et in secunda, in communi prædicitur reprobatio et excidium futurum, ibi, ℣. 2 : « *Et respondens Jesus ait*, etc. »

In prima parte duo tanguntur, scilicet, desertio templi in signo, et demonstratio status templi in ædificio.

Dicit igitur : « *Et cum*, » post laudatam devotionem viduæ in templo, « *egrederetur de templo.* » Ipso egressu designans quod deserendus esset locus. Ezechiel. x, 18 : *Egressa est gloria Domini a limine templi.* Matth. xxiii, 38 : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Egreditur autem Dominus et recedit de templo, quia per incredulitatem Synagoga recessit ab eo. Osee, vii, 13 : *Væ eis, quoniam recesserunt a me : vastabuntur, quia prævaricati sunt in me : et ego redemi eos, et ipsi locuti sunt contra me mendaciam.*

« *Ait illi unus*, » exceptæ auctoritatis vel exceptæ familiaritatis (Petrus scilicet, vel Joannes) quasi præ omnibus aliis loquens. Unde, Matth. xxiv, 1, Luc. xxi, 5, dicitur, quod discipuli istam fecerunt demonstrationem.

« *Ex discipulis suis*, » qui disciplinis suis imbui et erudiri cupiebant, per demonstrationem status templi ad docendum provocabant. Ad Hebr. xii, 7 : *In disciplina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus.* Supra, iv, 34 : *Seorsum discipulis suis disserebat omnia.* Audaciam autem iste accepit a facto Abrahæ, Genes. xviii, 17 : *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum* ? Amos, iii, 7 : *Non facit Dominus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos Prophetas.*

Hac igitur fiducia dicit iste pro omnibus : « *Magister*, » cujus doctrinam secuti sumus. Joan. iii, 2 : *Scimus quia a Deo venisti magister.*

« *Adspice quales lapides*, » in quantitate et qualitate firmitatis et decoris, « *et quales structuræ*, » in arte enim et materia ditissima fuit, et ars mirabilis. II Paralip. ii, 5 : *Domus quam ædificare cupio magna est : magnus est enim Deus noster super omnes deos* : ergo talis esse debet, qualis non sit in universa terra.

« Et respondens Jesus ait illi, »

In communi desolationem prædicens. « *Vides has magnas ædificationes*, » tam in templo quam in aliis habitaculis Sacerdotum ? II Paral. ii, 5 : *Domus quam ædificare cupio magna est : magnus est enim Deus noster.*

« *Non relinquetur lapis super lapidem*, » propter peccata inhabitantium, « *qui non destruatur*, » hoc est, comminuatur. II Machab. v, 20 : *Locus particeps factus est populi malorum.* Destruitur etiam quia in figura fuit factus : et ideo apparente veritate destruitur figura. Jerem. xxvi, 18 : *Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem in acervum lapidum erit, et mons domus Domini in excelsa silvarum.*

« Et cum sederet in monte Olivarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus, et Jacobus, et Joannes, et Andreas. » ℣

Hic incipit pars in qua in speciali describitur excidium.

Et habet duas partes : in quarum prima a discipulis proponitur quæstio : in secunda autem, ad quæstionem aptatur responsio, ibi, ℣. 5 : « *Et respondens Jesus, cœpit dicere illis.* »

In prima harum tria dicuntur, scilicet, loci congruitas, quærentium idoneitas, et quæstionis difficultas.

Dicit igitur : *Et cum sederet*, » animum quietum indicans. Psal. lxxix, 2 et 3 : *Qui sedes super Cherubim, mani-*

festare coram Ephraim, Benjamin, et Manasse. Super Cherubim enim sedens est super plenitudinem scientiæ in æternis illuminationibus quiescens. Apparens autem coram Ephraim, etc., est se manifestans discipulis in sapientiæ responsis. Discipuli enim sunt Ephraim in fructu, Benjamin in contemplatione, et Manasses in sui et suorum oblivione.

« *In monte Olivarum.* » Ibi locus propter fomenta luminis congruebat illuminationi. Psal. LXXV, 5 : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.*

« *Contra templum.* » Glossa : « Ubi ipse situs corporis congruebat verbis : quia jam contra templum et Synagogam faciem obfirmaverat. » « Hieronymus : « Mons ille non infructuosas arbores « generat : sed oliveta gignit, quibus lu- « men alitur, umbra fugatur, requies « lassis tribuitur, infirmitas solvitur. » Hæc omnia oleum fertilitate, significatione misericordiæ, fomento luminis, illuminatione, unctione pedum, et unctione membrorum. Cantic. I, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.* Eccle. IX, 8 : *Oleum de capite tuo non deficiat.*

« *Interrogabant eum,* » qui magis erant idonei, « *separatim,* » qui secretis ejus semper interesse consueverunt, « *Petrus,* » Apostolorum vertex, « *et Jacobus, et Joannes,* » qui in omnibus familiarius sibi admissi fuerunt, « *et Andreas,* » qui primus ad testimonium Joannis ad Christum conversus fuit. Joan. I, 40 : *Erat Andreas, frater Simonis Petri, unus ex duobus qui audierant a Joanne, et secuti fuerant eum.*

4 « Dic nobis quando ista fient? et quod signum erit quando hæc omnia incipient consummari? »

Ecce quæstiones duas faciunt : unam de tempore, et aliam de signis tempus præcedentibus.

Dicit igitur : « *Dic nobis,* » familiaribus tuis. Joan. XV, 15 : *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.*

« *Quando ista fient,* » de templi destructione, quia scimus quod tunc nihil eis regnum tuum prævalebat. Act. I, 6 : *Qui convenerant interrogabant eum, dicentes : Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?*

« *Et quod signum erit quando hæc omnia incipient consummari?* » *Omnia* dicit, quia multa ad hæc quæ dicuntur exiguntur, in depressione potestatis, in amissione loci, in destitutione auxilii, et in destructione templi : et ideo dicit *omnia.*

In hoc autem discipuli laudantur quod desiderant finem Judææ et mundi : quia pro hoc sciunt quod incipiet felicitas Sanctorum et beatitudo Eccle. V, 11 : *Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat,* hoc est, somnus æternæ contemplationis, sicut peregrinus quærit viæ terminum. Ad Hebr. XI, 13 et 14 : *A longe promissiones adspicientes, et salutantes, et confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere.* Sic mercenarius quærit finem temporis laboris sui, Job, VII, 2 et 3 : *Sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, sic et ego habui menses vacuos, et noctes laboriosas enumeravi mihi.* Sic prægnans computat menses parturitionis suæ, Joan. XVI, 21 : *Mulier cum parit, tristitiam habet : cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.*

« Et respondens Jesus, cœpit dicere illis : Videte ne quis vos seducat : 5

Multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum : et multos seducent. » 6

« *Et respondens Jesus, cœpit,* » quia propter infirmitatem discipulorum consummare dicenda non potuit, « *illis di-*

cere, » Joan. XVI, 12 : *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.*

« Videte, etc. »

Hic incipit pars in qua particulariter signa destructionis determinat.

Habet autem duas partes : in quarum prima ponuntur signa communia et adventus Domini ad judicium extremum, et destructionis Judææ : in secunda autem, specialia signa ponuntur adventus ad universale et ultimum judicium, ibi, ℣. 19 : « *Erunt autem dies illi tribulationes tales,* etc. »

Adhuc in prima harum primo ponit signa propinqua, ibi, ℣. 14 : « *Cum autem videritis,* etc. »

In primo duo facit : in quorum primo duo tangit signa tristitiæ : et in secundo, intermiscet quædam de consolatione, ibi, ℣. 10 : « *Et in omnes gentes,* etc. »

Adhuc in prima triplicia signa inducit : quorum primum est, signum seductionis a veritate : secundum autem, signum commune de pacis impugnatione, ibi, ℣. 7 : « *Cum audieritis autem,* etc. » Tertium autem, signum speciale de fidelium admonitione et admonitionis ratione, ibi, in medio ℣. 7 : « *Ne timueritis,* etc. »

« *Videte ne quis,* » cujuscumque apparitionis in religione, « *vos seducat,* » ut a veritate fidei devietis. Ad Coloss. II, 18 : *Nemo vos seducat.* II ad Thessal. II, 3 : *Ne quis vos seducat ullo modo.*

« Multi enim venient. »

Ratio est admonitionis. Et bene dicit : « *Multi,* » quia in multa partiti. I Joan. IV, 1 : *Multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Sapient. IV, 3 : *Multigena impiorum multitudo non erit utilis.*

« *Venient,* » non missi a me. Joan. V, 43 : *Ego veni in nomine Patris mei, et non accipistis me : si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* II ad Thessal. II, 10 et 11 : *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati.* Ad Philip. III, 18 : *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis,... inimicos crucis Christi.*

« *In nomine meo,* » hoc est, nomen meum invocantes et signa facientes. Matth. VII, 22 et 23 : *Multi dicent mihi in illa die : Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejicimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus ? et tunc confitebor illis : Quia numquam novi vos.*

« *Dicentes,* » ex præsumptione, « *quia ego sum* » Christus Dei electus, quorum unus fuit Judas Galilæus, et unus Theodas, de quibus dicitur in Act. V. 36 et 37. Præcipuus tamen in primitiva Ecclesia fuit Simon Magus, qui sicut dicit Hieronymus, credebatur esse magna virtus Dei. Qui inter cætera in suis voluminibus scriptum hoc dereliquit : « Ego sum « sponsus, ego sum omnipotens, ego sum « anima Dei, ego sum sermo Dei. »

« Et multos seducent, »

Seorsum abducentes a veritate. Et maxime Simon qui omnes fere viros Ecclesiasticos in suam seduxit hæresim. Act. VIII, 18 et 19 : *Cum vidisset Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens : Date mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.* Eccle. X, 19 : *Pecuniæ obediunt omnia.*

« Cum audieritis autem bella et opiniones bellorum, ne timueritis : oportet enim hæc fieri, sed nondum finis. »

Tangit signa quæ fiunt de impugnanda pace, et ante excidium Judææ, et ante finem mundi communiter. Hæc autem tangit dupliciter, scilicet, in communi, et in speciali.

In primo duo dicit : signum impug-

nandæ pacis, et confortationem contra instantiam tribulationis.

Dicit igitur : « *Cum audieritis bella,* » remota a Judæa, « *et opiniones bellorum* » majorum, que surrectura opinantur, per quæ Sanctorum probatur patientia. Jacob. I, 4 : *Patientia opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes.*

« Ne timueritis. »

Confortationem contra hæc mala inducit, et rationem confortationis.

Dicit igitur : *Ne timueritis.* » Luc. XII, 4 : *Ne terreaminini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant.* Proverb. XXVIII, 1 : *Fugit impius, nemine persequente : justus autem quasi leo confidens, absque terrore erit.* Proverb. XII, 21 : *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.*

Et subjungit istius confortationis rationem : « *Oportet enim hæc fieri,* » hoc est, conveniens est ad probationem electorum. I ad Corinth. XI, 19 : *Oportet et hæreses esse, ut hi qui probati sunt manifesti fiant in vobis.*

« *Sed nondum statim finis,* » nec Judææ, neque mundi : quia ista sunt signa remote incipientia non propinqua. Unde, Luc. XXI, 28 : *His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*

8 « Exsurget enim gens contra gentem, et regnum super regnum, et erunt terræmotus per loca, et fames. Initium dolorum hæc. »

Hæc sunt signa propinquiora. Et duo dicit : signa periculi, et cautelam.

Signa autem sunt tria : quia scilicet, « *Exsurget gens contra gentem :* » gens scilicet Judæorum contra gentem vicinarum gentium. Isa. XIX, 2 : *Pugnabit vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem.*

« *Et regnum super regnum :* » Romanorum regnum contra regnum Judæorum : ut intus per seditionem, et extra per bella debiles in sua destructione inveniantur. Luc. XXI, 9 : *Cum audieritis prælia et seditiones, nolite terreri : oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis.* Gregorius : « Bella quippe ad hostes pertinent, sedi- « tiones ad cives. Ut ergo nos indicet in- « terius exteriusque turbari, aliud nos « fatetur ab hostibus, aliud a fratribus « perpeti [1]. » Isa. IX, 20 : *Unusquisque carnem brachii sui vocabit : Manasses Ephraim, et Ephraim Manassen, simul ipsi contra Judam.*

« Et erunt terræmotus per loca, et fames. »

Secundum signum quod terræmotus magni ante destructionem Judææ apparuerunt. Luc. XXI, 11 : *Terræmotus magni erunt per loca, et pestilentiæ, et fames.* Ex aeris enim distemperantia fames exoritur, eo quod fructus non nascuntur : in tantum autem in excidio hoc malum accrevit, quod mulieres nobiles suos proprios filios comederunt. Thren. IV, 10 : *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos : facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei.*

« Initium dolorum hæc, »

Sed non consummatio. Quia finis dolorum multo est acerbior : ista enim sunt temporalia, sed consummatio dolorum erit æterna. Matthæi, XXV, 41 : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Deuter. XXXII, 22 : *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.*

[1] S. Gregorius, Homil. XXV in Evang. Lucæ.

9 « Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis : et ante præsides, et reges stabitis propter me, in testimonium illis. »

Cautos reddit, et ponit hic cautelam.

Dicit autem tria : monet enim cavere, et dicit cautelæ necessitatem, et passionis honestatem.

Dicit igitur : « *Videte vosmetipsos,* » hoc est, considerate ut vobismetipsis caveatis. Matth. x, 17 : *Cavete autem ab hominibus.* Act. xx, 28 : *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Glossa : « Quare hæc omnia inferantur dicit : « *Videte,* etc. : » ea enim vel sola vel maxima causa est excidii, quia post occisionem Domini, nominis quoque ac fidei præcones simul et confessores impia crudelitate vexabant : et ideo multum erat Apostolis cavendum. »

« Tradent enim vos. »

Ecce necessitas cautelæ : quia « *tradent vos,* » proditione ad damnationem, « *in conciliis* » consistoriorum suorum, in quibus accusationes contra vos et sententias inquirent. Genes. xlix, 6 : *In consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu illorum non sit gloria mea.* Isa. i, 13 : *Iniqui sunt cœtus vestri.*

« *Et in synagogis,* » hoc est, conductionibus et congregationibus post concilii sententiam, « *vapulabitis,* » plagas recipietis, et flagellationes. De hac synagoga dicitur, Eccli. xxi, 10 : *Stuppa collecta synagoga peccantium.* Psal. xv, 4 : *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus.* Apocal. ii, 9 : *Blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ.* De vapulatione dicitur, Act. v, 41 : *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* II ad Corinth. xi, 25 : *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum.* II Machab. vii, 1 : *Flagris et taureis cruciati.*

« Et ante reges, »

Majores, « *et præsides,* provinciarum judices, « *stabitis* » judicandi. Jacob. ii, 6 : *Divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia.* Unde, Ecclesiasticus, li, 7, petit se liberari a rege iniquo et a lingua mendacii. Daniel. iii, 32 : *Tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum, et pessimorum, prævaricatorumque, et regi injusto et pessimo ultra omnem terram.*

« Propter me. »

Honestissima causa est passionis. Matth. v, 11 et 12 : *Beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos mentientes propter me : gaudete, et exsultate.* I Petr. iii, 14 et 15 : *Si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, et non conturbemini. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris.*

« *In testimanium illis.* » Hic est fructus, ut illis testificemini fidei veritatem : quod erit eis testimonium salutis si crediderint : vel, « *testimonium* » condemnationis si non crediderint. Act. ix, 15 : *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel.* Unde, Luc, xvi, 27 et 28, dives in inferno petivit ut Lazarus testetur fratribus suis, *ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum.* Act. i, 8 : *Eritis mei testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ.*

« Et in omnes gentes primum oportet prædicari Evangelium. » 10

Intermiscet hic aliquid consolationis.

Tangit autem tria : profectum prædicationis, administrationem sapientiæ et eloquentiæ pro eis satisfacientem, et pro omnibus qui perseveraverint promissionem salutis.

Dicit igitur : « *Et in omnes gentes.* » Glossa : « Divinitus procuratum est ut patefacta per orbem evangelicæ fidei gratia, ipsum templum cum ceremoniis tolleretur, ne forte aliquis parvulus adhuc ac lactens in fide, si videret manere illa a Prophetis facta a Domino instituta : admirando sanctum sæculare, paulatim ad Judaismum relaberetur. Aufertur ergo umbra, et palmam tenet veritas per orbem declarata. » Hæc ergo est consolatio, ut prius per orbem veritas prædicetur. Isa. XXVII, 6: *Qui egrediuntur impetu ad Jacob, florebit et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine.* Alia Glossa : « Ne de perditione gentis vestræ tristemini, quia socios de omnibus gentibus estis habituri. »

Et hoc est : « *In omnes gentes,* » longe lateque, « *primum,* » ante finalem templi destructionem prædicaverunt discipuli, quorum fama pervolavit totum orbem terrarum, « *oportet prædicari Evangelium.* » Psal. XVIII, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Marc. XVI, 15 : *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et tunc persequentibus vos Judæis apud gentes habebitis refugium. Isa. XVI, 3 et 4 : *Absconde fugientes, et vagos ne prodas... Moab esto latibulum eorum.* Unde in historia Hegesippi dicitur, quod cum vastaretur Judæa, fideles qui in Judæa erant, admoniti per oraculum recedentes a Judæa salvati sunt in finitimis regionibus, ita quod eos gladius Romanorum non invenit.

« Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini : sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini : non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus. »

Secundum est in quo ad consolationem traditionis dicit qualiter Spiritus pro eis loquentis accipient donum consolationis.

Dicit igitur : *Et cum duxerint vos,* » ad concilia, et synagogas, et reges, et præsides, « *tradentes,* » proditiose ad supplicia, « *nolite,* » in humano sensu confidentes, « *præcogitare,* » per humanam sapientiam, « *quid loquamini.* » II ad Corinth. III, 5 : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Eccli. XLIII, 29 : *Multa dicemus, et deficiemus in verbis : consummatio autem sermonum ipse est in omnibus.* I ad Corinth. I, 19 : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* Abdiæ, ℣. 8 : *Perdam sapientes de Idumæa, et prudentiam de monte Esau.*

« Sed quod datum vobis fuerit, »

A Spiritu sancto. Psal. LXXX, 11 : *Dilata os tuum, et implebo illud.* Datur autem a Spiritu sancto quidquid per studium divinæ Scripturæ, et contemplatione Spiritus sanctus revelaverit. Unde hoc quod dicit, non dicit ut non præmeditemur, sed ut in humana sapientia spem non ponamus : quin semper oremus ut Spiritus sanctus et illuminare cor dignetur, et dirigere linguam. Luc. XII, 11 et 12: *Cum inducent vos in synagogas, et ad magistratus, et potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quid oporteat vos dicere* [1].

Et hoc est quod dicit : « *Sed quod datum fuerit vobis in illa hora, id loquamini.* » Luc. XXI, 15 : *Ego dabo vobis os*

[1] Cf. Matth. X, 19.

et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.

« Non enim vos estis. »

Ratio est antedictorum, quia « *vos,* » inquam, homines ab humano sensu, « *non estis loquentes.* » Sapient. IX, 14 : *Cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ.* Job, III, 23 : *Viro cujus abscondita est via, et circumdedit eum Deus tenebris.*

« *Sed spiritus sanctus.* » Matth. X, 20 : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Job, XXXII, 8 : *Ut video, spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.* Act. II, 4 : *Cœperunt loqui variis linguis Apostoli, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.*

12 « Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium : et consurgent filii in parentes et morte afficient eos.

13 Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit. »

Tertium est amarissimum genus persecutionis, quia non habet consolationem nisi de perseverantia quæ est meritum salutis.

Dicit igitur : « *Tradet autem,* » proditione, « *frater,* » infidelis, « *fratrem,* » fidelem, « *in mortem* » Jerem. IX, 4 : *Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre non habeat fiduciam : quia omnis frater supplantans supplantabit.* Mich. VII, 2 : *Omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur.*

« *Et pater filium,* » supple, tradet in mortem : pater infidelis filium fidelem. Hic est pater de quo dicitur, Ezechiel. XVI, 3 : *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa.*

« *Et consurgent filii,* » infideles, « *in parentes,* » hoc est, contra parentes fideles. I Reg. XXII, 8 : *Conjurastis omnes adversum me.* Matth. X, 35 : *Veni separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam,* etc.

« Et morte afficient eos. »

Joan. XVI, 2 : *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.*

« Et eritis odio omnibus »

Humanum sapientibus. Joan. XV, 19 : *Quia ego elegi vos de mundo, odit vos mundus.*

« *Propter nomen meum.* » Hoc est, consolationis : quia delectabile est propter amorem nominis Domini esse odiosum. Psal. LXVIII, 10 : *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.*

« Qui autem sustinuerit in finem. »

Ecce consolatio perseverantiæ : « *hic salvus erit.* » Ezechiel. IX, 6 : *Omnem super quem videritis thau, ne occidatis.* Thau enim ultima littera alphabeti hebraici est figuram crucis habens (ת), et perseverantiam in cruce significat. Apocal. I, 12 et 13 : *Vidi... similem Filio hominis, vestitum podere.* Poderis est talaris vestis, et significat perseverantiam usque in finem : quia talus est finis corporis. Sapient. XVIII, 24 : *In veste poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum, et parentum magnalia :* quia omnes per perseverantiam sunt salvati ab initio mundi qui salvati sunt.

« Cum autem videritis abominationem desolationis stantem ubi non debet, qui legit intelligat. » 14

Tangit hic signa valde propinqua desolationis.

Dicit autem duo : signum propinquum, et consequens periculum.

Dicit igitur : « *Cum autem videritis,* » oculis corporis, « *abominationem desolationis,* » hoc est, quæ in proximo desolationem instare significat, « *stantem ubi non debet.* » Glossa : « Matth. XXIV, 15, *in loco sancto :* quod ideo est, quia in loco sancto abominatio stare non debet. » Glossa : « Potest abominatio vel Antichristus intelligi, vel imago Cæsaris quam Pilatus in templo posuit, vel statua Adriani equestris, quæ in ipso Sancto sanctorum loco multo tempore stetit. » Abominatio quoque secundum veterem scripturam idolum nuncupatur : et ideo addit : « *Desolationis,* » quia in desolato templo atque deserto idolum positum est. Daniel. IX, 26 : *Post finem belli statuta desolatio.* II ad Thessal. II, 4 : *Qui adversatur et extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.*

« Qui legit, »

In Prophetis qui hoc prædixerunt, et maxime in Daniele, X, 11.

« *Intelligat* » esse completum. Vel, « *qui legit* » præterita impleta, « *intelligat* » etiam futura quæ restant esse implenda. Luc. XVIII, 31 : *Consummabuntur omnia quæ scripta sunt de Filio hominis.* Matth. V, 18 : *Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege.* Daniel. XI, 38 : *Deum autem Maozim in loco suo venerabitur, et deum, quem ignoraverunt patres ejus.* Deuter. XXXII, 17 et 18 : *Novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum. Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui.*

« Tunc qui in Judæa sunt fugiant in montes :

Et qui super tectum, ne descendat in domum nec introeat, ut tollat quid de domo sua : 15

Et qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum. 16

Væ autem prægnantibus et nutrientibus in illis diebus! 17

Orate vero ut hieme non fiant. » 18

Narrat hic instans periculum, dicens : « *Tunc,* » omnes Judæi, « *qui in Judæa sunt fugiant ad montes,* » hoc est, ad deserta. Job, XIX, 29 : *Fugite a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est.*

« Et qui super tectum, »

Ad adspiciendum venientem hostem ascendit. Isa. XXII, 1 et 2 : *Quidnam tibi est, quia ascendisti et tu omnis in tecta? Clamoris plena,* etc.

« *Non descendat in domum suam,* » cum mora et inquisitione rerum suarum, quia si moram traxerit in fuga, pro certo comprehendetur. Amos, II, 14 et seq. : *Peribit fuga a veloce, et fortis non obtinebit virtutem suam, et robustus non salvabit animam suam, et tenens arcum non stabit, et velox pedibus suis non salvabitur, et ascensor equi non salvabit animam suam, et robustus corde inter fortes nudus fugiet.*

Et hoc est quod sequitur : « *Nec introeat, ut tollat,* » cum mora, « *quid de domo sua,* » quia tantum erit periculum quod a fuga præoccupabitur : et sic etiam multi qui nimis diu cogitant ordinare de domo sua, adhuc sæpe præoccupantur. II ad Timoth. II, 4 : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Hieronymus in *Proœmio primo galeato :* « Si « habes in tua potestate rem tuam, ven- « de : si non habes, projice. Hærenti in « salo naviculæ funis magis est præci- « dendus quam solvendus. »

« Et qui in agro erit, »

Forte ad agri fructus colligendos, vel ad agrum excolendum, « *non revertatur retro,* » ut fructus collectos domum deducat, vel ut instrumenta cultus agri in domo reponat : quia periculum instat. Et quia tales laboratores cultiora vestimenta domi relinquunt, ideo dicit quod « *non revertatur tollere vestimentum suum* » cultius, ut illud secum asportet : quia intercipitur ei via ab hostibus. Isa. xxx, 16 et 17 : *Velociores erunt qui persequentur vos. Mille homines a facie terroris unius : et a facie terroris quinque fugietis, donec relinquamini quasi malus navis in vertice montis.*

« Væ autem prægnantibus, »

Quia pondere uteri fugere non poterunt : et ideo deficientes scindentur, ne fructus ex eis proveniat. IV Reg. xv, 16 : *Percussit Manahem Thapsam, et omnes qui erat in ea..., noluerant enim aperire ei : et interfecit omnes prægnantes ejus, et scidit eas.* Isa. xxxvii, 3 : *Venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi.*

« *Et nutrientibus in illis diebus* » tantæ tribulationis, quia nutrientes nec curam infantibus exhibere possunt, nec studere ad cibum unde lac dent filiis suis. Thren. iv, 4 : *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* Thren. ii, 12 : *Matribus suis dixerunt : Ubi est triticum et vinum ? cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.* Vel forte ideo, ut dicit Hegesippus, quia natos coactæ sunt matres comedere. Thren. iv, 10 : *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos : facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei.*

« Orate vero ut hieme non fiant. »

Quia omnibus testantibus impedimentis de tollendis rebus, vel pondere prægnantium, vel sollicitudine nutriendi, asperitas hiemis a fuga vos prohibeat. Glossa : « Matth. xxiv, 20, dicit : *Orate ut non fiat fuga vestra in hieme, vel sabbato :* quia in sabbato propter religionem et hieme propter temporis asperitatem fuga non patebit. » Hæc tamen Glossa spiritualiter exponit sic dicens : « Orate autem ne finiatur fructus operis vestri cum fine temporis. » Hieme enim finitur fructus, sabbato tempus. Fructus enim qui tempore finiuntur temporales sunt. Cantic. ii, 11 : *Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit.*

« Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ quam condidit Deus, usque nunc, neque fient. **19**

Et nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro : sed propter electos, quos elegit, breviavit dies. » **20**

Tangit hic specialiter signa diem extremi judicii præcedentia.

Dividitur autem pars ista in tres partes : in quarum prima dicit signa præcedentia : in secunda autem, confirmat veritatem illorum, ibi, ℣. 30 : « *Amen dico vobis, quoniam non transibit,* etc. » In tertia autem, dicit quod dies ultimi judicii est hominibus occulta, et occultationis innuit causam, ibi, ℣. 32 : « *De die autem illa,* etc. »

Prima harum partium dividitur in duas partes : in quarum prima dicit tribulationis extremæ acerbitatem et periculum : in secunda autem, ipsorum signorum vicinum signum ponit, ibi, ℣. 24 : « *Sed in illis diebus,* etc. »

Adhuc autem prior harum dividitur in duas partes : in quarum prima tribulationis dicit acerbitatem : et in secunda, seductorum dicit periculositatem, ibi, ℣. 21 : « *Et tunc si quis vobis dixerit,* etc. »

In prima harum tria dicuntur : describitur enim tribulationis acerbitas, de-

scribitur ejusdem brevitas, et describitur causa brevitatis.

Dicit igitur : « *Erunt enim dies illi,* » ante finem ultimæ destructionis, « *tribulationes tales.* » Glossa : « Hoc proprie ad Antichristum refertur, quando crebriora et acerbiora tormenta inferentur fidelibus, et quod gravius est, signa quoque comitabuntur. »

« *Quales non fuerunt ab initio creaturæ quam condidit Deus,* » cum ante semper mali bonos sint persecuti a primo Abel justo quem occidit Cain [1]. II ad Timoth. III, 12 : *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.*

« *Usque nunc.* » Daniel. XII, 1 : *Veniet tempus quale non fuit ex quo gentes esse cœperunt super terram.* Quia tres fuerunt Ecclesiæ persecutiones : prima, tyrannorum : secunda, hæreticorum : tertia, falsorum fratrum : ultima autem persecutio conflabitur ex omnibus his.

« *Neque fient* » ulterius tales tribulationes. Psal. CXIV, 3 et 4 : *Tribulationem et dolorem inveni : et nomen Domini invocavi.* Isa. XIX, 3 : *Dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus.* I ad Thessal. V, 3 : *Cum dixerint : Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti.*

« Et nisi breviasset Dominus dies. »

Hoc est de consolatione, quia summum mali diu durare non potest. « *Non fuisset salva omnis caro,* » quia caro infirma est, et diu tribulationem sustinere non potest. Genes. VI, 3 : *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Et loquitur ibi Dominus de spiritu iræ suæ quem infirmitas carnis diu sustinere non potest. Psal. XXIX, 6, ubi nos habemus : *Quoniam ira in indignatione ejus,* ibi habet translatio Hieronymi : « Ad momentum et parumper « abscondi faciem meam a te. » Job, XXVI, 14 : *Cum vix parvam stillam sermonis audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri ?*

« Sed propter electos, quos elegit. »

Tertium est propter quos breviavit : et hoc est propter electos, quos elegit finaliter a massa perditionis separando.

« *Breviavit dies* » extremæ tribulationis : vel post mortem Antechristi, sicut dicitur, Daniel. XII, 1 et seq., quia tunc dabuntur quadraginta dies in pœnitentiam, ut hi qui converti volunt agant pœnitentiam. I ad Corinth. VII, 29 : *Tempus breve est.* Ad Ephes. V, 16 : *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Joan. XVI, 19 : *Modicum, et non videbitis me.* Hoc una Glossa exponit de tempore ante judicium, quod modicum est respectu æternitatis. Apocal. I, 3 : *Tempus enim prope est.* Isa. XIII, 6, et XIV, 1 : *Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Jacob, et eliget adhuc de Israel.*

« Et tunc si quis vobis dixerit : Ecce **21**
hic est Christus, ecce illic, ne credideritis.

Exsurgent enim pseudochristi et **22**
pseudoprophetæ, et dabunt signa et portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos. »

Tangit periculum seductionis in falsis Prophetis.

Et tangit tria : periculum seductionis, admonitionem provisionis, et signa vicina dominicæ ad judicium manifestationis.

Dicit igitur : « *Et* » in diebus illis, « *tunc,* » in ultima persecutione, « *si quis,* » cujuscumque professionis vel auctoritatis, « *vobis,* » vel successoribus

[1] Genes. IV, 8.

vestris, vel plebibus vobis commissis, « *dixerit : Ecce hic est Christus,* » in unius vel alterius hæresis conventiculis, sicut Arius in sua perfidia dixit Christum, et Donatus in sua, et Mahumeth in sua : et ita venient multi similia dicentes in novissimis temporibus.

« *Ecce illic.* » Et inducent auctoritates Scripturæ male intellectas ad suæ perfidiæ confirmationem. II ad Timoth. III, 1 : *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa :* et, post pauca, IV, 4 : *A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur :* et paulo ante, ℣. 3 : *Coacervabunt sibi magistros prurientes auribus.*

« *Ne credideritis.* » Deuter. XIV, 8 : *Non acquiescas, nec audias, neque parcat ei oculus tuus ut miserearis.*

Et dicit causam :

« Exsurgent enim. »

In tempore illo, « *pseudochristi,* » qui revera Antichristi erunt, sed se Christos esse mentientur. I Joan. II, 18 : *Antichristi multi facti sunt.* Et, ibidem, IV, 3 : *Omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est : et hic est Antichristus de quo audistis quoniam venit.*

« *Et pseudoprophetæ,* » qui visiones et somnia prædicunt ut homines a fide catholica avertant. Deuter. XII, 1 et seq. : *Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat : et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus, et sequamur deos alienos quos ignoras, et serviamus eis : non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris.* Matth. VI, 15 : *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

« *Et dabunt signa et portenta,* » quæ digito produntur et demonstrantur propter admirationem. II ad Thessal. II, 9 et 10 : *Cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt.*

« *Ad seducendos,* » qui pessimus est finis, « *si fieri potest,* » hoc est, si fieri posset, « *etiam electos,* » quod Deus elegit non seducendos finaliter. Et hoc ideo contingit, quia veritati credere noluerunt. II ad Thessal. II, 10 et seq.: *Ideo,* quia charitatem veritatis non receperunt, *mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.*

« Vos ergo videte : ecce prædixi vobis omnia. **23**

Sed in illis diebus, post tribulationem illam, sol contenebrabitur, et luna non dabit splendorem suum, **24**

Et stellæ cœli erunt decidentes, et virtutes quæ in cœlis sunt movebuntur. » **25**

Admonitio est cautelæ : et quia jacula quæ prævidentur minus feriunt, ideo dicit : « *Ecce prædixi vobis.* » Joan. XIV, 29 : *Et nunc dixi vobis priusquam fiat : ut cum factum fuerit, credatis.*

« Sed in illis diebus, »

Periculosæ tentationis Antichristi, « *post tribulationem illam,* » quam in persequendo Sanctos movebit Antichristus : jam Antichristo mortuo, cum jam Judæi cognoverint se esse deceptos, « *sol contenebrabitur :* » et quia sol contenebrabitur, ideo etiam « *luna,* » quæ non habet lumen nisi a sole, « *non dabit splendorem suum,* » ad cursum generationis et corruptionis causandum.

« Et stellæ cœli, »

Quæ in imaginibus suis sunt causæ figurarum in inferioribus, « *erunt decidentes,* » non quod corporaliter cadant

de cœlo, sed quoad effectum quem in sphæra generatorum et corruptorum facere consueverunt. Joel, III, 15 et 16 : *Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt splendorem suum : et Dominus de Sion rugiet, et de Jerusalem dabit vocem suam.*

« *Et movebuntur* » cœli et terra. Isa. XXIV, 23 : *Erubescet luna, et confundetur sol, cum regnaverit Dominus.* Isa. XIII, 10 : *Obtenebratus est sol in ortu suo, et luna non splendebit in lumine suo.* Apocal. VI, 12 et 13 : *Sol factus est niger tamquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis, et stellæ de cœlo ceciderunt super terram.* Glossa Hieronymi : « Stellæ erunt decidentes a « lumine, quando pœnæ deerit semen « Abrahæ cui sunt assimilatæ. »

« Et virtutes quæ in cœlis sunt, »

Ut cœlos moveant Angeli qui *Virtutes* vocantur, « *movebuntur,* » a consueto ordine officiorum suorum : quia tunc majora dabunt signa. Matth. XXIV, 29 : *Virtutes cœlorum commovebuntur.* Psal. CII, 21 : *Benedicite Domino, omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.* Glossa : « Quid mirum tremere homines, cum adspectu divini judicii tremant Angelicæ potestates ! » Unde, Job, XXVI, 11 : *Columnæ cœli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus.* Quid patietur virgula deserti, ubi patietur cedrus Libani ?

26 « Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa et gloria.

27 Et tunc mittet Angelos suos, et congregabit electos suos a quatuor ventis, a summo terræ usque ad summum cœli. »

Tangit modum venientis judicis, dicens : « *Et tunc videbunt,* » et boni et mali oculis corporis, « *Filium hominis,* » in forma humanitatis, in qua judicatus et condemnatus est ab eis, « *venientem in nubibus,* » ut ex nube terribilis appareat. Apocal. I, 7 : *Ecce venit cum nubibus : et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Unde, Act. I, 11, cum Apostoli a se recedentem viderent in nubibus, responsum fuit eis ab Angelis : *Sic veniet quemodmadum vidistis eum euntem in cœlum.*

« *Cum virtute magna,* » contra inimicos quos deprimet, « *et gloria,* » propter bonos quos glorificabit. Matth. XXVI, 64 : *Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris Dei, et venientem in nubibus cœli.* Luc. XXI, 27 : *Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate.*

« Et tunc, »

Ante Resurrectionem communem, « *mittet Angelos suos,* » qui administratorii spiritus erant in merito, ut etiam congregent bonos et malos in judicio : « *et* » per illos, « *congregabit electos suos,* » ab omnibus elementis in quæ putrefactione resoluti sunt. Psal. XLIX, 5 : *Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.* Unde Glossa : « Ut triticum de area totius terræ ventilatum congregent in horreum cœli. »

« *A quatuor ventis,* » scilicet Aquilonis et Austri, Orientis et Occidentis, et omnibus mediis spatiis. Et hoc est secundum terræ latitudinem, secundum quatuor elementa, quæ alio modo septem esse dicuntur climata secundum latitudinem a Meridie in Aquilonem mensurando per totum ortum et occasum, laudabile nomen Domini.

« *A summo terræ,* » secundum longitudinem terræ, quæ mensuratur ab ortu solis usque ad occasum secundum distantiam lineæ meridianæ in omni loco habitabili, « *usque ad summum cœli,* » in eadem longitudinis mensura. Isa.

XLIII, 5 et 6 : *Adducam semen tuum... Dicam Aquiloni : Da : et Austro : Noli prohibere.* Ezechiel. XXXVII, 9 : *A quatuor ventis veni, spiritus, et insuffla super interfectos istos, et reviviscant.*

Sic ergo signa adventus Domini sunt determinata. Hæc autem quidam mystice exponunt : sed quia hæc fidem catholicam sonant, ideo hæc aliter quam jacent exponere non audemus. Dicunt enim Hieronymus et Gregorius quod hæc magis speranda sunt quam tractanda.

28 « A ficu autem discite parabolam : cum jam ramus ejus tener fuerit et nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit æstas :

29 Sic et vos cum videritis hæc fieri, scitote quod in proximo sit in ostiis. »

Ponit per similitudinem signum certitudinis a ficu sumptam : quia illa si mala est, mala est valde : et si bona est, bona est valde. Et quia judicium valde malum est malis, et valde bonum justis, ideo ab hac arbore sumit parabolam, hoc est, sermonem similitudinis.

« *Cum jam ramus ejus,* » de gemma ejusdem anni exortus, « *tener fuerit,* » et humidus et calidus, « *et nata fuerint folia,* » propter fructus operimenta, « *cognoscitis quia in proximo est æstas,* » ad refloritionem. Cantic. II, 13 : *Ficus protulit grossos suos, vineæ florentes odorem dederunt.* Et præcedit, ℣. 11 : *Jam hiems transiit, imber abiit et recessit.*

« Sic et vos, »

In successoribus vestris, « *cum videritis hæc fieri,* » ultimæ consummationis prænuntia, « *scitote,* » securi, « *quod in proximo sit in ostiis,* » hoc est, quod judicium jam intrat super homines ac si sit in ostiis. Job, V, 9 : *Ecce judex ante januam assistit.*

Ab arbore enim ficu sumit istam parabolam, quia inter omnes arbores ultimo vernat et fructificat : et postquam fructificare incepit, ante aliam hiemem non cessat : et ideo signum est æstatis. Et similiter ea quæ inducta sunt proxima signa sunt ultimæ consummationis, in qua mundus reflorebit et justitiæ sereno lumine resplendebit. Unde, Judicum, IX, 11, dixit ficus : *Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, et ire ut inter ligna promovear?* Dulcedo enim ficus dulcedinem significat futurorum gaudiorum. Psal. LXVII, 11 : *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.*

« Amen dico vobis, quoniam non **30** transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant.

Cœlum et terra transibunt, verba **31** autem mea non transibunt. »

Omnium inductorum, quia supra humanum sensum sunt, ponit hic confirmationem.

« *Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc* » hominum, vel Judæorum, vel etiam fidelium, « *donec omnia,* » ad gratiam et judicium pertinentia, « *fiant,* » hoc est, impleantur. Matth. V, 18 : *Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.*

« Cœlum et terra transibunt. »

Cœlum quoad usum et formarum revolutionem. Quia sicut tradunt Philosophi, cœlum revolvitur per formas, propter formarum in inferioribus renovationem. Tunc autem stabit : et hoc modo vocatur cœlum a κοῖλον, quia quoad hoc atteritur, quia secundum formas non revolvetur. Job, XIV, 12 : *Donec atteratur cœlum, non evigilabit, nec consurget de somno suo.* I ad Corinth. VII, 31 : *Præterit figura hujus mundi.* Glossa : « Non substantia. » Et hoc vocat Petrus cœlo-

rum liquefactionem [1] : quia in igne qui præcedit faciem judicis, quoad talem revolutionem quæ generationi deservit liquefiet, sed in substantia manebit. II Petr. III, 10 : *Adveniet dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quæ in ipsa sunt opera exurentur.* Glossa tamen exponit de cœlis aereis ad quos ascendet ignis, faciem mundi exurens.

« *Et terra transibunt,* » quoad faciem istam terræ exteriorem, quæ generationi et corruptioni deservit. Et hæc est opacitas terræ in frigido et sicco : tunc autem erit perspicua, sicut crystallus vel vitrum. Transibit ergo quoad exteriorem qualitatem, sed non quoad substantiam. Isa. LXV, 17 et 18 : *Ecce ego creo cœlos novos, et terram novam : et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor, sed gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum in his quæ ego creo.*

« Verba autem mea, »

Fundamentum æternæ veritatis habentia, « *non transibunt.* » Psal. CI, 26, et seq. : *Initio tu, Domine, terram fundasti : et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes : et omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur : tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.*

32 « De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater. »

Tangit de illius temporis occultatione propter nostram sollicitudinem, ut semper simus parati.

Et ideo dicuntur hic duo : occultatio temporis, et præceptum sollicitæ observationis.

De primo dicit : « *De die autem illo vel hora.* » *Diem* vocat non propter qualitatem temporis, sed propter lucem claræ manifestationis. Matth. XXIV, 27 : *Sicut fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem, ita erit adventus Filii hominis* [2]. Apocal. I, 7 : *Videbit eum omnis oculus.*

« *Vel hora,* » quando ad judicium veniet. Luc. XII, 40 : *Qua hora non putatis Filius hominis veniet.*

« Nemo scit, »

In Ecclesia. Quia scire non expedit : melius est enim nobis semper sollicitos esse, quam scire horam, et ideo ante horam semper esse pigriores. Act. I, 7 : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.*

« Neque Angeli in cœlo, »

Qui tamen plura quam homines cognoverunt : hoc enim non est de pertinentibus ad beatitudinem. Matth. XXIV, 36 : *De die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater.*

« Neque Filius, »

Per humanam naturam : vel, « *neque Filius,* » quia non facit nos scire, cum tamen ipse sciat, scilicet, Patrem manifestans : et ideo dicitur, I ad Thessal. V, 2 : *Quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet* [3]. Fur autem in furno, hoc est, in nigro venit hominibus occultatus. Matth. XXIV, 44 : *Ideo et vos estote parati, quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est.*

[1] Cf. Isa LI, 6 : *Cœli sicut fumus liquescent,* etc.

[2] Cf. Luc. XVII, 24.

[3] Cf. II Petr. III, 10 ; Apocal. III, 3 et XVI, 15 ; Matth. XXIV, 36.

« Nisi Pater, »

A quo fons omnis cognitionis est : in quo tamen fonte habitant Filius et Spiritus sanctus. Eccli. I, 5 : *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis.* Et ideo dicit Glossa : « *In Filio sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi* [1] : ideo abscondit, quia scire nobis non expedit. » Unde, Act. I, 7 : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.* In quo ostenditur ut sciat, sed nosse omnibus non expediat, quod semper incerti de adventu judicis, sic quotidie vivant quasi illa die judicandi. Scit ergo Filius sibi, sed non nobis, ut semper simus solliciti.

Et ideo præceptum cautelæ subjungit, dicens :

33 « Videte, vigilate et orate : nescitis enim quando tempus sit.

34 Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cujusque operis, et janitori præcepit ut vigilet. »

Dicit autem hic quatuor : præceptum vigilantiæ, causam, similitudinem, et finem.

Et hoc est : « *Videte,* » per circumspectionem, « *vigilate,* » per sollicitudinem, « *orate,* » per gratiæ devotam voluntatem.

De visione, parum ante, ℣. 5 : *Videte ne quis vos seducat.* Et, parum infra, ℣. 9 : *Videte vosmetipsos.* Et iterum, ℣. 23 : *Vos ergo videte : ecce prædixi vobis omnia.* Primo modo *videre*, est cavere malum : secundo modo *videre*, est considerare debitum : tertio modo *videre*, est cautum esse ad futurorum adventum.

« *Vigilate,* » hoc est, totum spiritum et caloris charitatem ad Deum expandite. Eccli. XXXIX, 6 : *Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum.* Psal. CI, 8 : *Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto :* qui solus, et præ omnibus avibus mane vigilat.

« *Et orate,* » hoc est, affectum totum in Deum extendite. Luc. XXI, 28 : *Respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Caput animæ est affectus in Deum oratione directus.

« *Videte,* » parte rationabili, « *vigilate,* » sollicitudine irascibili, « *et orate,* » concupiscibili.

Et subjungit causam :

« Nescitis enim quando tempus sit. »

Et hoc ideo nescitis, ut semper sitis parati. Luc. XII, 40 : *Estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Quia nescitis quando Dominus vester venturus sit. Et hoc idem continetur, Matth. XXIV, 42.

« Sicut homo, etc. »

Ponit similitudinem : « *Sicut homo qui peregre profectus,* » in cœlum per ascensionem suam, « *reliquit domum suam,* » hoc est, facultatem domus suæ, « *et dedit servis suis potestatem.* » Matth. XXV, 15 : *Unicuique secundum propriam virtutem.* « *Cujusque operis,* » ad negotiationem multiplicandorum talentorum pertinentis. Sicut dicitur, Luc. XIX, 13 : *Et ait ad illos : Negotiamini dum venio.*

« *Et janitori,* » custodi domus, « *præcepit ut vigilet,* » ne aliquis domum irrumpat vel suffodiat : ita, supple, se habet vestrum negotium. Luc. II, 8 : *Vigilantes et custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Proverb. VIII, 17 : *Qui mane vigilant ad me, invenient me.*

[1] Ad Coloss. II, 3.

35 « Vigilate ergo : nescitis enim quando dominus domus veniat : sero, an media nocte, an galli cantu, an mane :

36 Ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes.

37 Quod autem vobis dico, omnibus dico : Vigilate. »

Tangit vigiliarum finem. Tangit autem duos fines : unum citra alium, finis enim operis est quem dicit : « *Nescitis enim quando dominus domus veniat,* » hoc est facultatum dominus, qui venit rationem ponere cum servis suis. Matth. XVIII, 23 : *Assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.* Psal. LXII, 2 : *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.*

Et tempora horarum determinat : « *Sero, an media nocte, an galli cantu, an mane.* » Quatuor horarum tenebras determinat. Et quia tota vita hominis in tenebris est, propterea hæ quatuor partes ætatis humanæ vitæ significant. Sero autem est juventus : media autem nox, virilis ætas : galli autem cantus, est senectus : mane autem, est putridum senium. Infantilis enim ætas potius est ingressus vitæ quam vita. Matth. XXV, 13 : *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.* I ad Corinth. XV, 34 : *Evigilate, justi, ignorantiam enim Dei quidam habent,* scilicet usque adhuc.

Et subjungit causam tantæ sollicitudinis in vigilando :

« Ne cum venerit repente, »

Hoc est, ex improviso. I ad Thessal. V, 3 : *Cum dixerint : Pax et securitas, tunc repentinus superveniet eis interitus, sicut dolor in utero habenti.*

« *Inveniat vos.* » Proverb. VI, 9, 10 et 11 : *Usquequo, piger, dormis ? paululum dormies, paululum dormitabis :... et veniet tibi quasi viator egestas, et paupertas quasi vir armatus.* Matth. XXVI, 40 : *Non potuistis una hora vigilare mecum ?* Apocal. III, 2 : *Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant.* Isa. XXVI, 9 : *Spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.*

Quod autem vobis, »

Apostolis et Prælatis Ecclesiarum, « *dico,* » quibus præcipue vigilare incumbit, « *omnibus dico,* » per sollicitudinem quam sibi quilibet impedere debet. Ad Roman. X, 12 : *Non est distinctio Judæi et Græci.* Marc. XIV, 38 : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* II ad Timoth. IV, 5 : *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto.* De aliis dicitur, Proverb. XXIII, 35 : *Eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator, amisso clavo.*

CAPUT XIV.

Consultant principes sacerdotum de occidendo Jesu : qui unguento pretioso a muliere perfunditur murmurantibus discipulis : venditur a Juda : de cujus proditione discipulis loquitur in cœna, in qua panem in corpus suum, et vinum in sanguinem consecrata tradit discipulis : prædicit omnes scandalizandos, et trinam Petri negationem : ac post trinam orationem capitur a Judæis, quorum uni Petrus abscidit auriculam : et discipulis fugientibus, coram Caipha a falsis testibus accusatus, mortisque reus judicatus, conspuitur ac cæditur, et ter a Petro negatur.

1. Erat autem Pascha et azyma post biduum : et quærebant summi sacerdotes et scribæ quomodo eum dolo tenerent, et occiderent[1].
2. Dicebant autem : Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.
3. Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi[2], et recumberet, venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, et fracto alabastro, effudit super caput ejus.
4. Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, et dicentes : Ut quid perditio ista unguenti facta est?
5. Poterat enim unguentum istud venumdari plus quam trecentis denariis, et dari pauperibus. Et fremebant in eam.
6. Jesus autem dixit : Sinite eam, quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me.
7. Semper enim pauperes habetis vobiscum, et cum volueritis potestis illis benefacere : me autem non semper habetis.
8. Quod habuit hæc, fecit : prævenit ungere corpus meum in sepulturam.
9. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit evangelium istud in universo mundo, et quod fecit hæc narrabitur in memoriam ejus.
10. Et Judas Iscariotes[3], unus de duodecim abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis.
11. Qui audientes gavisi sunt, et promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quærebat quomodo illum opportune traderet.
12. Et primo die azymorum[4], quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli : Quo vis eamus et paremus tibi ut manduces pascha?
13. Et mittit duos ex discipulis suis, et dicit eis : Ite in civitatem, et occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans : sequimini eum,
14. Et quocumque introierit, dicite

[1] Matth. xxvi, 2 ; Luc. xxii, 1.
[2] Matth. xxvi, 6 ; Joan. xii, 1
[3] Matth. xxvi, 14.
[4] Matth. xxvii, 17 ; Luc. xxii, 7.

domino domus quia magister dicit : Ubi est refectio mea, ubi pascha cum discipulis meis manducem ?

15. Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande, stratum : et illic parate nobis.

16. Et abierunt discipuli ejus, et venerunt in civitatem : et invenerunt sicut dixerat illis, et paraverunt pascha.

17. Vespere autem facto [1], venit cum duodecim.

18. Et discumbentibus eis et manducantibus, ait Jesus : Amen dico vobis quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum [2].

19. At illi cœperunt contristari, et dicere ei singulatim : Numquid ego ?

20. Qui ait illis : Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino.

21. Et Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de eo [3] : væ autem homini illi per quem Filius hominis tradetur ! Bonum erat ei si non esset natus homo ille.

22. Et manducantibus illis [4], accepit Jesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis, et ait : Sumite, hoc est corpus meum.

23. Et accepto calice, gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes.

24. Et ait illis : Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.

25. Amen dico vobis quia jam non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum cum illud bibam novum in regno Dei.

26. Et hymno dicto, exierunt in montem Olivarum.

27. Et ait eis Jesus : Omnes scandalizabimini in me in nocte ista [5], quia scriptum est : Percutiam pastorem, et dispergentur oves [6].

28. Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam.

29. Petrus autem ait illi : Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego.

30. Et ait illi Jesus : Amen dico tibi quia tu hodie, in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.

31. At ille amplius loquebatur : Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem et omnes dicebant.

32. Et veniunt in prædium cui nomen Gethsemani [7]. Et ait discipulis suis : Sedete hic donec orem [8].

33. Et assumit Petrum, et Jacobum, et Joannem, secum : et cœpit pavere et tædere.

34. Et ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hic, et vigilate.

35. Et cum processisset paululum, procidit super terram, et orabat ut si fieri posset, transiret ab eo hora :

36. Et dixit : Abba, pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me : sed non quod ego volo, sed quod tu.

37. Et venit, et invenit eos dormientes. Et ait Petro : Simon, dormis ? non potuisti una hora vigilare ?

38. Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma.

39. Et iterum abiens oravit, eumdem sermonem dicens.

[1] Matth. xxvi, 20 ; Luc. xxii, 14.
[2] Joan. xiii, 21.
[3] Psal. xl, 10 ; Act. i, 16.
[4] Matth. xxvi, 26 ; I ad Corinth. xi, 24.
[5] Joan. xvi, 32.
[6] Zachar. xiii, 7.
[7] Matth. xxvi, 36.
[8] Luc. xxii, 40.

40. Et reversus, denuo invenit eos dormientes : erant enim oculi eorum gravati, et ignorabant quid responderent ei.
41. Et venit tertio, et ait illis : Dormite jam, et requiescite. Sufficit : venit hora : ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum.
42. Surgite, eamus. Ecce qui me tradet prope est.
43. Et adhuc eo loquente, venit Judas Iscariotes, unus de duodecim, et cum eo turba multa cum gladiis et lignis, a summis sacerdotibus, et scribis, et senioribus [1].
44. Dederat autem traditor ejus signum eis, dicens : Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum et ducite caute.
45. Et cum venisset, statim accedens ad eum, ait : Ave, Rabbi : et osculatus est eum.
46. At illi manus injecerunt in eum et tenuerunt eum.
47. Unus autem quidam de circumstantibus educens gladium, percussit servum summi sacerdotis, et amputavit illi auriculam.
48. Et respondens Jesus, ait illis : Tanquam ad latronem existis cum gladiis et lignis comprehendere me,
49. Quotidie eram apud vos in templo docens, et non me tenuistis. Sed ut impleantur Scripturæ.
50. Tunc discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt [2].
51. Adolescens autem quidam sequebatur eum, amictus sindone super nudo : et tenuerunt eum.
52. At ille, rejecta sindone, nudus profugit ab eis.
53. Et adduxerunt Jesum ad summum sacerdotem [3] : et convenerunt omnes sacerdotes, et scribæ, et seniores.
54. Petrus autem a longe secutus est eum usque intro in atrium summi sacerdotis : et sedebat cum ministris ad ignem, et calefaciebat se.
55. Summi vero sacerdotes et omne concilium quærebant adversus Jesum testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant [4].
56. Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum, et convenientia testimonia non erant.
57. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant adversus eum, dicentes :
58. Quoniam nos audivimus eum dicentem : Ego dissolvam templum hoc manu factum, et per triduum aliud non manu factum ædificabo [5].
59. Et non erat conveniens testimonium illorum.
60. Et exsurgens summus sacerdos in medium, interrogavit Jesum, dicens : Non respondes quidquam ad ea quæ tibi objiciuntur ab his?
61. Ille autem tacebat et nihil respondit. Rursum summus sacerdos interrogabat eum, et dixit ei : Tu es Christus, Filius Dei benedicti?
62. Jesus autem dixit illi : Ego sum : et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus cœli [6].
63. Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait : Quid adhuc desideramus testes?

[1] Matth. xxvi, 47; Luc. xxii, 47; Joan. xviii, 3.
[2] Matth. xxvi, 56.
[3] Matth. xxvi, 57; Luc. xxii, 54; Joan. xviii, 43.
[4] Matth. xxvi, 59.
[5] Joan. ii, 19.
[6] Matth. xxiv, 30 et xxvi, 64.

64. Audistis blasphemiam : quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis.
65. Et cœperunt quidam conspuere eum, et velare faciem ejus, et colaphis eum cædere, et dicere ei : Prophetiza : et ministri alapis eum cædebant.
66. Et cum esset Petrus in atrio deorsum [1], venit una ex ancillis summi sacerdotis :
67. Et cum vidisset Petrum calefacientem se, adspiciens illum, ait : Et tu cum Jesu Nazareno eras.
68. At ille negavit, dicens : Neque scio neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit,
69. Rursus autem cum vidisset illum ancilla [2], cœpit dicere circumstantibus : Quia hic ex illis est.
70. At ille iterum negavit. Et post pusillum rursus qui adstabant, dicebant Petro : Vere ex illis es, nam et Galilæus es [3].
71. Ille autem cœpit anathematizare et jurare : Quia nescio hominem istum quem dicitis.
72. Et statim gallus iterum cantavit. Et recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Jesus : Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis [4]. Et cœpit flere.

IN CAPUT XIV MARCI

ENARRATIO.

« Erat autem Pascha et azyma post biduum. »

Hic sexta Leonis de tribu Juda inducitur proprietas : quæ est, quod hoc animal pugnax est ad vincendum, et vulnera corporis non reputat dummodo vincat : quia non fugit, sed potius mori eligit quam fugere. Et hoc fecit Christus, mundum, et mortem, et infernum debellando : non timens se morti exponere ut suos exinde redimeret. Isa. LXIII, 2 : *Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.*

Dividitur autem pars ista in partes duas : in quarum prima pertractat de Christi captivitate : in secunda autem, de sua agitur Passione : quæ incipit in cap. XV, 1, ibi, « *Et confestim mane facto*, etc. »

Prima autem harum in tres dividitur partes : in quarum prima ponuntur ea quæ circumstant Judæ proditionem : in secunda, tanguntur ea quæ circumstant jam proditi Domini captivitatem, ibi, ℣. 46 : « *At illi manus injecerunt in eum*, etc. » In tertia, ponuntur ea quæ circumstant jam captivi Domini examinationem, ibi, ℣. 53 : « *Et adduxerunt Jesum ad summum Sacerdotem*, etc. »

Prima harum partium habet partes quatuor : in quarum prima describitur proditionis a proditore conceptio : in secunda, ponitur proditoris a malitia revocatio, ibi, ℣. 12 : « *Et primo die azymorum*, etc. » In tertia, ponitur discipulorum contra malum ex proditione futurum confortatio, ibi, ℣. 26 : « *Et hymno dicto*, etc. » In quarta, ponitur traditionis perfectio, ibi, ℣. 43 : « *Et adhuc eo loquente*, etc. »

[1] Matth. XXVI, 69 ; Luc. XXII, 56 ; Joan. XVIII, 17.
[2] Matth. XXVI, 71.
[3] Luc. XXII, 59 ; Joan. XVIII, 25.
[4] Matth. XXVI, 75 ; Joan. XIII, 38.

Adhuc autem prior harum in tres dividitur : in quarum prima ex tempore et ex malitia Judæorum, proditionis ponitur opportunitas : in secunda, ex causa proditionis proditoris describitur malignitas, ibi, ℣. 3 : « *Et cum esset Bethaniæ*, etc. » In tertia, promissæ proditionis a Juda ponitur iniquitas, ibi, ℣. 10 : « *Et Judas Iscariotes*, etc. »

In primo horum duo paragraphi sunt, scilicet, opportunitas traditionis ex impletione temporis, et opportunitas ex pertinacia malignitatis Judaicæ.

1 Dicitur igitur : « *Erat autem*, » omnibus his completis quæ de historia evangelica dicta sunt, « *Pascha*, » sicut dicit Ambrosius : « *Phase* hebraicum est, « et *transitus* interpretatur. *Pascha* au- « tem græcum est, et interpretatur « *passio*. » Exod. XII, 11 : *Est enim Phase* (*id est transitus*) *Domini*. Pascha autem ab Agni passione sic vocatur secundum Ambrosium. Luc. XXII, 7 : *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha*, hoc est, agnum patientem. Augustinus autem dicit quod tam phase quam pascha hebræum est, et utrumque transitus interpretatur. Dictum autem Ambrosii probabilius est dicto Augustini. Tamen Pascha dicitur quinque modis : primo enim vespera quartædecimæ lunæ in mense lunari (qui Aprilis dicitur) Pascha vocatur. Matth. XXVI, 2 : *Scitis quia post biduum Pascha fiet.* Secundo, dicitur Pascha agnus immolatus. Matth. XXVI, 17 : *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha ?* Tertio, dicitur Pascha primus dies azymorum qui fuit mane quintædecimæ lunæ Aprilis. Joan. XIII, 1 : *Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus.* Quarto, dicitur Pascha azyma quod in Pascha comedebatur. Joan. XVIII, 28 : *Ipsi non introierunt in prætorium ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Quinto, dicitur Pascha Christus immolatus. I ad Corinth. V, 7 et 8 : *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus : itaque epulemur*, etc. Hic autem et in Matthæo dicitur Pascha primo modo cum dicitur : « *Erat autem Pascha*, » hoc est, initium festi Paschæ, quia in vespera quartædecimæ lunæ incipit.

« Et azyma, »

Hoc est, tempus in quo azyma primo erat paratum, et hoc est vespera quartædecimæ lunæ. Exod. XII, 18 : *Primo mense, quartadecima die mensis, ad vesperam, comedetis azyma.* Et tunc azyma comedebatur, et fermentatum de domibus expurgabatur. I ad Corinth. V, 7 : *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi.* Tunc enim ratione figuræ congruo tempore, et Christus prodebatur ut agnus innocens, et vetera sacramenta expurgabantur, et nova per sanguinem Christi incipiebant. Levit. XXVI, 10 : *Vetera novis provenientibus projicietis.*

« Post biduum. »

Hoc ergo fuit in quarta feria : quia tunc post quartam et quintam in nocte (quod est inter quartam et quintam feriam) proditio ista fiebat : et ex hoc obtinuit consuetudo quod in afflictionibus Ecclesiæ secundum locum obtinuit quarta feria apud multas nationes, quæ quartas et sextas ferias jejunare consueverunt, sicut beatus Nicolaus : et tunc legitur Prophetia Isaiæ, XL, 9 et 10 : *Dicite filiæ Sion: Ecce Deus vester:... ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram illo.* Quia tunc de mercede qua venditus fuit est tractatum, et conventio facta est inter Judam et Sacerdotes. Matth. XXVI, 2 : *Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum.*

« Et quærebant summi sacerdotes et Scribæ quomodo eum dolo tenerent, et occiderent.

2 Dicebant autem : Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. »

Tangitur opportunitas ex parte consummatæ malitiæ Sacerdotum.

Et tanguntur duo, scilicet, consummata malitia, et opportunitas malitiam perficiendi.

De primo dicit : « *Et quærebant,* » convenienti tempore quo prænuntiatum a Prophetis, et præfiguratum fuit in sacramento agni typici. Unde antè illud tempus dixit, Joan. VII, 6 : *Tempus meum nondum advenit.*

« *Summi sacerdotes,* » Pontifices in quibus erat plenitudo potestatis, « *et Scribæ,* » in quibus erat consilium litteraturæ. Hi ergo quærebant inter se consilium, sicut dicitur, Joan. XI, 47 : *Collegerunt pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit.*

« *Quomodo dolo,* » vel ne de manibus eorum liberaretur, « *eum,* » Jesum, « *tenerent* » captivum, « *et occiderent,* » per judicium publicum sicut malefactorem condemnatum : et sic cogitaverunt et occidere et infamare, ut nomen ejus ut profanum haberetur : et illi qui ad Christum conversi fuerant, a fide nominis ejus averterentur.

« Dicebant enim, »

In concilio ad invicem loquentes : « *Non in die festo.* » *Festum* totam solennitatem septem dierum Paschæ vocantes. Hoc autem non dicebant propter festi solennitatem honorandam, sed « *ne forte tumultus,* » Christum liberare volentium, « *fieret in populo,* » qui multus valde fuit in Jerusalem in festi celebratione : quia multi credentes in Christum et diligentes eum propter famam miraculorum erant tunc in civitate. Luc. XXII, 6 : *Quærebat,* scilicet Judas, *opportunitatem ut traderet illum sine turbis.*

« Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, et recumberet, venit 3 mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, et fracto alabastro, effudit super caput ejus. »

Hic conceptæ proditionis tangitur turpis causa.

Et dicuntur tria : in quorum primo dicitur unguenti pretiosi in corpus Domini effusio : in secundo, orta contra hoc Judæ proditoris et furis murmuratio : in tertio, benigna a Domino murmurantium repressio.

In primo horum quatuor dicuntur, scilicet, loci in quo factum est dispositio, effundentis unguentum commendatio, vasis ut totum in Christum expenderetur fractio, et ipsa unguenti effusio.

Dicit igitur : « *Et cum esset.* » Hoc dicitur per recapitulationem, quia istud in die sabbati ante palmas est factum. Verba autem quæ præcesserunt die Martis post palmas habita fuerunt, ut dicit Augustinus.

« *Cum* igitur *esset Bethaniæ,* » ut ex ipso loco doceret quia ex obedientia Patris venit ad patiendum : Bethania enim *domus obedientiæ* interpretatur. Ad Philip. II, 8 : *Obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Et hoc etiam demonstratur per domus in qua fuit possessorem, dicitur : « *In domo Simonis,* » qui *obediens* interpretatur. *Leprosus* autem dicitur non quod tunc leprosus esset, sed quia leprosus fuerit, et a Christo beneficium sanitatis consecutus. Ad hos enim declinavit Dominus ut ostenderet quod dixit, Matth. IX, 12 : *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Unde Glossa : « Nomen pristinum habet ut virtus cu-

« rantis appareat : leprosus erat, sed a « Domino curatus fuerat. »

« *Et recumberet,* » jam in humanæ salutis refectione. Cantic. I, 11 : *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.*

« Venit mulier. »

Tangitur descriptio mulieris. Dicit ergo : « *Venit,* » non vocata, sed propria denotione attracta, « *mulier :* » bene *mulier*, quæ tantum virum emollivit, « *habens,* » magnis sumptibus comparatum, « *alabastrum.* » Pyxis fuit facta de marmore, quod *alabastrum* vocatur : et genus marmoris unguenta et aromata in vigore suo conservans, et ideo dicitur : « *Alabastrum unguenti.* » Beda : « Alabastrum est marmor candidum variis guttis distinctum, quod unguenta incorrupta conservat. »

Et commendat unguenti pretiositatem, dicens : « *Nardi,* » quia de nardo facti, « *spicati,* » quia spica in nardo odorifera est plus reliquis partibus, « *pretiosi,* » quia caro pretio fuit emptum. Cantic. IV, 10 : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Unde, Joan. XII, 3, dicitur : *Nardi pistici,* hoc est, fidelis pretio dicitur. Proverb. XXVII, 9 : *Unguento variis odoribus delectatur cor.* Unguentum enim illud significat orationis devotionem : et illud ex pretiosissimis odoribus virtutum componitur, et maxime de spica nardi quæ significat humilitatem. Cantic. IV, 13 et 14 : *Cypri cum nardo : nardus et crocus, cum universis lignis Libani,* hoc est, ex calore charitatis quæ significatur per cyprum : et ex humilitate nardi, et ex nardi iterata humilitate : quoniam nos humiliamur ex consideratione infirmitatis nostræ, et altitudinis Dei : crocus autem significat mortificationem carnis : ligna autem Libani diversarum virtutum significant odorem : ideo dicitur *unguentum pretiosum.*

« *Et fracto,* » ut totum effunderetur, et nihil de unguento remaneret quod non in Dei laudem expenderetur, « *alabastro,* » pixyde marmorea. Luc. VII, 37 : *Mulier attulit alabastrum unguenti.*

« *Effudit,* » ut totum manaret in obsequium Domini. Matth. XXVI, 7 : *Effudit super caput ipsius recumbentis :* caput autem Christi Deus est, sicut dicitur, I ad Corinth. XI, 3. Et effundere super caput est devotionem odoriferam expendere in excellentiam suæ deitatis. Psal. CXXXII, 2 : *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Abunde enim effudit ut in totum corpus distillaret, etc.

« Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, et dicentes : Ut quid perditio ista unguenti facta est ? 4

Poterat enim unguentum istud venumdari plus quam trecentis denariis, et dari pauperibus. Et fremebant in eam. » 5

Tangitur hic pro unguenti effusione murmuratio.

Tanguntur autem hic tria, quorum primum est discipulorum in mulierem exorta indignatio : secundum autem est ex indignatione causata murmuratio : tertium autem in mulierem ex murmuratione fremitus exacerbatio.

Dicit igitur : « *Erant autem quidam,* » discipulorum, « *indigne ferentes,* » quod tantum unguentum in corpus Domini esset expensum. Et quidem Judas primo movit istam indignationem, cui quidam (Judam ad hoc bonum opinantes) consenserunt Apostolorum vel discipulorum.

Et hoc est quod dicit : « *Quidam indigne ferentes.* » Fuit autem indignatio bonorum ex hoc quod tantum unguentum debuit expendi in mortale corpus. Sapient. IX, 15 : *Corpus quod corrum-*

pitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et ideo non putabant esse dignum ut tantum pretium expenderetur in dominico corpore.

« *Intra semetipsos,* » quia coram Domino sæpius in talibus deprehensi non audebant extra aperte de hoc facere mentionem. Dicitur enim, Joan. XII, 3, quod tantæ fuit efficaciæ, quod *domus impleta est ex odore unguenti.*

« Et dicentes, »

Murmurando : « *Ut quid perditio hæc,* » per effusionem tanti « *unguenti,* » tam pretiosi, « *facta est?* » Reputabant enim perditionem quod non erat compositum ad lucrum. Sapient. XV, 12 : *Existimaverunt conversationem vitæ compositam esse ad lucrum, et oportere undecumque etiam ex malo acquirere.* Et hoc totum Judas qui loculos portabat inter Apostolos procurabat, et semper allegabat perditum esse quod ad utilitatem loculorum non vendebatur.

« Poterat enim, etc. »

Causam murmurationis assignant, dicentes : « *Poterat enim,* » de suo valore, « *unguentum istud,* » tam pretiosum, « *venumdari,* » tanto pretio, « *plus quam trecentis denariis,* » quorum quilibet decem valuit usuales : et ideo *denarius* vocabatur.

Notandum autem quod triplex erat numisma Cæsaris : usuales enim nummi, qui in tres parvos commutari poterant et erant quasi in toto cuprei. Secundum autem numisma fuit denarius qui decem valuit usuales, et erant etiam mixti cum cupro. Tertium fuit numisma argenteum totum : et ideo *argentei* dicebantur. Et (sicut dicunt historiæ) unus argenteus decem valuit denarios et centum usuales. De medio ergo numismate loquens prætextu avaritiæ dicit Judas : « *Poterat enim unguentum istud venumdari plus quam trecentis denariis.* » Jam enim et cupiditate detentus erat animus ejus, qui hoc pretium furari desiderabat. Eccli. X, 9 et 10 : *Avaro nihil est scelestius... : hic enim et animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua.* I ad Timoth. VI, 10 : *Radix omnium malorum est cupiditas.* Unde ex ista cupiditate perditi sibi pretii, sanguinis Domini sui concepit venditionem : et ejus quod ex unguento habere non valuit quæsivit restaurationem. Tactus etiam fuit simonia : quia ea quæ ad usum Domini expendebantur, pretio suæ cupiditatis volebat commutare. Act. VIII, 20 : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri.* Et, parum infra, ℣. 23 : *In felle enim amaritudinis, et in obligatione iniquitatis video te esse :* quoniam jam Domini sanguinis concepisti traditionem.

« *Et dari pauperibus.* » Hic etiam notatur de hypocrisi : quia sub specie pietatis tegit avaritiam, et concipit proditionem. Non enim curavit de pauperibus ut pauperibus subveniretur, sed potius ut avaritia sua tegeretur, et indignatio discipulorum contra Christum et mulierem piam suscitaretur. Joan. XII, 6 : *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea quæ mittebantur portabat,* hoc est, asportabat et furabatur. Job, XXVII, 8 : *Quæ est enim spes hypocritæ si avare rapiat, et non liberet Deus animam ejus?*

Et sic discipuli simplices ab astutia proditoris concitati,

« Fremebant in eam, »

Verbis et dentibus eam subsannantes. Psal. II, 1 : *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?* Item, Psal. CXXXIX, 4 : *Acuerunt linguas suas sicut serpentes : venenum aspidum sub labiis eorum.* Hieronymus autem in Glossa, mystice hoc exponens dicit sic :

« Sub prætextu avaritiæ Judas proditor mysterium loquitur fidei. Etenim nostra fides trecentis emitur denariis, id est, decem sensibus per corpus et animam et spiritum triplicatis. Ut et nos sicut Gedeon trecentorum virorum numerum assumentes, Allophylorum castra, pauperes spiritu fractis lagunculis nostris, cum tubis et lucernis destruamus [1]. Et sicut Abraham, cum trecentis viris spolia dividamus ad vesperam [2]. » Corpus hic accipitur pro corporea parte animæ, quæ sensibus intendit : anima autem vocatur animæ pars inferior : et spiritus vocatur animæ pars superior, in qua est imago Dei. Sensus autem exteriores noti sunt, visus, auditus, odoratus, gustus, et tactus. Interiores autem sensus secundum Philosophos sunt interiores vires animæ sensibilis apprehensivæ, scilicet sensus communis, imaginatio, phantasia, æstimativa, et memorialis. Sed de his non loquitur Hieronymus, sed nominat sensus interiores : intellectum, rationem, liberum arbitrium, memoriam, et voluntatem : et intendit quod decem opera decalogi primo spiritualiter intentione ad Deum, secundo animaliter per comparationem ad seipsum, et tertio corporaliter in exterioribus per istos decem sensus impleantur : ut ex intellectu accipiant luminis veritatem, ex ratione discretionem, ex libero arbitrio libertatem sine coactione, ex memoria retentionem in mente sine oblivione, ex voluntate delectationem in corde : sicut dicit Psalmus xxxvi, 4 : *Delectare in Domino, et dabit tibi petitionem cordis tui.* Ex visu autem exteriori palpebræ præcedant gressus, ex auditu, verbo Dei consona faciamus, ex olfactu, bonum odorem spirantes famam custodiamus, ex gustu dulcedinem virtutis, et ex tactu certitudinem habeamus divinitatis per gratiam inhabitantem. Et hæc trecenta dicit alia allegoria significari in trecentis viris qui cum Gedeone castra subverterunt Allophylorum.

[1] Cf. Judicum, vii, 29 et seq.

« Jesus autem dixit : Sinite eam : quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me. 6

Semper enim pauperes habetis vobiscum, et cum volueritis potestis illis benefacere : me autem non semper habetis. 7

Quod habuit hæc, fecit : prævenit ungere corpus meum in sepulturam. » 8

« *Jesus autem dixit,* » benigne simplicitatem discipulorum erudiendo, et reprehendendo nequitiam proditoris.

Dicuntur autem hic quinque : in quorum primo præcipitur ut sinatur, et non prohibeatur pia devotio mulieris, dicens : « *Sinite eam,* » supple, facere quod facit. Proverb. iii, 27 : *Noli prohibere benefacere eum qui potest, si vales, et ipse benefac.* Sic dixit ad Joannem, Matth. iii, 15 : *Sine modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam.*

Secundo, ponit reprehendentium reprehensionem, dicens : « *Quid illi molesti estis?* » Matth. xxvi, 10 : *Quid molesti estis huic mulieri?* Maria enim semper voluit esse circa Dominum, nec multum curavit si de hoc aliquando querelas ab aliis sustineret. Luc. x, 40 et 42 : *Non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare?* Quam etiam Dominus ibi excusavit, dicens : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

Tertio, mulieris ponit in opere illo commendationem, cum dicit : « *Bonum opus operata est in me.* » Hoc enim opus bonum et optimum est quod in meipsum dirigitur, nec de exterioribus operibus aliquid bonum est nisi ad me dirigatur. I ad Timoth. iv, 8 : *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ.* Et præmisit, v. 7 et 8 : *Exerce teipsum ad pieta-*

[2] Cf. Genes. xiv, 14 et seq.

tem : nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est. « Pietas autem, ut dicit Au« gustinus, cultus est divinus Deo debitus, « et Deo impensus : quem cultum mu« lier hæc exhibuit, caput Domini ungen« do. » Quia sicut dicitur, I ad Corinth. XI, 4 : *Caput Christi Deus* est, cujus divinitas ungitur, ut dicit Beda quando deitas ejus pie a fidelibus veneratur. Unxit autem Maria Magdalena etiam pedes, quibus Dominus terram nostram tetigit, hoc est, humanitatem in qua terrenæ naturæ communicavit[1]. Psal. CXXXI, 7 : *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Quia etiam humanitati Domini pium obsequium exhibuit.

Quarto etiam, beneficium in pauperes exhibendum pro loco et tempore commemorando injungit, dicens :

« Semper enim pauperes habetis vobiscum. »

Deuter. XV, 11 : *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ.* Tob. IV, 7 : *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere.* Pauperes enim semper Dominus in omni terra divitibus immiscet, ut divites habeant in quibus per temporalia mereantur æterna. Luc. XVI, 9 : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.*

Unde subdit : « *Et cum volueritis,* » hoc est, quando promptum animum habueritis, qui pro facto computatur, « *potestis illis benefacere,* » vel de parvo vel de magno : vel si nihil habetis, de verbo et compassione cordis. Tob. IV, 9 : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* De voluntate autem dicitur, II ad Corinth. VIII, 12 : *Si voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet.*

« *Me autem,* » sive partem corporalem istius infirmæ carnis, qui beneficiis vestris indigeat, « *non semper habetis.* » Joan. XVI, 19 : *Modicum, et non videbitis me.* Cantic. V, 6 : *Ille declinaverat, atque transierat... : quæsivi, et non inveni illum : vocavi, et non respondit mihi.*

« Quod habuit hæc, etc. »

Quinto, dicit quod debitum fuit sibi hoc pietatis opus impendi. Et hoc dicit primo in communi, secundo in speciali, tertio præmium adjungit.

De communi dicit : « *Quod habuit* » facere ex officio pietatis, et debuit, « *hæc fecit* » in opere pietatis, et debuit mihi impenso. Hoc enim et plures observaverunt : unde, Genes. L, 2, Jacob mortuo, *præcepit Joseph servis suis medicis, ut aromatibus condirent patrem.* Eccli. VII, 38 : *Non desis plorantibus in consolationem, et cum lugentibus ambula.*

« *Prævenit,* etc. » In speciali tangit officium funeris dicens, quia tempore crucifixionis accedere ad me non audebit, et ideo modo « *prævenit,* » officio pietatis, « *ungere corpus meum,* » quod unctione deitatis est delibutum, et in proximo oleo plenæ gloriæ injunctum resurrecturum, « *in sepulturam,* » in qua corpora Sanctorum ungi consueverunt in testimonium et figuram, quia resurgent oleo exsultationis delibuta. Psal. XLIV, 8 : *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Cantic. I, 2 : *Fragrantia unguentis optimis.* Cantic. IV, 10 : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Genes. XXVII, 27 : *Statim ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens benedixit ei.* Vestimenta autem, corpora beatorum resurgentium significant : unde Glossa : « *Quod habuit hæc fecit,* » quod putatis perditionem esse unguenti, officium sepulturæ

[1] Cf. Luc. VII, 38.

est. Nec mirum si mihi dedit odorem fidei bonum, cum ego pro ea fusurus sim sanguinem meum. »

9 « Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, et quod fecit hæc narrabitur in memoriam ejus. »

Hic tertio adjungit præmium devotionis, dicens : « *Amen*, » hoc est, vere « *dico vobis.* » Apoc. III, 14 : *Hæc dicit Amen, testis fidelis*, etc.

« *Ubicumque*, » in toto mundo, « *prædicatum fuerit*, » ab Apostolis et sucessoribus, « *Evangelium istud*, » de pietatis unctione et mea passione, « *in universo mundo*, » quia in omnem terram exivit sonus Prædicatorum [1], etiam, « *et*, » hoc est, « *quod fecit hæc*, » in pietatis opere, « *narrabitur*, » evangelizando, « *in* » piam et dulcem « *memoriam ejus* » mulieris, vel facti quod fecit. Eccli. XLIX, 1 et 2 : *Memoria Josiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii. In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria.* Proverb. X, 7 : *Memoria justi cum laudibus.* Psal. CXI, 7 ; *In memoria æterna erit justus.* Unde, Joan. XII, 7 : *Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud.* Sic enim ad æternam facti memoriam servatum est et non perditum.

10 « Et Judas Iscariotes, unus de duodecim, abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis.

11 Qui audientes gavisi sunt, et promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quærebat quomodo illum opportune traderet. »

Hic ultimo tangitur proditoris ad prodendum obligatio.

Et dicuntur tria, scilicet, prodendi ex parte proditoris inquisitio, proditionis exhibitæ ex parte Pontificum turpis exsultatio, et ad complendam proditionem promissam pertinax observatio.

Dicit igitur : « *Et Judas.* » Pulchritudinem nominis tangit, ut sciatur quod nec ex significatione nominis sui a malitia retrahebatur. Judas enim *confitens* et *glorificans* interpretatur : sed significatio nominis sui cecidit ab effectu, quia et ignominiam opposuit glorificationi, et negationem confessioni. Et ideo sicut de Juda bono dicitur, Genes. XLIX, 8 : *Juda, te laudabunt fratres tui :* ita de malo Juda dici potest : Juda, te horrebunt fratres tui. Joan. XIII, 2 : *Cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ.* Joan. VI, 71 : *Ex vobis unus diabolus est.*

« *Iscariotes*, » memoria mortis : et sic vicus vocabatur Scarioth unde natus fuit, quia semper memoriter tenuit qualiter Christum interficeret. Isa. X, 7 : *Ad conterendum erit cor ejus, et ad internecionem gentium non paucarum.* Psal. XXXV, 5 : *Iniquitatem meditatus est in cubili suo : adstitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.*

« *Unus* » singularis malitiæ. Eccle. IV, 8 : *Unus est, et secundum non habet.*

« *De duodecim.* » Hoc dicit ut ostendat inconveniens : quia nec honor electionis ipsum revocavit a scelere, quia ipsum Christus ad tantum apostolatus apicem vocare dignatus fuit. Joan. VI, 71 : *Nonne ego vos duodecim elegi, et ex vobis unus diabolus est.*

« *Abiit.* » Bene abiit, quia viam deseruit veritatis. In epistola Judæ, ℣. 11 : *Væ illis, quia in viam Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt.*

« *Ad summos sacerdotes*, » apud quos summa rerum agebatur tunc temporis. I Esdræ, IX, 2 : *Manus Magistratuum fuit in transgressione hac prima.*

[1] Psal. XVIII, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum*, etc.

« *Ut proderet eum,* » hoc est, proditiose traderet eum « *illis.* » Psal. XL, 10 : *Homo pacis meæ, in quo speravi, magnificavit super me supplantationem.*

« Qui audientes, »

Sacerdotes, « *gavisi sunt.* » Psal. LI, 3 : *Quid gloriaris in malitia?* Proverb. II, 14 : *Lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis.* Sapient. XIV, 28 : *Dum lætantur, insaniunt.*

« *Et promiserunt pecuniam,* » pro venditione sanguinis innocentis. Zachar. XI, 13 : *Pretium quo appretiatus sum a filiis Israel.* Sic venditus est Joseph a fratribus suis [1].

Promiserunt autem pecuniam « *se daturos.* » Luc. XXII, 6 : *Et spopondit,* et ad tradendum se Christum Sacerdotibus obligavit, et sic principes socii furis traditoris sunt effecti. Psal. XLIX, 18 : *Si videbas furem currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas.* Isa. I, 23 : *Principes tui infideles, socii furum.* Judas enim fur erat, et habebat loculos, et pro furti recompensatione vendere qnærebat sanguinem Christi.

« Et quærebat »

Judas causam, « *quomodo* » caute « *illum,* » Christum, « *opportune,* » sine turbis, « *traderet.* » Luc. XXII, 6 : *Quærebat opportunitatem ut traderet illum sine turbis.*

12 « Et primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli : Quo vis eamus et paremus tibi ut manduces pascha? »

Hic incipit revocare a malitia proditorem.

Habet autem tres partes : in quarum prima continetur cœnæ præparatio, cujus communione proditor revocari debuerat : in secunda, revocat per admonitionis verbum, ibi, ℣. 17 : « *Vespere autem facto,* etc. » In tertia autem, revocat per communionem sacramenti, ibi, ℣. 22 : « *Et manducantibus illis,* etc. »

In prima harum adhuc tria dicuntur : in quorum primo, ubi cœna paranda sit discipulorum fit inquisitio : in secundo, de cœna paranda Christi ponitur instructio : in tertio, per obedientiam discipulorum cœnæ fit præparatio.

In prima harum tria dicit : temporis congruitatem, legis necessitatem, et de præparanda cœna discipulorum quæstionem.

Dicit igitur : « *Et primo die azymorum.* » Hoc dupliciter exponitur. Dicitur enim *prima dies azymorum* quando azyma parabantur, et sic quartadecima luna dicitur prima dies azymorum : quæ dies numerabatur a tertia decima die ad vesperam usque ad vesperam quartædecimæ diei. Et sic hic dicitur *prima dies azymorum* quando primum azyma offerebatur et comedebatur. Et hæc dies incepit a vespera quartædecimæ lunæ, et usque ad vesperam quintædecimæ lunæ protendebatur; et sic adhuc quartadecima luna in vespera facta est hæc quæstio. Exod. XII, passim, Quartadecima luna ad vesperam conspersa est farina in azymos, et tunc fermentum de domibus Judæorum ejiciebatur. Exod. XII, 34 : *Tulit igitur populus conspersam farinam antequam fermentaretur.* Levit. XXIII, 5 et 6 : *Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperum, Phase Domini est : et quintadecima die mensis hujus, solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis.*

« *Quando Pascha immolabant.* » Necessitas est ex legis præcepto. Lex enim, Exod. XII, passim, et Levit. XIII, 5 et seq., præcipit tunc cœnam agni paschalis im-

[1] Genes. XXXVII, 28.

molari, et quartadecima luna immolabatur. Luc. XXII, 7 : *Venit autem dies azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha.* Exod. XII, passim, universa multitudo filiorum Israel immolabit agnum quartadecima die mensis hujus ad vesperum.

« Dicunt ei discipuli, »

A tempore et lege sumentes quæstionis occasionem :

« *Quo vis eamus ?* » Non quærunt de civitate : quia sciverunt quod non nisi in Jerusalem Pascha erat celebrandum, sed quærunt de vico vel domo. Deuter. XVI, 5 et 6 : *Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum..., sed in loco quem elegerit Dominus.* Sicut etiam quærit spiritualiter sponsa in Canticis, I, 6 : *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Multi enim sunt alias cœnas parantes quæ non sunt cœnæ dominicæ. I ad Corinth. XI, 18 et seq. : *Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam,... jam non est dominicam cœnam manducare : unusquisque enim cœnam suam præsumit ad manducandum.*

« *Et paremus tibi,* » juxta legem, « *ut manduces,* » hoc est, ad manducandum, « *Pascha,* » hoc est, agnum paschalem. Glossa : « Hanc quæstionem faciunt discipuli, ut cum voluntate Dei gressus nostros dirigamus. »

13 « Et mittit duos ex discipulis suis, et dicit eis : Ite in civitatem, et occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans : sequimini eum,

14 Et quocumque introierit, dicite domino domus quia Magister dicit : Ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem ?

Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande, stratum : et illic parate nobis. » **15**

« *Et mittit duos ex discipulis suis.* » Aliis enim parare non licuit nisi discipulis, qui ex hoc specialiter erant instruendi. Duos autem mittit : quia charitatis sacramentum est, et inter pauciores quam inter duos charitas haberi non poterit. Eccle. IV, 11 : *Si duo fovebuntur mutuo, unus quomodo calefiet ?*

« *Et dicit eis.* » Quatuor autem dicit : legis præceptum, loci signum, injungit quid dicendum, et præcipit Pascha esse parandum.

Dicit igitur : « *Ite in civitatem,* » juxta legis præceptum[1]. Notatur autem quod in civitatem vitæ pergere debeat qui Pascha parat, hoc est, in civium cœlestium unitatem. Eccle. X, 15 : *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem,* hoc est, civitatem, *pergere.* Act. IX, 6 : *Ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* Psal. CXXI, 3 et 4 : *Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum. Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini.* Quia ad litteram omnes tribus ascenderunt in civitatem ad cœnam in idipsum, hoc est, in commune celebrandam.

« Et occurret vobis homo, etc. »

Signum est loci in quo Pascha est parandum. Dicit igitur : « *Occurret,* » in via, « *vobis homo,* » non nisi ratione utens, nihil brutale agens in seipso. Eccli. XVII, 1 et 2 : *Secundum imaginem suam fecit hominem... : secundum se vestivit illum virtute.* Et hoc est primo considerandum in eo in quo Dei cœna paratur, quod occurrat per devotionem, et sit homo per rationabilem vitam. Amos, IV,

[1] Deuter. XIV, 24 et seq., et XVI, 5 et 6.

12 : *Præparare in occursum Dei tui Israel.*

« *Lagenam aquæ bajulans :* » quam ad litteram tulit, ut in tanto festo haberet apud se aquam expiationis quæ se mundaret : et signat quod ubi Christus cœnaturus est, lagena aquæ lacrymarum in expiationem debet præcedere. Psal. L, 9 : *Lavabis me, et super nivem dealbabor.* Psal. VI, 7 : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Ezechiel. XXXVI, 25 : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

« Sequimini eum, »

Passibus pedum, et passibus devotionis : quia ipse non præcedet nisi ad locum mundum. Isa. LII, 11 : *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Glossa : « Sequimini eum qui ducit in altum ubi est refectio Christi. »

« Et quocumque introierit, »

In domum civitatis quæ unitatem Ecclesiæ et habitaculum conscientiæ significat. Genes. XXIV, 31 : *Ingredere, benedicte Domini : cur foris stas?*

« *Dicite,* » ex parte ministerii vestri, et ex parte mei imperii, « *domino domus,* » patrifamilias. Scivit enim illum esse dignum. Apocal. III, 20 : *Si quis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum.* Glossa : « Consulte et aquæ bajuli, et domini domus tacita sunt vocabula : ut omnibus verum Pascha celebrantibus vel celebrare volentibus, id est, sacramentis Christi imbui, eumque suæ mentis hospitio quærentibus facultas danda signetur. » Sapient. VI, 8 : *Non subtrahet personam cujusquam Deus..., quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter est illi cura de omnibus.*

« *Quia Magister dicit,* » cujus ad sacramentum celebrandum est dare illuminationes. Psal. CXVIII, 68 : *Bonus es tu, et in bonitate tua doce me justificationes tuas?*

« *Ubi est refectio mea?* » per metonymiam, contentum pro continente. Hoc est, ubi est refectorium meum ad usum meum deputatum, « *ubi,* » hoc est, in quo, « *Pascha,* » vetus et novum, « *cum discipulis meis,* » mihi communicantibus, quia aliis non sunt sacramenta danda, « *manducem.* » Matth. VII, 6 : *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Psal. C, 5 et 6 : *Superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum : ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.*

« Et ipse, »

Ferens lagenam aquæ, vel dominus domus, « *demonstrabit,* » indicio quo prædixi, « *vobis cœnaculum grande,* » quod pro me et familia discipulorum sufficiet, « *stratum,* » hoc est, lapide plano pavimentatum. Ezechiel. XL, 17 : *Ecce pavimentum stratum lapide.* Eratque ad litteram domus bicamerata, inferius habens ad dormiendum et coquinandum, in superioribus autem habens aulam ad cœnandum : hoc cœnaculum, Luc. XXII, 11, vocatur *diversorium.* Unde dicit : *Ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis manducem ?* Cœnaculum autem istud signat conscientiæ et cordis receptaculum, quod stratum est picto pavimento varietate virtutum : grande autem est, charitatis amplitudine : et cœnaculum est dulcedine virtutum refectione. De primo horum dicitur, Genes. XLIV, 16 : *Introduc viros domum, quoniam mecum sunt comesturi meridie.* Non enim comedebant nisi in cœnaculo. De secundo dicitur, Psal. XLIV, 15 : *Circumamicta varietatibus.* De tertio, Isa. IV, 1 : *Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur.* Luc. XIV, 16 : *Homo qui-*

dam fecit cœnam magnam, et vocavit multos. Apocal. XIX, 9 : *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.*

« Et illic parate nobis. »

Ecce præparationis imperium. Tob. V, 22, Annæ uxori suæ dixit ut instrueret convivium et præpararet omnia quæ in cibos iter agentibus sunt necessaria. Anna enim gratia, cui præcipitur ut hoc gratiæ instruat convivium, et præparet in gratiæ sacramento et cœna Eucharistiæ omnia (quia omnis gratiæ est contentivum) quæ in cibos spirituales sunt necessaria iter agentibus : propter quod etiam *viaticum* appellatur. Manibus discipulorum præparatur, quorum in loco successerunt sacerdotes, quorum officii et ordinis est dominicam cœnam præparare ; Deo tamen operante in ipsis, sicut in manibus sacerdotum operatur Deus in omnibus sacramentis. Psal. LXVII, 11 : *Parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.* Sapient. XVI, 20 : *Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.*

Dicit autem : « *Parate nobis,* » ex discipulis connumerans, quia hoc sacramentum paratur Christo ad exhibendum, et quo discipulis influat : et paratur discipulis ad communicandum, quo Christo incorporentur. Joan. VI, 57 : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.*

16 « Et abierunt discipuli ejus, et venerunt in civitatem : et invenerunt sicut dixerat illis, et paraverunt pascha. »

Hic ponitur obedientia discipulorum, et verificatio signorum a Domino prædictorum.

Et hoc est : « *Abierunt,* » a Domino secundum obedientiæ sanctæ mandata. Baruch, III, 33 : *Emittit lumen, et vadit : et vocavit illud, et obedit illi in tremore.*

« *Discipuli ejus,* » in vera obedientia discipulos se esse probantes. Ad Hebr. XIII, 17 : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis.*

« *Et venerunt in civitatem* » sanctam, quam ad sacramentorum institutionem Deus elegerat. Isa. LXVI, 13 et 14 : *In Jerusalem consolabimini : videbitis, et gaudebit cor vestrum.* Unde de monte in quo sita est civitas, dicit Isaias, XXV, 6 : *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.*

« *Et invenerunt* » signa, « *sicut dixerat illis* » Jesus. Proverb. VIII, 8 : *Justi sunt omnes sermones mei, et non est in eis pravum quid, neque perversum.* I Reg. X, 7 : *Quando evenerint omnia signa hæc tibi, fac quæcumque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est.*

« *Et paraverunt Pascha,* » hoc est, cœnam agni paschalis sicut præceperat Dominus. Luc. XIV, 17 : *Jam parata sunt omnia.* Proverb. IX, 2 : *Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam.*

« Vespere autem facto, venit cum **17** duodecim.

Et discumbentibus eis et manducantibus, ait Jesus : Amen dico vobis quia **18** unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.

At illi cœperunt contristari, et dicere ei singulatim : Numquid ego ? **19**

Qui ait illis : Unus ex duodecim, **20** qui intingit manum mecum in catino.

Et Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de eo : væ autem homini illi per quem Filius hominis tra-**21**

detur! Bonum erat ei si non esset natus homo ille. »

Hic incipit tangere revocationem proditoris factam per verbum, per hoc quod cœnam pro eo, et pro aliis fieri fecit : non excludens eum, satis revocavit eum, et admonuit de prophetia quæ dicit : *Homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem* [1]. Hic autem ut amplius erubescat revocat per verbum.

Dividitur autem hæc pars in tres partes secundum triplicem modum revocationis. Primo, enim revocat admonitione generali ; secundo, revocat admonitione speciali : tertio, revocat sub interminatione comminationis. Et hæc per ordinem patent in littera.

In prima harum partium dicit quatuor : temporis secretum, honoris exhibitionem, commodi præparationem, et verbi admonitionem.

Temporis secretum tangit per hoc quod dicit : « *Vespere autem facto,* » cum declinasset a turbis, et tempus esset ad immolandum agnum : ut Judas de admonitione coram turbis non verecundaretur, et hora religiosæ immolationis facinus faceret detestari. De primo, Matth. XVIII, 15 : *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum.* De secundo, Exod. XII, 6 : *Immolabit agnum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Illa enim vespera sua sanctitate Judam revocare debuerat.

« *Venit cum duodecim,* » aliis sequestratis in aliam mensam, et illum honorem ut secum in eadem mensa sederet, Christus Judæ exhibuit : qui honor dignitatis etiam debuit eum a concepto scelere revocare. Esther, IX, 9 : *Sic honorabitur quemcumque voluerit rex honorare.* Psal. XX, 6 : *Gloriam et magnum decorem impones super eum.*

« Et discumbentibus eis et manducantibus. »

Ecce, scilicet, commodi præparatio tam in discubitu quam in comedendo, quod etiam revocare debuerat. Sed dicitur, Jerem. XI, 19 : *Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius.* Joan. XIII, 18 : *Qui manducat meum panem, levabit contra me calcaneum suum.*

« Ait Jesus, »

Facto revocare intendens ; « *Amen dico vobis.* » Et per ipsum dictum quod scivit traditionem quam agebat, Deum se esse ostendens. Joan. XIV, 29 : *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.*

« *Quia unus ex vobis* » duodecim, « *me tradet.* » Joan. XIII, 11 : *Sciebat enim ab initio quisnam esset qui eum traderet.*

Et magis determinat traditorem, dicens ; « *Qui manducat mecum,* » nec tamen per hoc suam potest celare traditionem. Psal. LIV, 13 et seq.: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique : et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero, homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.* Eccli. XIII, 8 : *Confundet te in cibis suis, donec te exinaniat bis et ter, et in novissimo deridebit te : postea videns derelinquet te, et caput suum movebit ad te.*

« At illi, »

Scilicet Apostoli duodecim, « *cœperunt contristari,* » quia plus de se crediderunt Christo quam sibi ; et ideo quamvis essent innocentes, tamen tristaban-

[1] Psal. XL, 10.

tur ex verbo Christi de se dubitantes. Joan. II, 25 : *Opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine : ipse enim sciebat quid esset in homine.*

« *Et dicere singulatim,* » unusquisque pro se : « *Numquid ego,* » supple, sum qui te tradet? Matth. XXVI, 25 : *Numquid ego sum, Rabbi ?* Et sicut dicunt alii Evangelistæ, Matth. XXVI, 25, Luc. XXII, 21, Joan. XVIII, 26 et 27, cum Judas diceret ei : *Numquid ego sum, Rabbi ?* dixit ei Dominus : *Tu dixisti.* Et ibi in singulari nominavit, sed per nomen non expressit ut locum daret pœnitentiæ, qui forte per nomen nominatus confusus induratus fuisset.

« Qui ait illis, »

Secundam in speciali adhibens revocationis admonitionem : « *Unus ex duodecim,* » quem ego ad apostolatus apicem exaltavi, « *qui,* » sicut intimus, » *intingit mecum manum in catino.* » Catinus est magnum vas rotundum in quo cibaria simul pro multis reponi possunt : et est magna scutella rotunda, quia mensa ad quam Christus sedebat erat rotunda, et Apostoli cum Christo sedebant in circuitu : et omnes simul intingebant manus in hoc catino cum Christo in eodem vase cibum agni accipientes. Matth. XXVI, 23 : *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* Luc. XXII, 21 : *Ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.*

« Et Filius quidem hominis vadit, »

Ad passionem voluntarie, « *sicut scriptum est de eo.* » Isa. LIII, 7 : *Oblatus est quia ipse voluit.* Psal. XXXIX, 8 et 9 : *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus, volui,* etc.

« Væ autem homini illi. »

Revocatio est per comminationem æternæ damnationis, « *per quem Filius hominis tradetur,* » quia secundum naturam qua est Filius Dei, tradi non potuit. Psal. LIV, 16 : *Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes.* Unde, Psal. CVIII, 2 : *Deus, laudem meam ne tacueris :* secundum Apostoli Petri expositionem, Act. I, 16 et seq., est de Judæ maledictione et condemnatione. Et ibidem [1] dicitur : *Induit maledictionem sicut vestimentum, et intravit sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus ejus.*

« *Bonum erat ei.* » Matth. XXVI, 24 : *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Hieronymus : « Melius est non esse « quam ad tormenta esse. »

De hoc tamen disputat Augustinus in libro II de *Libero arbitrio :* « Quia non « esse nihil est, et in electione non cadit : « et ita non esse non est eligibile, vel « voluntabile : ergo impossibile est ali- « quem eligere, vel velle non esse. » Adhuc autem, « Esse est quod omnia « appetunt, et propter quod agunt quid- « quid agunt, et non esse fugiunt. Quod « autem omnia appetunt, et cujus oppo- « situm omnia fugiunt, non potest esse « ab aliquibus volitum, vel alicui esse « bonum. Quia si detur quod non esse « alicui sit bonum, et ab aliquo volitum : « tunc sequitur quod non omnia fugiunt « non esse, quod est contradictorium hy- « pothesis. Ergo non est melius non esse « quam esse, nec alicui est bonum non « esse. » Adhuc autem, « Non esse nihil « est, et esse est aliquid : quantum- « cumque ergo sit debile esse, præfe- « rendum est ei quod est simpliciter non « esse. » Tales et similes sunt rationes Augustini. Ad has autem et hujusmodi rationes concedit Augustinus, et dicit non eligi non esse, nisi a turbato animo qui non considerat rationes electionis in eligendo.

[1] Psal. CVIII, 18.

Sed, salva pace Augustini, etiam turbatus animus si eligat, non eliget nisi per considerationem vel boni simpliciter, vel sibi boni : vel apparentis boni simpliciter, vel apparentis sibi boni : et sic redeunt inconvenientia Augustini super eum. Et ideo sine præjudicio loquendo, videtur mihi sentiendum cum beato Hieronymo et beato Gregorio, quod melius eligendum esset damnato non esse, quam sic esse, sicut dicit sanctum Evangelium. Et ad id quod objicit Augustinus, Dicendum, quod non esse consideratur dupliciter, scilicet, simpliciter, et prout est terminus afflictionis ejus qui male est. Primo modo verum est quod non esse omnia fugiunt : secundo modo, nihil prohibet quod non esse desideretur ab aliquo. Apocal. IX, 6 : *Desiderabunt homines mori, et mors fugiet ab eis.* Ad aliud dicendum quod quamvis non esse nihil sit, tamen est oppositum ejus quod est esse : et sic multa accidunt ei. Et hoc modo prout terminat esse sub afflictione, potest cadere voluntas et electio super ipsum, etiam animi turbati, et sic loquitur hic Dominus. Augustinus tamen verum dicit prout non esse consideratur absolute. Hoc est quod dicit Job, III, 11 : *Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii?* Adhuc autem, Job, III, 3 : *Pereat dies in qua natus sum, et nox in qua dictum est : Conceptus est homo!*

Hoc Judæ peccatum etiam ad eos transit qui Dominicum corpus indigne sumunt. Unde Glossa : « In sempiternum væ homini illi qui ad mensam Domini indigne accedit. Ille enim indigne exemplo Judæ Filium hominis tradit, non Judæis peccatoribus, sed membris suis peccato subditis qui accipere Dominici corporis sacramentum temerarie præsumit. Ille Dominum vendit, qui ejus timore et amore neglecto, terrena pro eo et caduca imo et criminosa diligere et curare non metuit. » I ad Corinth. XI, 29 : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Et iterum, ℣. 27 : *Qui sumit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.*

« Et manducantibus illis, accepit Jesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis, et ait : Sumite, hoc est corpus meum. » 22

Tangit hic proditoris revocationem per hoc quod ei inter alios corpus et sanguinem suum porrexit : et tamen per hoc totum revocari non potuit, et ideo juste damnatus fuit.

Dividitur autem hæc pars in tres partes : in quarum prima tangit corporis communionem : in secunda autem, dicit de communione sanguinis : et in tertia, dicit veteris sacramenti cessationem, et novi institutionem et observationem.

In primo horum quinque dicit, scilicet, quando dedit, quam acceptum sibi sacramentum hoc fuit, quod benedicendo dedit, quod frangendo ad plures utilitates determinavit, quod observandum in Ecclesia dedit : et illis quinque post omnia formam sacramenti promulgavit.

Dicit igitur : « *Et manducantibus illis,* » hoc est, manducationem agni typici perficientibus et consummantibus, quia post cœnam agni typici, tunc primo dedit ultimo corpus suum, ut ultimo datum a memoria eorum numquam recederet. Luc. XXII, 19 : *Hoc facite in meam commemorationem.* I ad Corinth. XI, 26 : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Thren. III, 19 et 20 : *Recordare paupertatis, et transgressionis meæ, absinthii et fellis.* Et respondet Propheta : *Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea.* Dedit etiam post aliam cœnam corpus suum ut veritatem, ut figuram umbræ continuaret. Joan. I, 17 : *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.*

« Accepit panem. »

Non tam manibus accepit quam corde acceptavit, et acceptandum esse significavit. Et hoc secundum Matth. xv, 36 : *Accipiens Jesus septem panes,* Glossa, hoc est, dona Dei acceptavit. Psal. L, 21 : *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ.* Hoc enim maxime est in hoc sacramento. Panem autem accepit qui simpliciter et absolute est panis et cibus hominis : et hic est panis de frumento, quia hordeum est cibus jumentorum : siligo autem terrestris et inflativa ægritudinem et fæculentiam habet, quæ eam non permittit esse cibum. Joan. XII, 24 et 25 : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Psal. CXLVII, 14 : *Adipe frumenti satiat te.* Genes. XXVII, 37 : *Frumento et vino stabilivi eum.* Hoc enim perfectum significat cibum sacramenti : quia perfecte nutrit, et fortius adhæret membris, et dulcius est inter grana. Sapient. XVI, 21 : *Substantia tua dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebat, et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* Et hoc dicit de pane cœlesti quem suis præstitit Deus sine labore, habente in se omne delectamentum, et omnem saporis suavitatem. Deuter. XXXIII, 28 : *Oculus Jacob in terra frumenti et vini* [1]. Quia etiam manna saporem panis habuit oleati, quia in isto pane oleum deitatis et gratiæ est infusum. Psal. XLIV, 8 : *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ.*

Tertium est quod dicit :

« Et benedicens. »

Dicunt quidam quod quadam occultam benedictione panem in corpus suum transsubstantiavit : et illi dicunt quod benedicendo confecit : et postea dicendo, *Hoc est corpus meum,* usum sacramenti instituit. Et hoc non est probabile, quia sic aliter Ecclesia celebraret sacramentum quam Christus formam dederit. I ad Corinth. XI, 23 : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis.* Unde probabilius dicitur quod benedixit signo vel verbo non transsubstantiante, sicut et sacerdotes in Missis multas signo et verbo faciunt benedictiones. Matth. XXVI, 26 : *Accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit.* Eccli. XXXIX, 27 : *Benedictio ilius quasi fluvius inundavit.*

Quartum est quod dicit :

« Fregit. »

In quo diversis gratiis aptandum esse significavit. Sicut et nos frangendo in tria, significamus quod est in genere ad tria, scilicet, laudes pro triumphantibus, supplicatio pro laborantibus, et suffragium pro his qui purgantur in pœnis. Fractura tamen hæc non nisi in formis est panis, et non in corpore Christi : quia totus Christus indivisus sumitur sub qualibet parte : sicut in integro speculo tota et unica forma relucet in toto. Et fracto speculo reflexio fit unius et ejusdem numero et totius integræ formæ ad quamlibet speculi fracturam. Isa. LVIII, 7 : *Frange esurienti panem tuum.* Hæc fractura est in qua sine fallacia cognoscitur Deus. Luc. XXIV, 35 : *Cognoverunt Dominum in fractione panis.* Hæc est fractura in qua perseverat Ecclesia. Act. II, 42 : *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis, et orationibus.* Hæc sunt fragmenta quæ colligunt fideles in cœlo, et in mundo, et in Purgatorio. Joan. VI, 12 : *Colligite fragmenta ne pereant.*

Quintum est quod

« Dedit eis, »

Gratis, quia nec meritis nec pretio comparari debuit vel potuit. Matth. X, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.* Jacob. I, 5 :

[1] Exod. XVI, 14 et seq. Numer. XI, 7 et seq.

Dat omnibus affluenter, et non improperat.

Et ut formam et usum simul instituens : usum cum dicit :

« Sumite. »

Unde, Luc. XXII, 19, dicit : *Hoc facite*, hoc est, hoc faciendum in Ecclesia et observandum.

« *Sumite*, » hoc est, hoc observandum vobis assumite. Exod. XII, 24 : *Custodi verbum istud legitimum tibi et filiis tuis usque in æternum.*

« Hoc est corpus meum. »

Hæc est forma sacramenti, qua Christus corpus suum simul et confecit et exhibuit, sicut adhuc observat Ecclesia. Et hæc oratio, sicut alibi diximus [1], referenda est ad intellectum sub voce declaratum : et hoc modo indivisibili virtute ad effectum sacramenti refertur. Ideo nulla est quæstio, quid, vel quantum quælibet dictio sigillatim ad confectionem operetur. In hac oratione verbum increatum operatur in verbo creato. Et hoc, sicut dicit Ambrosius, mutat creaturas ea virtute qua condidit mundum. Psal. XXXII, 6 : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

23 « Et accepto calice, gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes.

24 Et ait illis : Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. »

Tangit hic confessionem sacramenti sanguinis.

Dicuntur autem sex : in quorum primo sacramenti significatur acceptatio, cum dicit : « *Et accepto.* » Hoc enim omnium sacramentorum acceptissimum est in quo offertur ipse Deus. Isa. LVI, 7 : *Holocausta eorum et victimæ eorum placebunt mihi super alteri meo.* Psal. LXVIII, 32 : *Placebit Deo super vitulum novellum*, hoc est, super omnia sacrificia antiquorum. Malach. III, 4 : *Placebit Domino sacrificium Juda et Jerusalem sicut dies sæculi, et sicut anni antiqui :* quia numquam finem habebit.

« Calice. »

Hic tangitur sacramenti materia, quia calix est calida potio per naturam : et hæc potio inter simplices potiones solum est vinum. Aqua enim non est calida potio, et merum, et claretum, et moretum, et cervisia, non sunt simplices per naturam potiones : et ideo de illis confici sacramentum non potest. I ad Corinth. X, 16 : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ?*

« Gratias agens, »

De redemptione fienda per sanguinem, et significata per calicem : et de dignitatem et effectu tanti sacramenti. II ad Corinth. IX, 15 : *Gratias Deo super inenarrabili dono ejus.* Merito enim gratias agit de hoc quod tantum est gratia et totum, et nihil in se habet quod non sit gratia. Unde et *Eucharistia*, hoc est, bona gratia vocatur. Joan. I, 16 : *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* In hoc enim sacramento vere gratia et veritas per Jesum Christum facta est : ut gratia contra vacuitatem, et veritas contra umbram antiquorum sacramentorum ordinetur.

« Dedit eis, »

Tamquam dignum communicationis sacramentum et redemptionis. Zachar.

[1] Cf. Commentarium in Matthæum, XXVI, 26.

IX, 11 : *Tu in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua.* Ad Hebr. IX, 22 : *Sine sanguinis effusione non fit remissio.*

« Et biberunt ex illo »

Sanguine, « *omnes,* » tam proditor quam alii : et nec tali beneficio potuit a proposito scelere revocari. Joan. VI, 56 : *Sanguis meus vere est potus.* Hic est calix inebrians per calorem charitatis, Psal. XXII, 5 : *Calix meus inebrians quam præclarus est !* Sitim concupiscentiæ refrigerans per humorem pietatis, Joan. IV, 13 : *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Hic est calix saliens in vitam, Joan. IV, 14 : *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Aqua autem vocatur materia sacramenti : non propter substantiam aquæ, quod sit materia, sed quia habet actum aquæ in restringendo sitim, et sordes expiando.

« Et ait illis, »

Formam sacramenti promulgans et instituens :

« Hic est sanguis meus. »

Hæc est forma sacramenti intelligenda sicut illa quæ de corpore Domini dicta est. Luc. XXII, 20 : *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo.* Genes. XLIX, 11 : *Lavait in sanguine uvæ pallium suum.*

« Novi testamenti, »

Quod gratiam in præsenti, et gloriam testatur in futuro. Ad Hebr. XII, 24 : *Accessistis ad sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.* Quia loquitur iste sanguis propitiationem et remissionem, sanguis autem Abel loquitur vindictam et accusationem. Ad Hebr. IX, 20 : *Hic sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus.*

« Qui pro multis effundetur, »

Pro omnibus quidem sufficienter, pro multis efficienter. Luc. XXII, 20 : *Qui pro vobis effundetur.* Matth. XXVI, 28 : *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

« Amen dico vobis quia jam non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum cum illud bibam novum in regno Dei. » 25

Tangit hic veteris testamenti cessationem, et novi institutionem.

Et hoc est quod dicit : *Amen dico vobis.* » Confirmatione utitur propter Judaizantes hæreticos quod scivit in Ecclesia futuros, sicut Hebion et Aquila.

« *Quod jam,* » hoc est, amodo, « *non bibam,* » ad mei incorporationem, « *de hoc genimine,* » quod in veteri sacramento bibebatur, « *vitis.* » Isa. V, 7 : *Vinea Domini exercituum germen Israel est : et vir Juda germen ejus delectabile.*

« *Usque.* » Exclusivum est, quia necesse est ut nec tunc de hoc genimine vitis bibat. « *In diem illum,* » novæ gratiæ claritatem, « *cum illud* » vinum sacramenti, « *bibam,* » mihi incorporando, « *novum,* » novo testamento et nova gratia institutum, « *in regno Dei* » quod est status ecclesiasticæ potestatis confirmatus. Proverb. IX, 5 : *Bibite vinum quod miscui vobis.* Hoc est vinum de quo dicit Psalmus CIII, 15, quod *lætificat cor hominis.* Judicum, IX, 13 : *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum et homines ?* De hoc vino sponsa gloriatur, Cantic. V, 1 : *Bibi vinum meum cum lacte meo :* quia gaudium deitatis, cum gratia dulcissimæ humanitatis ejus, nobis incorporamus. Hoc charissimis datur,

Cantic. v, 1 : *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi.*

26 « Et hymno dicto, exierunt in montem Olivarum.

27 Et ait eis Jesus : Omnes scandalizabimini in me in nocte ista, quia scriptum est : Percutiam pastorem, et dispergentur oves. »

Tangit hic discipulorum confortationem contra malum proditoris. Confortat autem eos dupliciter : scilicet, monendo, et orando.

Et secundum hoc in duas dividitur partes : in quarum prima suæ prædictionis ponit admonitionem : in secunda autem, triplicem ponit orationem, ibi, ℣. 32 : « *Et veniunt in prædium,* etc. »

Adhuc autem prior in duas dividitur partes : in quarum prima ponit cautelam suæ admonitionis : in secunda, ponit repressionem præsumptionis, ibi, ℣. 29 : « *Petrus autem ait illi,* etc. »

In prima duo dicit : admonitionem, et admonitionis per auctoritatem confirmationem.

Dicit igitur : « *Et hymno dicto,* » post cœnam : in qua gratias egit, et totum sermonem qui scribitur a decimosexto Joannis usque ad decimumoctavum cap. complevit. Psal. xxi, 27 : *Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum.* « Hymnus enim, ut dicit Cassiodorus, est laus Dei cum cantico. »

« *Exierunt,* » Jesus et discipuli ejus, « *in montem Olivarum,* » ut ex vertice misericordiæ funderet opus redemptionis. Cantic. i, 2 : *Oleum effusum nomen tuum.*

« Et ait eis Jesus, »

Generali admonitione omnes præmonens : « *Omnes vos,* » quia adhuc in fide pusilli estis, « *scandalizabimini in me,* » hoc est, occasionem offensionis patiemini in me : sed non a me, sed a mundo, « *in nocte ista* » meæ traditionis. Matth. xi, 6 : *Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.* » Et quamvis cadatis a me debilitate fidei, tamen resurgetis et convalescetis ad fidem. Glossa : « Numquid qui cadet non adjiciet ut resurgat? Carnale est cadere, sed diabolicum est numquam resurgere. » Matth. xviii, 7 : *Væ mundo a scandalis ! Necesse est enim ut veniant scandala. Verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit !*

« Scriptum est enim. »

Zachar. xiii, 7 : « *Percutiam pastorem,* » secundum litteram Septuaginta. Nostra habet : *Percute pastorem.*

Duo autem dicit : quod ad tristitiam pertinet, et quod ad gaudium.

Dicit igitur : « *Percutiam,* » hoc est, percuti permittam. Et hoc pertinet ad tristitiam. Hieronymus : « Per Prophetam postulat populus Passionem Domini quando dicit, *percute pastorem.* Et Dominus respondet : *Percutiam pastorem.* Et hoc hic ponitur. Septuaginta enim sic transtulerunt : « Percute pastorem, et eripe oves. »

Pastore autem percusso, « *dispergentur oves gregis,* » quia tunc unusquisque in viam suam declinavit, et unus cum alio non remansit. III Reg. xxii, 17 : *Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastorem.* I Petr. ii, 25 : *Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.* Isa liii, 6 : *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit.*

« Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. » 28

Hoc quod est gaudii tristibus intermiscet.

Dicit igitur : « *Postquam autem resurrexero,* » tertio die, « *præcedam vos,* » iterum sicut pastor, « *in Galilæam,* » et ibi vos iterum ad regnum meum congregabo. Psal. cv, 4 et 47 : *Visita nos, Domine, in salutari tuo... : et congrega nos de nationibus.* Isa. xl, 11 : *Sicut pastor gregem suum pascet : in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit.* In Galilæam autem præcedit lumine resurrectionis, quia ibi incepit lumen suæ prædicationis. Isa. ix, 1 et 2 : *Populus*, scilicet Gentium, *qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnan : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.* Hoc enim fuit in Galilæa ad litteram.

29 « Petrus autem ait illi : Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego. »

Tangit hic repressionem præsumptionis Petri et omnium aliorum Apostolorum et discipulorum.

Et dicuntur hic duo, quorum unum est præsumptio, et alterum repressio.

Dicit igitur : « *Petrus autem,* « vertex Apostolorum pro se et pro aliis, « *ait illi,* » præsumens de fervore charitatis, quem tunc habebat : ignarus propriæ infirmitatis. Eccli. xxxiv, 11 : *Qui tentatus non est, qualia scit ?*

« *Et si omnes,* » discipuli et Apostoli, « *scandalizati fuerint in te,* » hoc est, in te offendiculum acceperint, « *sed non ego* » scandalizabor. Matth. xxvi, 33 : *Ego numquam* in te *scandalizabor.* Et hoc dixit, quia probatus per angustias mortis non fuit. Eccli. xxvii, 6 : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis.*

30 « Et ait illi Jesus : Amen dico tibi quia tu hodie, in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.

At ille amplius loquebatur : Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem et omnes dicebant. » 31

« *Et ait illi Jesus,* » reprimens præsumptionem. Et dicuntur hic duo : in quorum primo Petri prædicitur scandalum : in secundo, propter inexperientiam confirmatur a Petro primo præsumptum.

Dicit igitur : « *Amen dico tibi.* » Confirmatione utitur, quia est de futuro et contingens, « *quia tu hodie,* » in hac die non artificiali, sed naturali, « *in nocte hac,* » quia pars est diei naturalis, « *priusquam gallus vocem bis dederit,* » hoc est, cantaverit, « *ter me es,* » ex infirmitate tua, « *negaturus.* » Omnes autem alii Evangelistæ dicunt, Matth. xxvi, 35, Luc. xxii, 34, et Joannis, xiii, 38 : *Priusquam gallus cantet, ter me negabis.* Intelligitur priusquam gallus gallicinium mediæ noctis compleverit, quod in pluribus galliciniis completur, et tunc concordat cum isto. Et in negatione hac Petrus ex infirmitate remansisset, si oratio Christi eum non reduxisset. Luc. xxii, 31 et 32 : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

« At ille amplius loquebatur, »

Confirmans præsumptionem, quia non expertus fuit se ipsum.

« *Et si oportuerit me simul commori tibi,* » hoc est, periculum mortis subire, « *non te negabo.* » Luc. xxii, 33 : *Domine, tecum paratus sum et in carcerem, et in mortem ire.*

« *Similiter autem et omnes* » discipuli cum Petro, simili præsumptione, « *dicebant.* » Matth. xxvi, 35 : *Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt.*

32 « Et veniunt in prædium, cui nomen Gethsemani. »

Hic tangitur de confortatione orationis.

Secundum autem triplicem orationem Christi, pars hæc dividitur in tres partes: in quarum prima septem continentur. In primo dicit ubi facta est hæc oratio : in secundo, a discipulis sequestratio : in tertio, secretissimorum assumptio : in quarto, orantis in oratione dispositio : in quinto, vigiliarum discipulis indictio : in sexto, orationis ad Patrem directio : in septimo, discipulorum dormitantium increpatio et instructio. Et hæc per ordinem in littera continentur.

Dicit igitur : « *Et veniunt,* » simul Jesus et discipuli, « *in prædium* » cujusdam, quod casale ibi fuit ad prædium cujusdam pertinens, « *cui nomen Gethsemani,* » quæ *vallis pinguium* (ut dicit Glossa) interpretatur : quia ibi tauri pingues obsederunt illum, et vituli multi circumdederunt eum. Psal. XXI, 13 : *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* Et hoc est primum ubi facta est oratio, quia ibi necessaria fuit, ubi circumdatus est ab inimicis. II Paralip. XX, 12 : *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.* Psal. XXXIV, 13 : *Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio : humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur.*

« Et ait discipulis suis : Sedete hic donec orem. »

Hic tangitur discipulorum a communitate segregatio.

« *Sedete,* » hoc est, quiescite, « *hic.* » Joan. XVI, 33 : *In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum.*

« *Donec orem.* » Genes. XXII, 5 : *Expectate hic cum asino : ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.*

« Et assumit Petrum, et Jacobum, et Joannem secum. » 33

Ecce intimorum et præ cæteris instruendorum assumptio.

« *Et assumit Petrum,* » verticem Apostolorum, qui propter apicem apostolatus instruendus erat in regimine, « *et Jacobum,* » qui primus inter Apostolos passionem sustinuit, ad virtutem passionis erat confortandus et instruendus, « *et Joannem,* » qui quia veritatem deitatis altius scripsit, ad familiaria orationis erat admittendus, « *secum.* » Psal. XLVI, 10 : *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.* Sic, Exod. XVII, 10, Moyses in montem accepit secum Aaron et Hur. Sed Christus uno plus, quia dignior Moyse fuit. Aaron enim montanus, significat corroborationem in virtute : Hur autem ignis, excelsum significat in charitate : quod Petrus et Jacobus designat. Quia autem non veritas, sed veritatis umbra fuit in Moyse, ideo nullum loco Joannis assumit. Michææ, VI, 4 : *Misi ante faciem tuam Moysen, et Aaron, et Mariam.* Moyses, Petrum propter apicem dignitatis : Aaron, Jacobum propter virtutis excellentiam : Maria autem, quæ interpretatur *illuminatrix*, Joannem significat propter veritatis contemplationem.

« Et cœpit pavere et tædere.

Et ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem. » 34

Ecce dispositio orantis. Pavor autem refertur ad cor, et tædium ad mortis expectationem : et in hoc humanitatis veritas designatur. Job, IV, 14 et 15 : *Pavor tenuit me, et tremor...: et cum spiritus me præsente transivet, inhorruerunt omnes pili carnis meæ.* Psal. LIV, 6 : *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ.*

« Et ait illis, »

Veritatem suæ humanitatis secundum sensualitatem designando : « *Tristis est anima mea,* » non tristitia passionis, sed propassionis, « *usque ad mortem,* » exclusive, quia post mortem nec de me nec de meis umquam tristabor. Apocal. XXI, 4 : *Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.*

« Sustinete hic et vigilate. »

Ecce indictio vigiliarum. Matth. XXIV, 42 : *Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* I Petr. V, 8 et 9 : *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide.*

35 « Et cum processisset paululum, procidit super terram. »

« *Et cum processisset paululum,* » a discipulis.

Tangit hic orationem, et præmittit reverentiam orantis.

De reverentia quidem dicit : « *Et cum processisset paululum,* » etiam a tribus intimis recedendo. Cantic. III, 4 : *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.*

« *Procidit super terram,* » quia tres viderunt discipuli. Matth. XXVI, 39 : *Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans et dicens,* etc.

« Et orabat ut si fieri posset, transiret ab eo hora. »

Ecce oratio : et duo dicit, sensum orationis, et formam.

Sensum dicit : « *Si fieri posset,* » salva congruentia redemptionis humanæ, « *transiret ab eo,* » et non fundaretur in ipso, « *hora,* » scilicet passionis, quia humanum erat mortem horrere. Et hanc quidem orationem fecit formando ratio : sed fecit eam pro naturali affectu sensualitatis, ut verus homo demonstraretur. I ad Corinth. XIV, 15 : *Orabo spiritu, orabo et mente : psallam spiritu, psallam et mente :* hoc est, sensualitate et ratione : quia *spiritus* ibi, ut dicit Augustinus, ponitur pro parte sensualitatis, in qua imagines rerum imprimuntur.

« Et dixit : Abba, Pater, omnia tibi 36
possibilia sunt, transfer calicem hunc a me : sed non quod ego volo, sed quod tu. »

« *Et dixit,* » formam orationis exprimendo : « *Abba, Pater.* » Forma autem istius orationis continet tria : pietatem, petitionem, et rationis discretionem.

Pietatem cum dicit : « *Abba, Pater.* » Abba in Hebræo, idem est quod pater : et ideo *pater* quod sequitur, dictum est Evangelistæ. Patrem autem nominat, quia pietatis nomen est : et in nomine patris et dulcescit oratio, et fiducia datur impetrandi. Joan. XI, 41 et 42 : *Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis.* Ad Galat. IV, 6 : *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater.*

« *Omnia tibi possibilia sunt,* » cum sis omnipotens. Luc. I, 37 : *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Genes. XVIII, 14 : *Numquid Deo quidquam est difficile ?*

Et quia omnia tibi sunt possibilia, et potes alium modum liberationis humanæ sicut scis et vis ordinare : « *Transfer calicem hunc a me.* » Et illud est quod petitur in hac oratione : non ut obtineatur, sed ut veritas humanæ infirmitatis demonstretur. Tamen quidam sic exponunt. « *Transfer,* » non ut non veniat, sed ut non fundetur in me, vel in meis permaneat. Sed hoc parum est, quoniam

bene scivit quod non fundaretur vel staret in se et suis passio. Vel, « *Transfer calicem hunc a me,* » hoc est, a meis a quibus descendi secundum carnem, hoc est, a Judæis quod eis non imputetur. Simile dicit Apostolus, ad Romanos, x, 1 et 2 : *Voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem. Testimonium enim perhibeo illis quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam.*

« *Sed non quod ego volo.* » Hoc est discretionis secundum rationem. Matth. xxvi, 39 : *Verumtamen non sicut ego volo.*

« *Sed quod tu,* supple, vis. » Esther, xiii, 9 : *In ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati.* II Reg. x, 12 : *Dominus faciet quod bonum est in conspectu suo.*

37 « Et venit, et invenit eos dormientes. Et ait Petro : Simon, dormis ? non potuisti una hora vigilare ?

38 Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma.

39 Et iterum abiens oravit, eumdem sermonem dicens.

40 Et reversus, denuo invenit eos dormientes : erant enim oculi eorum gravati, et ignorabant quid responderent ei.

41 Et venit tertio, et ait illis : Dormite jam, et requiescite. Sufficit : venit hora : ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum.

42 Surgite, eamus. Ecce qui me tradet prope est. »

« *Et venit* » ad discipulos, « *et invenit eos dormientes.* » Matth. xxvi, 43 : *Erant enim oculi eorum gravati.* Natura tristitiæ est quod inducit somnum per recursum caloris ad intra : statim enim retracto calore et spiritu ab exterioribus organis sensuum, obrepit eisdem organis sensuum frigiditas, inducens somnum per hoc quod ligat organa sensuum : quia somnus nihil aliud est quam sensuum ex frigiditate oborta ligamentum.

« *Et ait Petro,* » qui præ cæteris de se præsumpserat : « *Simon.* » Jam enim infirmitate depressus, non Petrus vel Cephas, sed antiquo nomine Simon vocaris.

« *Dormis ?* » id est, quid tu sopore deprimeris ? surge, invoca Deum tuum.

« *Non potuisti una hora vigilare,* » angustiæ et tædii in exspectatione passionis, « *mecum :* » quid ergo facturus es in ipsa passione ? Et admonet Petrum ad recognitionem suæ infirmitatis.

« Vigilate ergo. »

Vel adhuc, etsi non pro me vigilatis, « *vigilate* » pro vobis. I ad Corinth. xv, 34 : *Evigilate, justi, et nolite peccare : ignorantiam enim Dei quidam habent,* scilicet usque adhuc.

« *Et orate,* » Patrem cœlestem invocando, « *ut non intretis,* » per gradus peccati, « *in tentationem,* » quæ est impulsio ad illicitum : sed statim in proforio a peccati introitu vos subtrahatis. Sic enim conteritur caput serpentis[1]. Job, xli, 5 : *Per gyrum dentium ejus formido.* Dentes enim Diaboli sunt gradus tentationum. Primus motus cogitatio, delectatio, mora in corde, consensus, voluntas plena, impetus, operatio, iteratio, consuetudo, defensio peccati, gloriatio in peccato, inverecundia, impœnitentia, desperatio. Matth. vi, 13 : *Et ne nos inducas in tentationem.*

Et subjungit causam :

[1] Genes. iii, 15.

« Spiritus quidem, »

Qui est superior pars animæ, quæ contemplandis æternis inhærescit, « *promptus est* » de se, et natura sua. Ad Roman. VII, 22 : *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.* Isa. XXVI, 9 : *Spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.*

« Caro autem infirma. »

Quæ corrupta deprimit semper, et aliquando vincit spiritum. Ad Roman. VII, 23 : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Sapient. IX, 15 : *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*

Et ideo dicit : « *Caro autem infirma.* » Et ideo ex parte illa fit tentatio, in quam orandum est ut non intretur. Glossa : « Non ait ut non tentemini, sed ut non intretis in tentationem : id est, ut tentatio vos non superet, non teneat intra suos casses. »

« Et iterum abiens, »

A discipulis se sequestrans : et hæc est oratio secunda. Matth. VI, 6 : *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum.*

« *Eumdem sermonem* » orationis, ut scilicet transiret ab eo calix passionis, « *oravit, dicens* » in oratione quod prius dixerat : docens nos hoc quod dixit, Luc. XVIII, 1, quoniam oportet non semel tantum orare, sed instanter orare et non deficere [1]. Ad Coloss. IV, 2 : *Orationi instate, vigilantes in ea.* Act. I, 14 : *Omnes erant perseverantes in oratione.* Luc. XI, 8 : *Si perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios.*

« Et reversus denuo, »

Ab oratione ad discipulos, « *invenit eos dormientes,* » pondere tristitiæ depressos. Matth. XXV, 5 : *Dormitaverunt omnes et dormierunt.* Proverb. VI, 9 et seq. : *Usquequo, piger, dormis ? Paululum dormies, paululum dormitabis... : et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus.*

« *Erant enim oculi eorum gravati.* » Glossa : « Languescunt oculi Apostolorum negatione vicina. »

« *Et ignorabant,* » jam suam sentientes infirmitatem, « *quid responderent ei,* » convenienter. Job, IX, 3 : *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.* Ad Roman. IX, 20 : *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo ?*

Iterum : « *Et reversus denuo,* » ab oratione ad discipulos : quia etiam, Daniel. VI, 10, ter oravit Daniel contra templum. II ad Corinth. XII, 8 : *Propter quod ter Dominum rogavi.* Et ideo in antiquis legibus præceptum fuit ter orare.

« *Invenit eos,* » discipulos, tertio « *dormientes.* » Matth. XXVI, 44 : *Et relictis illis, iterum abiit, et oravit tertio, eumdem sermonem dicens.*

« Et venit tertio, et ait illis : Dormite jam, et requiescite. »

Glossa : « Nota quod hoc dicto aliquantulum siluit, et omnes dormierunt et requieverunt. » Hoc autem ideo fecit, ut somno recreati fugere possent de manibus eorum, qui statim Christum erant capturi. Job, III, 17 : *Requieve-*

[1] Luc. XVIII, 1 : *Dicebat autem et parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare et non deficere, dicens,* etc.

runt fessi robore. Eccle. v, 11 : *Dulcis est somnus laboranti, sive parum sive multum comedat.*

Et postquam quieverant, tunc dixit eis : « *Sufficit* » tantum quievisse, « *venit hora* » meæ traditionis et vestræ dispersionis.

Et hoc est quod sequitur : « *Ecce Filius hominis,* » in natura quam communem habet cum homine, « *tradetur,* » per Judam non dormientem, sed scelus traditionis instanter agentem, « *in manus,* » hoc est, in potestatem « *peccatorum,* » qui prævalebunt in ipsum. Habacuc, I, 4 : *Quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.* Job, IX, 24 : *Terra data est in manus impii, vultum judicum ejus operit.*

« Surgite »

A somno : « *eamus* » obviam proditori, ut omnes sciant quod voluntarie me offero passioni. Joan. XIV, 31 : *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.*

« *Ecce qui me tradet* » in manus Judæorum, « *prope est,* » quem nolo declinare quamvis possem. Matth. XXVI, 46 : *Surgite, eamus : ecce appropinquavit qui me tradet.*

43 « Et adhuc eo loquente, venit Judas Iscariotes, unus de duodecim. »

Hic incipit pars quæ est de traditionis perfectione ex parte traditoris.

Dicuntur autem hic duo : scilicet, qualiter ad tradendum fuit armatus, et quo signo ab ipso Christus est proditus.

In primo dicuntur tria : scilicet, quod ad prodendum fuit avidus et festinus, quod ad prodendum fuit Christo valde ingratus, et quod in proditione adjutoribus iniquis fuit armatus.

Dicit igitur : « *Et adhuc eo loquente.* Ac si dicat quod etiam sermonem perficere me non permittit. Isa. v, 26 : *Ecce festinus velociter veniet.* Proverb. I, 16 : *Pedes illorum ad malum currunt, et festinant ut effundant sanguinem.*

« *Venit Judas,* » nomini suo et beneficiis sibi exhibitis ingratus. Judas enim *confitens* et *glorificans* interpretatur : hic autem abnegavit Deum, et ignominiam fecit Creatori. Apocal. II, 9 : *Se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt sgnagoga Satanæ.*

« *Iscariotes.* » Detegit vitium in corde latens, quia semper memoria mortis Domini remansit in corde suo. Psal. XXXV, 5 : *Iniquitatem meditatus est in cubili suo, adstitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.*

« *Unus ex duodecim,* » tanto honore apostolatus dignificatus a Christo. I Reg. XV, 17 : *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.*

« Et cum eo turba multa cum gladiis et lignis, a summis sacerdotibus, et Scribis, et senioribus. »

Ecce quibus armis fuit ad proditionem armatus. Quatuor autem inducit : multitudinem, arma impugnationis, auctoritatem, et consilium sapientiæ mundanæ.

« *Et cum eo turba multa.* » Armatus fuit multitudine. Psal. III, 2 : *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me ? multi insurgunt adversum me.*

« *Cum gladiis,* » qui incutiunt vulnera, « *et lignis,* » quæ incutiunt livores. Matth. XXVI, 55 : *Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me.*

« *A summis sacerdotibus,* » scilicet missi, a quibus habebatur auctoritas. Joan. XVIII, 3 : *Judas ergo cum accepisset cohortem, et a Pontificibus et Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, et facibus, et armis.* Armis autem defensionis non indiguit, sicut lorica et clypeo, quia nemo reluctabatur.

« *Et Scribis,* » qui consilium dabant ex scientia litteraturæ, « *et senioribus,* » qui loco senatorum consilium dabant de Domino interficiendo. Daniel. XIII, 5 : *Egressa est iniquitas a senioribus judicibus qui videbantur regere populum.* I Esdræ, IX, 2 : *Manus principum et magistratuum fuit in transgressione hac prima.*

44 « Dederat autem traditor ejus signum eis, dicens : Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum et ducite caute.

45 Et cum venisset, statim accedens ad eum, ait : Ave, Rabbi : et osculatus est eum. »

Secundum est in quo tangitur traditionis signum. Causa autem quare signum dedit hæc fuit, quia timuit quod vel percuteret eos acrisia, et sic exiret de manibus eorum, sicut fecit, Luc. IV, 30 : *Jesus autem transiens per medium illorum, ibat.* Vel, quod vultum transfiguraret, ut non nosceretur, et sic iterum elaberetur de manibus eorum.

« Quemcumque osculatus fuero ipse est. »

Quia scivit quod osculum pacis ille qui venerat pacem facere, nulli negaret.

« *Tenete eum,* » sub signo pacis proditionem perficiens. Matth. VII, 15 : *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

« *Et ducite caute,* » ne de manibus vestris arte necromantica elabatur. Putabat eum missum quod in principe dæmonum arte necromantica signa faceret, et sic aliquando hominibus illuderet : et hic miser cautela calliditatis adversum simplicem abutebatur veritatem. Luc. XI, 15 : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.*

« Et cum venisset, »

Scilicet ad eum prope, « *statim,* » impetu furoris exagitatus, « *accedens ad eum,* » sicut lupus ad agnum, « *ait,* » signum inconveniens hostibus demonstrans : « *Ave, Rabbi.* » Irridendo vocat eum magistrum, cujus abnegaverat disciplinam. Matth. XXVI, 49 : *Ave, Rabbi.* Luc. XXII, 47 : *Appropinquavit Jesu ut oscularetur eum.* Chrysostomus. « Pa« pæ ! quantam malitiam deliberat anima « proditoris ? Qualis est ista salutatio ini« qua, dolosa ? » II Reg. XX, 9 et 10, dixit Joab ad Amasam : *Salve, mi frater. Et tenuit manu dextera mentum ejus, quasi osculans eum,* et sinistra apprehendens pugionem, transfixit eum in latere, *et mortuus est.* Proverb. XXVII, 6 : *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.*

Et hoc est : « *Osculatus est eum.* » Per pacis verbum faciens bellum, et per signum amicitiæ proditionem perficiens. Et ideo Dominus dixit ei, Luc. XXII, 48 : *Juda, osculo Filium hominis tradis.* Ac si dicat : Inconveniens signum proditionis est osculum.

« At illi manus injecerunt in eum **46** et tenuerunt eum. »

Hic incipit pars illa quæ est de captivitate Domini.

Hic autem duo dicuntur ; scilicet, violentia captivantium, et destitutio adjuvantium.

Dicit igitur : « *At illi,* » ministri sacerdotum missi cum Juda, « *injecerunt manus* » sacrilegas, « *in eum,* » omnium salvatorem et liberatorem. Isa. I, 15 : *Manus vestræ sanguine plenæ sunt.*

« *Ac tenuerunt eum* » captivum. Hie-

ronymus : « Ecce Joseph tentus et vin-
« ctus venditur a fratribus suis [1]. »

47 « Unus autem quidam de circumstantibus educens gladium, percussit servum summi sacerdotis, et amputavit illi auriculam. »

Tangitur hic destitutio auxilii, quæ tangitur in tribus : in repulsa descensionis, in concordia Propheticæ enuntiationis, in fuga amici recedentis.

Dicit igitur : « *Videns autem quidam*, » scilicet Petrus, qui semper voluit pugnare et ulcisci pro Domino, « *de circumstantibus*, » ad defensionem, « *educens gladium* » materialem : quia duo gladii ibi fuerunt. Luc. XXII, 38 : *Ecce duo gladii hic.*

« *Percussit servum summi sacerdotis*, » qui forte aliis ministris captivitatis Domini præerat : et vocabatur Malchus, hoc est, rex eorum.

« *Et amputavit illi auriculam.* » Quod dispensative factum est, ut dicit Hieronymus, quia prædicatio Petri auditum regni Dei abscidit a Judæis : qui auditus per auriculam designatur. Isa. VI, 10 : *Aures ejus aggrava, et oculos ejus claude : ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat. Auricula* autem dicebatur, quæ non nisi carnalia in lege audiebat. Psal. LVII, 5 : *Sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas.*

48 « Et respondens Jesus, ait illis : Tamquam ad latronem existis cum gladiis et lignis comprehendere me.

49 Quotidie eram apud vos in templo docens, et non me tenuistis. Sed ut impleantur Scripturæ.

50 Tunc discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt.

51 Adolescens autem quidam sequebatur eum, amictus sindone super nudo : et tenuerunt eum.

52 At ille, rejecta sindone, nudus profugit ab eis. »

Tangit hic consonantiam Prophetiæ ad auxilii destitutionem.

Et dicit duo : insultationem captivantium, et prophetiæ consonantiam, ut sciatur quod non ex impotentia, sed ex dispensatione Dei fuit quod non se defendit.

Dicit igitur insultans eis : « *Tamquam ad latronem*, » armatum ad contrapugnandum, « *existis*, » missi a Pontificibus, « *cum gladiis et lignis*, » quæ sunt arma impugnationis, « *comprehendere me*, » qui me non defendi. I Petr. II, 23 : *Cum malediceretur, non maledicebat : cum pateretur, non comminabatur : tradebat autem judicanti se injuste.* Isa. LIV, 7 : *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet.*

« Quotidie eram apud vos, »

Scilicet in exterioribus actibus, « *In templo docens.* » Joan. XVIII, 20 : *Ego semper docui in synogoga, et in templo quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil.*

« *Et non me tenuistis*, » quia non venerat hora passionis : et in hoc videre potestis, quia nec nunc facere potestis nisi quod Deus decrevit fieri. Act. IV, 27 et 28 : *Convenerunt vere in civitate ista, adversus sanctum puerum tuum Jesum,... facere quæ manus sua et consilium suum decreverunt fieri.*

Sed, supple, istud fit « *ut impleantur Scripturæ.* » Et quod dicitur, « *ut*, » quod videtur esse causale : quia cum causa

[1] Cf. Genes. XXXVIII, 28-29.

sit quam de necessitate sequitur aliud, conjunctio hic retinet consecutionem, et amittit causalitatem. Hoc enim prædictum est in Scripturis, et sic impletio consecuta. Luc. XXIV, 44 : *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me.* Unde, Joan. XVIII, 11, dicit contrapugnanti Petro : *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum ?* Matth. XXVI, 54 : *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri ?*

« Tunc discipuli ejus, »

Qui defensionis auxilium ferre debuerant, « *relicto eo,* » ex timore, « *fugerunt :* » et sic auxiliantibus est destitutus. Job, XIX, 13 et 14 : *Dereliquerunt me propinqui mei, et qui me noverant, quasi alieni recesserunt a me.* Hoc enim et ipse voluit ut infirmi salvarentur : quia dixit, Joan. XVIII, 9 ; *Si me quæritis, sinite hos abire. Ut impleretur sermo quem dixit Jesus : Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

« Adolescens autem quidam, »

Quia ferventius, « *sequebatur eum.* » Et hic fuit, ut quidam dicunt, Jacobus : quidam autem dicunt quod fuit Joannes.

« *Amictus sindone,* » linea veste, quæ innocentiam significat. I Reg. II, 18, Samuel ministrabat in templo Domini amictus ephod lineo.

« *Super nudo,* » ita quod nihil super corpus sub sindone habuit, quia forte in horto ubi captus fuit Dominus, tunica spoliatus fuit.

« *Et illum,* » qui etiam Dominum sequebatur, « *tenuerunt,* » captivum, hoc est, tenere cœperunt. Sed hoc videtur esse contrarium ei quod statim dictum fuit, quod *discipuli omnes, relicto eo, fugerunt* [1]. Et ad hoc dicendum est quod omnes quidem se retrorsum a Domino retraxerunt, sed tamen Petrus, et Joannes, et Jacobus, qui præ cæteris erant familiariores, de longe sequebantur : et sic a posterius iste tentus fuit.

« At ille, »

« Ut infirmus, « *relicta sindone* » in manibus tenentis se, « *nudus profugit* » ab hostibus. Et hoc significatum est, Genes. XXXIX, 12, ubi Joseph relicta lacinia in manu tenentis eum fœminæ, fugit ut salvaretur. Cantic. V, 7 : *Percusserunt me et vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.*

« Et adduxerunt Jesum ad summum sacerdotem : et convenerunt omnes sacerdotes, et scribæ, et seniores. **53**

Hic incipit pars illa quæ est de examinatione captivi Domini.

Habet autem quatuor particulas : in quarum prima continetur coram quibus, et a quibus examinatio facta est : in secunda, dicitur qualiter Petrus a longe ex dilectione tepida Dominum est consecutus, ibi, ℣. 54 : « *Petrus autem a longe secutus est eum,* etc. » In tertia autem, qualiter Dominus per inquisitionem Pontificum est examinatus, ibi, ℣. 55 : « *Summi vero sacerdotes,* etc. » In quarta vero, describitur qualiter Dominus a Petro est negatus, ibi, ℣. 66 : « *Et cum esset Petrus in atrio,* etc. »

In prima duo dicuntur : scilicet, coram quo, et quibus testibus audientibus examinatus est Dominus.

Dicit igitur : « *Et,* » ministri sacerdotum capientes Jesum, « *adduxerunt Jesum* » captivum, « *ad summum sacerdotem,* » scilicet Annam, qui fuit so-

[1] Matth. XXVI, 56.

cet Caiphæ (qui duo a Romanis emerant summum sacerdotium) quia domus Annæ primo occurrit in via eis qui duxerunt eum ad Annam primum.

« Et convenerunt, »

Mala conventione in consensu malitiæ, Psal. LXVII, 31 : *Congregatio taurorum in vaccis populorum.* Psal. II, 2 : *Convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus.*

« *Omnes sacerdotes,* » qui principes aliorum esse videbantur, « *et Scribæ,* » in quibus erat scientia litteraturæ, « *et seniores,* » habentes astutiam longæ experientiæ, ut nullus deesset qui in Dominum non proferret malitiam. Isa. III, 8 : *Lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.*

54 « Petrus autem a longe secutus est eum usque intro in atrium summi sacerdotis : et sedebat cum ministris ad ignem, et calefaciebat se. »

Secundum est, in quo qualiter aliis diutius secutus est Petrus determinatur.

Tanguntur autem tria : scilicet Petri insecutio, terminus insecutionis, et Petri figuralis et significativa dispositio.

Dicit igitur : « *Petrus autem,* » præ cæteris præsumens : nunc « *a longe* » quia cordis timore jam incepit alienari, « *secutus est eum.* » Psal. XXXVII, 12 et 13 : *Qui juxta me erant, de longe steterunt : et vim faciebant qui quærebant animam meam.*

« *Secutus* tamen *est,* » et hoc fuit amoris : quia quem dilexerat liberum, etiam captivum relinquere nolebat. Ad Philip. III, 12 : *Sequor si quomodo comprehendam, in quo et comprehensus sum.* In aliquo vel in modico voluit verificare quod dixerat : *Tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire* [1].

« Usque in atrium summi sacerdotis. »

Terminus est insecutionis, quia ibi negavit Christum ; et sic Christus auxilio ipsius est destitutus. Atrium autem hoc per modum curiæ dispositum fuit, et domum summi sacerdotis circumcinxit : in quo Petrus cum ministris remansit, qui Dominum captivum adduxerant. Sed ipse Dominus Jesus a ministris traditus manibus sacerdotum, ductus est in domum in superius cœnaculum, in quo clausus examinatus fuit ; et ideo dicit quod a longe Petrus secutus fuit. Psal. XXXVII, 12 et 13 : *Qui juxta me erant, de longe steterunt : et vim faciebant qui quærebant animam meam.* Job, XXXVI, 25 : *Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul.*

« Et sedebat, »

Lassus labore et vigiliis noctis, et ex tristitia cordis, « *cum ministris* » qui captivum adduxerant Dominum : ut societate illorum dissimularet quod discipulus Christi non putaretur. Jam enim de discipulatu Christi cœpit verecundari et timere ; non attendens ad hoc quod Christus dixerat, Matth. X, 32 : *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est* [2]. Luc. XII, 4 : *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus et post hæc non habent amplius quid faciant.*

« *Et calefaciebat se,* » destitutus fervore pristinæ devotionis. Matth. XXIV,

[1] Luc. XXII, 33.

[2] Cf, Marc. VIII, 38 ; Luc. IX, 26 et XII, 8 ; II ad Timoth. II, 12.

12 : *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.*

« *Ad ignem,* » in atrio, juxta quem ministri propter frigus noctis se calefaciebant : et sicut dicitur in aliis Evangelistis, Joan. XVIII, 18 : *Stabant servi et ministri ad prunas,* etc. : prunæ erant effusæ et accensæ in atrio. Quæ dispositio Petri figuralis fuit, quia jam refriguit a devotionis et charitatis fervore, ut dicit beatus Bernardus, « magis algens mente quam corpore. » « Ignis au- « tem qui in domibus et atriis summorum « Pontificum numquam exstinguitur (ut « dicit Hieronymus) est ignis iræ in « Christum et discipulos ejus, et ignis « cupiditatis in acceptione munerum ad « justitiæ subversionem, et ignis carna- « lis concupiscentiæ in consumptionem « castitatis. » De primo dicitur in Psalmo LVII, 9 : *Supercecidit ignis, et non viderunt solem,* hoc est, lucem rationis ad recta judicia. De secundo dicitur, Job, XV, 34 : *Ignis devorabit tabernaculum eorum qui munera libenter accipiunt.* Michææ, VI, 10 : *Adhuc ignis in domo impii thesauri impietatis.* Quia cum etiam a Domino nihil aliud accipere possent, ne omnino vacuis manibus Dominum condemnarent, vestimenta sua sibi diviserunt. De tertio dicitur, Job, XXXI, 12 : *Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.* Hæc est olla succensa a facie et a facie Aquilonis, qui malo igne numquam destituitur [1]. Iste est ignis alienus, quem pessimi sacerdotes offerunt in conspectu Domini [2].

55 « Summi vero sacerdotes et omne concilium quærebant adversus Jesum testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant. »

Secunda pars hic incipit de examinatione Domini.

Habet autem tres paragraphos : in quorum primo studium et diligentia malignitatis describitur accusatorum : in secundo, ostenditur inconvenientia testimoniorum : in tertio, instantia Pontificis ad confessionem Christi, in qua si præjudicaret condemnaretur.

In primo importatur accusantium auctoritas, generalitas, studium, malignitas, et super omnia vincens veritas.

Dicit igitur : « *Summi vero sacerdotes,* » in quibus erat potestatis publicæ auctoritas : hi sunt sacerdotes de quibus dicitur, II Machab. IV, 14, quod sacerdotes non erant occupati circa templum et altare, sed festinabant participes fieri palestræ et præbitionis ejus injustæ.

« *Et omne concilium,* » in quo notatur generalitas. Joan. XI, 47 : *Collegerunt Pontifices et Pharisæi concilium.* Genes. XLIX, 6 : *In consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu illorum non sit gloria mea.* Eccli. XXI, 10 : *Stuppa collecta synagoga peccantium.*

« *Quærebant.* » Ecce studium. Jerem. IX, 5 : *Ut inique agerent, laboraverunt.*

« *Adversus Jesum.* » Ecce malignitas. Psal. II, 2 : *Adversus Dominum, et adversus Christum ejus.*

« *Testimonium,* » quo convincerent ad mortis condemnationem coram prætorio Pilati. Exod. XX, 16 : *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

« *Ut eum morti traderent,* » qui nec verbera promeruit. Sicut Jezabel contra Naboth innocentem quæsivit falsum testimonium [3]. Sicut iniqui senes contra Susannam tulerunt falsum testimonium [4]. Sicut iniqua et lasciva mulier contra Joseph falsum dixit testimonium [5] Matth.

[1] Cf. Jerem. I, 13.
[2] Cf. Levit. X, 1.
[3] Cf. III Reg. XXI, 10 et seq.
[4] Cf. Daniel. XIII, 36-41.
[5] Cf. Genes. XXXIII, 4 et seq.

xxvi, 59 : *Principes sacerdotum et omne concilium quærebant falsum testimonium contra Jesum.*

« *Nec inveniebant.* » Ecce super omnia vincens veritas : tam claræ enim erat doctrinæ et vitæ, quod etiam a fingentibus nihil poterat contra eum inveniri. Job. vi, 30 : *Non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.* In apocrypho, scilicet in III Esdræ iv, 38 : Veritas *manet et invalescit in æternum et vivit et obtinet in sæcula sæculorum.*

56 « Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum, et convenientia testimonia non erant. »

Ostendit inconvenientiam testimoniorum.

Dicit autem duo : scilicet, generaliter inconvenientia, et specialiter ea quæ a quibusdam erant conficta.

Generaliter loquens dicit : « *Multi enim.* » Eccle. i, 15 : *Perversi difficile corriguntur, et stultorum infinitus est numerus.*

« *Testimonium falsum dicebant,* » quod testificari non poterat nisi per falsos testes. Proverb. xix, 9 : *Falsus testis non erit impunitus, et qui loquitur mendacia peribit.*

« *Adversus eum,* » scilicet Christum veritatem. Joan. xiv, 6 : *Ego sum via, et veritas, et vita.*

« *Et convenientia testimonia,* » contra ipsam veritatem dicta, « *non erant.* » Testes enim rogati, jurati, volentes, et scientes, deponere debent. Isti autem ingesserunt se nullo rogante, nec jurati fuerunt, nec volentes, sed coacti et inducti, nec sciverunt quod dixerunt, quia falsum nescitur. Isa. lvii, 4 : *Super quem dilatastis os, et ejecistis linguam ? numquid non vos, filii scelesti, semen mendax.*

« *Et convenientia testimonia non erant.* » Hieronymus in glossa : « Quia « quod variatur, incertum est : et quod va- « rium est, verum esse non potest. » Psal. xi, 3 : *In corde et corde locuti sunt.*

« Et quidam surgentes, falsum testi- 57
monium ferebant adversus eum, dicentes :

Quoniam nos audivimus eum di- 58
centem : Ego dissolvam templum hoc manu factum, et per triduum aliud non manu factum ædificabo.

Et non erat conveniens testimonium 59
illorum. »

« *Et quidam surgentes.* » Hi specialiter præ aliis fingere et mentiri consueverunt.

Dicuntur autem hic quatuor : excipiuntur enim isti in malitia, et de falsitate et mendacio commendantur inter suos, et modus asertionis eorum inducitur, et testimonium quod dixerunt inconveniens in medium producitur.

Dicit ergo : « *Et quidam,* » specialis malitiæ, « *surgentes,* » quos furor ad surgendum incitavit, ita quod sedendo dicere non poterant, « *falsum testimonium ferebant,* » quod judicio etiam inimicorum falsum fuit. Isa. xxviii, 15 : *Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus.*

« *Adversus eum,* » qui simplex veritas fuit. Ad Roman. iii, 4 : *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.*

Dicentes :

« Quoniam nos audivimus, etc. »

Ecce modus assertionis.

« *Quoniam nos audivimus eum dicentem.* » In contrarium dicunt Samaritani, Joan. iv, 42 : *Ipsi enim audivimus, et scimus quia hic est vere Salvator mundi.*

« *Ego dissolvam,* » Joan. II, 19 [1], « *templum hoc manu factum.* »

Hoc addiderunt, et alia mutaverunt. Dixit enim Dominus : *Solvite templum hoc*, etc.

« *Et per triduum ædificabo aliud,* » licet mentiti sint, quia non dixit de alio, sed de eodem, « *non manu factum.* » Hoc addiderunt : « *Ædificabo :* » ad idem etiam intellectum non retulerunt, quia dicitur, Joan. II, 21, quod *dicebat de templo corporis sui :* et ipsi intellexerunt quod de templo materiali loqueretur, de quo dixit, Matth. XXIV, 2 : *Non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur.*

Et ideo sequitur :

« Et non erat conveniens testimonium eorum. »

Jerem. V, 31 : *Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia.* Sapient. X, 14 : *Mendaces ostendit qui maculaverunt illum.*

60 « Et exsurgens summus sacerdos in medium, interrogavit Jesum, dicens : Non respondes quidquam ad ea quæ tibi objiciuntur ab his ?

61 Ille autem tacebat, et nihil respondit. »

Tangit hic qualiter summus sacerdos videns quod per testimonia coram judicio gentilium convinci non posset, institit ut eliceret ex propria confessione unde Dominus condemnaretur.

Tanguntur autem tria : scilicet, ad aliquid contra se dicendum provocatio, veritatis confessio, et indignationis contra veritatem concitatio.

In primo duo sunt provocantia, scilicet, multitudo objectorum, et interrogatio summi pontificis.

Dicit igitur :

« *Et exsurgens,* » impatientia exagitatus, « *summus sacerdos,* » cui præ cæteris cura erat ne amitteret locum et gentem, « *in medium,* » hoc est, in commune, ut omnibus manifestum fieret, « *interrogavit Jesum, dicens,* » ut ad aliquid dicendum quod capi posset provocaret. Isa. III, 8 : *Lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.*

« *Non,* » hoc est, nonne « *respondes quidquam ?* » Videbatur enim illi, quod nihil responderet nisi contra se aliquid diceret.

« *Nonne respondes quidquam ad ea quæ tibi objiciuntur ab his ?* » Dedit enim nobis formam : ut coram judice, coram quo prævalet iniquitas, nihil respondeamus. Psal. XXXVII, 15 : *Factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.*

Et hoc est, quod sequitur : « *Ille autem,* » Dominus Jesus, « *tacebat.* » Ezechiel. III, 26 : *Eris mutus, nec quasi vir objurgans : quia domus exasperans est.*

« *Et nihil respondit.* »

« Rursum summus sacerdos interrogabat eum, et dixit ei : Tu es Christus, Filius Dei benedicti ? »

Secunda provocatio est quæ, sicut dicitur, Matth. XXVI, 63, cum adjuratione fuit.

« *Summus sacerdos interrogabat eum.* » Eccli. XIII, 14 : *Ex multa loquela tentabit te, et subridens interrogabit te de absconditis tuis.* Taciturnitas autem Christi non fuit ex hoc quod veritatem confiteri non auderet, sed ut ex humilitate locum iniquitatis iræ daret. Ad Roman. XII, 19 : *Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ.*

[1] Joan. II, 19 : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*

Tacuit etiam ne ad deteriora provocaret : quia sicut canis provocatur verbo, ita illi faciebant, Isai LVI, 11 : *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem.* Tacuit quia tales indignos sua responsione judicabat, Proverb. XXVI, 4 : *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.*

« *Et dixit ei,* » Domino summus sacerdos : « *Tu es,* » hoc est, Tu ne es « *Christus* » Messias, « *Filius,* » naturalis et non adoptionis, « *Dei benedicti ?* » a quo descendit omnis benedictio spiritualis et temporalis. Matth. XXVI, 63 : *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei.* Luc. XXII, 66 : *Si tu es Christus, dic nobis.* Joan. X, 24 : *Si tu es Christus, dic nobis palam.* Et præmiserunt : *Quousque animam nostram tollis ?*

62 « Jesus autem dixit illi : Ego sum : et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus cœli. »

Hic ponitur confessio veritatis.

Et tanguntur duo : scilicet, veritatis confessio, et majestatis professio et comminatio.

Dicit igitur : « *Ego sum.* » Matth. XXVI, 64 : *Tu dixisti.* Quod, sicut dicit Hieronymus idem est : et est sensus, Ego sum Filius Dei benedicti, sicut tu dixisti. Joan. XVIII, 37 : *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.*

« *Et videbitis.* » Professio est majestatis. « *Videbitis,* » oculis corporeis, « *Filium hominis,* » in forma humanitatis in judicio, « *a dextris,* » hoc est, in æqualitate Patris sedentem ut judicem, « *virtutis,* » hoc est, majestatis « *Dei* » Patris. Joan. V, 22 et 23 : *Omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Apocal. I, 7 : *Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Joan. XIX, 37 : *Videbunt in quem transfixerunt.*

« *Et venientem,* » ad judicium, « *cum nubibus cœli.* » Nubes autem illa densatum et conculcatum lumen est, resplendens a corpore Christi et corporibus Sanctorum. Daniel. VII, 13 et 14 : *Cum nubibus cœli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit : et in conspectu ejus obtulerunt eum : et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum.* Apocal. I, 7 : *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* Act. I, 11 : *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.*

« Summus autem sacerdos scindens **63**
vestimenta sua, ait : Quid adhuc desideramus testes ?

Audistis blasphemiam : quid vobis **64**
videtur ? Qui omnes condemnarunt eum esse reum mortis. »

Hic tangitur indignatio contra veritatis confessionem. Amos, V, 10 : *Odio habuerunt corripientem in porta, et loquentem perfecte abominati sunt.*

Dicuntur autem hic duo : scilicet, condemnatio ad mortem, et illusio propter hoc quod dixit veritatem.

In priori horum quatuor dicuntur : signum indignationis, conclamatio convictionis, inquisitio consensus, et condemnatio communis ad mortis reatum.

Dicit igitur : « *Summus autem sacerdos,* » qui præ cæteris instabat ad Christi mortem, « *scindens vestimenta,* » quasi ex indignatione auditus blasphemiæ. Act. VII, 57 : *Exclamantes voce magna, continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum.* Mos enim fuit antiquorum scindere vestem, quando aliquid molestum, maxime

contra Deum audiebatur. Unde Paulus et Barnabas cum Lycaoniæ pro diis venerarentur, sciderunt vestimenta sua[1]. Hæc autem vestis scissura, divisionem potestatis sacerdotii Judaici significabat : sicut, I Reg. xv, 28, cum scinderetur vestis Samuelis, dixit Samuel : *Scidit Dominus regnum Israel a te.* Milites autem gentiles non sciderunt tunicam Domini[2], quia potestas ecclesiastica in æternum integra remanebit.

« *Ait : Quid,* » hoc est, ad quid, « *adhuc desideramus testes,* » qui deponant contra Christum ?

« Audistis blasphemiam, »

Quam ipse contra se sibi præjudicans in judicio protulit. Matth. xxvi, 65 : *Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus ? ecce nunc audistis blasphemiam.*

« *Quid vobis* » nunc secundum legem de hoc « *videtur ?* » Quærit sententiam ab his qui se ultro obtulerunt ad falsum testimonium dicendo contra veritatis confessorem.

« *Qui omnes,* » sitientes sanguinem ipsius, « *condemnaverunt eum,* » per legem male intellectam, « *esse reum mortis.* » Levit. xxiv, 16 : *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Sed hæc sententia contra eos est, quoniam ipsi blasphemantes hoc quod erat virtutis Dei, Beelzebub attribuerunt : et ideo in Spiritum sanctum blasphemaverunt : et ideo irremissibile est peccatum eorum. Matth. xii, 31 : *Spiritus blasphemia non remittetur.* Ibidem, ℣. 32 : *Qui dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*[3].

65 « Et cœperunt quidam conspuere eum, et velare faciem ejus, et colaphis eum cædere, et dicere ei : Prophetiza : et ministri alapis eum cædebant. »

Secundum est de illusione Christi quam sibi intulerunt propter auditam blasphemiam.

Dicuntur autem hic quinque quæ patent in littera.

« *Et cœperunt quidam,* » exceptæ malitiæ, « *conspuere eum,* » tamquam immundum. Isa. l, 6 : *Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.* Job, xxx, 10 : *Faciem meam conspuere non verentur.* Hieronymus : « Conspui voluit Dominus ut nos « lavaret. »

« *Et velare faciem ejus.* » Hieronymus : « Velari voluit ut nos ab operi- « mento culpæ revelaret. » Non autem erat velanda facies speciosi præ filiis hominum, in quem desiderant Angeli prospicere : quia adspectu erat desiderabilis. Significaverunt autem in hoc quod velamen erat positum super cor eorum : per quod in faciem Christi nudam videre non potuerunt. II ad Corinth. iii, 15 : *Usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Et hoc est secundum.

« *Et colaphis eum cædere.* » Et hoc est tertium. Isa. l, 6 : *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus.* Hieronymus : « Colaphis cæ- « ditur, ut caput nostrum, hoc est, Adam « sanaret. »

« *Et dicere ei : Prophetiza.* » Hoc est quartum, improperium verborum. Matth. xxvi, 68 : *Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit ?* Et hoc irridendo fecerunt. Hieronymus : « Quia « a populis ut Propheta venerabatur. »

« *Et ministri.* » Quintum est, ministri autem famuli fuerunt Pontificum : et illi alapis eum cædebant. Job, xvi, 11 : *Exprobrantes percusserunt maxillam meam.* Isa. l, 6, secundum. Septuagin-

[1] Cf. Act. xiv, 13.
[2] Cf. Joan. xix, 24.
[3] Cf. Luc. xii, 10.

ta : « Dorsum meum dedi ad verbera, et maxillas meas ad alapas[1]. Mich. v, 1 : *Percutient maxillam judicis Israel.* Thren. III, 30 : *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.*

66 « Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis :

67 Et cum vidisset Petrum calefacientem se, adspiciens illum, ait : Et tu cum Jesu Nazareno eras.

68 At ille negavit, dicens : Neque scio neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit.

69 Rursus autem cum vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus : Quia hic ex illis est.

70 At ille iterum negavit. Et post pusillum rursus qui adstabant dicebant Petro : Vere ex illis es, nam et Galilæus es.

71 Ille autem cœpit anathematizare et jurare : Quia nescio hominem istum quem dicitis.

72 Et statim iterum gallus cantavit. Et recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Jesus : Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere. »

Hic tanguntur tria : Petri negatio, per quam Christus omnium amicorum auxilio destituitur. Eccli. LI, 10 : *Respiciens eram ad adjutorium hominum, et non erat.*

Tangitur autem hic trina Petri negatio : et ideo habet prima pars partes tres, post quas sequitur reversio Petri ad cor ex misericordia Domini.

Attendendum autem hic videtur quod tres negationes factæ sint in atrio Annæ, et nulla in atrio Caiphæ. Et hoc dicunt omnes Sancti præter Augustinum, qui dicit unam factam in domo Annæ, et duas in domo Caiphæ.

Dicit igitur : « *Et cum esset Petrus in atrio deorsum,* » quia (sicut ante diximus) Christus erat in domo superius, ubi examinabatur : ad quem locum Petrus non intrabat.

« *Venit una,* » exceptæ industriæ, « *ex ancillis summi sacerdotis,* » quæ vilia officia habebat in curia, et fuit ostiaria.

« Et cum vidisset Petrum, »

Diligenter intuita, « *calefacientem se,* » cum ministris, « *adspiciens illum,* » discrete, et considerans, « *ait,* » dignoscens eum : « *Et tu cum Jesu Nazareno eras.* » Proverb. XXX, 23 : *Per odiosam mulierem movetur terra.* Proverb. VII, 10 et 11 : *Mulier... vaga et garrula,* quietis impatiens. Tamen Chrysostomus videtur velle, quod compatiens dixit.

« At ille, »

Petrus territus ad vocem mulieris, « *negavit* » Christum, dicens : « *Neque scio,* » scilicet hominem quem dicis, « *neque novi quid dicas,* » hoc est, neque conversationem ejus scio, neque personam novi. Matth. XXVI, 70 : *Negavit coram omnibus, dicens : Nescio quid dicis.*

« *Et exivit foras,* » timore perterritus, « *ante atrium.* » Isa. VII, 2 : *Commotum est cor ejus, et cor populi ejus, sicut moventur ligna silvarum a facie venti.*

« *Et* » statim « *gallus cantavit,* » hoc est, primam vocem gallicinio dedit : et hoc solus dicit Marcus. Job, XXXVIII,

[1] Vulgata habet, Isa. L, 6 : *Corpus meum dedi percutientibns, et genas meas vellentibus : faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.*

36 : *Quis dedit gallo intelligentiam?* qui sic monuit Petrum.

« Rursus autem. »

Secunda negatio est. « *Cum vidisset eum,* » diligenti intuitu, alia « *ancilla,* » quia plures erant in atrio et in obsequio sacerdotis, « *cœpit dicere circumstantibus* » ministris : « *Quia hic ex illis est,* » qui cum Jesu Nazareno fuerunt. Luc. XXII, 56 : *Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, et eum fuisset intuita dixit : Et hic cum illo erat.*

« At ille, »

Petrus, « *iterum negavit.* » Luc. XXII, 57 : *At ille negavit eum, dicens : Mulier, non novi illum.*

« Et post pusillum, »

Scilicet post spatium unius horæ, « *rursus,* » in tertia negatione, « *qui adstabant,* » concitati ab ancillis, « *dicebant Petro.* » Luc. XXII, 59 : *Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens : Vere et hic cum illo erat, nam et Galilæus est.*

Et hoc est : « *Vere ex illis es, nam et Galilæus es :* » quia multi Galilæorum tunc credebant in Christum.

« Ille autem, »

Petrus tunc tertio « *cœpit anathematizare,* » per juramenta execrationis, « *et jurare,* » per Deum : « *Quia nescio hominem* » istum. Non nominat eum, ut magis sibi videatur ignotus.

« *Quem dicitis.* » Sic in malum paulatim profecit. Primo enim dixit se Christum non noscere, secundo, negavit eum, et tertio, abjurat. II ad Timoth. III, 13 : *Mali homines proficient in pejus.* Gregorius : « Quod per pœnitentiam citius « non deletur, suo pondere ad aliud tra« hit. »

« Et statim iterum, »

Post tertiam negationem, « *gallus cantavit,* » ad verificationem verborum Christi. Duplex autem galli cantus ab aliis Evangelistis non scribitur : et ideo Marcus in hoc loco perfecte scribit rei gestæ veritatem.

Hæc autem Petri negatio docet nos quod dicit Apostolus, II ad Corinth. I, 9 : *Ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos.* Ad Roman. XI, 20 : *Noli altum sapere, sed time.* Si enim ipse quem Deus principem constituit et Ecclesiæ fundamentum, sic ad vocem ancillæ negavit, quid tu facturus eris si te similis inveniat tentatio? Luc. XXIII, 31 : *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

Negatio autem trina Petri est quod negat notitiam, abnegat Christum et discipulatum, et æternam per juramentum abnegat veritatem. Minus enim nosse est, quam discipulum esse : et minus est esse discipulum, quam æternæ veritati immobiliter esse conjunctum : et ideo privatio notitiæ facit ignorantiam. I ad Corinth. XV, 34 : *Evigilate, justi, ignorantiam enim quidam Dei habent,* scilicet usque adhuc.

Abnegatio autem Christi est abnegatio discipulatus, et hoc facit erroneum. Joan. IX, 28 et 29 : *Tu discipulus illius sis : nos autem Moysi discipuli sumus. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus unde sit.*

Abnegatio autem æternæ veritatis facit esse filium diaboli. Joan. VIII, 44 : *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non est veritas in eo : ... mendax est, et pater ejus.* Et sic Petrus paulatim proficit ad impietatem. II ad Timoth. II, 16 et 17 : *Multum proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit.*

« Et recordatus est Petrus. »

Quia tunc tempus fuit de misericordia Petrum respicere, et ideo, Luc. XXII, 61, dicitur quod *conversus Dominus respexit Petrum* respectu suæ misericordiæ. Eccli. XXXVI, 1 : *Miserere nostri, Deus omnium, et respice nos, et ostende nobis lucem miserationum tuarum.* Et ad respectum divinæ misericordiæ, « *recordatus est Petrus.* » Hæc enim recordatio veritatis significatur, Job, I, 15, 16 et 17 : *Evasi ego solus ut nuntiarem tibi.*

« *Verbi quod dixerat ei Jesus,* » futurorum præscius. Deus qui in malis sic præscit et prædicit, ut non causet malum quod scit, sed admonitio est ad cavendum. Sapient. XII, 2 : *Admones, ut relicta malitia, credant in te, Domine.*

« *Prius quam gallus cantet bis,* » hoc enim verbum fuit ad refrænandam præsumptionem Petri, « *ter me negabis.* » Daniel. IX, 29 : *Et non erit ejus populus qui eum negaturus est.*

« Et cœpit flere, »

Ut flendo dilueret maculas quas negando contraxit. Psal. VI, 7 : *Lacrymis meis stratum meum rigabo.* Luc. XXII, 62 : *Egressus foras flevit amare.* Ut amaritudo referatur ad cordis compunctionem : fletus autem ad commissi delicti verecundam recognitionem, et egressus ad operis mali et pravæ societatis derelictionem. Jerem. VI, 26, 2 : *Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* Hæc autem omnia moraliter exponi possunt : sed mihi videtur quod animum a pietate fidei abstrahere non sit utile : et ideo tales præterimus expositiones.

CAPUT XV.

Jesus coram Pilato accusatus, nihil respondet : præeligitur Barabbas, et Jesus traditur crucifigendus : qui multis modis illusus a militibus, ducitur ad crucifigendum : et divisis ipsius vestimentis, inter latrones crucifixus, audit variorum jactatas in se blasphemias : suboriuntur tenebræ : et clamans Jesus Eli, acetoque potatus, cum clamore valido exspirat : cujus corpus a Joseph sepelitur.

1. Et confestim mane consilium facientes summi sacerdotes, cum senioribus et scribis, et universo concilio, vincientes Jesum, duxerunt, et tradiderunt Pilato [1].
2. Et interrogavit eum Pilatus : Tu es rex Judæorum? At ille respondens, ait illi : Tu dicis.
3. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis [2].
4. Pilatus autem rursum interrogavit eum [3], dicens : Non respondes quidquam? vide in quantis te accusant.
5. Jesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus.
6. Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petissent.
7. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat

[1] Matth. XXVII, 1 ; Luc. XXII, 66 ; Joan. XVIII, 28.

[2] Matth. XXVII, 12 ; Luc. XXIII, 2.

[3] Joan. XVIII, 33.

vinctus, qui in seditione fecerat homicidium.

8. Et cum ascendisset turba, cœpit rogare sicut semper faciebat illis.

9. Pilatus autem respondit eis, et dixit : Vultis dimittam vobis regem Judæorum ?

10. Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes.

11. Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis.

12. Pilatus autem iterum respondens , ait illis : Quid ergo vultis faciam regi Judæorum ?

13. At illi iterum clamaverunt : Crucifige eum [2].

14. Pilatus vero dicebat illis : Quid enim mali fecit ? At illi magis clamabant : Crucifige eum.

15. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, et tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur.

16. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii [3], et convocant totam cohortem.

17. Et induunt eum purpura, et imponunt ei plectentes spineam coronam.

18. Et cœperunt salutare eum : Ave, rex Judæorum.

19. Et percutiebant caput ejus arundine, et conspuebant eum, et ponentes genua adorabant eum.

20. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, et induerunt illum vestimentis suis : et educunt illum ut crucifigerent eum.

21. Et angariaverunt prætereuntem quempiam [4], Simonem Cyrenæum, venientem de villa, patrem Alexandri et Rufi, ut tolleret crucem ejus.

22. Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est interpretatum Calvariæ locus.

23. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum : et non accepit.

24. Et crucifigentes eum [5], diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.

25. Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum.

26. Et erat titulus causæ ejus inscriptus : Rex Judæorum.

27. Et cum eo crucifigunt duos latrones, unum a dextris et alium a sinistris ejus.

28. Et impleta est scriptura quæ dicit : Et cum iniquis reputatus est [6].

29. Et prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua et dicentes : Vah, qui destruis templum Dei, et in tribus diebus reædificas [7],

30. Salvum fac temetipsum, descendens de cruce.

31. Similiter et summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum scribis dicebant : Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.

32. Christus rex Israel, descendat nunc de cruce, ut videamus et credamus. Et qui cum eo crucifixi erant convitiabantur ei.

33. Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram usque in horam nonam.

34. Et hora nona exclamavit Jesus voce magna, dicens : Eloi, Eloi, lamma subacthani ? quod

[1] Matth. XXVII, 22 ; Luc. XXIII, 14.
[2] Joan. XVIII, 40.
[3] Matth. XXVII, 27 ; Joan. XIX, 2.
[4] Matth. XXVII, 32 ; Luc. XXIII, 26.
[5] Matth. XXVII, 35 ; Luc. XXIII, 34 ; Joan. XIX, 23.
[6] Isa. LIII, 12.
[7] Joan. II, 19.

est interpretatum : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me[1] ?

35. Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant : Ecce Eliam vocat.

36. Currens autem unus, et implens spongiam aceto circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens : Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum.

37. Jesus autem, emissa voce magna, exspiravit.

38. Et velum templi scissum est in duo, a summo usque deorsum.

39. Videns autem centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans exspirasset, ait : Vere hic homo Filius Dei erat.

40. Erant autem et mulieres de longe adspicientes[2], inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi minoris, et Joseph mater, et Salome :

41. Et cum esset in Galilæa, sequebantur eum et ministrabant ei[3] : et aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Jerosolymam.

42. Et cum jam sero esset factum[4], quia erat parasceve, quod est ante sabbatum,

43. Venit Joseph ab Arimathæa, nobilis decurio, qui et ipse erat exspectans regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu.

44. Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. Et accersito centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset.

45. Et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Joseph.

46. Joseph autem mercatus sindonem, et deponens eum, involvit sindone, et posuit eum in monumento quod erat excisum de petra, et advolvit lapidem ad ostium monumenti.

47. Maria autem Magdalene et Maria Joseph adspiciebant ubi poneretur.

IN CAPUT XV MARCI

ENARRATIO.

« Et confestim mane consilium facientes summi sacerdotes, cum senioribus et scribis, et universo concilio, vincientes Jesum, duxerunt et tradiderunt Pilato. »

Hic incipit agere Marcus de passione Domini quæ vere *passio* vocatur, quæ consistit in vulneribus et doloribus mortis.

Dividitur autem in tres partes : in quarum prima ponuntur ea quæ faciunt ad condemnationem ipsius : in secunda, describuntur ea quæ circumstant crucifixionem, ibi, ℣. 20 : « *Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum purpura*, etc. » In tertia autem, ponuntur ea quæ circumstant officium sepulturæ, ibi, ℣. 40 : « *Erant autem mulieres de longe adspicientes*, etc. »

In prima tria dicuntur : scilicet, Christi ad judicium Pilati a Judæis præsentatio : secundo, causæ pro qua præsentabatur discussio, ibi, ℣. 2 : « *Et interro-*

[1] Psal. XXI, 2 ; Matth. XXVII, 46.
[2] Matth. XXVII, 55.
[3] Luc. VIII, 2.
[4] Matth. XXVII, 57 ; Luc. XXIII, 50 ; Joan. XIX, 38.

gavit eum Pilatus, etc. » Tertio, Domini ad crucifigendum condemnatio, ibi, ℣. 15 : « *Pilatus autem volens satisfacere populo*, etc. »

In primo horum quinque dicuntur : scilicet, Judæorum ad crucifigendum Christum aviditas, concordantium in condemnationem suam generalitas, crudelitatis eorum malignitas in modo contrahendi Christum, pœnarum ipsius societas, et ad condemnandum eum a gentibus Judæorum obstinata impietas.

1 Dicit ergo : « *Et confestim.* » Omnis enim mora prolixa eis videbatur. Proverb. I, 16 : *Pedes illorum*, hoc est, affectus, *ad malum currunt : et festinant ut effundant sanguinem.* Psal. XIII, 3 : *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt : non est timor Dei ante oculos eorum.*

« *Mane facto.* » Job, XXIV, 14 : *Mane primo consurgit homicida, et interficit egenum et pauperem.* Vide quam sunt solliciti in malo, tota nocte vigilaverunt ut facerent homicidium.

« Consilium facientes, »

Ut nullus a reatu sanguinis esset alienus. Genes. XLIX, 5 et 6 : *Vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu illorum non sit gloria mea.* Isa. I, 13 : *Iniqui sunt cœtus vestri.*

« *Summi Sacerdotes,* » tamquam illius mali auctores. Jerem. XXIII, 15 : *A Prophetis Jerusalem egressa est pollutio super omnem terram.*

« *Cum senioribus*, » ætate et malitia pariter provectis. Daniel. XIII, 5 : *Egressa est iniquitas a senioribus judicibus, qui videbantur regere populum.* Isa. LXV, 20 : *Peccator centum annorum maledictus erit.*

« *Et Scribis*, » ne litteratura tanto facinori deesse per consilium videretur. Jerem. IV, 22 : *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Isa. V, 21 : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismeteipsis prudentes!*

« *Et universo concilio*, » ut omnes involverentur. Jerem. XXIII, 10 : *Factus est cursus eorum malus, et fortitudo eorum dissimilis.*

« Vincientes Jesum. »

Ecce crudelitatis eorum malignitas. Vinciunt enim eum qui omnes a vinculis peccatorum absolvit. Psal. CXLV, 7 et seq : *Dominus solvit compeditos* : *Dominus*, etc. Psal. CXV, 16 et 17 : *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Hunc crudeliter vinciunt, quia consuetudo eorum fuit nullum ad condemnandum præsentare potestati publicæ, nisi vinctum. Eccli. VI, 30 et 31 : *Erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis et bases virtutis, et torques illius in stolam gloriæ : decor enim vitæ est in illa, et vincula illius alligatura salutaris.* Et ideo etiam vinciri voluit. Unde in Prosa dicitur : « Teque vinciri voluisti, et nos inferni mortis vinculis eripuisti. »

« *Duxerunt,* » hoc est, vinctum traxerunt : et in hoc tractu notatur qualiter pœnis ejus sunt saturati. Job, XVI, 11 : *Satiati sunt pœnis meis.* Thren. V, 5 : *Cervicibus nostris minabamur, lassis non dabatur requies.*

« *Et tradiderunt Pilato*, » in quo notatur obstinata Judæorum impietas. Sapient. XII, 11 : *Semen erat maledictum ab initio :* Et, paulo supra, ℣. 10 : *Nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.*

« Et interrogavit eum Pilatus : Tu 2
es rex Judæorum? At ille respondens, ait illi : Tu dicis.

3 Et accusabant cum summi sacerdotes in multis.

4 Pilatus autem rursum interrogavit eum, dicens : Non respondes quidquam ? vide in quantis te accusent.

5 Jesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus. »

Hic ponitur causæ pro qua præsentabatur captivus Dominus discussio.

Dicuntur autem hic quatuor : in quorum primo accusationis quæ principalior, inquisitio : in secundo, ad multitudinem frivolarum accusationum, Domini patiens et taciturna dissimulatio : in tertio, a Pilato quæsita Domini liberatio : in quarto, innocentiæ Domini ostensio.

Dicit igitur : « *Et interrogavit eum Pilatus,* » quia a Judæis non probabatur, propter hoc a Domino quærebatur : « *Tu es,* » hoc est, si tu es « *Rex Judæorum.* » Accusaverunt enim Sacerdotes Jesum in tribus principaliter : scilicet, quod gentem subverteret, quod tributa dari prohiberet, et quod se regem faceret. Luc. XXIII, 2 : *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari, et dicentem se Christum regem esse.* Sed de primo tamquam superstitioso Pilatus non curavit : de secundo, audiverat quod dixerat : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari* [1]. Et ideo quærit de tertio, quia tunc non licuit alicui se regem facere nisi per Romanorum auctoritatem. Joan. XIX, 12 : *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.*

« At ille, »

Ut confessor veritatis, « *ait illi,* » Pilato : « *Tu dicis,* » supple, id quod sum. Tamen sicut additur, Joan. XVIII, 36 : *Regnum meum non est de hoc mundo : si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis.* Et ideo etiam huic accusationi Pilatus non multum insistebat : quia nec exercitum videbat, nec pecunias, nec tumultum concitavit contra potestatem Romanorum. Et ideo cito destitit etiam ab hac accusatione, præcipue quia audierat id quod dicitur, Joan. VI, 15, quod *cum cognovisset* Jesus *quia venturi essent ut raperent eum, et facerent regem, fugit in montem ipse solus.*

« Et accusabant eum summi sacerdotes, »

Qui præ cæteris instabant ad mortem ejus. Luc. XXIII, 10 : *Stabant autem principes sacerdotum, et Scribæ, constanter accusantes eum.*

« *In multis* : » quæ tamen rationem non habebant, quia nulla fuerunt. Psal. CVIII, 2 et 3 : *Os peccatoris et dolosi super me apertum est. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis.*

« Pilatus autem, »

Volens investigare causam, « *interrogavit eum,* » Jesum, « *dicens.* » Job, XXIX, 16 : *Causam quam nesciebam, diligentissime investigabam.*

« *Non respondes quidquam.* » Ac si dicat : Respondendo te statim defenderes : quia licet multa sint, tamen frivola sunt quæ tibi objiciuntur. Matth. XXVII, 62 : *Nihil respondes ad ea quæ isti adversum te testificantur ?*

Et hoc est quod sequitur : « *Vides in quantis te accusant.* » Ac si dicat : Nulla sunt quæ dicunt, simplici responsione excludes eos. Unde, Glossa : « Et invitus condemnat Jesum, causam referens in populum Judæorum. »

[1] Matth. XXII, 21.

« Jesus autem nihil amplius respondit. »

Glossa : « Ne crimen diluens, a Præside dimitteretur, et sic crucis utilitas differretur. » Isa. LIII, 7 : *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum.*

« *Ita ut miraretur Pilatus.* » Causa admirationis fuit innocentia Domini : qui uno verbo poterat omnes exsufflare accusationes, et non fecit : quam tamen innocentiam Judæi non consideraverunt. Isa. LVII, 11 : *Non cogitasti in corde tuo ? quia ego tacens, et quasi non videns.* Psal. XXXVIII, 2 et 3 : *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me : obmutui.., et silui a bonis.* Dedit enim nobis exemplum : ut coram judice, coram quo prævalet iniquitas, nihil respondeamus.

« Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petissent. » 6

Hic incipit Pilatus quærere occasionem liberationis, quia vidit esse innocentem.

Dicuntur autem hic quinque : scilicet, bonæ consuetudinis observatio, dimissionis innocentis Domini ad dimissionem seditiosi collatio, populorum a Pontificibus ad dimittendum latronem concitatio, Pilati de causa condemnationis Domini inquisitio, et populi ad crucifigendum Dominum conclamatio. Et hæc plana sunt in littera.

Dicit igitur : « *Per diem autem festum* » Paschæ, quod præcipuum erat apud Judæos, « *solebat dimittere,* » Pilatus, « *unum ex vinctis,* » sine discretione meritorum, « *quemcumque petissent,* » in memoriam ejus quod tunc omnes ab Ægyptiaca servitute fuerunt liberati. Isa. LVIII, 6 : *Dissolve colligationes impietatis, dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus dirumpe.* Psal. CVI, 16 et 17 : *Contrivit portas æreas et vectes ferreos confregit. Suscepit eos de via iniquitatis eorum.* Isa. XLV, 2 : *Portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam.* In memoriam ergo hujus consuetudo hæc invaluit.

« Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. 7

Et cum ascendisset turba, cœpit rogare sicut semper faciebat illis. » 8

Hic ponitur Domini ad latronem collatio.

Dicuntur autem hic tria : malitiæ latronis exaggeratio, populi secundum consuetam observationem instans petitio, liberationis Domini ad liberationem latronis collatio.

Dicit igitur : « *Per diem autem festum* » vel « solemnem, » quia duplex est ibi littera : propter facti æternam memoriam. Numer. x, 8 : *Erit hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris.*

« *Dimittere,* » Pilatus, « *solebat unum ex vinctis* » publicis, « *quemcumque petissent,* » sine discretione meritorum [1] : quod tamen malum fuit quia innocens magis debuit quam nocens liberari. Daniel. XIII, 53 : *Innocentem et justum non interficies.*

« Erat autem. »

Ecce sceleris in latrone vincto exaggeratio, et hoc est : « *Erat autem qui dicebatur Barabbas.* » Binomius erat propter scelera. Dicebatur enim Barrabbas per duo R, id est, filius magistri, eo quod erat imitator magistri omnium latronum : dicebatur et Barabbas per

[1] Repetitio est eorum quæ paulo ante dixit, ℣. 6.

unum R, quia filius patris latronum erat [1]. Et hoc nomen antonomastice sortitus fuerat. Luc. XXIII, 19 : *Qui erat propter seditionem quamdam factam in civitate, et homicidium, missus in carcerem.*

Et hoc est : « *Qui cum seditiosis,* » quia inter cives discordias suscitabat, « *vinctus erat,* » ne pacis semper unitatem violaret, « *qui in seditione fecerat homicidium,* » et sic civem civitatis occiderat : unde merito tota debuit commoveri civitas. Hos enim et tales etiam gentilis rex Assuerus sine misericordia præcepit trucidari, Esther, XIII, 7 : *Ut nefarii homines uno die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem quam turbaverant.* Iste ergo secundum leges gentium nullo modo putabatur esse liberandus, maxime cum dicatur, Exod. XXII, 18 : *Maleficos non patieris vivere.*

« Et cum ascendisset turba, »

Ad diem festum. Et est petitio quod teneatur ab antiquo observata consuetudo. « *Cœpit rogare* » Pilatum quod faceret « *sicut semper faciebat,* » hoc est, sicut semper consuetus fuerat facere, « *illis,* » in dimittendo unum vinctum. Consuetudo enim honesta vim tenet juris et legum, quæ est ex præscriptione temporis observata. Jerem. VI, 16 : *Interrogate de semitis antiquis quæ sit via bona, et ambulate in ea.*

« Pilatus autem respondit eis, et dixit : Vultis dimittam vobis regem Judæorum ? 9

Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes. 10

Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis. » 11

Hic fit a Pilato dimissionis Domini ad dimissionem seditiosi latronis collatio. « *Vultis dimittam vobis,* » hoc est, ad honorem festi, « *regem Judæorum,* » hoc est, quem in nullo accusatis nisi quod sit rex Judæorum : quod tamen fatuum est, quia nullus apparatus regius apparet in ipso. Et sic dicitur, Joan. XIX, 15 : Responderunt pontifices : *Non habemus regem nisi Cæsarem.*

« Sciebat enim Pilatus quod per invidiam, »

Quia in potestate docebat et faciebat miracula, et evacuabat traditiones eorum, « *tradidissent eum.* » Hæc est fera pessima quæ filium magni Patriarchæ

[1] Hoc nomen, *Barabbas*, invenitur in quatuor Evangelistis. « Les hébraïsants modernes ne sont pas d'accord sur l'étymologie de cette dénomination commune alors chez les Juifs (Cf. Hightfoot, Hor. Hebr. p. 439), mais qui est écrite de quatre manières dans les manuscrits grecs : βαραββᾶς, βαραβᾶς, βαῤαβᾶς, et βαῤαββᾶς. Les uns l'expliquent par בר-רבא, *Barrabba*, fils du docteur (Langen, etc) ; d'autres par בר-רבן, *Bar-rabbân*, fils de notre maître (Ewald, etc) ; d'autres enfin par בר-אבא, *Bar-Abba*, fils du père. S. Jérôme admettait déjà et très justement, croyons-nous, cette dernière interprétation, in Psal. CVIII, Cf. Theophyl. in h. l. Il est impossible pourtant que אבא, *Abba*, ait été un nom propre. Barabbas serait alors une de ces appellations patronymiques si fréquentes chez les Sémites, et signifierait fils d'Abba. Cf. Simonis, Onamasticon N. T., p. 38. Un grand nombre de manuscrits grecs, peu anciens à la vérité, mais corroborés par la version arménienne, appellent (Matth. XXVII, 16 et 47) Ἰησοῦς βαραββᾶς, le malfaiteur que Pilate opposa au Sauveur. Cette leçon, qu'Origène affirme avoir parfois rencontrée, a été adoptée par plusieurs critiques distingués, tels que Lachmann, Fritzsche et Tischendorf. Mais la plupart des commentateurs la rejettent à bon droit : si elle eut été authentique, comment pourrait-on expliquer son omission dans les manuscrits anciens et dans versions les plus importantes ? (L. Cl. Fillion, in Matth. XXVII, 16, Paris, 1878.)

devoravit, Genes. XXXVII, 33 : *Fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.* Sapient. II, 24 et 25 : *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum : imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.*

« *Summi sacerdotes,* » qui circa sacrificia templi officia habebant.

« Pontifices autem, »

Annas et Caiphas apud quos summa negotiorum agebatur, « *concitaverunt turbam,* » persuasionibus et minis et promissis, « *ut magis Barabbam,* » homicidam seditiosum et latronem, « *dimitteret eis,* » ad solemnitatis honorem. Jerem. II, 13 : *Duo mala fecit populus meus : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et fecerunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Nullum enim refrigerium fuit in dimissione latronum, sed potius multum damnum. Daniel. XIII, 52 et 53 : *Nunc venerunt peccata tua quæ operabaris prius, judicans judicia injusta, innocentes opprimens, et dimittens noxios.*

12 « Pilatus autem iterum respondens, ait illis : Quid ergo vultis faciam regi Judæorum ?

13 At illi iterum clamaverunt : Crucifige eum. »

Hic fit de causa condemnationis a Pilato inquisitio. « *Quid ergo vultis faciam regi Judæorum,* » in quo nihil causæ invenio ? Joan. XVIII, 38 : *Ego nullam invenio in eo causam.* 1 Petr. II, 22 : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.*

« At illi, »

Persuasi a malignis, « *iterum clamaverunt,* » ut clamore vincerent, qui de veritate nihil objicere habebant : « *Crucifige eum,* » ut morte mulctaretur, et cruce turparetur, ne aliqua de cætero fama esset de eo. Sapient. II, 20 : *Morte turpissima condemnemus eum.* Jerem. XI, 19 : *Mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium, et nomen ejus non memoretur amplius.*

« Pilatus vero dicebat illis : Quid 14
enim mali fecit ? At illi magis clamabant : Crucifige eum. »

Et hæc est innocentiæ Domini declaratio.

Et hoc est : « *Quid enim mali fecit* ? » Glossa : « Quod dicendo, Jesum tamquam innocentem absolvit. » Unde, Joan. XVIII, 38 : *Ego nullam invenio in eo causam.*

« *At illi magis,* » hoc est, invalescendo, « *clamabant,* » clamore et non veritate confidentes : « *Crucifige eum.* » Jerem. XII, 8 : *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in silva : dedit contra me vocem.* Isa. V, 7 : *Exspectavi ut faceret justitiam, et ecce clamor.* Glossa : « Insaniæ suæ satisfacientes, non interrogationi satisfacientes Præsidis. » Luc. XXIII, 23 : *At illi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur, et invalescebant voces eorum.*

« Pilatus autem volens populo satis- 15
facere, dimisit illis Barabbam, et tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur. »

Hic incipit pars illa quæ est de sententia condemnationis.

Dicuntur autem hic tria : scilicet, malum ad sententiam (alias, factum) inductivum : pejus, ex electione duorum præoptatum : et pessimum, innocentis et puniti homicidium.

Et hæc dicuntur primo : secundo autem describitur Christi illusio.

Dicit igitur : « *Pilatus autem,* »

ambitiosus nolens amittere principatum, « *volens*, » voluntate placendi, « *satisfacere populo* » insano. Psal. LII, 6 : *Confusi sunt qui hominibus placent, quoniam Deus sprevit eos.* Ad Galat. I, 10 : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*

« *Dimisit illis*, » sicut pejus elegerunt, « *Barabbam* » flagitiosum. Proverb. I, 25 et 26 : *Despexistis omne consilium meum, ... ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo cum vobis id quod timebatis advenerit.*

« Et tradidit eis Jesum, »

Innocentem, « *flagellis cæsum*, » ut vel sic pœnis ejus saciati non peterent eum crucifigi, « *ut crucifigeretur*, » post tot opprobria et flagella. Isa. LVII, 1 : *Justus perit, et non est qui recogitet in corde suo : et viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat, a facie enim malitiæ collectus est justus.*

16 « Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, et convocant totam cohortem.

17 Et induunt eum purpura, et imponunt ei plectentes spineam coronam·

18 Et cœperunt salutare eum : Ave, rex Judæorum.

19 Et percutiebant caput ejus arundine, et conspuebant eum, et ponentes genua adorabant eum. »

Hic incipit pars illa in qua Christi continetur illusio.

His autem quinque illuditur : scilicet purpura, corona, arundine, sputo, et adoratione : quæ per ordinem in littera continentur.

Dicit igitur : *Milites autem*, » qui semper ad omne facinus proni fuerunt pro pecunia : hi enim ad hoc conducti fuerunt. Unde etiam et Joannes Baptista quod a talibus cessent violentiis, Luc. III, 14, dixit militibus : *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris.*

Hi ergo milites, satellites Satanæ, condemnatum « *duxerunt eum*, » Jesum, « *in atrium*, » tamquam in aulam regiam, « *prætorii*, » ubi sedebat Præses et Senatus, ut omnes tali interessent spectaculo. I ad Corinth. IV, 9 : *Spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus.*

« *Et convocant totam cohortem*, » ut sicut mortis, ita omnes participes sint illusionis. Psal. XXX, 12 : *Qui videbant me foras fugerunt a me.*

« Et induunt eum purpura, »

In illusionem : quia objectum fuit ei quod fecerat se regem. Isa. LXIII, 2 : *Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torcular ?* Hoc enim mirantes patientiam Domini clamabant Angeli. Et tamen quamvis ignorantes et inimici fuerint, tamen induunt eum purpura : mysterium regni cœlestis significantes, quod incepit per Christum : cujus vestis purpurea fuit vestis humana, sanguine redemptionis perfusa. Isa. LXIII, 1 : *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra ? Iste formosus in stola sua.* Cantic. VII, 5 : *Comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus.* Hoc dicitur de Ecclesia, cujus mens caput est : comæ dependentes sunt cogitationes et affectus, e quibus comis numquam separatur hæc purpura sic rubricata. Eccli. XLV, 12 : *Circumcinxit eum purpura, opus textile viri sapientis.* Contexta est hæc rubea purpura de multis guttis sanguineis a purpure nostro elicitis : purpur enim nostrum Christus est, sine virili semine in claustris uteri virginalis conceptus de sanguine purificato a sancto Spiritu, qui coloravit purpuram istam.

Et hanc regalem dignitatem etiam inviti

« Imponunt ei, »

In capite, « *plectentes,* » ut aculeorum acumen caput undique pungeret, « *spineam coronam,* » de juncis spinosis valde acutos angulos habentibus : ostendentes se esse spinetum, qui sic Dominum majestatis pupugerunt. Isa. VII, 23 : *In spinas et in vepres erunt.* II Reg. XXIII, 6 et 7 : *Prævaricatores quasi spinæ evellentur universi, quæ non tolluntur manibus : et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro et ligno lanceato, igneque succensæ comburentur usque ad nihilum.* Christus enim rex noster quamvis manu se tunc non defenderit, tamen adhuc armabitur ferro judiciariæ potestatis : et longe distans ab eis spatio immortalitatis et impassibilitatis acuet diram iram in lanceam, et evellet eos, et dabit in ignem æternum. Sic ergo spinatum est caput regis nostri docens eum spinis nostris esse compunctum. Malach. III, 8 : *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me?* Cantic. III, 11 : *Egredimini et videte affiget filiæ Sion, regem Salomonem in diademate quo coronavit illum mater sua,* hoc est, Judæorum synagoga, spinis peccatorum compungens caput ipsius. Inter has spinas florent omnes qui in Christi innocentia, et humilitate, et patientia refloruerunt. Cantic. II, 2 : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

« Et cœperunt salutare eum, »

Per irrisionem regia salutatione, dicentes probrose : « *Ave, rex Judæorum,* » quia (sicut dixerunt) regnum voluit usurpare Judæorum. Salutatio hæc non est salutis imprecatio, sed potius pœnarum et exprobrationis inflictio. Isa. XXIX, 13 : *Appropinquat populus iste ore suo..., cor autem ejus longe est a me,* id est, sine causa colunt me. Jerem. XII, 2 : *Prope es tu ori eorum, et longe a renibus eorum.* Tales autem sunt qui Christum voce prædicant, et factis irrident. Ad Tit. I, 16 : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

« Et percutiebant. »

Tertium irrisorium est quod hic semiplene tangitur, quia perfectius, Matth. XXVII, 29 et 30, continetur, ubi sic dicitur : *Posuerunt arundinem in dextera ejus. Et genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes : Ave, rex Judæorum. Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus.* Arundinem autem dabant pro sceptro, significantes vacuum a decore et fragile esse regnum regis, qui seipsum non defenderet. Hæc autem arundo regnum est Judæorum (in quo rex fuit Dominus) jam vacuum et fragile, et transferendum ad alios significabat. Matth. XXI, 43 : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus.* Et ideo, Isa. XXXVI, 6, dicitur de rege Judæorum, quod innititur super baculum arundineum, qui cum fractus fuerit, intrabit et perforabit manum innitentis super eum. In regno autem Christi nihil significat nisi arundinis rectitudo : unde, Apocal. XXI, 15, arundinea mensura erat in manu mensurantis civitatem : quod novæ gratiæ et novorum sacramentorum significat institutionem.

« *Et percutiebant caput ejus arundine.* » Arundo hæc sambucus fuit, quæ est arundo magna in exterioribus dura, et ictibus suis livores inducit plus quam moderatus baculus. Sicut Philosophus dicit de percussuris ferulæ in quibus etiam ideo livet, quia dura valde est, et non cedit in se quando percutit. Præterea spinæ erant in capite, quas ictibus arundinis necesse fuit profunde pungere caput Domini. Psal. CI, 5 : *Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum.*

« Et conspuebant eum. »

Irrisio quarta est. Job, XXX, 10 : *Fa-*

ciem meam conspuere non verentur. Sic conspuunt eum qui blasphemant eum.

« Et ponentes genua. »

Quinta irrisio est. « *Adorabant eum,* » falsa et irrisiora adoratione. Luc. XXII, 65 : *Alia multa blasphemantes dicebant in eum.* Joan. XIX, 2 et 3 : *Et milites, plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, et dicebant : Ave, rex Judæorum : et dabant ei alapas.*

20 « Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, et induerunt eum vestimentis suis : et educunt illum ut crucifigerent eum.

21 Et angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum, venientem de villa, patrem Alexandri et Rufi, ut tolleret crucem ejus.

22 Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est interpretatum Calvariæ locus.

23 Et dabant ei bibere myrrhatum vinum : et non accepit. »

Hic agitur de Domini crucifixione.

Dividitur autem hæc pars in tres partes : in quarum prima continetur de modo crucifixionis : in secunda, de modo irrisionis crucifixi, ibi, ℣. 29 : « *Et prætereuntes blasphemabant eum,* etc. » In tertia autem, describitur de modo mortis, ibi, ℣. 33 : « *Et facta hora sexta,* etc. »

In prima harum continentur septem paragraphi : in quorum primo describit Christi ad crucifigendum eductionem : in secundo, loci in quo crucifixus est horrorem : in tertio, interiorem ejus afflictionem : in quarto, spoliationem : in quinto, temporis congruitatem : in sexto, tituli inscripti dignitatem : in septimo, per latronum societatem Scripturæ impletionem : quæ per ordinem plane continentur in littera.

In primo horum duo dicuntur ; scilicet, Christi eductio, et per angariatum Simonem crucis Christi portatio.

Quatuor in primo horum continentur : scilicet, purpuræ exuitio, vestium suarum resumptio, eductio, et crucifixionis proposita a Judæis intentio.

Dicit igitur : « *Et postquam illuserunt ei.* » Isa. XXVIII, 14 : *Viri illusores, qui dominamini super populum meum qui est in Jerusalem.*

« *Exuerunt eum purpura,* » ne regalem vestem crucifixione fœdarent. Vestis autem hujus depositio significat Judæorum depositionem, ne amplius decore Judæorum regnum vel domus induatur. Cantic. V, 3 : *Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa ?*

« *Et induerunt eum vestimentis suis* » pauperculis, quibus ante utebatur. Zachar. III, 3 : *Jesus erat indutus vestibus sordidis.* In suis ergo eduxerunt eum.

Et hoc est quod dicit :

« Et educunt eum, »

Sicut vitula rufa (cujus sanguis inferebatur intra Sancta sanctorum) extra castra educebatur cum immolabatur [1]. Ad Hebr. XIII, 11 et seq. : *Quorum animalium infertur sanguis in Sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.*

« *Ut crucifigerent.* » Hæc enim erat intentio eorum, ut eum et morte mulctarent, et cruce turparent. Sapient. II, 20 : *Morte turpissima condemnemus eum.*

[1] Cf. Levit. VIII, 17 et IX, 11.

« Et angariaverunt. »

Secundum est primæ partis. Est autem sensus, quod primo exivit Jesus in eum locum, qui dicitur Calvariæ locus, bajulans sibi crucem : sicut dicitur, Joan. XIX, 17. Sed cum lassus esset sub pondere crucis, tunc quemdam casu sibi obvium Simonem Cyrenensem angariaverunt, ut crucem portaret per viæ residuum usque ad crucifixionis locum.

Et hoc est quod dicit : « *Et angariaverunt,* » violenta coactione, « *quempiam* » casu sibi obvium, « *venientem de villa,* » ad civitatem causa mercationis, vel operis alterius, « *prætereuntem,* » scilicet in via qua educebant Jesum.

Et describit illum nomine, et patria, et cognatione, quia omnia hæc nota fuerunt : « *Simonem* » nomine, « *Cyrenæum* » patria, quia gentilis fuit, « *venientem,* » casu tunc temporis, « *de villa,* » habitationis suæ ad civitatem sanctam Jerusalem, « *patrem* » carnalem « *Alexandri et Rufi,* » quia illi noti erant apud eos, ne res veniat in negationem : « *ut tolleret,* » portandam, « *crucem ejus,* » jam lassi Jesu Christi. Quod significabat quod gentilitas ab ipsis humeris immediate crucem susceptura erat ad redemptionem : quæ et tenebras ignorantiæ exstirparet, quod Alexander interpretatur : et totam Ecclesiam de gentibus sanguine suo decoraret, quod significat Rufus : et per omnia mœrorem gentium per obedientiam deponeret, quod interpretatur Simon : et hæredes regni sui faceret, quod interpretatur Cyrenæus : et crucem Christi in altum per pœnitentiam extolleret, quod sustollere crucem Christi significat : et ad hoc compellerent Judæi per hoc quod verbum crucis rejecerunt, quod significat angaria. Act. XIII, 46 et 47 : *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes : sic enim præcepit nobis Dominus.* Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

« Et perducunt illum in Golgotha. »

Secundus paragraphus, in quo tangitur horror loci in quo crucifixus est Dominus. Quid autem sit Golgotha, interpretatur Evangelista, subdens : « *Quod est interpretatum,* » in latino, « *Calvariæ locus,* » ubi multæ calvariæ damnatorum hominum jacebant. Est enim calvaria, testa denudata pilis et pelle : quia ibi per publicam justitiam suspendio, et decollatione jacebant calvariæ eorum plurimæ, inter quos mori voluit Dominus : ut ostenderet quod pro peccatoribus moriebatur, quia ipsi in omnibus vilificare eum intenderunt. Deuter. XXXII, 10 : *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis.* Psal. LXXXVII, 7 : *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, et in umbra mortis.* Non autem ideo dicitur Calvariæ locus, quod ibi sit sepulta calvaria Adam : quia illa in Hebron sepulta est, ut dicitur, Josue, XIV, 15.

« Et dabant ei bibere. »

Tertius est paragraphus, in quo ostenditur quod etiam interiora dulcissimi Domini amaricaverunt.

« *Et dabant ei bibere,* » ex mala intentione, amaritudinem suam declarantes, « *myrrhatum vinum,* » acidum, quod amaritudine myrrhæ amarius fecerunt : spongiam implentes, et spongiam sambuco arundineo circumponentes, quo ad os in alto crucifixi Domini porrigerent : et ipsum felle miscuerunt, et hyssopo herba amarissima circumposuerunt, sicut dicunt Matthæus, et Lucas, et Joannes. Et hoc fecerunt quando dixit : *Sitio.* Jerem. II, 21 : *Quomodo conversa es mihi in pravum, vinea aliena?* Deuter. XXXII, 32 et 33 : *Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi. Fel draco-*

num vinum eorum, et venenum aspidum insanabile.

Et ideo sequitur : « *Et non accepit,* » quia felleam amaritudinem in hominibus dulcis et rectus Dominus numquam acceptavit : de quibus, Act. VIII, 23 : *In amaritudinis felle et obligatione iniquitatis video te esse.*

24 « Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.

25 Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum. »

Quartus est paragraphus de Domini spoliatione, in quo tangitur et truculentia in Domini spoliatione, et avaritia in spolio, et sors illicita in divisione spoliorum.

Dicit igitur : « *Et crucifigentes eum,* » truculenter et atrociter : non sunt contenti mulcta mortis, imo « *diviserunt* » sibi inter se « *vestimenta ejus,* » quæ tamen paupercula fuerunt : et in hoc notatur avaritia eorum qui tam modica et parum valentia concupierunt. Hieronymus : « Credenti totus mundus di- « vitiarum est, infidelis etiam obolo in- « diget. » Ezechiel. XIII, 19 : *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei et fragmen panis.* Job, XXIV, 7 : *Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum.* Quia (sicut tradunt Patres) totum denudaverunt coram hominibus : et pannum, qui in picturis ejus circa lumbos ejus repræsentatur, dicitur quod Virgo mater de velo sui capitis sibi circumligavit.

« Mittentes sortem. »

Plenius hoc narratur, Joan. XIX, 23 et 24, ubi dicitur, quod quatuor milites *acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem : Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit.* Psal. XXI, 19 : *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.* Est autem miranda patientia et dispensatio misericordiæ Salvatoris, qui sicut agnus tondentem et occidentem se suo vellere vestit, ita se tondentes et spoliantes, et occidentes se, suo vestitu vestivit : ostendens quod nisi suis exemplis vestirentur, ignominiosa nuditas eorum esset coram oculis Dei et Angelorum apparens Ezechiel. XVI, 7 et 8 : *Eras nuda, et confusione plena... : et expandi amictum meum super te.*

Hoc est ergo quod dicit : « *Super eis,* » vestimentis, « *sortem mittentes,* » fortuitam, « *quid* » de vestitu, « *quis* » militum « *tolleret,* » in usus suos redigendo.

« Erat autem hora tertia. »

Quintus est paragraphus, in quo tangitur hora crucifixioni congrua.

Et hoc est quod dicit : « *Erat autem* » tunc « *hora tertia,* » ab ortu solis quæ medium ascensum solis ostendit ad meridiem. Videtur autem contrarium id quod dicitur, Joan. XIX, 14, ubi dicitur quod erat hora quasi sexta, quando sol est in puncto meridiei. Sed ad hoc dixit Beda et quidam alii, quod hora tertia crucifixus est coram Pilato linguis Judæorum : hora autem sexta suspensus in ligno crucifixus est manibus gentilium : et sic verificat utrumque dictum, et solvit contrarietatem. Alii probabilius dicunt quod in veritate in hora tertia Dominus jam condemnatus, eductus erat : et in hora tertia incepta est crucifixio ejus : et occupatis eis in crucifixione, fluxit tempus in crucis erectione, et deinde ad crucem aptatione, et conclavatione usque ad sextam : et in hora sexta crucifixio fuit consummata : et ideo quod hic dicitur verum est de cru-

cifixionis principio, et quod dicit Joannes verum est de crucifixionis consummatione.

Et est sensus: « *Erat autem,* » hoc est, esse incipiebat, « *hora tertia.* »

« *Et crucifixerunt,* » hoc est, crucifigere inceperunt eum. Hæc autem hora conveniens erat: quia ex quo post meridiem Adam jam peccaverat et abscondit se, turpitudinem suam considerans, a luce præsentiæ Domini: oportuit quod ante meridiem tentatio ejus ageretur, et mulier ad consensum induceretur, quæ viro gustum necis obtulit: et ad hoc probabiliter tres horæ exiguntur: et sic tempus redemptionis conveniebat tempori proditionis, sicut lignum redemptionis congruebat ligno proditionis. Eccle. III, 1: *Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa.* Hoc tempus est quod cum desiderio Patres expectaverunt. Eccli. XXXVI, 10: *Festina tempus, et memento finis, ut enarrent mirabilia tua.*

26 « Et erat titulus causæ ejus inscriptus: Rex Judæorum. »

Hic est sextus paragraphus, in quo honestas causæ et innocentia Domini describitur.

Dicuntur autem hic tria: modus, et materia, et virtus.

Modum notat cum dicit: « *Titulus,* » quod derivatur a Græco τιτάν, quod est *radius,* quia totum mundum suo lumine titulus iste irradiavit: erat enim simul et memorialis, et præconialis, et triumphalis. Memorialis, qui numquam oblivione deleatur. Thren. III, 20: *Memoria memor ero, et tabescet in me anima mea.* Propter hunc enim titulum ponimus Dominum super cor nostrum, ut numquam operis redemptionis obliviscamur ad gratiarum actiones. Cantic. VIII, 6: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio.* Cantic. I, 12: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.*

Præconialis est, ut omni laude extollatur. Eccli. XLIII, 32: *Glorificantes Dominum quantumcumque poteritis, supervalebit enim adhuc.* Psal. CXLIV, 21: *Laudationem Domini loquetur os meum, et benedicat omnis caro nomini sancto ejus.* Eccli. XLIII, 33: *Benedicentes Dominum, exaltate eum quantum potestis: major est enim omni laude.* Quis enim digne laudare valeat opus redemptionis: in quo Pater ut servum redimeret, Filium tradidit: in quo Filius pro suis seipsum in oblationem obtulit: in quo Spiritus sanctus sanctitate omnia complevit?

Hic titulus etiam triumphalis est, in quo Christus de morte et mortis auctore triumphavit, et mortis carcerem confregit, et suos liberatos eduxit. Isa. LXIII, 1: *Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.* Osee, XIII, 14: *Ero mors tua, o mors! morsus tuus ero, inferne!*

Materia tangitur, cum dicit: « *Causæ ejus,* » hoc est, causa pro qua crucifigebatur. Non enim ut homicida et seditiosus, sed potius ut suo cruore etiam homicidas et seditiosos liberans: quod Barabbæ significat dimissio, et latronis in paradisum introductio [1]. Hæc igitur est sibi causa passionis: et ideo significatur per agnum paschalem, qui sua morte captivos liberavit, et suo cruore liberatos assecuravit ab Angelo percussore [2].

« *Inscriptus* » autem est, ut nulla eum deleret oblivio. Habacuc, II, 2: *Scribe visum, et explana eum super tabulas: ut percurrat qui legerit eum.* Erat autem, ut Joannes, XIX, 20, dicit, scriptus hebraice propter patrum religionem et virtutem: græce propter Græcorum sapientiam, ut sciamus quod dicitur, I ad Corinth. I, 23 et 24: *Nos*

[1] Cf. Luc. XXIII, 25 et 43.

[2] Cf. Exod. XII, 29.

prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam. Latinis autem litteris scriptus fuit, propter Latinorum potestatem et monarchiam, ut sciamus quod dicitur, Matth. XXVIII, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Sic ergo in titulo est perfectio virtutis, et sapientiæ, et potestatis : virtutis ad bene vivendum, sapientiæ ad bene intelligendum, potestatis ad a contrarietatibus se defendendum : et ideo hic titulus corrumpi Judæis petentibus non potuit, quia Spiritus sanctus non permisit.

« Rex Judæorum. »

Hoc enim et non aliud objiciebant, et quia in hoc Romano contradixisset Cæsari : sed Spiritus sanctus hoc voluit ut honestas passionis omnibus legentibus ostenderetur. Est enim Rex (secundum diffinitiones eorum qui de urbanitatibus tractaverunt) rector regni (quod est boni, hoc est, honesti, et delectabilis, et utilis non sibi sed patriæ) et legum æquissimarum, et ordinis officiorum, et finium quibus beatitudo vitæ attingitur, perfecta potestate distributio. Unde Dionysius in libro de *Divinis nominibus:* « Regnum est omnis finis, et legis, et « ordinis distributio. » Distribuitur autem a rege omnia continente : quando uniuscujusque sua, et ea propria dignitate quilibet ad sibi aptatur conveniens : et hæc nullus umquam perfecit distribuens in mundo nisi Christus : et ideo dicitur, Isa. XXXIII, 22 : *Dominus legifer noster, Dominus rex noster.* Jerem. XXXIII, 16 : *Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster.*

« *Judæorum* » autem dicitur, quia Judæus *confitens* et *glorificans* interpretatur : quia *confessio et pulchritudo* est *in conspectu ejus* [1]. Quia in talibus qui veritatem verbi, operis, et judicii, et fidei habent in confessione (in quibus gloria Dei semper est in conversatione) regnat Christus rex noster. Luc. I, 32 et 33 : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus : et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus nomen erit finis.* Huic titulo additur, Joan. XIX, 19 : *Jesus Nazarenus.* Sed quia hoc in causam crucifixionis sibi non objiciebatur, ideo hic non ponitur : non enim negari poterat quin Jesus, hoc est, Salvator esset, qui tot in anima et corpore salvaverat. Nec objiciebatur quod Jesus Nazarenus esset, qui inter eos germinaverat cum flore conversationis. Eccli. XXIV, 23 : *Flores mei fructus honoris et honestatis.*

Hic igitur est titulus.

« Et cum eo crucifigunt duos latrones, unum a dextris, et alium a sinistris ejus. **27**

Et impleta est Scriptura quæ dicit : Et cum iniquis reputatus est. » **28**

Septimus est iste paragraphus, in quo quidem turpare intenderunt, sed non poterant ad Scripturæ et veritatis impletionem.

Et ideo duo ista simul hic dicuntur : et hoc est : « *Et cum eo,* » non simili causa, « *crucifigunt duos latrones,* » propter scelera damnatos. Matth. IX, 13 : *Non veni vocare justos, sed peccatores,* scilicet ad pœnitentiam. Et ideo quos causam habuit incarnationis, hos socios voluit habere passionis.

« *Unum a dextris,* » qui in fine pœnituisse dicitur, et Dismas vocari perhibetur. Matth. XXV, 33 : *Statuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris.*

« *Et unum a sinistris,* » qui in pertinacia remansit, et Gesmas vocatus esse dicitur. Proverb. IV, 27 : *Vias quæ a*

[1] Psal. XCV, 6.

dextris sunt novit Dominus : perversæ vero sunt quæ a sinistris sunt. Unde Glossa : Matth. XXIV, 40 : *Unus assumetur, et unus relinquetur.* Ad Roman. IX, 13 : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Luctatorem enim in passionibus diligit, et reprobat eum qui propter carnis mollitiem conjungitur blasphemantibus.

Hoc igitur fecerunt ut in famem facerent ex societate crucifixorum.

« *Et* » tamen, sine voluntate ipsorum ad sua facta,

« Impleta est Scriptura. »

Isa. LIII, 12, « *quæ dicit,* » prævidens ista in Spiritu sancto : « *Et cum impiis reputatus est.* » Littera Isaiæ sic dicit : *Pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.*

29 « Et prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua et dicentes : Vah, qui destruis templum Dei, et in tribus diebus reædificas,

30 Salvum fac temetipsum, descendens de cruce. »

Tangitur hic de irrisione crucifixi. Irrisio autem hæc facta est a tribus generibus hominum : scilicet prætereuntibus, sacerdotibus, et latronibus : et secundum hæc tria recipit divisionem.

Irrisio prætereuntium habet tria : blasphemiam, motus capitis, et improperium in verbis.

Dicit igitur : « *Et prætereuntes.* « Qui vagos in mundi vanitatibus significant, stabiliter in veritate non manentes. Jerem. XIV, 10 : *Populus hic dilexit movere pedes suos, et Domino non placuit.* Job, XI, 12 : *Vir vanus in superbiam erigitur, et tamquam pullum onagri se liberum natum putat.*

« *Blasphemabant eum,* » dicentes eum virtutes quas fecerat in principe dæmoniorum perfecisse. Supra, III, 29 : *Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum.* Isa. I, 4 : *Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.*

« *Moventes capita sua,* » in signum comminationis et irrisionis : unde de Sennacherib dicitur, Isa. XXXVII, 22 : *Post te caput movit filia Jerusalem.* Et hæc irrisio per comminationem propheticam est causa captivitatis ipsorum. Psal. CXXXIX, 10 : *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos :* quia movendo capita circumdabant ipsum.

« *Et dicentes,* » improperando : « *Vah !* » Interjectio est indignantis. Job, XXXIX, 25 : *Ubi audierit buccinam, dicit : Vah.*

« *Qui destruis templum Dei,* » sicut dixisti, Joan. II, 19, « *et in tribus diebus reædificas* » tua virtute, quæ nunc tam infirma apparet. Habacuc, III, 4 : *Ibi abscondita est fortitudo ejus.*

« Salvum fac temetipsum, »

Virtute quam de te in potestate reædificandi templum prædicasti, « *descendens de cruce.* » Sed isti non cognoverunt quod non venerat ut seipsum temporaliter salvaret, sed omnes : et ideo non descendet de cruce, sed potius ascendet. Joan. XII, 32 : *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Si serpens de palo deponitur, nullus a morsu serpentis liberatur [1]. Joan. III, 14 et 15 : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.*

[1] Numer. XXI, 8 et 9.

31 « Similiter et summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant : Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.

32 Christus rex Israel, descendat nunc de cruce, ut videamus, et credamus. Et qui cum eo crucifixi erant convitiabantur ei. »

« *Similiter et summi sacerdotes.* » Secunda irrisio est. « *Illudentes ei,* » sicut et primo fecerant in domo summi Pontificis, « *ad alterutrum,* » in exsultatione, « *cum Scribis,* » qui nequam dederant consilium, « *dicebant.* » Proverb. II, 14 : *Lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis.*

« *Alios salvos fecit.* » Hoc enim innegabile fuit. Act. X, 38 : *Pertransivit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo.*

« *Seipsum non potest salvum facere,* » quia alios non salvaret, nisi seipsum non salvando : sicut pelicanus qui non salvat pullos, nisi seipsum non salvando. Psal. CI, 7 : *Similis factus sum pelicano solitudinis.*

« Christus rex Israel, »

Supple, sicut ipse de se dicebat : qui Christus omnia reformabit, et salvabit. Sed isti Scripturam dissimilant, quæ dicit quod et Christus salvabit per mortem. Thren. IV, 20 : *Spiritus oris nostri, Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus : In umbra tua vivemus in gentibus.*

« *Descendat nunc de cruce* : » imo secundum intentionem nostræ salutis exaltet se in cruce, « *ut videamus, et credamus,* » hoc est, ut videamus virtutem ipsius, et sic credamus ei. Luc. IV, 23 : *Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice, cura teipsum.* Nos audivimus quia videmus effectum crucis, et ideo credimus ei. I ad Corinth. I, 21 : *Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Ad Galat. VI, 14 : *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Unde Ecclesia cantat : « Nos autem gloriari « oportet in cruce Domini nostri Jesu « Christi, in quo est salus, vita et resur- « rectio nostra, per quem salvati, et libe- « rati sumus. »

« Et qui cum eo crucifixi erant, »

Latrones, « *convitiabantur ei.* » Et Glossa dicit quod plurale ponitur pro singulari : quia unus latronum convitiabatur ei, sicut dicitur, Luc. XXIII, 40 et 41 : *Alter autem increpabat eum dicens : Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus : hic vero nihil mali fecit.* Tamen veritas historiæ fuit quod primo ambo Christo convitiabantur, et postea visis signis quæ fiebant, alter conversus est : et tunc veniam impetravit. Habacuc, III, 2, secundum Septuaginta : « In medio duum animalium cognosceris, » hoc est, brutaliter et animaliter viventium.

Hoc est igitur quod dicit.

« Et facta hora sexta, tenebræ factæ 33
sunt per totam terram usque in horam nonam. »

Tangitur hic de modo mortis Domini.

Dicuntur autem tria : scilicet, elementorum sive mundi in morte Christi dispositio, morientis in clamore ostensio, et eorum quæ mortem Christi testabantur se sustinere non posse aperta confessio.

In primo dicit : « *Et facta hora sexta,* » quando lux clarissimæ animæ Christi est mundo subtracta, « *tenebræ factæ sunt,* » visibiles exterius per totam terram Judæorum et etiam amplius : unde Origenes in Glossâ super Exodum,

ubi adaptat plagas Ægypti operibus recreationis, dicit quod sicut per totam terram Ægypti tenebræ factæ sunt per triduum excepta terra Gessen, in qua habitabant Judæi [1], sic in Passione Domini per tres horas factæ sunt tenebræ per solam terram Judæorum, et non alibi. Sed hoc stare non videtur, quia dicit Dionysius in epistola ad Apollophanem, quod tenebræ illæ extendebantur usque ad regiones Iliacas, hoc est, usque ad Phrygiam ubi fuit Troja : et hoc longe est ultra terram Judæorum. Adhuc autem has tenebras apud Heliopolim civitatem Ægypti Dionysius cum Apollophane conspexit. In hora autem tenebrarum Dionysius concordat cum his quæ hic dicuntur.

Tenebrarum autem modus (ut dicit Dionysius) iste fuit, quod luna cum esset quintadecima tam in circulo deferenti, quam in circulo æquinoctiali, a sole multum destitit. Cum enim esset quintadecima secundum gradus æquinoctialis, numerando a sole in lunam, destitit per centum et tres gradus de gradibus æquinoctialis : quia tredecim gradibus plus destitit a sole quam per medium cœli. In gradibus autem deferentis circuli a deferente sole destitit per medium deferentis, et per spatium motus unius diei : et hæc duo spatia infra momentum redivit, et se soli supposuit majori oppositione quam facere potuit : quia Dionysius dicit, quod æthiopicis velis totum solem obtenebravit : et ante tempus vespertinum totum illud spatium redivit in locum quem naturaliter tenuit : et sic in circulo æquinoctiali dies motus reflexivos fecit, in quo necesse fuit duas quietes intercidere, quod secundum omnem naturam est impossibile. Præterea, infra nonam et duodecimam horam, eundo ad solem et redeundo, spatium centum et trium graduum bis peregit, quod est ducentorum et sex graduum, quod est aliud impossibile, cum in spatio trium horarum non peragat luna naturali cursu parum plus quam duos gradus. Adhuc autem, in una parte circuli, et redivit ad solem et recessit ab ipso ad locum suum, quod erat omnibus aliis majus inconveniens : propter quod quærens Dionysius ab Apollophane dixit : « O speculum doctrinæ « Apollophanes, quid his secretis adscri« bis? » Et respondens Apollophanes Dyonysio, dixit : « O bone Dionysi, hic inju« riæ sunt divinarum rerum [2]. » Hæc autem omnia si quis subtiliter inspiciat dicta Dionysii ad Apollophanem continentur, Amos, VIII, 9 : *Occidet sol in meridie, et tenebrescere faciam terram in die luminis.* Joel, II, 10 : *Sol et luna obtenebrati sunt, et stellæ retraxerunt lumen suum.* Quia si luna se soli supposuit, sicut dicit Dionysius, tunc oportuit lunam esse tenebrosam, et sic oportuit quod in tribus horis nulla, et novacularis sive monoides, et panselenos sive plena, et amphitrios, hoc est, plus quam plena appareret. Job, V, 14 : *Per diem incurrent tenebras, et quasi in nocte sic palpabunt in meridie.* Glossa : « Sol refugit, quia non poterat videre mortem Christi, et collaborabat laboranti : vel ne impii blasphemantes sua luce fruerentur. »

« Usque in horam nonam. »

Quod quidam dicunt hoc esse miraculum, quod per tres horas eclipsis duraverit, non est satis perspecte dictum, quia eclipsis per tres horas durare poterat : sed illa quæ ante diximus exaltant istud miraculum super omnia miracula quæ facta sunt de cœlo.

« Et hora nona, exclamavit Jesus voce magna, dicens : Eloi, Eloi, lam- 34

[1] Exod. X, 22 et 23.

[2] Cf. in editione nostra B. Alberti hanc totam epistolam XI B. Dionysii Areopagitæ ad Apollophanem philosophum, § 2. Tomo XIV hujusce editionis, pp. 1021 et seq.

ma subacthani? quod est interpretatum : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

35 Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant : Ecce Eliam vocat.

36 Currens autem unus, et implens spongiam aceto circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens : Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum.

37 Jesus autem, emissa voce magna, exspiravit. »

« *Et hora nona.* » Eodem tempore quo in peccatis absconsum inclamavit Adam.

Hic autem duo dicuntur : scilicet, clamor Christi, et perversus intellectus clamoris.

Dicit igitur : « *Et hora nona* » quando a principio clamaverat Deus Adam : *Ubi es*[1] ?

« *Clamavit voce magna,* » peccatum inclamando, quod tantæ mortis et miseriæ causa fuerat, « *dicens* » in clamore : « *Eloi, Eloi, lamma subacthani.* » Et hoc Evangelista latinis interpretatur verbis, dicens : « *Quod est interpretatum,* » scilicet, latine : « *Deus meus, Deus meus.* » Bis dicit, *Deus meus*, quia Deus est Pater secundum deitatem per generationem æternam : et Deus est Pater Filii, hoc est, secundum humanitatem quia fecit eum secundum generationem humanam.

« *Ut quid,* » hoc est, quare? Ac si dicat : Quam nefaria et tibi molesta res erat, pro qua « *me* » unigenitum tuum, sic « *dereliquisti,* » ut me tam turpi et acerbæ morti exponeres? Littera nostra habet, Psal. XXI, 2 : *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti* ? Et addidit Esdras, quod David subticuerat : *Longe a salute mea verba delictorum meorum*, hoc est, hæc sunt verba delictorum eorum qui sunt mei, quos ego redemi : et pro delictis eorum et facta sunt et dicta. Et attende quod in isto clamore non adhuc erant tenebræ : et ideo quod dictum est, accipiendum est per anticipationem.

« Et quidam de circumstantibus, »

Romanis militibus, qui Hebræam linguam non intelligebant, « *dicebant : Ecce Eliam vocat,* » putantes quod *eloi* sonaret idem quod Elias, propter quamdam affinitatem soni.

« Currens autem unus, »

Qui præ cæteris curiosior erat, « *implens spongiam* » potu confortante, « *aceto,* » quod penetrativum erat, ut interiorem sitim exstingueret, « *circumponensque* » spongiam « *calamo* » sambuci, quousque ad os Christi pertingere posset, « *potum,* » quo confortaretur, « *dabat ei,* » non pietatis, sed curiositatis causa, « *dicens* » ad consocios : « *Sinite,* » a tormentis cessate paulisper, « *videamus,* » per experimentum, « *si veniat Elias,* » qui in antecessorem Christi venturus esse prædicabatur Propheta[2], « *ad deponendum eum* » de cruce. Psal. LXVIII, 22 : *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potavevunt me aceto.*

« Jesus autem, »

Intendens operi nostræ redemptionis, non in clamationem insultantium, « *emissa voce magna,* » quæ magnæ virtutis adhuc erat indicium, « *exspiravit,* » hoc est, in manus Patris spiritum tradidit. Luc. XXIII, 46 : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Joan. XIX, 30 : *Cum accepisset acetum, dixit : Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum.*

[1] Genes. III, 9.

[2] Cf. Malach. IV, 5.

Et tunc tenebræ factæ sunt per totam terram, de quibus dicit Hieronymus in Glossa : « Hic adest Noe inebriatus ac « nudatus : cœlo ac terra tenebroso pallio « tectus, et ab homine irrisus. Hic stillavit « de ligno sanguis. » Noe enim Christum significavit : ebrietas ejus ebrietatem amoris in passione, ut quasi sui oblitus videretur. Nudatus autem est spoliatione militum, tectus autem tamquam duobus filiis, cœlo lumen retrahente, et terra umbras expandente, ne nudatus oculis irrisorum appareret. Hic est irrisus a Cham imitatoribus. Hic de ligno crucis stillavit sanguis redemptionis de ligno vitæ quod est Christus. Proverb. III, 18 : *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam : et qui tenuerit eam, beatus.*

38 « Et velum templi scissum est in duo, a summo usque deorsum. »

Tangit Christi mortem consequentia. Et sunt duo : apertio secretorum, et conversio infidelium.

De primo dicit : « *Et velum,* » quod a velando dicitur, « *templi,* » quod distinguebat sancta a Sanctis sanctorum. Et de velo isto dicitur, ad Hebr. IX, 8 : *Hoc significante Spiritu sancto nondum propalatam esse Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum :* sed modo, scisso velo, significatur quod in morte Christi via ad Sancta sanctorum est propalata. Apocal. XI, 19 : *Apertum est templum Dei in cœlo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus :* quæ omnia continent sacramenta nostræ redemptionis, hic enim est arca novi testamenti.

« *In duas partes,* » credentium Judæorum, et fidelium Gentium. Ad Roman. III, 29 et 30 : *An Judæorum Deus tantum? nonne et gentium? Immo et gentium : quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumscisionem ex fide, et præputium per fidem.*

« *A summo usque deorsum,* » hoc est, a maximo usque ad minimum : vel a littera usque ad spiritum. II ad Corinth. III, 18 : *Nos omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur.*

« Videns autem centurio qui ex adverso stabat, quia sic clamans exspirasset, ait : Vere hic homo Filius Dei erat. » 39

Ecce conversio infidelium qui ante velum habebant supra cor eorum. Centurio autem fuit qui centum sub se habebat milites, et erat gentilis. « *Videns autem centurio qui ex adverso stabat,* » ordinans eos qui occidebant damnatos : et videns ea *quæ fiebant,* ut dicitur, Luc. XXIII, 48. Quia sic clamans in tenebris, et scissura petrarum, et monumentorum apertione, divisione veli templi, et maxime in clamore valido vocis, quæ in morientibus acui solet. Ad Hebr. V, 7 : *Cum clamore valido, et lacrymis offerens preces supplicationesque ad Deum.* Et pro crucifixoribus, Luc. XXIII, 34 : *Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt.*

Et « *quia sic clamans exspirasset,* » quod mirandæ pietatis esse videbatur, « *ait : Vere,* » sicut probant ista prodigia, « *hic homo,* » qui in humanitate apparuit extra, intus « *Filius Dei erat* : » aliter enim tanta gloria Dei in morte ejus non appareret. Joan. I, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Et ideo dicitur, Luc. XXIII, 48, quod alii etiam videntes percutientes pectora sua reversi sunt in civitatem.

« Erant autem et mulieres de longe adspicientes, inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi minoris, et Joseph mater, et Salome : 40

Et cum esset in Galilæa, sequebantur eum et ministrabant ei : et aliæ 41

multæ, quæ simul cum eo ascenderant Jerosolymam. »

Hic igitur de Domini sepultura.

Et habet tres partes : in quarum prima descriptio ponitur eorum qui officium funeri Domini impenderunt pietatis : in secunda, qualiter impetratum fuit corpus a Pilato, sive modus describitur impetrationis, ibi, in medio ℣. 43 : « *Et audacter introivit*, etc. » In tertia, ponitur modus sepulturæ, ibi, ℣. 46 : « *Joseph autem mercatus*, etc. »

Adhuc autem in prima harum duo dicuntur : scilicet, descriptio sanctarum fœminarum, et descriptio Joseph qui Christum sepelivit.

Mulieres autem describuntur in speciali, et in generali.

In speciali a tribus : a diligentia observationis, a nominibus, et obsequio pietatis.

Dicit igitur : « *Erant autem mulieres*, » affectu pietatis flentes, « *de longe*, » extra turbam stantes primo : postea autem aliis revertentibus in civitatem compunctis, audaciam accipientes et ad crucem accedentes. Unde, Joan. XIX, 25 : *Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus, Maria Cleophe, et Maria Magdalene.*

« *Adspicientes* » quæ fiebant et circa Dominum et in passionibus, et prodigia quæ ostendit Deus.

Et tangit descriptionem earum in speciali : « *Inter quas erat Maria Magdalene :* » quia multæ fuerunt, sed istæ erant inter eas principales. Maria Magdalene Domini Jesu dilectrix præcipua. Luc. VII, 47 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc. VIII, 2 : *De qua septem dæmonia exierant.*

« *Et Maria mater Jacobi minoris*, » Apostoli, « *et* » hæc eadem erat, « *mater Joseph*, » qui cognominabatur Barsabas, sive justus : qui fuit unus de discipulis positus ad sortes cum Matthia [1]. « *Et* » Maria, « *Salome* » filia : quæ erant sorores beatæ Virginis et materteræ Domini.

« Et cum esset »

Dominus « *in Galilæa*, » per omne tempus suæ prædicationis, « *sequebantur eum*, » propter doctrinam, « *et ministrabant ei*, » de facultatibus suis [2]. Et hæc est descriptio ab obsequio pietatis. Unde de bona vidua dicitur, 1 ad Timoth. V, 10 : *Si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si omne opus bonum subsecuta est.*

« Et aliæ multæ. »

Descriptio est in generali sive communi : « *quæ simul cum Domino ascenderant*, » ad diem festum, ad quem tota terra ascendere tenebatur ex lege [3].

Et hoc est : « *Cum eo*, » Jesu, « *Jerusalem*, » sicut Joanna et Susanna uxor Chusi procuratoris Herodis, et quibus dixit Dominus, Luc. XXIII, 28 et 31 : *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete...: quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet ?*

« Et cum jam sero esset factum, quia erat parasceve, quod est ante sabbatum. **42**

Venit Joseph ab Arimathæa, nobilis decurio, qui et ipse erat exspectans regnum Dei. » **43**

Hic describitur pietas Joseph ab Arimathæa, qui in nullo a virtutibus prædecessorum nominis sui minor apparuit. Sicut enim Joseph Patriarcha captivita-

[1] Cf. Act. I, 23.
[2] Cf. Luc. VIII, 3.
[3] Exod. XXIII, 15.

tem et venditionem Christi, et salutem gentium per Christum factam, virtutibus suis præfiguravit : et sicut Joseph nutritius Domini diligenter obsecutus fuit : ita iste nunc paribus virtutibus mortuo Domino officium funeris impendit.

Describit autem in hoc illustri viro temporis ad obsequendum congruitatem, fidelitatem, nominis non vacuam proprietatem, gentem, generis nobilitatem, dignitatem, et religionem : quibus dignus habitus est ad obsequendum tanto funeri.

Dicit igitur de tempore tria : diei passionis complementum, temporis negotium, et futuri temporis perfectum sabbatum.

Dicit ergo : « *Et cum sero factum esset.* » Toto die perfecto in opere nostræ redemptionis, quod ad illud sero perfectum erat. Deuter. XXXII, 3 et 4 : *Date magnificentiam Deo nostro. Dei perfecta sunt opera.* Hæc est oratio vespertina quam pro nobis Christus obtulit, quæ ad Patrem ascendit. Psal. CXL, 2 : *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Hic est pinguis agnus, qui quartadecima die ad vesperam est oblatus [1]. *Sero* enim hoc factum est complementum nostræ redemptionis : in vigilia enim matutina captus est, et illusus fuit coram Pontificibus : in prima, productus est in Pilati prætorio, et accusatus : in tertia, condemnatus : in sexta, mortuus : in nona, adhuc remansit in cruce distensus : in vespera, deponitur : ideo completo opere nostræ redemptionis, in completorio sepultus. In sero ergo vesperarum istud fuit. Ruth, II, 7 : *De mane usque ad nunc stat in agro, et ne ad momentum quidem domum reversa est.* Ad litteram : Sapientia Dei sic in agro ante portam civitatis suspensa stetit, nec ad momentum se passionibus subtrahens, donec perfecit redemptionem.

« Quia parasceve erat. »

Describit tempus a negotio temporis. Parasceve enim Græce, latine sonat *præparatio* : quia tunc necessaria ad sabbatum sequens præparabantur. Sicut etiam, Exod. XVI, 22, Dominus præcepit, quod sexta feria duplum mannatis colligeretur propter sabbatum futurum : tunc etiam Joseph iste præparabat quieti Domini in sepulcro necessaria, præparando sepulcrum, et mercando sindonem, et cum Nicodemo parando mixturam myrrhæ, et aloes quasi libras centum : sicut dicitur, Joan. XIX, 39. I Paralip. XXIX, 16 et 17 : *Omnis hæc copia quam paravimus ut ædificaretur domus* (hoc est, sepulcrum) *nomini sancto tuo, de manu tua est, et tua sunt omnia. Scio, Deus, quod probas corda, et simplicitatem diligas, unde et ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc.*

« Quod est ante sabbatum »

Futurum, in quo non erat congruum operari omnibus jam perfectis. Ad Hebr. IV, 3 et 4 : *Operibus ab institutione mundi perfectis, dixit de die septima sic : Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus.* Sic etiam completo opere redemptionis cum abundantia gratiæ sepulcrum intravit. Job, V, 26 : *Ingredieris in abundantia sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo.* Et ideo dicitur, Isa. XI, 10, secundum translationem Septuaginta : *Erit sepulcrum ejus gloriosum* [2].

Hæc igitur est congruitas temporis.

« Venit. »

Fidelitatem quam habuit ad vivum, voluit etiam exhibere mortuo. Hæc enim est vera fidelitas. Ruth, II, 20 : *Benedictus sit a Domino, quia eamdem gratiam quam præbuerat vivis servavit et mor-*

[1] Exod. XII, 6.

[2] Idem habet Vulgata.

tuis ! Et ideo notatur fidelitas ejus qui ad mortuum venit, et damnatum non erubuit. Sic laudat Apostolus Onesiphorum, II ad Timoth. I, 16 et 17, quia eum captivum, et fere damnatum sollicite quæsivit, et invenit, et catenam suam non erubuit.

« Joseph. »

Ecce laus nominis, quod a significatione sua non cecidit, quia accrescens cum virtute fuit : accrescens Christo, cum etiam Apostoli relicto Christo fugerunt. Genes. XLIX, 22 : *Filius accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus adspectu.*

« Ab Arimathæa »

Natus : et est laus a patria et gente. Hæc enim erat civitas Samuelis, cui iste in nullo fuit inferior : sed probans se tanti concivis consortem, et tanti judicis in omni dignitatis honore hæredem (unde Arimathæa *suscitans donum Domino*, vel *vigilia donationis Domini* interpretatur) quia et iste dona Samuelis suscitavit in omni honestate : et ad hoc vigilavit, ut dona a Domino per spoliantes eum abstracta suis resuscitaret impensis. I Paral. XXIX, 17 : *Populum tuum qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria, Domine Deus Israel.* Populus autem qui post fugam omnium repertus est, fuit turba sanctarum mulierum, et Nicodemi, et præcipui inter omnes Joseph ab Arimathæa.

« Nobilis. »

Laus est a natalibus : talibus enim natalibus dignus fuit, qui summo majestatis Domino in obsequio electus sit. Hic est qui laudatur in Ecclesiis, Proverb. XXXI, 23 : *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ*, inter quos tenet principatum : quia aliis fugientibus Christo accrevit.

« Decurio. »

Ecce laudatur a dignitatis suæ potestate. Decurio enim vocatur, qui officium publicæ dignitatis in curia Imperatoris administravit electus. De his dedit consilium Jethro, Exod. XVIII, 21 et 22 : *Provide de omni plebe viros potentes et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam : et constitue ex eis tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos, qui judicent populum omni tempore.* Ex talibus igitur electus factus est decurio. Unde, Luc. XXIII, 50 et 51 : *Et ecce vir nomine Joseph, qui erat decurio, vir bonus et justus, hic non consenserat consilio et actibus eorum, ab Arimathæa, civitate Judææ.*

« Qui et ipse erat exspectans regnum Dei. »

Laus est a religione. Fide enim et spe « *regnum Dei* » suscitandum in Christo, et firmandum « *exspectabat :* » religione et pietate suspensus ad illud. Luc. XXIII, 51 : *Qui expectabat et ipse regnum Dei.* Sicut et sanctus Simeon et felix Anna regnum Dei in Christo exspectabant [1]. Unde dicitur, Sapient. X, 10 : *Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei.* Quod jam in sacramentis perfectum, et per Christum confirmatum est. Luc. XVII, 21 : *Regnum Dei intra vos est.*

« Et audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. »

Tangit impetrationem corporis Domini.

Et dicuntur tria : corporis petitio,

[1] Luc. II, 25 et 38.

de morte certificatio, et corporis concessio.

Petitio tangitur quando dicit : « *Et audacter,* » omni timore deposito, sicut homo potestatem habens plus ex virtute quam ex adjutoribus. Eccli. VII, 6 : *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.*

« *Introivit* » in palatium, « *ad Pilatum* » præsidem. Eccli. XLVIII, 13 : *In diebus suis non pertimuit principem, et potentia nemo vicit illum.*

« *Et petiit corpus Jesu* » sibi concedi a publica potestate, hoc præferens omni thesauro. Sapient. VII, 8 : *Præposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius.*

44 « Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. Et accersito centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset.
45 Et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Joseph. »

Hic tangit mortis Christi certificationem.

Dicit autem tria : admirationem, inquisitionem, et certificationem.

Dicit igitur : « *Pilatus autem mirabatur si* » tantæ virtutis homo et potentiæ, qui cœlum mutavit, qui saxa scidit, qui tumulos aperuit, qui velum per scissuram divisit, « *jam,* » quasi talibus pœnis mortis superatus, « *obiisset.* » Potius etiam sibi mors cedere quam ipse morti cedebat, ut Pilato videbatur, debebat. Hac igitur de causa mirabatur : unde etiam ministri sceleris non fregerunt ejus crura, quia jam ante tempus æstimatum invenerunt eum mortuum, sicut dicitur Joan. XIX, 33.

« Et accersito centurione, »

Qui crucifixoribus præerat, et Deum glorificaverat dicens : *Vere Filius Dei erat iste :* « *interrogavit eum si jam mortuus esset,* » ut certissime sciret id de quo mirabatur. Job, XXIX, 16 : *Causam quam nesciebam diligentissime investigabam.*

« Et cum cognovisset a centurione, »

Qui crucifixoribus præerat, quod mortuus esset, quia ipse viderat eum clamantem exspirare, « *donavit corpus* » Jesu « *Joseph* » sepeliendum : et tanto facilius donavit, quanto plura viderat miracula. Psal. XCVII, 1 : *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.* Psal. LXVII, 5 : *Psalmum dicite nomini ejus : iter facite ei qui ascendit super occasum,* hoc est, per miracula suæ mortis elevatur : et ideo tam facilis fuit Pilatus ad donandum corpus.

« Joseph autem mercatus sindonem, 46
et deponens eum, involvit sindone. »

Hic tangitur dominica sepultura.

Quinque autem dicit : scilicet, expensas involutionis, depositionem corporis, solemnitatem sepelitionis, clausuram munitionis, observationem sacrarum mulierum tantam custodiam adhibentium ut observarent locum sepelitionis.

Dicit igitur de primo : « *Joseph autem mercatus sindonem,* » pannum candentis linei, qui innocentiam Domini et liliosam significabat castitatem : ut qui rubricatus fuerat sanguine Passionis, candidaretur sindone innocentissimæ castitatis. Cantic. VII, 10 : *Dilectus meus candidus et rubicundus.* Et ideo etiam Ecclesia corpus ejus non nisi in panno lineo involvit. Proverb. XXXI, 24 : *Sindonem fecit, et vendidit.* Quia Ecclesia fecit hanc sindonem de candore innocentiæ Christi : et vendidit Joseph pro commutatione æterni regni, ut in perpetuum Christi corpus involveretur.

« *Et deponens eum,* » Christum de cruce cum Nicodemo et aliis sanctis, « *involvit*

sindone : » ut significaretur quod in perpetuo in corde mundo esset involvendus. Psal. L, 12 : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Luc. XXIII, 53 : *Depositum involvit sindone.* Joan. XIX, 40 : *Acceperunt corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus.* Matth. XXVII, 59 : *Accepto corpore Jesu, Joseph involvit illud in sindone munda.*

« Et posuit eum in monumento quod erat excisum de petra, et advolvit lapidem ad ostium monumenti.

47 Maria autem Magdalene et Maria Joseph adspiciebant ubi poneretur. »

Hic tangitur solemnitas sepelitionis.

Tanguntur autem hic duo : scilicet, quod posuit in monumento, quod quasi munimentum dicitur, quia firmissimum erat, ne dici posset quod esset ablatus : quia per Spiritum scivit, quod hoc dicere debebant Pharisæi, et idcirco Dominus voluit ad sepulcrum adhiberi custodiam, ut innegabilis esset Resurrectio. Matth. XXXVII, 64 : *Jube custodiri sepulcrum, ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi : Surrexit a mortuis, et erit novissimus error pejor priore.* Idcirco ergo posuit in loco munito. Dicitur autem etiam monumentum a monitione, quia in memoria erat sanctorum. Proverb. X, 7 : *Memoria justi cum laudibus.* Psal. CXI, 7 : *In memoria æterna erit justus.*

« *Quod excisum erat in petra.* » Ad litteram enim sepulcrum fuit domus camerata, excisa in petra ad tantam altitudinem, quantam homo vix attingit extensione manus a fundamento usque ad superius : habens introitum ab Oriente, in cujus aquilonari parte erat in petra spelunca septem pedum longitudinis in pariete aquilonari, et trium pedum latitudinis : quæ versus meridiem tota patebat, et erat aperta tribus palmis. In hac spelunca positum fuit corpus.

Et hoc est quod dicit : « *Quod erat excisum in petra :* » quæ petra soliditatem fidei significat, in qua apud Ecclesiam sepultus est Christus. 1 ad Corinth. X, 4 : *Petra autem erat Christus,* hoc est, fides Christi. Matth. XVI, 18 : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

« Et advolvit. »

Ecce sepulcri sigillatio.

« *Et advolvit lapidem* » miræ magnitudinis, qui humana fortitudine esset immobilis, nisi multi et cum instrumentis convenirent, « *ad ostium monumenti :* » ut omnis suspicio in Resurrectione ejus tolleretur, quia firmam spem Resurrectionis habebat. *Ostium* autem *monumenti* dicitur apertura speluncæ conversa ad meridiem, quæ erat intra concavitatem cryptæ : in qua spelunca, Matth. XXVII, 60 : *Advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit.* Thren. III, 53 : *Lapsa est in lacum vita mea, et posuerunt lapidem super me.*

« Maria autem Magdalene, »

Præ cæteris ardens in amore Domini, « *et Maria Joseph,* » supple, mater : et cæteræ mulieres quæ inseparabiliter Domino in morte adhæserunt. Lucæ enim, XXIII, 49, dicitur, quod *stabant omnes noti ejus a longe, et mulieres quæ secutæ eum erant a Galilæa, hæc videntes.*

Et hoc est : « *Adspiciebant* » diligenter « *ubi poneretur,* » ut mortuum visitarent, et officium funeri impenderent. Visus enim ab amico mortuo non retrahitur. Matth. XXVII, 61 : *Erat autem ibi Maria Magdalene, et altera Maria, sedentes contra sepulcrum,* ut viderent quid ageretur.

CAPUT XVI.

Mulieribus ad Christi monumentum obstupescentibus, Angelus resurrectionem ipsius annuntiat; qui primum Mariæ Magdalene apparet, deinde duobus discipulis in alia effigie : demum undecim recumbentibus apparens, exprobrata incredulitate, mittit eos ut in universo mundo prædicent ac baptizent, subjunctis signis quæ sequantur credentes, ac ita in cœlum ascendit.

1. Et cum transisset sabbatum [1], Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.
2. Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole.
3. Et dicebant ad invicem : Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?
4. Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde.
5. Et introeuntes in monumentum [2], viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt.
6. Qui dicit illis : Nolite expavescere : Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum : surrexit, non est hic, ecce locus ubi posuerunt eum.
7. Sed ite, dicite discipulis ejus, et Petro, quia præcedit vos in Galilæam : ibi eum videbitis, sicut dixit vobis [3].
8. At illæ exeuntes, fugerunt de monumento, invaserat enim eas tremor et pavor : et nemini quidquam dixerunt, timebant enim.
9. Surgens autem mane, prima sabbati [4], apparuit primo Mariæ Magdalene, de qua ejecerat septem dæmonia.
10. Illa vadens nuntiavit his qui cum eo fuerant, lugentibus et flentibus.
11. Et illi audientes quia viveret et visus esset ab ea, non crediderunt.
12. Post hæc autem, duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam [5].
13. Et illi euntes nuntiaverunt cæteris : nec illis crediderunt.
14. Novissime, recumbentibus illis undecim apparuit : et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis, quia iis qui viderant eum resurrexisse non crediderunt.
15. Et dixit eis : Euntes in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ.
16. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur.

[1] Matth. XXVIII, 1 ; Luc. XXIV, 1 ; Joan. XX, 1.
[2] Matth. XXVIII, 5 ; Luc. XXIV, 4 ; Joan. XX, 12.
[3] Supra, XIV, 28.
[4] Joan. XX, 16.
[5] Luc. XXIV, 13.

17. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient[1], linguis loquentur novis ,
18. Serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint non eis nocebit , super ægros manus imponent et bene habebunt[2].
19. Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum[3], et sedet a dextris Dei.
20. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis.

IN CAPUT XVI MARCI

ENARRATIO.

1 « Et cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Jacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.

2 Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole.

3 Et dicebant ad invicem : Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti ?

4 Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. »

Hic de ultima Leonis proprietate agitur, quæ est quod animal suorum esse dicitur vivificativum. Osee, VI, 3 : *Vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos.* Et hoc ostenditur in Resurrectione, quæ sicut dicit Apostolus, I ad Corinth. XV, passim, causa est nostræ resurrectionis.

Dividitur autem hæc pars in duas partes : in quarum prima continetur de nuntiatione Resurrectionis facta per Angelos : in secunda autem, describitur de apparitione, ibi, ℣. 9 : « *Surgens autem mane, prima sabbati*, etc. »

Adhuc in prima parte tria dicuntur : in quorum primo personæ quibus facta est denuntiatio describuntur : in secundo, describitur persona denuntians, ibi, ℣. 4 : « *Et introeuntes*, etc. » In tertio autem, denuntiatio facta describitur, ibi, ℣. 6 : « *Qui dicit illis : Nolite expavescere*, etc. »

In prima harum partium quatuor dicuntur : in quorum primo describitur tempus visitationis : in secundo, personæ visitantes : in tertio, tempus adventus ad sepulcrum : in quarto, angustiosa inquisitio de possibilitate intrandi in sepulcrum. Et hæc patent in littera.

Dicit igitur : « *Et cum transisset sabbatum*, » in quo nulli operari aliquid licebat : quia *erat magnus dies ille Sabbati*, sicut dicitur, Joan. XIX, 31. Quia et sabbatum erat et festum Paschæ. Et ideo, sicut dicitur, Luc. XXIII, 56 : *Siluerunt :* aromatibus in Parasceve emptis et præparatis. Cum autem sabbatum hoc magnum transisset, Isa. LVIII, 13 : *Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo : et vocaveris sabbatum delicatum, et sanctum Domini gloriosum :* Dominus enim tunc quievit ab omni opere suo. Et ideo dignum fuit ut sui ab omni opere quiescen-

[1] Act. XVI, 18.
[2] Act. II, 4 et X, 46.
[3] Act. XXVIII, 5.
[4] Act. XXVIII, 8.
[5] Luc. XXIV, 51.

do quietem illam significarent. Ad Hebr. IV, 10 : *Qui ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus.*

« Maria Magdalene, »

Quæ *terrifica* interpretatur, quæ cæteris audacior fuit, et hæc audacia ex amore provenit. Unde de amore ejus dicit Chrysostomus : « Magnus amor et « igne vehementior, et non est aliquid « quod ejus proprium impetum sustinere « possit. »

« *Et Maria Jocobi,* » hoc est mater Jacobi, « *et Salome,* » hoc est, filia Salome ; quarum duæ erant sorores, et tertia specialissima fuit Domino : cum quibus non erat beata Virgo, quia fides ejus non nutavit a spe Resurrectionis. Probabile autem erat quod cum eis erant aliæ mulieres, quæ non commemorantur : quia istæ erant potissimæ, et aliæ erant quasi pedissequæ istarum in religione Christiana.

Istæ ergo « *emerunt* » magnis pretiis « *aromata,* » quasi aeromata dicta, quia diffundunt longe lateque bonum odorem in aerem : significantia famam Crucifixi longe lateque diffundendam. II ad Corinth. II, 14 et 15 : *Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco : quia Christi bonus odor sumus Deo.* Cantic. IV, 10 : *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.*

« *Ut venientes,* » ex devotione ad visitandum sepulcrum, « *ungerent Jesum :* » quia tunc moris erat ungere corpora mortuorum, ut præfiguraretur quod resurrectura erant unguento plenæ gloriæ delibuta. In figura hujus Joseph, Genes. L, 2 : *Præcepit servis suis medicis, ut aromatibus condireut patrem.* Aromata sunt virtutum, quas in conversatione habebant, significationes. Unguenta autem præsignant gloriam resurrectionis, in qua surgent delibuta.

« Et valde mane , »

In vigilia matutina, ut congrueret facto Veteris Testamenti, Exod. XIV, 24 et 25 : *Jamque advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum, per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum : et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.* Hoc enim factum est tempore Resurrectionis, cum victor ab inferis Christus resurrexit.

« *Una sabbatorum,* » hoc est, prima sabbatorum, quia *unum* et *primum* apud Judæos est idem : et apud omnes qui numero litterarum significant nomina ordinalia numerorum, sicut primum et secundum et tertium, etc.

Una ergo *sabbatorum,* quæ est dies dominica. Sabbatum enim hic septimana dicitur, propter hoc quod dies septimanæ a sabbato numerantur sic, prima sabbati, hoc est, prima a sabbato, et secunda sabbati, et tertia, et sic de aliis : unde, Luc. XVIII, 12 : *Jejuno bis in sabbato,* hoc est, in septimana numerata a sabbato.

« *Veniunt,* » ex devotione et fide quam habebant ad Dominum, « *ad monumentum.* » Inde enim dicitur monumentum, quia admonitio est mortuorum, ut sint in recordatione vivorum. Psal. CXI, 7 : *In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit.* Et ideo tituli scribuntur in tumulis mortuorum, qui *epitaphia* dicuntur, ut memoria eorum apud vivos remaneat. Proverb. X, 7 : *Memoria justi cum laudibus.*

« *Orto jam sole,* » videtur autem contrarium quod dicitur, Joan. XX, 1, ubi dicitur : *Cum adhuc tenebræ essent.* Ad hoc hoc autem dicit Augustinus, quod cum venerunt, tenebræ erant : sed tamen aurora apparuit, quando radii solis tenebris se immiscuerunt, nec adhuc solis corpus apparuit : et ideo cum dicit, « *Orto jam sole,* » intelligendum est, quod solis ortus fuit per radiorum appa-

ritionem, et non per corporis sui ortum de sub terra.

Quod autem dicit : « *Orto jam sole,* » significat quod tunc primo radii solis in nubibus inceperunt apparere. Quod significabat jam surrexisse solem justitiæ, de quo dicitur, Malach. IV, 2 : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ*, scilicet Christus Deus noster, *et sanitas in pennis ejus*, quam oriri dicit Job [1], sed non malis, ad salutem. Job, III, 9 et 4 : *Non videat ortum surgentis auroræ, et non illustretur lumine.*

« Et dicebant ad invicem, »

Sollicitæ de lapidis revolutione, ut possent ingredi in sepulcrum : et hoc est quartum divisionis præcedentis. « *Quis* » virilis fortitudinis, « *revolvet nobis,* » quæ fœminæ imbecilles sumus, « *lapidem* » gravissimum. Infra, ℣. 4 : *Erat quippe magnus valde.*

« *Ab ostio,* » hoc est, ab apertura speluncæ, « *monumenti* : » hoc enim fœmineæ imbecillitati erat impossibile.

« Et respicientes, »

Quia ex desiderio iterum et iterum adspiciebant : et quia semper suis adest Deus, « *viderunt revolutum lapidem.* » Quod qualiter factum sit, Matth. XXVIII, 2 et 4, dicit quod Angelus Domini *accedens revolvit lapidem... Præ timore autem exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui,* qui custodes erant infra cryptam speluncæ, in qua erat monumentum.

Et reddit causam sollicitudinis mulierum, dicens : « *Erat quippe magnus valde,* » et mulierum superans imbecillitatem. Hoc enim voluit Dominus, ut esset insuspicabilis Resurrectio : sed illi possibile fuit, qui etiam totam terram sua Resurrectione tremere fecit. Psal. LXXV, 9 et 10 : *Terra tremuit et quievit, cum exsurgeret in judicium Deus.*

« Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt. » 5

Describit hic personam ejus qui Resurrectionem nuntiavit.

Dicuntur autem hic tria : ubi scilicet nuntium Resurrectionis invenerunt : et qualiter invenerunt : et quod ad magnificentiam ejus obstupuerunt.

Dicit igitur : « *Et introeuntes in monumentum,* » hoc est, in cryptam exteriorem monumenti, cujus ostium introitus fuit ad Orientem, « *viderunt,* » statim revelatis oculis, « *juvenem,* » ipso habitu corporis juvenilis prætendentem immortalitatem gloriosæ Resurrectionis : quia, sicut dicitur, ad Hebr. VIII, 13 : *Quod antiquatur et senescit, prope interitum est.* Et Philosophus : « Omnis secundum naturam corruptio in hac vita, est sicut senectus et vetustas. » In Resurrectione autem nemo senescit, quia sicut dicitur, Matth. XXII, 30 : *Erunt sicut Angeli Dei in cœlo.*

« *Sedentem,* » quiescentem, quia in æternis nemo laborat. Apocal. XIV, 13 : *Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.*

« *In dextris,* » quia sinistra temporalium jam transiit. Ad Coloss. III, 1 et 2 : *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Dextera enim significat æterna, in quibus jam et corporaliter quievit Dominus.

« Coopertum stola candida. »

Candor enim vestis, ut dicit Gregorius, significat amictum luminis, quo Chri-

[1] Job, XXXX, 18 : *Cum tempus fuerit, in altum alas erigit.*

stus corporaliter jam indutus significatur. Psal. CIII, 2 : *Amictus lumine sicut vestimento*. Sapient. VII, 26 : *Candor enim est lucis æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius*. Significat etiam ad amicos Christi blandimentum lenitatis : quia candor blandus est color. Candor dicitur albedo candens, quæ lumine sibi incorporato candet, sicut color argenti. Marc. IX, 2 : *Vestimenta ejus facta sunt splendentia et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere*. Et voluit Angelus sic blandiens venire, ne mulieres territæ de sepulcro fugerent. Matthæus autem, XXVIII, 3, dicit, quod *erat adspectus ejus sicut fulgur*, quod terribile erat : et hanc formam assumpsit Angelus, ut terreret custodes. Unde, ibidem, ℣. 4, dicitur : *Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui*.

« Et obstupuerunt »

Mulieres, præ gaudio et admiratione tantæ visionis.

Multæ autem contrarietates hic esse videntur inter Evangelistas. Matthæus, XXVIII, 1, dicit, quod mulieres ad monumentum venerunt *vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati*. Lucæ autem, XXIV, 1, dicitur : *Una sabbati valde diluculo, venerunt ad monumentum*. Et, Joan. XX, 1 : *Cum adhuc tenebræ essent*. Hic autem quod venerunt *orto jam sole*. Hic ergo multiplex apparet contrarietas : prima inter Matthæum et Marcum : quia Matthæus dicit quod venerunt *vespere*, Marcus autem dicit quod *mane, orto jam sole*. Secunda inter Marcum et Joannem : quia Joannes dicit quod venerunt, *cum adhuc tenebræ essent*, Marcus autem quod *orto jam sole*. Tertia inter Joannem et alios : quia, Joan. XX, 1, dicitur sola Maria Magdalena venisse : alii autem dicunt plures mulieres venisse. Has autem et similes contrarietates determinat Augustinus in libro de *Concordia Evangelistarum*, dicens, quod « vespera a qua nox incipit cum nocte et die sequenti ad unam refertur diem. » Et quia in vespera unguenta paraverunt ad veniendum, ideo Matthæus dicit, quod tunc venire cœperunt : et cum adhuc tenebræ essent erant in via veniendi, sicut dicit Joannes : sed orto jam sole non per corpus solis, sed per radios diluculi pervenerunt. Quod autem Joannes dicit Magdalenam venisse, per hoc non negat etiam alias venisse, quamvis de sola Magdalena faciat mentionem : quia principalis fuit inter eas, et aliæ quasi obsequentes illi.

« Qui dicit illis : Nolite expavescere. »

Tangitur de Resurrectionis Christi nuntiatione.

Tria autem hic dicuntur : confortatio mulierum, et nuntiatio Resurrectionis, et mulierum taciturnitas ex timore.

Dicit igitur : « *Nolite expavescere.* » Pavor enim est in cordis fuga secundum systolen : sed *expavescere* est quando pavor etiam in tremore corporis manifestatur. Job, IV, 14 : *Pavor tenuit me, et tremor*. Psal. LIV, 6 : *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ*. Contra tales ergo motus confortat Angelus, et est signum boni Angeli, sicut, Luc. I, 13 : *Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua*. Et postea, ℣. 30 : *Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum*. Gregorius : « Timeant qui ad societatem Angelorum « se non pertinere considerant : vos autem cur timetis, quæ vestros concives « videtis ? »

Attendendum autem est quod Matthæus dicit Angelum revolvisse lapidem et sedisse super eum, et hæc mulieribus dixisse. Marcus autem, quod sededat in monumento. Ad hoc autem dicit Augustinus, quod « duo fuerunt : unus in-

tus, de quo loquitur Marcus : alter extra, de quo loquitur Matthæus. » Hæc autem solutio non est necessaria : quia lapis qui super os speluncæ jacuit, etiam revolutus intra cryptam exteriorem sepulcri jacebat : et ideo quamvis super lapidem sederit, tamen intra cryptam sedebat supra lapidem et sic uterque verum dicit.

« Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum : surrexit, non est hic : ecce locus ubi posuerunt eum. »

Hic tangitur nuntium, quod continet tria : scilicet obsequii commemorationem, resurrectionis nuntiationem, et nuntiationis ad discipulos injunctionem.

Dicit igitur : « *Jesum quæritis,* » Salvatorem, « *Nazarenum,* » per conversationem florentem in gratia, et per resurrectionem florentem in gloria. II Reg. XXIII, 5 : *Cuncta salus mea : nec est quidquam ex ea quod non germinet.* Cantic. II, 12 : *Flores apparuerunt in terra nostra.*

« *Crucifixum,* » morte pro nobis mulctatum, et cruce turpatum ex obedientia Patris pro omnibus nobis. Ad Philip. II, 8 : *Factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis.* Hæc autem omnia Angelus dicit, scilicet, secretum commemorat, dispositionem quæsiti annuntiat, ut sciatur ex Deo esse nuntius, qui talia scire potuit, ut ita sermo ejus apud sanctas fœminans fiat credibilis. Psal. XCII, 5 : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

« Surrexit. »

Ecce nuntium Resurrectionis, quod consolatorium fuit vespertini fletus, quando unguenta tamquam mortuo ungendo paraverunt. Psal. XXIX, 6 : *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.*

« *Non est hic,* » cum mortuis, sed potius cum semper vivis, in congerie mortuorum numquam computandus, Gregorius : « Ut quid quæritis viventem cum mor« tuis ? » Matth. XXII, 32 : *Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Actuum, II, 24 : *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni : juxta quod impossibile erit teneri illum ab eo.* David enim, Psal. XV, 10, dixerat in eum : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo.*

Ponit autem Resurrectionis signa, dicens : « *Ecce locus,* » sudarium et linteamina quibus involutus fuit continens, ut sciatis quod mortis fasciis non est de cætero circumligandus. Psal. XIX, 12 : *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia.*

« *Ubi posuerunt eum* » manus sanctorum Nicodemi et Joseph ab Arimathæa. Locus autem intacto signaculo fuit clausus : ut sicut de Virginis utero exivit intacto pudoris signaculo, sic de tumulo exivit non apertis sigillis quæ posuerunt Judæi, custodes sepulcro adhibentes. Matth. XXVI, 66 : *Signantes lapidem cum custodibus.* Hoc autem ideo factum est, ut esset insuspicabilis Resurrectio : quia si signa fracta fuissent, dicere poterant quod aperto sepulcro discipuli fuissent eum furati, nunc autem remanentibus signaculis nihil dicere poterant. Et ideo intelligitur quod Angelus dicens : « *Ecce locus,* » tunc primo lapidem removit, vel parum remotum longius a spelunca ejecit, ut mulieres in speluncam possent respicere.

« Sed ite, dicite discipulis ejus, et Petro, quia præcedit vos in Galilæam : ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. »

Injunctio est nuntiationis ad discipulos, in qua quatuor dicuntur : quod in communi dicatur discipulis, quod specialiter Petro, et dicitur locus ubi appareat, et verificatio verbi quod prædixit.

Dicit igitur : « *Sed ite,* » non tar-

dantes inter mortuos vitam quærendo : sed ite, « *nuntiate*, » vitam nuntiando, « *dicite discipulis ejus*, » qui digni sunt vita. Eccli. IV, 12 : *Sapientia filiis suis vitam inspirat.* Osee, VI, 3 : *Vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos.* Psal. LXXIX, 19 : *Non discedimus a te, vivificabis nos, et nomen tuum invocabimus.*

« *Et Petro* » specialiter, ne desperet de negatione. II ad Corinth. II, 7, confortate in illum charitatem, *ne forte abundantiori tristitia absorbeatur.* Negatio enim sua dispensatoria fuit ad multorum peccatorum consolationem. Luc. XXII, 31 et 32 : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

« *Quia præcedit vos*, » sicut dux itineris. Mich. II, 13 : *Ascendet pandens iter ante eos.*

« *In Galilæam* » autem præcessit, ut ubi fuit initium splendoris gratiæ, ibi esset etiam initium splendoris gloriæ. Isa. IX, 1 et 2 : *Aggravata est trans Jordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam : habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.*

« *Ibi eum videbitis*, » oculis corporeis. Joan. XVI, 22 : *Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum : et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Isa. LXVI, 14 : *Videbitis, et gaudebit cor vestrum.*

« *Sicut dixit vobis.* » Ecce veritas sermonum Domini, qui omnia hæc prædixit. Matth. V, 18 : *Iota unum, aut unus apex non præteribit a lege.* Et, Matth. XXIV, 35 : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.*

8 « At illæ exeuntes, fugerunt de monumento, invaserat enim eas tremor et pavor ; et nemini quidquam dixerunt, timebant enim. »

Ecce taciturnitas mulierum ex solo timore proveniens.

Et hoc est quod dicit : « *At illæ*, » mulieres, « *exeuntes de monumento*, » hoc est, de crypta monumenti, « *fugerunt*, » timore perterritæ, « *de monumento*, » magnitudine visionis percussæ. Job, IV, 14 et 15 : *Pavor tenuit me, et tremor : et cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.*

Et hanc causam subjungit : « *Invaserat enim eas pavor* » cordis, « *et tremor* » corporis : et ideo non plenam fidem habentes in verbis Angeli, « *nemini quidquam dixerunt*, » non plene de verbis Angeli fiduciam habentes.

« *Timebant enim*, » de his quæ videbant et audiebant. Ad Hebr. XII, 21 : *Exterritus sum, et tremebundus.* Territus autem non certe judicat de auditis et visis. Job, IX, 36 : *Neque enim possum metuens respondere.* Timor enim fuga cordis est : et ideo judicium verum de re aliqua habere non potest.

« Surgens autem mane, prima sab- **9**
bati, apparuit primo Mariæ Magdalene, de qua ejecerat septem dæmonia.

Illa vadens nuntiavit his qui cum **10**
eo fuerant, lugentibus et flentibus.

Et illi audientes quia viveret et vi- **11**
sus esset ab ea, non crediderunt. »

Hic agitur de apparitione. Et dicuntur tria : in quorum primo de triplici continetur apparitione, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum [1] : in secundo, continetur de assumptione, ibi, ℣. 19 : « *Et Dominus quidem Jesus*, etc. » In tertio, continetur de discipulo-

[1] Matth. XVIII, 16 ; Deuter. XIX, 15 ; II ad Corinth. XIII, 1.

rum missione, ibi, ℣. 20 : « *Illi autem profecti*, etc. »

Prima autem harum secundum triplicem apparitionem dividitur in tres partes, quæ patent in littera.

Dicit igitur : « *Surgens autem mane, prima sabbati*, » quæ erat prima post sabbatum : et hæc est quam *diem Dominicam* appellamus. Surrexit autem ut ad alta nos surgere doceret. Ad Coloss. III, 1 : *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt quærite.* Mane autem surrexit, ut tenebras omnis ignorantiæ et infidelitatis se pellere doceret. Psal. CXXXVIII, 12 et 11 : *Nox sicut dies illuminabitur..., et nox illuminatio mea in deliciis meis.* Mich. VII, 8 : *Cum sedero in tenebris, lux mea est.* Prima sabbati autem surrexit, ut jam ad sabbatum suos transivisse significaret. Isa. LXVI, 23 : *Erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato.*

« Apparuit primo Mariæ Magdalenæ, »

Inter eos in quibus probavit Resurrectionem. Matri enim Mariæ Virgini beatæ apparuit omnium primo : non ut probaret Resurrectionem, sed ut eam visu suo lætificaret : sed in Maria Magdalena Resurrectionem probavit.

Et dicit quare huic primum apparuit, dicens : « *De qua ejecerat septem dæmonia* [1]. Ad Roman. V, 20 : *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Psal. LXXXVI, 5 : *Memor ero Rahab et Babylonis scientium me.* Gregorius : « Septem « dæmonia Maria habuit, quæ universis « vitiis plena fuit. »

« Illa vadens, »

Et videns Dominum, gaudium hoc sola tenere noluit : sed « *nuntiavit his qui cum eo erant*, » discipulis, « *lugentibus*, » in vocibus querulosis, « *et flentibus*, » in lacrymis præ desiderio videndi eum. Joan. XVI, 20 : *Quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini.*

« Et illi, »

Discipuli, « *audientes quia viveret*, » post tormenta passionis et mortis, « *et visus esset ab ea*, » Magdalena, « *non crediderunt* » post tot pœnas mortis hominem posse vivere. Genes. XIX, 14 : *Visus est eis quasi ludens loqui :* et ideo non crediderunt.

Tamen jam tres apparitiones factæ sunt : primo enim apparuit Mariæ Magdalenæ, sicut hic dicitur : secundo autem mulieribus, quando tenuerunt pedes ejus [2]. Tertio apparuit Petro, sicut dicitur, Luc. XXIV, 34 : *Quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni.*

« Post hæc autem, duobus ex eis ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam, **12**

Et illi euntes nuntiaverunt cæteris : nec illis crediderunt. » **13**

« *Post hæc autem.* » Quæ hic est apparitio secunda : tamen inter eas, quæ in die Paschæ factæ sunt, est quarta.

Et hoc est quod dicit : « *Duobus ex eis* » discipulis, sicut dicitur, Luc. XXIV, 13 et seq., quorum unus fuit Lucas, et alter Cleophas, ambulantibus in castellum, cui nomen Emmaus, in via dum ambularent.

« *Apparuit in alia effigie*, » hoc est, in specie peregrini : quia peregrinus erat in mentibus eorum.

Et hoc est : « *Euntibus in villam*, » castellum scilicet Emmaus, quod erat castellum Cleophæ.

[1] Cf. Luc. VII, 48 et 50.

[2] Cf. Matth. XXVIII, 9.

« Et illi, »

Scilicet duo discipuli, cognoscentes eum in fractione panis, « *euntes,* » hoc est, in Jerusalem regredientes, « *nuntiaverunt cæteris* » discipulis : « *nec illis crediderunt.* » Quæ fuit quarta apparitio.

Et tunc juanis clausis ipso die, quando Thomas non erat cum eis, apparuit decem Apostolis et aliis discipulis, sicut dicitur, Joan. xx, 19 et seq.

Et hæ sunt quinque apparitiones in ipso die Paschæ perfectæ. Has quinque apparitiones repræsentat Ecclesia, quia quinquies in Missa se sacerdos convertit ad populum : et quasi vultum pro apparitione repræsentans eis, et toties dicit : « Dominus vobiscum. »

Postea etiam legitur in Evangelio quinquies apparuisse : quorum apparitionem prima fuit post octo dies, quando Thomas fuit cum eis, et dixit ei quod inferret digitum in loca clavorum [1]. Septima fuit ad mare Tiberiadis septem facta discipulis, sicut dicitur, Joan. xxi, 1 et seq. Octava fuit facta undecim discipulis in Galilæa. Matth. xxviii, 16 : *Undecim discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus.* Nona autem facta est in cœnaculo Jerusalem, undecim discipulis facta : et de illa hic loquitur. Decima facta est in ipso die Ascensionis in monte Oliveti, sicut dicitur, Luc. xxiv, 50 et 51.

De nona ergo hic loquitur : de qua etiam loquitur Lucas, Act. i, 9.

14 « Novissime, recumbentibus illis undecim apparuit : et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis, quia iis qui viderant eum resurrexisse non crediderunt. »

Dicit autem hic duo : scilicet, de ipsa apparitione, et de ascensione.

De apparitione quidem dicit tria : modum apparitionis, modum exprobrationis, et modum missionis.

De modo apparitionis dicit tria : scilicet, ordinem temporis quo facta est apparitio, modum devotionis quo tenebantur hi quibus apparuit, et modum ipsius apparitionis.

Dicit igitur : « *Novissime autem,* » non quoad numerum apparitionis, sed quoad ordinem dierum : quia quadragesimo die a Resurrectione facta est hæc apparitio in mane in Jerusalem in cœnaculo, post quam diem in nullo alio die apparuit.

« *Recumbentibus,* » in cœna et devotione fractionis panis : quando et ipse Dominus apparens comedit cum eis, Act. i, 1 : *Et convescens, præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum.*

« *Illis undecim discipulis.* » Glossa : « Ut omnes testes sint et omnibus narrent, quod communiter viderunt et audierunt. » Act. i, 8 : *Vos eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.*

« *Apparuit,* » scilicet illis undecim Jesus Salvator, qui semper salvat sperantes in se. Est autem apparitio, manifestatio perfecta occulti, et præter spem et providentiam ejus cui manifestatus ostenditur.

« Et exprobravit. »

Exprobratio est objectio ex probro : quod probrum fuit, quod tantis visis argumentis Resurrectionis, tantis auditis signis per testes idoneos propositis, non crediderunt. Joan. viii, 46 : *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Ad Hebr. ii, 3 et 4 : *Ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et*

[1] Cf. Joan. xx, 26 et seq.

Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem.

Ideò ergo exprobravit « *incredulitatem eorum.* » Luc. XXIV, 25 : *O stulti et tardi corde ad credendum !* Matth. XV, 16 : *Adhuc et vos sine intellectu estis.*

« *Et duritiam cordis,* » quod tot signa ad fidem emollire non poterant. Ezechiel. XXXVI, 26 : *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum.*

« *Quia iis qui viderant eum resurrexisse,* » sicut Mariæ Magdalenæ, Petro, et aliis, « *non crediderunt.* » Tot enim et tam magna signa mortis apparuerunt, quod nihil poterant æstimare de vita ipsius : unde et Thomas dixit : *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam* [1].

15 « Et dixit eis : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. »

Tertium est de missione ipsorum ad convertendum mundum.

Tria autem dicit, scilicet, quod mittit ad prædicandum, et quibus, et qua utilitate.

Dicit autem in primo tria : profectum prædicantium, universitatem eorum quibus prædicandum est, et quid prædicandum.

Dicit igitur : « *Euntes,* » hoc est, continuis profectibus in prædicando proficientes. Psal. LXXXIII, 8 : *Ibunt de virtute in virtutem.* Psal. CXXV, 6 : *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua.* Ezechiel. I, 14 : *Animalia ibant in similitudinem fulguris coruscantis.*

« *In mundum universum,* » non in Judæam tantum. Isa. XLIX, 5 : *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad ultimum terræ.* Psal. XVIII, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum,* etc. Sapient. I, 7 : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia.* Psal. XXIII, 1 : *Domini est terra, et plenitudo ejus : orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.*

« Prædicate Evangelium. »

Nihil aliud. Job, XXIX, 22 : *Verbis meis nihil addere audebant, et stillabat super eos eloquium meum.* Ezechiel. II, 7 : *Loqueris verba mea ad eos.* Hoc enim est bonum salutis nuntium. Isa. XLI, 27 : *Jerusalem evangelistam dabo.*

« *Omni creaturæ,* » hoc est, homini qui secundum corpus et animam convenit omni creaturæ : secundum corpus quidem habet in se substantiam elementorum, coagulationem cum mineralibus, complexionem cum vegetabilibus, compositionem cum animalium corporibus, æqualitatem complexionis et compositionis cum cœlestibus : secundum animam autem, quia est cum non vivis, vivit cum vegetabilibus, sentit cum animalibus, intelligit cum Angelis. Et ideo homo dicitur *omnis creatura.* Joan. XII, 32 : *Omnia traham ad meipsum.* Sapient. XI, 25 : *Diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti.*

« Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur. » 16

Hic tangit utilitatem. Et duas tangit utilitates : unam ex parte audientium, et unam ex parte prædicantium.

Ex parte audientium duo sunt, scilicet, meritum devotionis audientium, et meritum justitiæ ex parte contemnentium.

De primo dicit : « *Qui crediderit,* » fide formata. Joan. III, 16 : *Ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*

[1] Joan. XX, 25.

« *Et baptizatus fuerit,* » vel baptismo aquæ : vel si ille haberi non potest, baptismo flaminis, vel sanguinis [1]. I ad Corinth. x, 1 et 2 : *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari. Baptizati sunt,* dicit propter baptismum aquæ : *in nube* autem dicit fuisse, propter baptismum flaminis, sive spiritus : et *in Mari rubro* dicit, propter baptismum sanguinis. Matth. xxviii, 19 : *Euntes ergo docete omnes gentes : baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

« *Salvus erit,* » salute æterna, liberante a peccatis et pœnis : quia baptismus exterius non requirit neque gemitum, neque planctum. Psal. xliii, 8 : *Salvasti enim nos de affligentibus nos, et odientes nos confudisti.* Matth. i, 21 : *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Hoc significatum est, Exod. xv, 5, ubi dicitur : *Descenderunt in profundum quasi lapis,* quia omnes Ægyptii, hoc est, peccata merguntur in baptismo.

« Qui vero non crediderit, »

Per meritum justitiæ infidelitatis suæ, « *condemnabitur,* » æterna condemnatione. Luc. xix, 37 : *Inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, et interficite ante me.* Isa. lxiii, 3 : *Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea.*

17 « Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis,

18 Serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint non eis nocebit, super ægros manus imponent et bene habebunt. »

Fructus est ex parte prædicantium, fideliter et credentium.

Et dicit quinque, quæ per ordinem patent in littera.

Et hæc quidem præmittit in communi, dicens : « *Signa autem eos qui crediderint,* » propter meritum fidei. Joan. xiii, 12 : *Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado.*

« *Hæc sequentur* » sermonem eorum. Ad Hebr. ii, 4 : *Contestante Deo signis, et portentis, et variis virtutibus.*

« In nomine meo »

Invocato et honorato. Joan. xvi, 23 : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

« *Dæmonia ejicient.* » Hoc est primum : quia vis expellitur dæmonis, ne possit impedire a fide percipienda, et sacramento fidei : quod Ecclesia observat in suis exorcistis. Luc. iv, 41 : *Exibant autem dæmonia a multis clamantia, et dicentia : Quia tu es Filius Dei.* Præsentiam enim Christi in corde per fidem vis dæmonis sustinere non potest.

« Linguis loquentur novis. »

Hæ linguæ sunt locutio divina et Angelorum de cœlestibus et gaudiis æternorum. I ad Corinth. xiv, 26 : *Unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim,* hoc est, revelationem, *habet, linguam habet,* etc. Isa. l, 4 : *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo.*

« Serpentes tollent, »

Ad litteram. Sicut Paulus, cujus manui adhæsit vipera, et excussit eam in

[1] Vide in IV Sententiarum, Dist. IV, q. 1, art. 6.

ignem [1]. Et Jacobus duos ingentes dracones emisit in desertum, quos Hermogenes et Philetus concitaverant contra eum. Tamen spiritualiter hoc impletur in sacerdotibus Ecclesiæ, qui absolvunt serpentes de cordibus fidelium per compunctionem, et confessionem, et satisfactionem. Job, XXVI, 13 : *Spiritus Domini ornavit cœlos, et obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus.*

« Et si mortiferum quid biberint, etc. »

Hoc ad litteram impletum fuit in Joanne ante portam Latinam, qui venenum bibit, quod ei non nocuit. Spiritualiter impletur in ministris Ecclesiæ : qui cum sint medici spirituales, venenum bibunt, quando peccata aliorum per auditum et compassionem in se suscipiunt : quod illis non nocet, et sanant peccatores. Sicut medici qui exsugunt morsus venenatorum ab his quos venenata percusserunt. Job, XXXIV, 7 et 8 : *Quis est vir ut est Job, qui bibit subsannationem quasi aquam? Qui graditur cum viris operantibus iniquitatem, et ambulat cum viris impiis?* Isa. XI, 8 et 9 : *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis : et in caverna reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet. Non nocebunt, et non occident in universo monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.* Sicut enim ipsa venenata serpentem æneum non sustinuerunt [2], ita venenum non potest nocere habenti ad serpentis intuitum formatam fidem. Unde, Act. X, 13, de talibus dictum est Petro : *Occide, et manduca.* Et quod timeret, subjunxit, ℣. 15 : *Quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris.* Psal. XC, 13 : *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.*

Sic ergo : « *Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit :* » et tamen aliis valebit ad curam perfectæ sanitatis percipiendam.

« Super ægros, »

Quarumcumque ægritudinum, « *manus imponent,* » ad litteram, vel ad operationis exemplum. Et ad tactum eorum, « *bene habebunt,* » perfectæ sanitatis beneficium et corporaliter et spiritualiter consequentes. Act. IX, 40 et 41, ubi Petrus dedit manum Tabithæ : et erexit eam, et sanctis ac viduis assignavit vivam. Matth. IX, 18 : *Veni, impone manum super eam, et vivet.* Et de sacramentali manus impositione, Act. VIII, 17 : *Tunc imponebant manus super illos, et accipiébant Spiritum sanctum.* Et qui accipit Spiritum sanctum, non potest nisi bene habere.

« Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est, in cœlum, et sedit a dextris Dei. » 19

Tangitur decima apparitio, quæ facta est in die Ascensionis in monte Oliveti.

Et tanguntur hic duo, scilicet ascensio, et ex parte discipulorum ministerii et legationis sibi injunctæ perfectio.

In Ascensione tria tanguntur, scilicet eruditio consolationis, ascensio exaltationis, et corregnatio ascendentis in æqualitate Patris.

De primo dicit : « *Et Dominus.* » Vere Dominus, qui se probavit et vitæ et mortis habens potestatem. Esther, XIII, 11 : *Dominus omnium es.*

« *Quidem Jesus,* » qui salvat omnes sperantes in se. Psal. XLIII, 8 : *Salvasti enim nos de affligentibus nos.* Eccli. XLVI, 1 et 2 : *Fortis in bello Jesus Nave,... secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei.*

« *Postquam locutus est eis,* » quæ ad eruditionem suæ consolationis pertine-

[1] Cf. Act. XXVII, 3 et 5.

[2] Cf. Numer. XXI, 9.

bant : quæ, Act. I, 4 et 8, describuntur. Ibi certificavit eos de promisso Patris, et splendore scientiæ in spiritu veritatis, et ardore affectionis in spiritu charitatis. Isa. L, 4 : *Erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum.* Isa. VIII, 11 : *Sicut in forti manu erudivit me, ne irem in via populi hujus.*

« Assumptus est in cœlum. »

Tangitur ascensio exaltationis. Non autem virtute aliena est assumptus, sed propria virtute ascendens per congratulationem totius militiæ cœlestis et occursum, in gloriam paternam est assumptus. Psal. LXXXVIII, 19 : *Domini est assumptio nostra, et sancti Israel regis nostri.* Mich. II, 13 : *Ascendet pandens iter ante eos.* Hic adest noster luctator, Genes. XXXV, 1, cui dicitur : *Surge, Jacob, et ascende Bethel,* hoc est, domum Dei, *et habita ibi, facque altare Deo.* Ad Hebr. IX, 24 : *Non in manufacta sancta Jesus introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.*

« Et sedet a dextris Dei, »

Corregnans Patri in omni æqualitate secundum deitatem, et fruens potissimis bonis Patris secundum humanitatem. Ad Roman. VIII, 34 : *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Ad Coloss. III, 1 et 2 : *Ubi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Sedet autem in dextris cœli paterni, sicut totius cœli illuminator, etiam secundum humanitatem. Apocal. XXII, 5 : *Et nox ultra non erit, et non egebunt lumine lucernæ neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos.* Apocal. XXI, 23 : *Claritas Dei illuminavit eam,* scilicet civitatem Jerusalem, *et lucerna ejus est Agnus.* Unde sicut in terris illuminavit ad gratiam, ita in cœlis illuminat ad gloriam. Isa. LX, 1 : *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est.*

« Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis.» 20

Tangitur impletio ministerii et legationis apostolicæ.

Et tanguntur tria : profectus prædicantium, prædicationis exercitium, et divinum quod numquam defuit eis adjutorium.

De primo dicit : « *Illi autem,* » scilicet Apostoli, « *profecti,* » non tam passibus pedum quam passibus virtutum. Isa. XXVII, 6 : *Qui ingrediuntur impetu a Jacob, florebit et germinabit Israel, et implebunt faciem orbis semine.* Ezechiel. I, 14 : *Animalia ibant in similitudinem fulguris coruscantis.*

« Prædicaverunt »

Intelligenda, credenda, agenda, et appetenda. Intelligenda, quæ subnixa sunt necessariæ veritati : credenda, quæ innituntur divinæ auctoritati : agenda, quæ vel timore fugienda sunt, vel ut honesta cum virtute complenda sunt : appetenda quæ beatos faciunt.

De primis dicitur in Psalmo CX, 10 : *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Daniel. X, 1 : *Intelligentia opus est in visione.* II ad Timoth. II, 7 : *Intellige quæ dico : dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.*

De credendis dicitur, Joan. XIV, 1 : *Creditis in Deum, et in me credite.* Matth. XVII, 19 : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis.*

De agendis autem dicitur, Sapient. VIII, 7 : *Sobrietatem et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.*

De appetendis dicitur, Matth. VI, 33 :

Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.

De his omnibus dicitur, II ad Timoth. IV, 1 et 2 : *Testificor coram Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius et regnum ejus, prædica verbum : insta opportune, importune.*

« Ubique. »

Prædicationis in hoc notatur generalitas. Totum enim mundum sua compleverunt prædicatione. Isa. XLIX, 6 : *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad ultimum terræ.* Psal. XVIII, 5 : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.*

« Domino cooperante. »

Ecce Dei quod numquam defuit adjutorium.

Dicit autem duo : cooperationis divinæ adjutorium, et sermonis per signorum efficientiam confirmationem.

Dicit igitur : « *Domino cooperante,* » hoc est, virtutem operis ministrante. Joan. XV, 5 : *Sine me nihil potestis facere.* Isa. XXVI, 12 : *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine.*

« Et sermonem confirmante. »

Sermo autem confirmatus est per exempla ostensionis, et signa probationis. De primo dicitur, Matth. V, 16 : *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Ad Roman. XV, 18 : *Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus.*

De virtute autem signorum dicitur, ad Hebr. II, 3 et 4 : *Quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem ? quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, et portentis, et variis virtutibus.* Sermo enim qui super naturam et rationem est, non nisi signis potest confirmari. Joan. X, 38 : *Si mihi non vultis credere, operibus credite.*

Et hoc est quod dicit :

« Sequentibus signis. »

Joan. XIV, 12 : *Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado.* Psal. CXXXVIII, 14 : *Mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.* Eccli. XXXVI, 6 : *Innova signa, et immuta mirabilia.* Unde etiam comminatur his qui nec propter signa crediderunt, Joan. XV, 24 et 22 : *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Numer. XIV, 11 et 12 : *Quousque non credent mihi in omnibus signis quæ feci coram eis ? Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam.* Sed eos qui credunt ex omnibus signis quæ nobis narrantur ex Scripturis, beatificabit Dominus. Daniel. III, 99 et 100 : *Signa et mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa ejus, quia magna sunt : et mirabilia ejus, quia fortia : et regnum ejus regnum sempiternum, et potestas ejus in generationem et generationem :* cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

INDEX

Capitum in Evangelium secundum Marcum.

CAPUT I. *Joannes in austeritate vitæ prædicat, ac baptizat aqua : Christus vero Spiritu sancto : qui a Joanne baptizatus, cum bestiis agens in deserto, post jejunium quadraginta dierum a Satana tentatur : et Joanne tradito, prædicare incipit in Galilæa : vocatisque Simone et Andrea, Jacobo et Joanne Zebedæi, accedit Capharnaum, et reliqua Galilææ loca, ibique prædicans curat socrum Simonis, et leprosum, quem misit ad sacerdotes, plurimosque dæmoniacos ac male habentes cum magna omnium admiratione.* 339

In caput I Marci enarratio. 342

CAPUT II. *Murmurantibus Scribis quod paralytico per tectum in grabato demisso, diceret remitti peccata, jubens ipsum ferre grabatum, sanat cum : apud Levi, quem ad se sequendum vocaverat, discumbens cum pluribus publicanis, rationem dicit, murmurantibus Pharisæis, quare cum peccatoribus conversetur, et cur ipsius discipuli non jejunent : quos etiam spicas sabbato vellentes excusat.* 381

In caput II Marci enarratio. 382

CAPUT III. *Postquam manum aridam curaverat, Pharisæorum cedens machinationi secedit, turbis undique ad ipsum confluentibus, quarum infirmos curat : duodecim a se electos (qui hic recensentur) mittit ad prædicandum, data ipsis potestate super infirmitates ac dæmonia : Scribas blasphemantes ipsum in Beelzebub ejicere dæmonia convincit falsitatis, dicens blasphemiam in Spiritum sanctum irremissibilem, et quæ sint mater et fratres ejus.* 396

In caput III Marci enarratio. 398

CAPUT IV. *Parabolam proponit seminatoris, quam discipulis declarat : lucernam dicit super candelabrum ponendam : addens pa-*

rabolas de semine in terram jacto, quod excrescit dormiente eo qui seminavit, et de grano sinapis : discipulis autem seorsim omnia interpretatur : in navi a somno excitatus, tempestatem maris sedat. 418

In caput IV Marci enarratio. 420

CAPUT V. *In regione Gerasenorum dæmoniacum curat ferocissimum a legione dæmonum : quibus permittit ut in porcos ingrediantur, nec sinit ut ipsum sequatur is qui liberatus erat : curata muliere a profluvio sanguinis, venit ad domum Jairi, ejusque filiam resuscitat.* 441

In caput V Marci enarratio. 443

CAPUT VI. *Christi doctrinam in ipsius patria admirantur : ubi tamen propter illorum incredulitatem pauca edidit miracula : Apostolos mittens ad prædicandum, instruit quid observare debeant : Herodes, audita Christi fama, dicit Joannem Baptistam resurrexisse : cujus caput postulanti Herodiadis filiæ saltatrici propter jusjurandum tradiderat : in deserto quinque panibus et duobus piscibus quinque millia virorum satiat : super mare ambulans, tempestatem sedat : in terra Genesareth plurimos tactu fimbriæ vestimenti sanat.* 458

In caput VI Marci enarratio. 461

CAPUT VII. *Pharisæos redarguit, Christi arguentes discipulos, quod non lotis ederent manibus, cum ipsi Dei mandata ob suas traditiones transgrederentur : declarans quænam possint hominem coinquinare, nempe quæ de corde exeunt : Syrophœnissæ filiam, ad perseverantem illius supplicationem, a dæmonio liberat, et surdum ac mutum sanat.* 490

In caput VII Marci enarratio. 492

CAPUT VIII. *Septem panibus paucisque pisciculis satiat quatuor hominum millia : discipulos a fermento Pharisæorum cavere jubet : cæcum sensim curat : interrogatis Apostolis quem Jesum esse dicerent, Petrus confitetur ipsum esse Christum : et paulo post satanas ab eo dicitur, quod increparet illum dum suam prædiceret passionem : de tollenda cruce, et quod anima nihil debet esse carius.* 508

In caput VIII Marci enarratio. 510

CAPUT IX. *Transfigurato Jesu junguntur Moyses et Elias : dicit Eliam dum venerit, omnia restituturum : immo jam venisse, nec fuisse susceptum : surdum ac mutum spiritum ejicit, qui sola oratione et jejunio ejicitur : suam passionem prædicit : disputantes discipulos docet quis eorum sit major : de ejiciente dæmonium qui non sequebatur Jesum : de amputando manus, pedis, vel oculi scandalo.* 537

In caput IX Marci enarratio. 539

CAPUT X. *Nullo modo dimittendam uxorem astruit aliam ducendo : parvulos complexus, benedicit eis : dives qui præcepta a juventute observaverat, non amplectitur Christi consiliu m de omnibus divendendis : quid referent præmii qui omnia relinquunt : rursum suam prædicit passionem ; occasione ambitionis filiorum Zebedæi docet discipulos quod non ostensione dominii, sed officio ministerii debeant esse majores : Bartimæum cæcum sanat.* 572

In caput X Marci enarratio. 574

CAPUT XI. *Super pullum asinæ cum honore Jerusalem ingreditur : ficum maledicendo arefacit : ementes ac vendentes de templo ejicit : efficaciam fiduciæ in Deum ostendit, dicens fratri remittenda quæ in nos commisit : Scribis non dicit qua potestate hæc faciat, eo quod nec illi responderent ad propositam de Joannis baptismo propositionem.* 619

In caput XI Marci enarratio. 621

CAPUT XII. *Parabolam narrat de vinea agricolis elocata, qui servos ac filium patrisfamilias occiderunt : tentatur a Pharisæis de censu Cæsari solvendo : et a Sadducæis de resurrectione : interrogatur a Scriba de primo mandato : ipse vero rogat quo modo Scribæ dicant Christum filium esse David, docens ab ipsis cavendum : viduam laudat ob duo minuta in gazophylacium missa.* 641

In caput XII Marci enarratio. 643

CAPUT XIII. *Templum dicit evertendum, prædicitque bella et varias afflictiones ac persecutiones, abominationemque desolationis : de pseudochristis et pseudoprophetis : post signa in corporibus cœlestibus veniet cum gloria Filius hominis : et hujus signum dat a ficu : quia autem nemo tempus novit, jubet omnes vigilare.* 666

In caput XIII Marci enarratio. 667

CAPUT XIV. *Consultant principes sacerdotum de occidendo Jesu : qui unguento pretioso a muliere perfunditur, murmurantibus discipulis : venditur a Juda, de cujus proditione discipulis loquitur in cœna, in qua panem in corpus suum, et vinum in sanguinem consecrata tradit discipulis : prædicit omnes scandalizandos, et trinam Petri negationem : ac post trinam orationem capitur a Judæis : quorum uni Petrus abscidit auriculam : et discipulis fugientibus, coram Caipha a falsis testibus accusatus, mortisque reus judicatus, conspuitur ac cæditur, et ter a Petro negatur.* 684

In caput XIV Marci enarratio. 687

CAPUT XV. *Jesus coram Pilato accusatus, nihil respondet : præeligitur Barabbas, et Jesus traditur crucifigendus : qui multis modis illusus a militibus, ducitur ad crucifigendum, et*

divisis ipsius vestimentis, inter latrones crucifixus, audit variorum jactatas in se blasphemias : suboriuntur tenebræ : et clamans Jesus Eli, acetoque potatus, cum clamore valido exspirat, cujus corpus a Joseph sepelitur. 723

In caput XV Marci enarratio, 725

CAPUT XVI. *Mulieribus ad Christi monumentum obstupescentibus, Angelus resurrectionem ipsius annuntiat : qui primum Mariæ Magdalene apparet, deinde duobus discipulis in alia effigie : demum undecim recumbentibus apparens, exprobrata incredulitate, mittit eos ut in universo mundo prædicent et baptizent, subjunctis signis quæ sequantur credentes, ac ita in cœlum ascendit.* 748

In caput XVI Marci enarratio. 749

INDEX

Analyticus et historicus in Evangelium secundum Marcum.

PROOEMIUM.

Initia Evangelii Jesu Christi.

Præcursoris apparitio et prædicatio.	I, 8.
Christus a Præcursore baptizatur.	I, 9-11.
Christi tentatio.	I, 12-13.

PRIMA PARS.

Domini Nostri Jesu Christi Vita Publica.

§. I. — Christi prima virtutis opera.

Incipit prædicatio Christi.	I, 14-16.
Vocatio Simonis et Andreæ, Jacobi et Joannis.	I, 16-20.
Sanatur dæmoniacus in Capharnaum.	I, 21-28.
Sanatur socrus Petri.	I, 29-31.
Multi infirmi et dæmoniaci sanati.	I, 32-34.
Jesus peragrat Galilæam prædicans.	I, 35-39.
Leprosi mundatio.	I, 40-45.

§ II. — Prima oppositio contra Jesum.

Paralytici sanatione Jesus se posse dimittere peccata demonstrat.	II, 1-12.
Vocatio Levi, apud quem discumbens Jesus disputat cum Pharisæis.	II, 13-22.

Discipulos suos spicas vellentes sabbatis Dominus excusat. II, 23-28.
Jesus curat manum aridam. III, 1-6.

§ III. — Ab apostolorum electione usque ad eorumdem primam missionem.

Jesus secedens ad mare, ægros et dæmoniacos innumeros sanat. III, 7-12.
Apostolorum electio. III, 13-19.
Horrenda Scribarum calumnia confutata. III, 20 30.
Qui sint mater et fratres Christi? III, 31-35.
Parabolæ regni cœlorum.
1° Occasio describitur. IV, 1-2.
2° Parabola seminatoris. IV, 3-9.
3° Quare Jesus loquatur in parabolis? IV, 10-12.
4° Parabolæ seminatoris explicatio. IV, 13-20.
5° Verbum Dei attente audiendum. IV, 21-25.
6° Parabola seminis sensim crescentis. IV, 26-30.
7° Parabola grani sinapis. IV, 30-32.
8° Aliæ parabolæ Christi. IV, 33-34.
Tempestas sedata. IV, 34 40.
Dæmones in porcos missi. V, 1-20.
Hæmorrhoissæ sanatio filiæque Jairi suscitatio. V, 21-43.
Jesus in patria sua despectus circuit castella docens. VI, 1-6.
Apostolorum missio et instructio. VI, 7-13.

§ IV. — Peregrinationes Jesu per Galilæam.

Joannis Baptistæ martyrium. VI, 14-29.
Jesus secedit cum duodecim in desertum locum, ibique panes mire multiplicat. VI, 30-44.
Ambulat supra mare. VI, 45-52.
Regionem Genesareth percurrit multosque sanat. VI, 53-56.
Pharisæos redarguit docens quænam coinquinent homines. VII, 1-23.
Jesus Syrophœnissæ filiam a dæmonio liberat. VII, 24-30.
Hominem mutum et surdum sanat. VII, 31-37.
Secunda panum multiplicatio. VIII, 1-9.
Signum de cœlo fermentumque Pharisæorum. VIII, 10-22.
Cæcus quidam sensim sanatur. VIII, 22-26.

§ V. — Per gloriam Christi parantur discipuli ad ipsius crucem.

Gloriosa Petri confessio. VIII, 27-30.
Passionem suam Christus prædicit. VIII, 31-33.
Tollenda crux. VIII, 34-39.
Christus transfiguratur.
1° Miraculi narratio. IX, 1-7.
2° Collocutio memorabilis habita post miraculum. IX, 8-12.
3° Sanatio dæmoniaci surdi et muti. IX, 13-28.
Passio Christi prædicitur. IX, 29-31.
Jesus docet discipulos
1° Sectandam humilitatem ; IX, 32-36.
2° Tolerantiam exercendam ; IX, 37-40.
3° Vitanda scandala. IX, 41-49.

§ VI. — Jesus in Peræa versatur iterque facit in Jerusalem.

Matrimonii indissolubilitas declaratur.	X, 1-12.
Jesus parvulos benedicit.	X, 13-16.
Difficilem esse divitum salutem probatur	
1° Per exemplum cujusdam juvenis ;	X, 17-22.
2° Per verba Christi.	X, 23-31.
Jesus suam passionem tertia vice prædicit.	X, 32-34.
Filiorum Zebedæi petitio rejicitur.	X, 35-45.
Bartimæus cæcus sanatur prope Jericho.	X, 46-52.

SECUNDA PARS.

Ultimi Dies et Passio Domini Nostri Jesu Christi.

§ I. — Christus triumphator.

Christi ingressus triumphalis in Jerusalem.	XI, 1-11.

§ II. — Christus judex.

Ficus maledicta.	XI, 12-14.
Venditores e templo ejecti.	XI, 15-19.
Vis fidei.	XI, 20-26.
Jesus confundit Synedros.	
1° In qua potestate ?	XI, 27-33.
2° Parabola de vinitoribus homicidis.	XII, 1-12.
Confundit Pharisæos et Herodianos.	XII, 13-17.
Confundit Sadducæos.	XII, 18-27.
Interrogatur de maximo legis mandato.	XII, 28-34.
Ipse interrogat de Messia filio David.	XII, 35-37.
In Scribas invehitur.	XII, 38-40.
Duo minuta viduæ.	XII, 41-44.
Sermo de excidio Jerusalem et de mundi fine.	
1° Occasio narratur.	XIII, 1-4.
2° Prima pars sermonis, prophetica.	XIII, 5-31.
3° Secunda pars sermonis, parænetica.	XIII, 32-37.

§ III. — Christus patiens.

Conspiratio Synedrii in Jesum.	XIV, 1-2.
Unctio Jesu in Bethania.	XIV, 3-9.
Horrendum Judæ pactum.	XIV, 10-11.

Ultimo cœna
1 Parata, XIV, 12-16.
2° Juxta ritus legales celebrata, XIV, 17-21.
3° Eucharistica. XIV, 22-26.
Tres prædictiones Christi. XIV, 26-31.
Agonia Jesu in horto Gethsemani. XIV, 32-42.
Christus comprehenditur in horto. XIV, 43-52.
Jesus coram Synedrio. XIV, 53-65.
Trina Petri negatio. XIV, 66-72.
Jesus coram Pilato. XV, 1-15.
Christus illuditur a prætorianis. XV, 16-19.
Via crucis. XV, 20-22.
Crucifixio et mors Jesu. XV, 23-41.
Ejus sepultura. XV, 42-47.

TERTIA PARS.

Christi Resurrectio et Ascensio.

Piæ mulieres ad sepulcrum. XVI, 1-8.
Christus apparet Mariæ Magdalene. XVI, 9-11.
Apparet duobus discipulis. XVI, 12-13.
Apparet Apostolis. XVI, 14-18.
Ascensio Domini Jesu. XVI, 19-20.

INDEX RERUM

Et verborum notabilium quæ in commentariis in Marcum continentur.

N.-B. — Numerus romanus indicat caput, numerus vero arabicus versiculum capitis. V. gr. : *ABBA quid significet?* XIV, 36. Expositio vocis ABBA invenitur in capite decimo quarto Marci, ad versiculum 36.

A

AARON et Hur brachia Moysi sustentantes quid significant ? III, 17.

ABBA quid significet ? XIV, 36.

ABIATHAR alias ABIMELECH appellatur. II, 26.

ABOMINATIO desolationis quid sit ? XIII, 14.

ABRAHAM, Isaac, pueri, onus, et asinus, quid significent ? VI, 31.

ACCEPTA nobis esse debere apposita dona probatur. VI, 41.

ACTUS, res, et negotia, quomodo differunt ? I, 5.

ACCUMBERE facientes turbas discipuli Domini, quid significent mystice ? VI, 39.

ACHARIS quid significet ? I, 19.

ACROCERAUNIUM quid sit ? IV, 1.

ADJURATIO cur fiat, et quid significet ? V, 6 et seq.

ÆTATES hominis quibus temporibus noctis exprimuntur in Evangelio ? XIII, 35.

AFFECTUS terrenorum in homine senescente juvenescit. IV, 7.

AFFECTUS carnalis non debet nos avocare a divino officio. III, 31 et seq.

AGI spiritu quis proprie dicatur ? I, 12.

ALABASTRUM quid significet ? XIV, 3.

ALEXANDER quid interpretetur, et cur Simon pater ejus crucem Christi portaverit ? XV, 21.

AMALEC, *potus sanguinis.* IV, 4.

ALIENIS scripturis, ut propriis utentes qui dicantur ? In argumento S. Hieronymi.

ALPHÆUS, *doctor* vel *fugitivus.* III, 18.

ANCILLA quid significet, de qua dicitur : *Ejice ancillam hanc*, etc. VIII, 34.

ANDREAS, *virilis.* I, 18.

ANGELOS ante redemptionem naturæ humanæ dominatos fuisse, post autem seraivisse, sive ministrasse ostenditur. I, 13.

ANGELI cur non præsciant adventum Domini ? XIII, 32.

ANIMA quid significet, et quomodo differat a spiritu ? XIV, 34.

ANIMALIA quatuor sequentia spiritum ante thronum Dei, sicut dicitur in Apocalypsi, quid significent ? I, 1.

ANNA quid interpretetur ? XIV, 15.

ANNI duodecim quid significent, quibus mulier fuit in profluxu sanguinis ? V, 25.

ANNO tertio quomodo seminandum erat secundum Isaiam Prophetam ? IV, 4.

APPARUISSE Christum primo omnium matri suæ Mariæ ostenditur. XVI, 9.

APOSTOLORUM electio quomodo facta sit secundum hierarchiam divinam, et triplicem Angelicam ? III, 16-19.

AQUÆ suspensæ et aquæ deorsum fluentes, quomodo differant ? III, 18.

AQUA frigida quid significet ? IX, 40.

ARCA testamenti quæ sit I, 5.

ARIETES Domino offerri quid sit ? VII, 32.

ARIMATHÆA quid interpretetur ? XV, 43.

AROMATA unde dicantur ? XVI, 1.

ARUNDO quid significet, quam illudentes Christum dederunt in manus ejus? XV, 19.

ARUNDO quid significet quæ erat in manu mensurantis templum? Ibid.

AUDACIA Christi victoris, ubi, et quibus locis Scripturæ notetur ? In argumento S. Hieronymi.

AUDIENDUM esse Christum quatuor de causis ostenditur. IX, 6.

AVARITIA quomodo contemptibilis fiat Christi doctrina ? X, 23 et 24.

AZYMORUM dies prima quæ sit ? XIV, 12.

B

BACULUM ab Apostolis accipiendum esse, cur quidam Evangelistarum negent et quidam admittant ? VI, 8.

BAPTISMA Joannis quomodo differat a baptismate Christi, Bedæ testimonio probatur. I, 4.

BAPTISMA pœnitentiæ cujus fuerit, et quod Christi tale non fuerit ostenditur. Ibid.

BAPTISMATIS forma quomodo instituta sit ? I, 9.

BAPTISMUS quomodo januam aperire dicatur? I, 10.

BAPTISMUS quid significet, et quod tantum in bonam partem accipiatur, ostenditur. X, 38.

BAPTISTA inter omnes baptizantes cur solus Joannes dicatur ? I, 4.

BARABBAS quid significet, et quomodo scribatur? XV, 7.

BARTHOLOMÆUS, *filius suspendentis aquas.* III, 18.

BEATITUDINIS via homini reserata. I, 10.

BEELPHEGOR quale idolum sit ? VII, 25.

BELLA et seditiones quomodo differant secundum Gregorium ? XIII, 8.

BENEDICTIO Domini quæ in nobis faciat ? XI, 10.

BENEDICTIO qualis fuerit, qua Christus benedixit panem ex quo corpus suum consecravit ? XIV, 22.

BESTIIS dominandi jus per Christum homini restituitur. I, 13,

BETHSAIDA quæ civitas sit, et quid interpretetur ? VIII, 22.

BINOS mittendos esse Christi exemplo comprobatur. VI, 7.

Blasphemans in Spiritum sanctum cur non sit habiturus remissionem ? III, 29.
Blasphemare in Spiritum sanctum quis dicatur ? Ibid.
Blasphemia quid sit, et qui dicantur blasphemi ? VII, 22.

Boanerges cur Jacob et Joannes vocentur a Christo, et quibus locis Scripturæ hi duo fuerint præfigurati ? III, 17.

C

Calix quid significet, et qualis sit potus ? XIV, 23.
Calix in Scripturis duplex : bonus, et malus. X, 38.

Calceamentum quid significet ? I, 7.

Calvaria quid significet, et cur Dominus in loco Calvariæ crucifigi voluit ? XV, 22.

Camelum non posse per foramen acus transire, quid significet ? X, 25.

Cananæus, *zelotes*, III, 18.

Candelabrum, quid significet in Scripturis ? IV, 21.

Candor stolæ quid significet, qua amictus erat Angelus Domini circa sepulcrum sedens ? XVI, 5.

Canones Evangeliorum, ubi inventi, a quo, et quomodo distinguantur ? In argumento S. Hieronymi.

Capharnaum Galilææ metropolis. I, 21.
Capharnaum, *villa pinguedinis*. IX, 32.

Caput animæ, affectus in Deum erectus. XIII, 33.

Carnalia sumenda ab his qui spiritualia dona accipiunt. IV, 3.

Catenæ, compedes, et vincula quibus obsessus ligabatur, quid significent ? V, 4.

Catinus quid significet, de quo fit mentio in Evangelio. XIV, 20.

Centeni et quinquageni qui dicantur ? VI, 40.
Centesimum fructum unum semen afferre quomodo intelligatur ? IV, 8.

Cerastes quid sit ? X, 2.

Charybdis, quid significet ? IV, 1.

Christi justitiam esse supra legem tribus rationibus ostenditur. II, 25 et seq.
Christum esse animam scripturarum Prophetarum probatur. In argumento S. Hieronymi.

Christus triplici ratione ostendit hoc quod dicebat et faciebat non posse esse nisi virtute divina. III, 23 et seq.

Cibum in substantiam aliti converti quid significet ? VII, 18 et 19.

Clavis Ecclesiæ data quando non sit erronea ? IX, 28.

Cognitio intellectiva fit ex his quæ nota sunt nobis. IV, 30.

Columbæ specie Spiritum sanctum videri quid significet ? I, 10.

Cur Christus comminatus sit discipulis suis, ne dicerent eum esse Filium Dei ? IX, 8.

Communia quæ sint, scilicet ea quæ a Judæis censentur immunda ? VII, 2.

Competentiam quemlibet secundum ordinem et statum suæ dignitatis accipere debere probatur. VIII, 6.

Concupiscentia quomodo vincenda sit ? VIII, 38.

Confessio triplex. In argum. S. Hieronymi.

Confirmationis Sacramentum unde sumpserit exordium ? X, 16.

Confitenda esse peccata, Scripturæ testimonio probatur. I, 5.

Confundor, verbum deponens. VIII, 38.

Consilia sive consueta legis quæ sint ? X, 4.

Consuetudinem honestam vim juris tenere Pilati testimonio probatur. XV, 8.

Contrarietates in Evangelio multæ videntur esse. XVI, 5.

Contubernium et contubernales quid significent, et quomodo differant ? VI, 39.

Converti ad fidem, et fidem ad nos converti quomodo differant ? In argumento S. Hieronymi.

Cophini duodecim quid significent, et cur duodecim fuerint ? VI, 43.

Corban quid significet ? VII, 11.

Corpus Christi indigne sumentes similes esse Judæ proditori ostenditur. XIV, 22.

Corpus Christi integrum esse sub qualibet parte hostiæ fractæ vel divisæ declaratur speciali exemplo. Ibid.

Credere Evangelio quid sit ? I, 15.

Crocus quid significet mystice ? XIV, 3.

Crucifixus cur Christus sit ante meridiem ? XV, 25.

D

Dæmon cur mortuorum loca plus cæteris diligat ?

Dæmonem cur Christus interroget ? V, 9.

Dæmones ejiciendi jejunio et oratione. IX, 28.

Dæmones commune aliquid in quos habeant, et in quos non habeant ? I, 24.

Dæmonum perditio triplex. Ibid.

Dalila, quid significet mystice ? VIII, 35.

Dalmanutha, quæ pars Judææ sit ? VIII, 10.

Dan *coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi*, quid sit ? VIII, 10.

David venit ut corda territa per legem suavitate demulceret. XII, 4.

Decapolis quæ regio sit, et quid significet ? V, 20.

Decurie, quid significet ? XV, 43.

Deformitas sive vitium corporis in magno viro qualiter debeat æstimari. In argumento S. Hieronymi.

Denarius quid significet, cum dicitur : *Euntes emamus ducentis denariis panes ?* VI, 37.

Dentes diaboli quid significent ? XIV, 38.

Deprecatio quid sit ? I, 40.

Desertum quantum valeat devotioni, et cur Dominus dixerit : *Venite seorsum in desertum locum* ? VI, 31.

Desperatio quale peccatum sit ? III, 29.

Deus unde dicatur, et quid significet ? XII, 29.

Diem natalem qui celebrasse dicantur, et quo exitu id fecerint ? VI, 21.

Digiti quid significent in Scriptura ? VII, 33.

Digitus *Dei est hic*, quomodo intelligatur ? III, 27.

Diligendus quomodo sit Deus, ex quali, quanto, et quo ? XII, 30.

Diligendus qualiter sit proximus ? XII, 31.

Dimittere peccata, soli Deo, convenire probatur. II, 7.

Dionysii sententia : « Lex divinitatis est, per prima media, et per media ultima reducere. » V, 37.

Disciplinæ præcepta quæ conveniant ? V, 43.

Discipuli quos Christus secum accepit oraturus Gethsemani, quomodo fuerint figurati in Veteri Testamento ? XIV, 33.
Discipulos Christi præter Apostolos fuisse vocatos, non ad dignitates, sed ad sollicitudinem declaratur. IX, 34.
Discipulos non potuisse ejicere spiritum immundum, quid significet ? IX, 17.
Discipulos cur Christus miserit ad parandum Pascha, et non alios, et cur duos tantum ? XIV, 13.

Divitiæ quibus rebus significentur ? X, 23.

Docebat Christus *quasi potestatem habens* tribus modis. I, 22.
Docenda sunt primo conferenda, ne male doceatur. VI, 30.
Doctoris Novi Testamenti dignitas unde attendatur ? IV, 21.
Doctrina quomodo differat a prædicatione ? I, 14.

Dolus quid sit secundum Augustinum ? VII, 22.

Dubietas quæ admittenda, et quæ fugienda sit ? I, 18.

Duci spiritu quis dicatur I, 12.

Duodecim Apostoli cur vocati sint, et ex quibus locis Scripturæ numerus ille sit celebratus ? III, 14.

E

Ecce *ego mitto Angelum*, etc., exponitur. I, 2.

Ecclesia et Synagoga in quo differant ? I, 21.
Ecclesiæ persecutiones tres : tyrannorum, hæreticorum, et falsorum fratrum. XIII, 19.

In electionibus Prælatorum novem attendenda. I, 18.

Eleemosynæ cur Dominus mentionem non facit quando dixit, Marc. IX, 18 : *Hoc genus*, scilicet dæmoniorum, *in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio.* IX, 28.

Elenchus quis syllogismus dicatur ? X, 2.

Eliam cur putabant homines Christum esse ? VIII, 28.
Elias ex paradiso affuit transfigurationi Domini. IX, 3.

Eligendi quomodo sint Prælati ? I, 16.
Eligens quilibet quomodo debeat multos præterire, et unum tantum eligere ? Ibidem.
Eligibilius an sit esse quam non esse ? Sententia Augustini et Auctoris proponitur. XIV, 21.

ERAT *prædicans*, cur dictum sit adjungendo præterito imperfecto præsens ? I, 39.

EUCHARISTIA quid significet, et cur corpus Christi *Eucharistia* vocetur ? XIV, 22.

EVANGELII scribendi congruitas quomodo Marco conveniebat ex tribus ? In argumento S. Hieronymi.

EVANGELII initium cur dicatur in numero singulari ? I, 1.

EVANGELISTÆ a quo incipiunt, et in quo finiunt ? I, 1.

EVANGELISTARUM ordo quis esse dicatur, et ubi quilibet inceperit aut desierit ? Ibidem.

EVANGELIUM quid significet ? Ibid.

EXEMPLUM quid significet ? I, 1.

EXPELLI *spiritu* quis dicatur ? I, 12.

F

FACIES Domini quæ sit ? I, 2.

FAMES unde oriatur ? XIII, 8.

FERMENTUM Pharisæorum quid significet ? VIII, 15.

FESTUM quid significet quando dictum est : *Non in die festo* ? XIV, 2.

FIDEI quæ sunt, quomodo non possint doceri ? I, 4.

FIDEI cur potius attribuatur potentia faciendi miracula quam spei ? IX, 22.

FIDES quid plus in se habeat quam spes et charitas ? XII, 31.

FIDELES e Jerusalem educti per admonitionem miraculi ante ejus devastationem. XIII, 10.

FILIA Herodiadis an patrem habuerit Philippum, an Herodem ? VI, 22.

FILII *Dei*, cur dixerit Marcus, Matthæus autem dixit, *Filii David* ? VI, 22.

FILII qui dicuntur in Scriptura ? VII, 27.

FILIUS quis esse dicatur, Petri Apostoli testimonio probatur, quando dixit : *Salutat vos Marcus Filius*. In argumento S. Hieronymi.

FILIUS cur adventum Domini secundum nuntiat ? XIII, 32.

FORAMEN acus quid significet præter vulgarem acceptionem ? X, 25.

FORAMEN petræ quid significet ? I, 10.

FORMA, figura, et transformatio, quomodo differant ? IX, 1.

FORNICATIO quid sit, et unde dicatur ? VI, 21.

FORNICATOR et incontinens in quo differant ? Ibidem.

FORTEM atria sua custodire quid significet ? III, 27.

FORTIOR Joanne Baptista solus Christus. I, 7.

FORTITUDINIS demonstratio secundum quintam proprietatem Leonis quomodo fuerit in Christo ? I, 21.

FRACTIO panis quid significet ? VIII, 6.

FRUCTUS seminis diversitas unde capiatur ? IV, 15 et seq.

FRUCTUS quis dicatur trigesimus, quis sexagesimus, et quis centesimus ? IV, 8.

FRUI quibus rebus dicamur ? IV, 7.

FUROR quis sit, in quem discipuli dicunt Dominum versum esse ? III, 21.

FURTUM quid sit, et quæ sub furto cadant ? X, 19.

G

GALILÆA quid interpretatur ? I, 9.

GALLI cantus duplex secundum Marcum, licet non secundum alios Evangelistas. XIV, 72.

GALLUM bis vocem dare quomodo intelligatur ? Ibid.

GAZOPHYLACIUM quid sit ? XII, 41.

GEHENNA quid significet, et unde nomen acceperit ? IX, 42.

GENITALIA membra ad quid erunt post resurrectionem ? XII, 25.

GENUS dæmoniorum quod discipuli ejicere non potuerunt, quod sit ? IX, 16 et 17.

GETHSEMANI quomodo interpretetur ? XIV, 32.

GLADIUS quis sit, quo visitabit Dominus super Leviathan serpentem tortuosum ? V, 7.

GLORIA et laus inanis declinanda. I, 44.

GRABATUS quare tollendus ? II, 9.

GRANI sinapis accurata expositio. IV, 31 et 32.

GRANUM sinapis quid significet in Scriptura, et cur illi regnum cœlorum comparetur ? Ibidem.

GRATIÆ dona quatuor qualitatibus descripta. I, 1.

H

HABENTI dandum esse, et non habenti aufe

rendum quod habet, quomodo intelligatur ? IV, 25.

HERODES quid interpretetur ? VI, 14.

HIEMS quid significet, quando dicitur : *Orate ut hieme non fiant* ? XIII, 18.

HODIE et cras quid significet, quando dicitur : *Hodie et cras perficio sanitates, et tertia die consummor* ? III, 7.

HORA sexta et hora tertia diversis temporibus quomodo Christus crucifixus esse dicatur ? XV, 25.

HOSANNA quid significet ? XI, 9 et 10.

HUMILITAS perfecta quæ sit ? I, 43 et 44.

HUR et Aaron brachia Moysi sustentantes quid significent ? III, 17.

I

IGNIS infernalis unde virtutem affligendi habeat ? IX, 42 et 43.

IGNIS quadruplex. IX, 48.

IMAGINEM qualem Martha curata a fluxu sanguinis, struxit ad imaginis Salvatoris similitudinem ? V, 25.

IMPŒNITENTIA finalis quam grande peccatum sit. III, 29.

IMPUGNATIO veritatis quam grave sit peccatum. Ibid.

INFIRMITATES quinque modis infligi, duobus versibus declaratur. II, 5.

INITIUM duplex : inducens et inchoans, in nos, et in nobis quomodo differant ? In argumento S. Hieronymi.

INQUINARE quomodo nihil possit hominem, quod ab extra introiens est in eum, declaratur. VII, 15.

IRE et in domum ire quid significent ? II, 9.

IRRISIO Christi patientis in cruce a quot et a quibus facta sit ? XV, 29 et seq.

ITALOS fuisse utriusque linguæ, Græcæ et Latinæ, peritos probatur. In argumento S. Hieromyni.

J

JACOBUS, *luctator*. III, 17.

JACOBUS cur frater Domini dicatur ? III, 18.

JAIRUS, *illuminatus.* V, 2.

JESUS quid interpretetur ? I, 1.

JEJUNANDUM non esse in magnis solemnitatibus, Christi exemplo probatur. II, 19.
JEJUNARE quid sit, et pro quibus accipitur in Scripturis. Ibid.
JEJUNII triplex effectus. I, 13.

JERICHO quid interpretetur ? X, 46.

JOANNEM Baptistam, cur homines Christum esse putabant ? VIII, 28,
JOANNES, *in quo est gratia.* I, 19.
JOANNES Baptista non natura, sed officio Angelus. I, 2.
JOANNES cur inter baptizantes solus dicatur Baptista ? I, 4.
JOANNES ubi occisus sit ? VI, 29.
JOANNIS Baptistæ vestitus et victus. I, 6.
JOANNIS Baptistæ historia non evangelica, cur inter evangelicas scribatur ? VI, 17 et seq.

JORDANIS quid interpretetur ? I, 5.
JORDANIS aquas superiores fluere super intrantes et aquas inferiores separari quid significet ? Ibid.

JOSEPH fabrum fuisse exponitur. VI, 3.
JOSEPH patriarcha, figura Christi. IX, 6.

JUDA quid interpretetur ? In argum. S. Hieronymi.

JUDAS, *confitens*, et *glorificans.* III, 19.

JUDÆA quis locus specialiter sit, et ubi sit sita ? X, 1.

JUDICI iniquo nihil esse respondendum, Salvatoris nostri testimonio probatur. XIV, 61.
JUDICII diem nobis præscire cur non liceat ? XIII, 32.

JULIANI Apostatæ in imaginem Christi impietas. V, 25.

JUS naturale quid vocetur ? X, 6.

JUSTITIAM non esse ex lege probatur. II, 28.

L

LABRUM candelæ quid significet ? IV, 21.

LACUS quid denotet ? XII, 1.

LAGENA aquæ quid significet, quam homo portavit in manu, in cujus domo Christus erat cœnaturus cum discipulis suis ? XIV, 13.

LATRONES qui cum Christo crucifixi erant,

utrum unus aut ambo convitiabantur ei ? XV, 32.

LAVARE manus cur crebro solebant Judæi ? VII, 3.

LAUS quomodo vitanda ? I, 44.

LEGIS novæ scientia ad quid sit utilis ? In argumento S. Hieronymi.

LEGES iniquæ, quæ bursas evacuant. VII, 13.

LEX disciplinæ quid dicatur ? In argumento S. Hieronymi.

LEO de tribu Juda quomodo vicerit, exponitur. In argum. S. Hieronymi.

LEO animal prædæ communicativum. Ibidem.

LEONIS septem proprietates. Ibid.

LEONIS figuram cur Marcus Evangelista gerat ? Ibid.

LEPROSUS tangere an liceat ? I, 41.

LEPROSUS quis dicatur, et quid sit lepra ? I, 40.

LEPROSUS cur Simon dicatur, cum tamen non esset leprosus ? XIV, 3.

LIBANUS et Libani gloria quid interpretentur ? III, 18.

LIBRUM aperire in Apocalysi quid sit ? In argumento S. Hieronymi.

LEVITICORUM et Sacerdotum quale fuerit officium, et quis ordo ? In argum. S. Hieronymi.

LOCUSTÆ quibus Joannes utebatur, qualia animalia sint et quid significent ? I, 6.

LUCERNA cur dicatur Prælatus in ecclesiasticæ dignitatis potestate constitutus ? IV, 21.

LUCERNA quando dicatur poni sub modio et sub lecto ? Ibid.

LUMBI quid denotent ? I, 6.

M

MADIAN, *iniquitas*. IV, 4.

MAGDALENE quid interpretetur ? XVI, 1.

MAGISTER bonus quis dicendus sit ? X, 17.

MALCHUS quid interpretetur ? XIV, 47.

MALEDICERE parentibus quomodo soleant pueri opere et verbo ? VII, 10.

MANDATUM maximum quod sit, Christi testimonio ostenditur. XII, 29.

MANDATUM Dei longe melius esse traditio-

nibus Judæorum, quibus Scripturæ locis ostendatur? XII, 31 et seq.
MANDATUM majus quid sit? Ibid.
MANDATUM majus duplex esse probatur. Ibidem.

MANUS arida quid significet, de qua fit mentio, cap. III, 1? III, 1.
MANUS quid significet, et quomodo sit organum organorum? VIII, 23.

MARCELLAM fuisse famulam Marthæ quæ exclamavit in turba: *Beatus venter qui te portavit*, etc., ostenditur. III, 32:

MARCI Evangelium in Ecclesia Aquilegiensi esse sua propria manu scriptum probatur. In argumento S. Hieronymi.
MARCUM Alexandriæ Episcopum fuisse, testimonio Hieronymi ostenditur. Ibid.
MARCUM Evangelistam pollicem suum abscidisse, et an in hoc peccaverit, declaratur. Ibid.
MARCUS cur Evangelium scripserit? Ibid.
MARCUS qua lingua scripsit Evangelium? Ibidem.

MARI comparatur mundus. IV, 1.
MARE cur mundus dicatur? Ibid.
MARIS tempestas, cujus rei indicium fuerit? IV, 37.

MARIAM Cleophæ et Alphæi eamdem fuisse ostenditur. III, 18.

MARTHA an fuerit mulier a profluvio sanguinis curata? V, 25.

MATER nostra quæ, et qui fratres nostri et sorores dicantur? III, 35.

MATRIMONIUM quid sit, et quomodo definiatur? X, 4.

MATTHÆI humilitas. III, 18.

MEDICINA vera in quibus consistat? II, 18.

MENDICARE quid proprie significet?

MESSIAS vocabulum Hebraicum, quid significet Latine? I, 1.

MERETRICES quomodo permittantur? X, 4.

MICÆ *cadentes de mensa dominorum* quid significent? VII, 28.

MINISTERIUM omne a Christo descendisse probatur. IV, 35.

MINUTA quæ dicantur? XII, 42.

MŒCHIA sive adulterium quot modis committatur? X, 19.

MONUMENTUM quid significet, et unde derivetur? XV, 46.

Moysi brachia sustentantes Hur et Aaron quid significent? III, 17.

Mulier quæ venit habens alabastrum quam recte dicatur *mulier*? XIV, 3.

Mysteria fidei non intellecta contemnuntur. IV, 12.

N

Nardus spicatus quid significet? XIV, 3.

Nativitatem Christi cur non scripsit Marcus? In argumento S. Hieronymi.

Navis quid significet ex qua Christus prædicavit? IV, 1.

Navibus tribus mare sæculi libere posse transiri, et quæ sint illæ naves exponitur. IV, 1.

Navis periclitantis quæ causæ sint? VI, 48.

Negatio Christi quæ mala inferat, Petri exemplo ostenditur. XIV, 66 et seq.

Negotia, actus, et res, in quo differant? I, 5.

Nobilitas Christi vincentis in quibus notetur. In argumento S. Hieronymi.

Noctes quibus Christus jacuit in sepulcro, quid significent? IX, 30.

Noe quomodo fuit figura Christi in cruce pendentis? XV, 37.

Nomina Apostolorum singula exponuntur. III, 16 et seq.

Nubere quid sit proprie? XII, 25.

Numerus quadragenarius quid significet? In argumento S. Hieronymi.

Numisma quid et quotuplex sit? XIV, 5.

O

Obedientia velox, simplex et perfecta. I, 18.

Obduratio sive induratio quam grande peccatum sit. III, 29.

Oblationes populi a Deo approbatæ. XII, 41.

Occulta cordium a nobis non discutienda. III, 19.

Odor Christi sparsus per omnem terram. I, 28.

Oliva quid significet, et quæ sint ejus proprietates? XIII, 3.

Onera alterius portare quomodo dicamur? II, 3.

Opera misericordiæ quæ sint? IV, 8.

Orantis sapientia notatur in quatuor. X, 17.

Oratione et jejunio dæmones ejiciendi. IX, 28.

Orationis domus primum quærenda. XI, 11.

Orationis forma. XIV, 36.

Oratio vera quæ in se habere debeat? XI, 25.

Orto *jam sole* cur dictum sit a quibusdam Evangelistis, et a quibusdam : *Cum adhuc essent tenebræ.* XVI, 2.

P

Panes quibus vescebantur turbæ, cur dicantur *hordeacei?* VI, 41.

Panes quinque quid significent? Ibid.

Panes septem quid allegorice significent, fuse exponitur. VIII, 5 et seq.

Panis quid significet in Scriptura? VII, 27.

Parabolas omnes Dominus disseruit discipulis suis. IV, 34.

Parabolis cur Christus usus sit? Ibid.

Parabolæ ad spiritualia exponenda accommodatæ. IV, 11.

Parare *viam* quomodo dicatur? I, 2.

Parasceve quid significet? XV, 42.

Participium formari a præterito imperfecto ostenditur. XI, 10.

Paralyticus quis esse, et a quibus portari dicatur? II, 3.

Parentes non esse spoliandos propter vota Sacerdotibus facta. VII, 11.

Pasce *oves meas,* cur dictum sit Petro Apostolo? VI, 37.

Quomodo sit Pascendum, et quibus? Ibid.

Pascha quid significet, et quomodo differat a *Phase?* XIV, 1.

Pastinare quid sit, et unde derivetur? XII, 1.

Pastoribus animarum præcipitur honestum eligere locum et hospitem. VI, 10.

Pavescere quid significet? XIV, 33.

Pauperes cur Dominus in omnibus terris immiscuit? XIV, 7.

PAUPERES cur non sint contemnendi ? XIV, 7.
PAUPERES non cogendi ad offerendum. VII, 13.

PECCATA dimittere solius Dei est. II, 7.
PECCATA in Spiritum sanctum, quæ et quot sint? III, 29.
PECCATO actuali tria inesse declaratur. VI, 1.
PECCATUM ignorantiæ contra attributum Filii, sicut peccatum infirmitatis contra attributum Patris. III, 28.

PECUNIA quando prohibita fuerit Apostolis? VI, 8.

PELICANO quomodo Christus similis factus sit? XV, 31.

PERCUTIAM *pastorem*, et, *percute pastorem*, quomodo differant secundum diversam translationem? XIV, 27.

PERMISSA, præcepta, et indulta, quomodo differant? X, 4.

PETRUS Apostolus, cur hoc nomine vocatus sit? III, 16.
PETRI domus quæ fuerit ? I, 20.
PETRUS Apostolus quoties Christum negavit, et quibus in locis? XIV, 66 et seq.
PETRI negatio quæ mala doceat nos cavere? Ibidem.

PETROSA in quibus dicitur semen cecidisse quid significent? IV, 5.

PHARISÆI quales fuerint in lege? II, 16.

PHILIPPUS, *os lampadis*. III, 18.

PIETAS quid sit secundum Augustinum ? XIV, 6.

PISCES duo quibus Christus esurientes pavit turbas, quid significent? VI, 41 et VIII, 7.

PLANTANS et rigans qui sint, et quomodo unum sint? In argumento S. Hieronymi.
PLANTARE quis dicatur? Ibid.

PODERIS quid significet, quando dicitur : *Vidi filium hominis vestitum veste poderi.* XIII, 13.

PŒNITENTIAM agere et fructus pœnitentiæ facere qui censeatur? I, 15.

PRÆCEPTUM quid sit, et quomodo differat a *mandato?* I, 1.
PRÆCEPTUM unde dicatur? X, 19.
PRÆCEPTUM triplex : obedientiæ, cautelæ, probationis? X, 3 et 4.
PRÆCEPTA affirmativa et negativa quomodo differant? X, 19.
PRÆCEPTA primæ tabulæ in quo differant a præceptis secundæ tabulæ? Ibid.

PRÆDICANDUM esse Christum a bonis et malis in Ecclesia, declaratur. IX, 37 et 38.
PRÆDICARE quid sit, et cujus sit? III, 14.

Prædicatores veri qui sint, et quomodo sit prædicandum? X, 1.
Prædicasse Christum, sed non publice tempore prædicationis Joannis Baptistæ ostenditur. I, 14.
Prædicatio cujus rei sit, et in quo differat a doctrina? Ibid.
Prædicari debent intelligenda, credenda, agenda, appetenda. XVI, 20.

Prælati quales esse debeant? I, 18.
Prælati quomodo assumendi in forma parvulorum? IX, 36.
In Prælatorum electionibus novem præcipue attendenda. I, 18.
In Prælatorum electione quæ toleranda sint? Ibidem.
De Prælatis eligendis judicandum secundum præsentem justitiam. I, 19.
Prælatus, Ecclesiæ oculus. IV, 21.

Præsumptio quale peccatum sit? I, 29.

Prophetam unum esse Christum, sive quasi unum ex Prophetis diversimode a diversis exponitur. VIII, 28.

Prologi quem Evangelio Marci præmisit Hieronymus, expositio. In argumento S. Hieronymi.

Propter *hoc relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit ad uxorem suam*, quid significet? X, 7.

Publicani qui vocentur? II, 15.
Publicani et Judæi cur non convescebantur? Ibidem.

Pudicitia et impudicitia quarum rerum signa sint? VII, 22.

Puer in medio discipulorum constitutus quid significet? IX, 35.
Puer in quo differat a servo? Ibid.
Puerorum proprietates quæ sint, et quam necessariæ illi qui vult intrare in regnum Dei. X, 13 et 14.

Purpura qua Christus illudebatur a Judæis, quid significet? XV, 17.

Pusilli qui vocentur, et quam diligenter cavendum ne scandalizentur. IX, 41.

Q

Qualitas peccatorum quomodo qualitati porcorum assimiletur? V, 13.

Quatuor paralyticum ad Dominum portantes quid significent, exponitur. II, 3.
Quatuor millia hominum comedentium quid significent, ratione mathematica declaratur. VIII, 9.

Quæstuariam Mariam vocari a Sanctis notatur. VI, 3.

Quiescendum quomodo sit, et quid per talem quietem intelligatur? VI, 31.

Qui *me confessus fuerit,* quomodo intelligatur? VIII, 38.

R

Radix quid significet, quando dicitur: *Radix David.* In argumento S. Hieronymi.

Quam rationem reddere debeant ministri in illicite acceptis? II, 14.

Recta linea, omnium brevissima. I, 3.

Regni impedimenta quomodo removenda? I, 13.
Regnum quod dicatur *divisum?* III, 24.
Regnum quibus debetur? X, 42.
Regnum quid sit? I, 14, et X, 14.
Regnum cœlorum quorum esse dicatur? Ibidem.

Primi Religiosi cur ad desertum se transtulerint? I, 13.

Repudiare cur vir potuerit uxorem, non autem uxor virum? X, 2.
Repudii liber quis fuerit, et quid in eo scribebatur? X, 4.

Respondendum nihil esse judici iniquo, Salvatoris testimonio probatur. XIV, 61.

Resurgentes fortioris virtutis, quam adhuc animaliter viventes. VI, 14.
Resurrectionis veræ quæ signa sint? V, 43.

Reus æterni delicti quis dicatur, et quot modis reatus æterni delicti accipiatur? II, 29.

Rex quis sit, et quæ sint officia veri regis? XV, 22.

Rigare quis dicatur? In argumento S. Hieronymi.

Ros cœli et terræ pinguedo quid significent? IV, 28.

S

Sabbato beneficium concedendum esse. III, 4.
Sabbatum servandum quandonam sit? III, 2 et seq.

Sacerdotum et Leviticorum quale fuerit officium et quis ordo? In argumento S. Hieronymi.

Sanctitas Christi triplex. I, 24.

Sal insulsum quando dicatur, et quid significet *insulsum?* IX, 49.

Salis quæ virtus sit, et quam dignitatem a Deo acceperit? Ibid.

Sandaliis cur Episcopi utantur? VI, 9.
Sandalium quid sit, et an usus illius interdicatur? Ibid.

De scandalo pusillorum. IX, 41.

Sapientiæ Evangelicæ parva pars descripta est. IV, 33.

Scarioth, *memoria mortis*. III, 19.

Scripta propter utilitatem posteritatis relicta. I, 2.
Scripturis alienis ut propriis utentes qui dicantur? In argum. S. Hieronymi.

Scylla quid significet? IV, 1.

Secreta quæ in Ecclesia fiunt, cur vulgo non sint revelanda? IV, 12.

Sedere super Cherubim, et apparere coram Ephraim et Manasse quid sit? XIII, 3.

Seditiones et bella quomodo differunt secundum Gregorium? XIII, 8.

Seminantis dispositio quæ sit, et in quibus consistat? IV, 3.
Semina tria in terram jacta ante granum sinapis. IV, 31.

Seminis diversitas unde oriatur? IV, 4 et seq.

Semita quid significet? I, 3.

Sequi Christum quam sit sanctum et egregium. X, 28.

Sero in Evangelio quid significet? XIII, 35.
Cum sero *factum esset*, quomodo intelligatur? XV, 42.

Sidon, *venatio*. IV, 36.

Signacula septem per Leonem aperta quæ sint? I, 1.

Signatum *est super nos lumen vultus tui, Domine*, etc., acute exponitur. X, 6.

Silentium quale in cœlo dicitur factum? VI, 31.

Simon *obediens* vel *deponens tristitiam*. III, 16.
Simon cur Cananæus dicatur? III, 18.
Simon Cyrenæus quis fuerit, qui crucem Jesu tulit, et quorum pater fuerit? XV, 21.
Simon Petrus quomodo dicitur habuisse domum Capharnaum, cum tamen de Bethsaida esset? I, 29.

Sinapis grano cur regnum Dei simile dicatur? IV, 31 et 32.

Sinapis grani accurata expositio. Ibid.

Sindon qua corpus Christi fuit involutum, quid significet? XV, 46.

Solis, lunæ, et sideris, quam diversæ sint illuminationes. VI, 47.

Solvere signacula libri quid sit? In argum. S. Hieronymi.

Solvere an poterat Joannes corrigiam calceamenti Christi? I, 7.

Soror cur dicatur sponsa in Canticis? III, 35.

Sorores nostræ et fratres nostri qui dicantur? Ibid.

Spicæ *septem* quo sensu dicantur pullulasse in uno culmo. VIII, 8.

Spinæ in quas semen cecidit, quæ sint? IV, 7.

Spiratio communis Patri et Filio, qua spirant Spiritum sanctum. I, 12.

Spiritu Dei confirmari debent congressuri cum diabolo. I, 12.

Spiritualia corporalibus præponenda. III, 31 et seq.

Spiritus increatus quomodo trahat a se spiritum creatum, et simplicem reddat? X, 30.

Spiritus sanctus quam longe diverso modo maneat in Christo et in homine puro. I, 10.

Spiritus sanctus consulendus, prætermissa humana sapientia. XIII, 11.

Spiritus unde dicitur *immundus*? I, 23.

Statione navium quod intelligatur? IV, 36.

Stola quid significet? et, An cavendum sit ab his qui in stolis ambulant, sicut dicit Dominus in Evangelio. XII, 38.

Stragulum quid sit? XI, 7.

Stratum quid significet, quando dicitur: *Cœnaculum grande, stratum*? XIV, 15.

Stultitia quid sit, et qui *stulti* dicantur? VII, 22.

Stupor proprie quid significet? I, 22.

Synagoga quid sit? I, 21.

T

Tacere cur voluit Salvator interrogatus a summo Pontifice? XIV, 61.

Tactus duplex, scilicet ad inquinationem, et ad mundationem. I, 41.

TANGERE quomodo dicatur Dominus multipliciter, et quis sit ejus tactus? X, 13.

TECTA aperire quid sit? I, 4.
TECTA plana in Palæstina. Ibid.

TEMPLUM Judæorum cur oportuit auferri? XIII, 10.

TEMPUS perditionis dæmonum triplex. I, 24.

TENEBRÆ an fuerint, quando Christus clamavit : *Eli*, *Eli*, etc.? XV, 34.
TENEBRÆ factæ in Passione Domini, quomodo ostendantur a Dionysio esse naturaliter impossibiles. XV, 33.

TENERI quomodo Deus dicatur? X, 13.

TENTATIO quid sit? I, 13.
TENTATIO Christi quæ et qualis fuerit? Ibidem.

TENTORIUM solis quid dicatur secundum Philosophos? IX, 6.

TESTAMENTI arca quæ sit? I, 5.

TESTIMONIUM quid significet? I, 1.

THADDÆUS, *corculus*, hoc est, custos cordis. III, 18.

THAU quæ littera sit, et quid significet? XIII, 13.

THOMAS, *dubius*, *geminus*, *et abyssus*. III, 18.

TIMOR pœnæ, et timor reverentiæ in quo differant? IV, 40.

TITULUS unde dicatur? XV, 26.
TITULUS cruci Christi affixus, cur diverso idiomate fuerit inscriptus? Ibid.
In hoc TITULO perfectio virtutis, et sapientiæ, et potestatis. Ibid.

TRANSMUTARI quemlibet divina tranctantem in imaginem illorum, ostenditur Moysi testimonio. In argumento S. Hieronymi.

TRECENTI viri qui cum Gedeone subverterunt castra Allophylorum, quid significent? XIV, 5.
TRECENTIS denariis fidem nostram emi, quomodo exponatur a beato Hieronymo? Ibidem.

TRIDUUM quo Christus dicitur sustineri, quid sit? VIII, 2.

TRISTEGA quid significent? IX, 4.

TRUFATORES qui vocentur ab Auctore? VII, 19.

VELLERE *spicas* quomodo intelligatur secundum litteram? II, 13.

U

VELUM templi quid significet, et quid indicet ejus scissura? XV, 38.

UNA *sabbatorum* quæ dicatur secundum computationem Judæorum? XVI, 2.

VENIRE in nomine Domini quid sit? XI, 10.
VENISSE in hunc mundum cur Christus dicatur? I, 38.

UNCTIONIS extremæ Sacramentum unde probatur institutum? VI, 13.

VENTI quatuor qui pugnant in mari magno, qui sint. IV, 1.
VENTI quatuor quid significent in Scripturis, quando dicitur: *Congregabit electos suos a quatuor ventis*? XIII, 27.

UNGUENTUM nardi spicati quid significet? XIV, 3.

VERUM est plena ratio omnium viventium. II, 2.

USURAM furti speciem esse declaratur. X, 19.

VERBUM Dei quomodo audiendum sit? IV, 20.
VERBUM et vox in quo differant? I, 2.

UXOREM unam tantum vir unus habeat, et e contra virum unum una uxor. X, 7.

VERBA sterilia et sacræ doctrinæ inania qualia fuerint Synagogæ, et ubi ponantur in Scripturis? XI, 13.

V

VESTIUM Christi crucifigendi depositio quid significet? XV, 24.
VESTES cur antiqui scindebant, et maxime auditores blasphemiarum? XIV, 63.
VESTIMENTORUM mutatoria, cur abjicienda? VI, 9.

VAH quid significet? XV, 29.

VESTIMENTUM qui dsignificet, quando dicitur: *Vestimenta ejus acta sunt splendentia*? IX, 2.

VAS novum quid significet, quando dicitur, IV Reg. II, 20: *Afferte mihi vas novum?* IX, 49.

VESTITUS Joannis Baptistæ. I, 6.

VIA quæ sit sequenda? I, 3.

VATICINIUM quomodo inducendum sit? I, 2.

VIA in quam cecidit semen, quid significet? IX, 4.

VICTORIA Christi unde et quibus locis sacræ Scripturæ notetur ? In argumento S. Hieronymi.

VIDERI a Deo quid sit ? I, 16.
VIDI *filium hominis vestitum podere*, exponitur. XIII, 13.

VIGOR quintuplex per peccatum amissus, restituitur. I, 12.

VIGILIÆ noctis quid significent, quæ sint, et quibus nominibus vocentur ? VI, 48.

VIR unicus quis sit qui per fimbriam a decem viris dicitur apprehensus, Zachar, VIII, 23 ? VI, 56.

VIRGA, sive bacculus peregrinantis quid significet ? VI, 8.

VIRTUS quibus ostenditur ? I, 21.
VIRTUTEM cur Christus nullam potuisse facere dicatur, quando irridebatur a Judæis ? VI, 5.

VITA æterna quæ sit ? X, 30.

VOCANDUS quis sit in plenitudinem potestatis, et quis in adjutorem ? I, 16.
VOCATIO duplex. Ibid.
VOCATIO effectus prædestinationis. Ibid.
VOCATIONES discipulorum tres fuisse demonstratur. Ibid.
VOCATIONIS modus in quibus consistat ? III, 13.

VOX, verbi vehiculum. I, 3.
VOX *clamantis* quæ sit ? Ibid.

Z

ZABULON, *habitaculum fortitudinis.* IV, 36.

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,

QUI IN COMMENTARIIS

IN MARCUM EXPLICANTUR.

EX VETERI TESTAMENTO.

GENESIS.

Cap.		
I, 2.	*Tenebræ erant super faciem abyssi.*	III, 18.
I, 31.	*Vidit Deus cuncta quæ fecerat : et erant valde bona.*	V, 34.
VI, 16.	*Cœnacula, et tristega facies in ea.*	IX, 4.
VII, 17.	*Multiplicatæ sunt aquæ, et elevaverunt arcam in sublime.*	I, 5.
XXII, 12.	*Nunc cognovi quod times Deum.*	I, 45.
XLI, 5.	*Septem spicæ pullulabant in culmo uno, plenæ atque formosæ.*	IV, 28.
XLIX, 13.	*Zabulon in littore maris habitabit.*	**IV, 36.**

NUMERORUM.

X, 2. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles.* III, 17.
XXI, 8. *Qui adspexerit eum, vivet.* III, 11.

DEUTERONOMII.

XXXIII, 9. *Qui dixit patri suo, et matri suæ : Nescio vos.* I, 20.

JOSUE.

III, 13. *Aquæ, quæ inferiores sunt, decurrent atque deficient : quæ autem desuper veniunt, in una mole consistent.* I, 5.

JUDICUM.

VI, 3. *Cum sevisset Israel, ascendebat Madian et Amalec.* IV, 4.
IX, 13. *Vinum, quod lætificat Deum et homines.* II, 22.
XIV, 14. *De comedente exivit cibus.* VIII, 20.

IV REGUM.

III, 16. *Facite alveum torrentis hujus fossas et fossas.* I, 9.
V, 10. *Lavare septies in Jordane.* I, 4.

JOB.

III, 24. *Antequam comedam, suspiro.* VI, 41.
V, 23. *Bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.* I, 13.
XXXVIII, 35. *Numquid mittes fulgura, et ibunt ?* III, 17.
XXXIX, 5. *Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit ?* XI, 2.

PSALMORUM.

IV, 6 et 7. *Multi dicunt : Quis ostendit nobis bona ? Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* X, 6.
XXIV, 7. *Delicta juventutis,* etc. III, 29.
XXVIII, 1. *Afferte Domino filios arietum.* VII, 32.
XLIV, 11. *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* IV, 33.
CV, 28. *Initiati sunt Beelphegor.* VII, 25.
CXLIX, 8. *Ad alligandos reges eorum in compedibus.* V, 4, et VIII, 38.

PROVERBIORUM.

VI, 26.	*Pretium scorti vix est unius panis.*	VIII, 36.
XX, 25.	*Ruina est homini devorare sanctos, et post vota retractare.*	VII, 11.
XXX, 24.	*Quatuor sunt minima terræ, et ipsa sunt sapientiora sapientibus.*	II, 3.
XXXI, 22.	*Byssus et purpura indumentum ejus.*	XI, 7.

ECCLESIASTÆ.

XI, 1.	*Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa invenies illum.*	VIII, 5.

CANTICORUM.

II, 14.	*Columba mea, in foraminibus petræ.*	I, 11.
IV, 13, 14.	*Cypri cum nardo : nardus et crocus,... cum universis lignis Libani.*	XIV, 3.
VII, 1.	*Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum ?*	X, 28.

SAPIENTIÆ.

I, 5.	*Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.*	I, 4.

VI, 8. *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus.* I, 38.
XIV, 5. *Transeuntes mare per ratem liberati sunt.* IV, 36.

ECCLESIASTICI.

IX, 4. *Cum saltatrice ne assiduis sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.* VI, 22.
XXIV, 46. *Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam.* X, 1.

ISAIÆ.

I, 16. *Lavamini, mundi estote.* I, 5.
IV, 1. *Apprehendent septem mulieres virum unum,* etc. VIII, 5.
VI, 3. *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus, Deus exercituum.* I, 24.
XI, 2. *Et requiescet super eum spiritus Domini.* I, 10.
XXI, 14. *Qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti.* VIII, 5.
XXVII, 6. *Qui ingrediuntur impetu ad Jacob, florebit et germinabit Israel.* IV, 14.
XXX, 20. *Dabit vobis Dominus panem arctum.* VI, 41.
XXXIII, 15, 16. *Qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum : iste in excelsis habitabit.* X, 28.

XXXV, 2. *Gloria Libani data est ei.* III, 18.
XXXVII, 30. *In anno tertio seminate et metite.* IV, 4.
XLVI, 8. *Redite, prævaricatores, ad cor.* X, 1.

JEREMIÆ.

VII, 31. *Ædificaverunt excelsa Topheth, quæ est in valle filii Ennom.* IX, 42.
XIII, 23. *Si potest Æthiops mutare pellem*, etc. IV, 7.

THRENORUM.

IV, 4. *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis.* VIII, 6.

EZECHIELIS.

I, 6. *Quatuor facies uni*, etc. I, 6.
I, 12. *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* I, 12.
VIII, 8. *Fode parietem.* II, 2.
XVIII, 21 et 22. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, ... omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* I, 4.

DANIELIS.

IV, 7.	*Ecce arbor in medio terræ, et altitudo ejus nimia.*	IV, 32.
VII, 2.	*Quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.*	IV, 37.

OSEE.

XII, 1.	*Ephraim pascit ventum.*	I, 34.

HABACUC.

I, 14.	*Facies homines quasi pisces maris.*	I, 17.
III, 15.	*Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.*	VIII, 13.

ZACHARIÆ.

IV, 2.	*Vidi, et ecce candelabrum aureum totum.*	IV, 21.

MALACHIÆ.

II, 11.	*Contaminavit Judas sanctificationem Domini, quam dilexit.*	X, 4.

EX NOVO TESTAMENTO.

MATTHÆI.

XVI, 19. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis.* IX, 27.
XX, 14. *Tolle quod tuum est.* VIII, 6.
XXVI, 24. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* XIV, 21.

LUCÆ.

XXII, 27. *Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.* IX, 35.

JOANNIS

IV, 14. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* X, 30.
XXI, 9. *Viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem,* VI, 41.

ACTUUM.

XIX, 4. *Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum.* I, 4.
XXVI, 24. *Insanis, Paule.* III, 21.

I AD CORINTHIOS.

III, 1 et 2. *Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi.* IV, 11.

II AD CORINTHIOS.

VI, 15. *Quæ conventio Christi ad Belial ?* I, 24.

AD GALATAS.

III, 19. *Lex propter transgressiones posita est.* II, 28.

AD EPHESIOS.

V, 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* III, 18.

AD PHILIPPENSES.

II, 10. *In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium*, etc. V, 6.

AD HEBRÆOS.

V, 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem.* III, 13.

JACOBI.

V, 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* I, 5.

APOCALYPSIS.

V, 5. *Ecce vicit Leo de tribu Juda, radix David, aperire Librum, et solvere septem signacula ejus.* In arg. S. Hieronymi.

INDEX GENERALIS

RERUM QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

ENARRATIONES IN EVANG. MATTHÆI (CAP. XXI-XXVIII). 1

Index Capitum in alteram partem Matthæi (XXI-XXVIII). 237
Index analyticus et historicus in alteram partem Matthæi (XXI-XXVIII). 239
Index rerum et verborum notabilium quæ in Commentariis in Matthæum continentur. 241
Index locorum sacræ Scripturæ qui in Commentariis in Matthæum explicantur. 323

ENARRATIONES IN EVANGELIUM SECUNDUM MARCUM. 339

Index capitum in Evangelium Marci. 763
Index analyticus et historicus in Evangelium Marci. 767
Index rerum et verborum notabilium quæ in Commentariis in Marcum continentur. 771
Index locorum sacræ Scripturæ qui in Commentariis in Marcum explicantur. 795

FINIS TOMI XXI.

Sancti Amandi (Cher). — Ex typis DESTENAY, Bussière, Fratrum.